SHL
WITHDRAWN



UNIVERSITY OF LONDON
LIBRARY

[S] 016.282 (Hunter)

NOMENCLATOR LITERARIUS

THEOLOGIAE CATHOLICAE

THEOLOGOS EXHIBENS

AETATE, NATIONE, DISCIPLINIS

DISTINCTOS.

TOMUS II.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTOR, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSOR P. O.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO TERTIA EMENDATA ET PLURIMUM AUCTA.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1906.

THEOLOGIAE CATHOLICAE

AETAS MEDIA

AB EXORDIIS THEOLOGIAE SCHOLASTICAE USQUE AD CELEBRATUM CONCILIUM TRIDENTINUM.

AB ANNO 1109 — 1563.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO ALTERA EMENDATA ET PLURIMUM AUCTA.

OENIPONTE.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1906.

192161

Ut opus, cui titulus „Nomenclator litterar. Tom. 2. edit. tertia et aucta“ auctore P. H. Hurter S. J. typis vulgetur, hisce ex parte nostra permittimus.

Oeniponti die 17. Mart. 1905.

(L. S.) Ant. Forstner SJ.
Praepos. Prov. Austriaco-Hung.

BIBL.
LONDIN.
UNIV.

OENIPONTE, TYPIS WAGNERIANIS.

I.

Theologi annorum 1109—1141.

1. Theologia scholastica et polemica.

1. Theologiae *scholasticae* origines et fata[1]) adumbrantes initium ducimus ab eo, qui non immerito illius veluti parens censetur, s. Anselmo, Ecclesiae doctore. Natus est Anselmus Augustae Praetoriae (Aosta) in finibus Italiae Gandulpho et Ermenberga nobilibus parentibus 6. Maj. 1033. Juvenili ardore aliquamdiu ad seculi illecebras tractus, brevi in pristinam viam revocatus patriae et bonis omnibus relictis ad monasterium beccense OSB. in Normanniam se contulit, ubi sub Lanfranco viro doctissimo, ejus populari (cf. t. I p. 1055), tanto animi fervore et jugi studio in literis et virtutibus assequendis adeo profecit, ut tamquam sanctitatis et doctrinae exemplar ab omnibus haberetur. Promoto Lanfranco in abbatem monasterii cadomensis s. Stephani ipse in munere prioris successit, et defuncto Herluino abbate unanimi sodalium suffragio in abbatem est electus 1078. Doctrinae virtutumque splendore monasterium maxime illustravit, plurimos optimae spei adolescentes attraxit illudque reddidit verum quaquaversus reformationis salutaris seminarium. Regibus, episcopis ipsique s. Gregorio VII. acceptus erat: quamobrem a Guilelmo Angliae rege, instantibus clero ac populo, ipso tamen repugnante, vocatus est ad sedem archiepiscopalem cantuariensem 1093. Suscepto tanto munere illico adnisus est verbo et exemplo corruptos populi mores reformare, dein scriptis et conciliis celebratis pristinam restaurare pietatem et ecclesiasticam disciplinam. Cum vero rex vi et minis

[1]) Hanc et sequentem periodum bene appellat Morgott Lit. Handw. 1892 c. 81: Die frische, kampfesmuthige Jugendzeit der Scholastik, in welcher noch verschiedene philosophische und theologische Richtungen und Methoden in unklarer Gährung nebeneinander wogen und miteinander ringen, bis die christliche Wissenschaft in unausgesetztem Aufsteigen unter der sicheren Leitung der Kirche allmählich jene Lichthöhe erklommen, die einen so hellen Glanz über das 13. Jahrh. verbreitet hat... Noch waren die Geistesschätze der griechischen Philosophie und die reiche Hinterlassenschaft der Väter nur mangelhaft erschlossen, und doch erweiterte sich der Inhalt der christlichen Wissenschaft immer mehr und zeigten sich mit dem Streben nach speculativer Erfassung des Lehrinhalts auch schon die ersten Ansätze einer Systembildung.

Ecclesiae jura usurpare tentasset, ipse sacerdotali constantia restitit, multas propterea vexationes et vel exsilium passus. Bis Romam profectus est (1097 et 1103) pro ecclesiae Angliae bono honorifice a romano pontifice exceptus, interfuitque concilio barensi (1098), in quo adversus Graecos Spiritus s. processionem etiam a Filio propugnavit. Demum post gravissimos labores et negotiationes libertatem ecclesiasticam concordiamque cum rege restitutam vidit tantique ab Henrico I., Guilelmi successore, factus est, ut ab eo institueretur regni vicarius, dum ipse abesset. Obdormivit in Domino 21. Apr. 1109 vir juxta Trithemium de script. eccl. c. 351, »vita et conversatione integer atque sanctissimus, mente devotus, ore facundus, operatione strenuus, vultu angelicus, incessu maturus, progressu exemplaris, studio Scripturarum continuus et omni virtute ornatus et insignis.« Famam consecutus est tantam doctrinae, ut eam coelitus hausisse videretur teste breviario, ex cujus lectionibus plura hic decerpsimus.

2. Opera cura Gerberonii collecta prodierunt Parisiis 1675, optima editio; repetita cum supplemento 1721; Venetiis 1744; Migne t. 158. 159. Gerberon (de quo cf. Nomencl. II², 825) ea dispertitur tres in classes. Harum prima complectitur dogmatica, inter quae eminent *Monologium* de divinitatis essentia (a nobis inter opuscula ss. PP. selecta t. 28 editum Oeniponte 1874). Paucis in eo complectitur »sub persona secum sola cogitatione disputantis et investigantis ea, quae prius non animadvertisset (proem.),« quidquid patres, s. Augustinus praesertim[1]), duce rationis lumine, subtiliter disseruerunt de Deo vel excogitarunt ad illustrandum ss. Trinitatis mysterium. Scripsit illud (c. 1070) instantibus sodalibus cum esset Becci prior, misitque prius quam ipsum vulgaret, Lanfranco suo olim magistro. — *Proslogium* seu alloquium de Dei exsistentia, prius inscriptum »Fides quaerens intellectum«, in quo proponit celebre argumentum ontologicum pro Dei exsistentia: quod cum impugnasset Gaunilo Majoris monasterii (Marmoutier) turonensis monachus in l. *pro insipiente*, pro ejus defensione et illustratione scripsit *Apologeticum* respondentem pro insipiente. — *De fide Trinitatis* et de incarnatione Verbi contra blasphemias Roscellini[1]) ad Urbanum II. — *De processione Spiritus s.*, qui l. complectitur ejus adversus Graecos in conc. barensi habitam disputationem expolitam et auctam. — *De casu diaboli*, in quo in mali originem inquirit; *cur*

[1]) Hinc epist. 68 l. 1 testatur: „Nam haec fuit mea intentio per totam illam qualemcunque disputationem, ut omnino nihil ibi assererem, nisi quod aut canonicis aut b. Augustini dictis incunctanter posse defendi viderem: et nunc quotiescunque ea quae dixi retracto, nihil aliud me asseruisse percipere possum.“

[1]) Roscellinus (Ruzelius) Compendiensis (Compiègne) canonicus et philosophiae magister, in qua nominalistarum erat dux vel fautor, errores docuit contra ss. Trinitatis mysterium et incarnationem: hinc in conc. suessionensi fuit damnatus. Decessisse dicitur post a. 1121. Cf. Realenc. XIII 52—60. Contra eum scripsit etiam Theobaldus Stampensis (Etampes), cujus vita et gesta satis ignota sunt. Natus videtur circa 1060 in oppido Stampis: juvenis in ecclesia cadomensi magistri munus sustinuit. Anno fere 1090 aliorum doctorum gallorum exemplum secutus in Angliam profectus Oxoniae scholas habere coepit. Quando obierit non liquet. Supersunt quinque tantum ejusdem *epistolae* in Spicil. Dacherii III², 445 ss.; Migne 163, 759—770. Scripsit autem Theobaldus contra Roscellinum non propter fidem, quam impugnaverit, sed quod defenderit legem a Gregorio VII. statutam, qua sacerdotum filiis ordines interdicit. Eam ep. iterum edidit Boehmer in MG. lib. de lit. III, 603—607. Confundi non debet, ut aliqui faciunt, cum Theobaldo stampensi cardinali († 1298), cujus meminit Eggs Purp. docta I, 248, qui plura opera egregia (inedita) ei asserit. Cf. de illo Hist. lit. XI 90—94.

Deus homo contra gentiles ll. 2, quo in opere incarnationis necessitatem nimis urget[1]). Hunc librum germanice vertit atque commentariis illustravit Schenz der h. Anselm v. C. Zwei Bücher Warum Gott Mensch geworden, Regensburg 1902 ed. 2; Prodierat seorsim Berolini 1857 cur. Laemmer; Zürich cur. Fritzsche 1868; 1886. — *De conceptu virginali* et peccato originali; *de veritate; de libero arbitrio; de concordia* praescientiae et praedestinationis necnon gratiae Dei cum libero arbitrio; *de tribus* Waleramni *quaestionibus* de azymo et fermentato, de sacramentorum diversitate cum responsione. Conquestus fuerat hic episcopus naumburgensis (cf. infra p. 20 a.) de caeremoniarum varietate inter altaris sacrificium observari solitarum, ac si sacramenti attingerent essentiam atque decentiam religiosam (Migne 158, 547—552). Jam huic ep. respondet s. praesul. c. a. 1101—1102. — *De nuptiis consanguineorum* etc. Non constituunt haec opuscula theologiae cursum, potiores tamen quaestiones tractant exquisita ingenii sagacitate et ingenii acumine, dialogi plerumque forma et cujus tessera est fides quaerens intellectum. — Classis altera complectitur *homilias* (c. 16), *meditationes* (Lugduni 1609) et *orationes* (inter quas aliquot apocryphas) vere aureas[2]), sensibus profundis refertas et unctione mira pias (Veronae 1726). — Classis tertia continet *epistolas* ll. 4 (426), quibus postmodum alias addiderunt Martene, Dacherius, Baluzius, quae receptae fuere cum aliquot aliis in supplementum adjectum ed. a. 1721. — Quamplurima opuscula (c. 36) ei fuere supposita, de quibus cf. Histoire lit. IX, 442—452. Ita et commentaria *in epistolas s. Pauli* et *Apocalypsin,* quae sunt Hervei[1]).

3. Anselmo subjicimus theologos quosdam longe minoris celebritatis. Franco O. S. Ben. abbas secundus afflighemensis in Brabantia († 13. Sept. 1135) praeter alia[2]) minoris momenti scripsit *de gratia* seu de beneficentia Dei ll. 12, Antwerpiae 1564; 1565; Friburgi 1615; 1620; in bibliotheca patrum coloniensi t. XII, lugdunensi t. XXI et in Patrologia ed. Migne 166, 716—808. — Berengosus (Berengoz, Berengaudus) O. S. Ben. strenuus monasterii s. Maximini trevirensis abbas († 1125 vel 1126), disseruit *de laude et inventione s. crucis* ll. 3, ubi multa V. T. facta typice de cruce interpretatur, vitamque Constantini imp. narrat; *de mysterio ligni dominici* et de luce visibili et invisibili, per quam antiqui patres olim meruerunt illustrari, in quo l. oeconomiam salutis V. et N. T. exponit deque relatione disserit inter Ecclesiam et societatem civilem, quam adumbratam cernit in Christo qui sacerdotalem regiamque potestatem in se conjunxit[2]). Reliquit etiam aliquot *sermones.* Prodierunt ejus

[1]) De qua controversia cf. Stentrup de Verbo incarn. pars alt. thesi 3, et plenius Ztschr. f. kath. Theol. 1892 pag. 653 ss.

[2]) Cf. J. Olivier Anselme de C. d'après ses meditations 1890.

[1]) Cf. de s. Anselmo praeter Eadmerum, de quo infra p. 1, Moehler theol. Qtlschr. 1827. 1828 et Vermischte Schr. I, 32 ss.; Hasse A. v. C. Leipzig 1843—1852 pp. 2, P. Ragey Histoire de St. A. etc., Paris 1890 t. 2; Domet de Vorges St. Anselme Paris 1902, qui eum ut philosophum considerat; Schwane KL. I, 886-897; Jakobi-Kunz Realenc. I^3, 562—570, aliosque quos citant Chevalier 1877—1886; Potthast p. 1169 s. etc. Ejus doctrinam fuse evolvit et illustrat doctissimus Jos. Saenz d'Aguirre in op. *s. Anselmi ... theologia* t. III in f., de quo cf. Nomencl. II^2, 521; Funke Grundl. u. Voraussetz. der Satisfaktionslehre des h. A. v. C., Münster 1903.

[2]) Cf. Biogr. nat. de Belg. VII, 269 s.; Ceilier Hist. génér. des Auteurs sacrés et eccl. XIV, 774; Fabricius bibl. lat. med. et inf. lat., Florentiae 1858 II, 604, qui exhibet ejus carmen *de statu futurae gloriae.*

opuscula Coloniae 1555; in bibl. maxima PP. lugd. t. XII, 349 ss.: in patrologia Migne 160, 935—1036. *Commentarius in Apocalypsim* (inter opera s. Ambrosii ed. maur. II. app. 499), quem ipsi tribuit Oudin (II, 1004), judice Fabricio est Berengarii Turonensis, seu potius Berengaudi, qui floruit sec. IX. (cf. Nomencl. I, 830). *Vita s. Agritii* (Agroecii) episcopi quarti trevirensis († 332), quae teste Waitz inter pretiosa historiae trevirensis monumenta referri debet, hactenus anonyma (apud Migne CLIV, 1247—1250), integre demum edita a Sauerland (Trier, Geschichtsquellen des XI. Jahrh., Trier 1889 p. 55—212), ab hoc nostro auctori asseritur (ib. 150 ss). Sed refragatur Marx in diss. Der Biograph des Bisch. Agritius v. T. in Westdeutsche Zeitschr. für Gesch. und Kunst XII (1893), 37—50, qui rationibus haud inefficacibus utitur, potiusque stat pro Angibaldo ecclesiae cathedralis scholastico (fl. sec. XI). — Inter opera s. Bernardi edidit Mabillon *instructionem sacerdotis* seu tractatum de praecipuis mysteriis religionis nostrae pp. III (Filius Dei dedit se nobis moriens in pretium, in eucharistia, et se dat nobis in praemium in coelo, Migne patrol. 184, 771—792), quae videtur Bernardi morlanensis vel morlacensis, (Morlas vel Morlay), monachi et prioris cluniacensis († c. 1140), qui magis innotuit carminibus[1]): *De contemptu mundi* ll. III (Basileae 1557; Lüneburg 1640 etc.); *carmen paraeneticum* ad Raynaldum, (Migne 184, 1307—1316) et *Mariale*, quod est vulgatissimum. Ipse videtur collegisse *Consuetudines cluniacensis monasterii* in Vet. disc. monast., Parisiis 1726), quas tamen collegisse Bernardum monachum, aliquando priorem nongentinum († 1019) alii dicunt.

4. Revelationem christianam adversus *Judaeos* vindicarunt Petrus Alphonsi, prius Judaeus et Moyses Sephardi appellatus, regis Alphonsi VI. (1066—1108) medicus, sed 1106 a. aetatis 44 ad fidem Christi conversus († c. 1140), *in dialogis XII* cum Moyse Judaeo, in quibus impiae Judaeorum opiniones philosophicis argumentis confutantur quaedamque prophetarum abstrusiora loca explicantur, Coloniae 1536 in 8., cui ed. adjectus est libellus Rabbi Samuelis veri Messiae parastasim exhibens. Hoc in opere, ut ipse auctor scribit, »omnium aliarum gentium credulitatis destructionem praeposui: post haec christianam legem omnibus praestantiorem esse conclusi: ad ultimum etiam omnes cujuslibet christianae legis adversarii objectiones posui, positasque pro meo sapere cum ratione et auctoritate destruxi.« Prodiit etiam in bibliotheca PP. coloniensi t. XII; et lugdunensi XXI, 172 ss.; Migne CLVII, 535. Ejusdem est *disciplina clericalis* ex arabico in latinum translata 30 fabulis illustrata, quae primum prodiit cura D. Labouderie vicario generali avenionensi Parisiis 1824, et Fr. W. V. Schmidt cum doctis notis Berolini 1827; in patrologia Migne CLVII, 671 ss. Adversus eum scripsit Jos. Kimchi. — Gislebertus (Gilbertus) Crispinus (ita a capillis crispatis dictus) O. S. Ben. Normannus, s. Anselmi discipulus, postea abbas westmonasteriensis (1084; † 1114), in *disp. Judaei cum Christiano* de fide christiana[1]), quae prodiit

[1]) Cf. Katholik 1887, II, 318-25; Hist. lit. XII, 236—243; Braunmüller KL. II, 435; Fabricius bibl. lat. I, 251 s. — Praetermittimus Adelardum de Bath (Badunensem, Bathoniensem (OSB., qui erat inter philosophos platonicos sec. XII. haud incelebris († c. 1130). Ex ejus scriptis recentissime edidit H. Willner *De eodem et diverso*, Münster 1903, cujus l. innotuerant tantum fragmenta. De aliis ejusdem scriptis cf. Fabricius Bibl. lat. med. aet. I, 12; Oudin II, 1016—1018.

[1]) Ab hoc op. distinguitur *Disputatio Ecclesiae et synagogae*, quam Martene edi-

cura Gerberonii cum operibus s. Anselmi, Parisiis 1675; 1721; in patrol. Migne CLIX, 1005—36 et in bibliotheca patrum lugd. t. XX (multum contracta et interpolata) sub nomine Guilelmi de Campellis[1]); seorsim Coloniae 1537 sine auctoris nomine. Ejusdem quoque est *Vita Herluini* abbatis beccensis edita a Dacherio inter opera Lanfranci et a Mabillonio in Annal. ord. s. Ben. sec. VI. p. 2. p. 342—55; Migne CL, 697—714.

5. Alius ab hoc est, qui pariter adversus Judaeos disputavit, Guibertus[1]) (Gilbertus, Wibertus) OSB. Parentibus nobilibus in dioecesi bellovacensi natus a. 1053 et a nativitate Deo dicatus vestem s. Benedicti induit in flaviacensi (Flay, unde flaviacensis dictus) sive s. Geremari coenobio, ubi apprime cum pietate tum literis est excultus: sed et se potissimum a s. Anselmo tunc beccensi priore (qui Guibertum amoris erga saepius invisebat) instructum, qua ratione intelligendae aperiendaeque forent divinae paginae, gloriatur l. 1. de vita sua. Fama ejus religionis, prudentiae, doctrinae late pervagata ipse a monachis b. Mariae de Novigento in territorio laudunensi (Nogent-sous-Coucy) in abbatem eligitur a. 1104, hinc Nogentinensis seu Novigentinus dictus est. Monasterio pluribus praefuit annis († intra 1121-1124) studiis literarum, praedicationi, edendis variis libris semper intentus, praecipue vero informandis aliis verbi divini praeconibus, in quorum commodum scripsit libellum utilem et commendatione dignum: *Quo ordine sermo fieri debeat*[2]), refutandisque haereticis, nunquam desidiosus. — Ob virtutis famam „Venerabilis“ cognominari solet. Contra Judaeos, in primis adversus blasphemias Joannis comitis Suessonum, scripsit tr. *de incarnatione* ll. 3; epistolam *de buccella Judae* data et de veritate dominici corporis, l. (pius); *de laude s. Mariae;* opusc. bonum *de virginitate.* Cum monachi s. Medardi Suessione dentem D. N. se possidere jactarent, scripsit *de sanctis et pignoribus sanctorum ll. 3,* in quibus sanctorum reliquias esse colendas tuetur, sed prudenter addit, ut caveamus, ne adsit dubitandi causa vel de sanctitate illorum, quos colimus, vel de reliquiarum genuinitate pluribus adductis exemplis de conficta vita sanctorum deque reli-

---

dit in thesauri anecd. t. V p. 1497—1506. Cf. de nostro auctore Fabricius l. c. III, 53; Ceillier XIV, 88; N. Antonius Bibl. hisp. vet. L. 7. c. 3. n. 35 ss.; Labouderie in praef. praemissa; Hist. lit. X, 192—201.

[2]) Guilelmus a loco nativitatis de Campellis (Champeaux) vel Campellensis dictus, discipulus Anselmi laudunensis, Manegoldi et Roscellini, archidiaconus parisiensis, auctor dein et prior fuit celebris postea scholae et monasterii s. Victoris, in quo magno plausu docuit rhetoricam, philosophiam (in qua initio saltem ultrarealismum tuebatur) et theologiam, et discipulos habuit Abaelardum et Victorem Cenomanensem. Invitus electus est episcopus catalaunensis (1113; † 18. vel. 25. Jan. 1122). Erat vir magnae famae et auctoritatis, „opinatissimus magister, columna doctorum“, a s. Bernardo „episcopus sanctus et doctus“, a posteris „venerabilis“ salutatus. Exstant quaedam fragmenta *de origine animae* et *de eucharistia* (Migne CLXIII, 1039 ss.). Alia collegit M. Patru ediditque in op. Wilh. Campellensis *de natura et origine placita*, Parisiis 1847; alia *de essentia et substantia Dei* et de tribus ejus personis Cousin in Fragments philosophiques, ib. 1865. II, 328—33. Ineditae sunt praeter alia ejus *sententiae* i. e. collectio quaedam explicationum de variis argumentis theologicis, praesertim practicis, ex qua fragmentum vulgavit Martene Anecd. V, 881, et exinde Migne 163, 1043; et aliud fragmentum de eucharistia Mabillon in Actis SS. O. S. B. III. praef. 73; et inde Migne ib. 1039 s. Cf. Fabricius in bibl. med. lat. III, 133; Feret la faculté theol. de Paris I, 100—110; KL. XII, 1599; Hist. lit. X, 507—516.

[1]) Alius ab ipso et seculo fere posterior est Guibertus (Wibertus) OSB. in monasterio gemblacensi, de quo infra.

[1]) Cf. KL. VI, 600.

quiis adulterinis. Transiens dein ad reliquias J. Christi, quas aliqui superesse opinabantur, affirmat, non alias reliquias nobis esse quaerendas praeter eucharistiam: qua occasione fuse adversus Berengarium realem corporis Christi in eucharistia praesentiam probat, reliquiarumque illarum genuinitatem negat. — Subjicitur tamquam l. 4. opusculum *de interiori mundo. Moralium in Genesim ll. 10; tropologiae* in prophetas Osee et Amos ac lamentationes Jeremiae ll. 5 aliosque prophetas sunt ineditae. — *Gesta Dei per Francos* sive historiae hierosolymitanae ll. 8 (1095 ad a. 1110), opus non tam ex monumentis authenticis, quam ex aliorum narrationibus compilatum, hinc non adeo fidum, semper tamen pretiosum; anonymus adjecit l. 9. ad a. 1112; etiam in Recueil des historiens des croisades IV, 115—263; gallice cum sequenti in Collection IX, 1—508; X, 1—131 ed. Guizot Parisiis 1823 ss.; *de vita suâ* sive monadiarum ll. 3, autobiographia usque ad electionem in abbatem, aestimatione digna, quia exhibet speculum sui temporis. Collecta prodierunt ejus opera[1]) cura Dacherii ejusque annotationibus illustrata, Parisiis 1651; Migne patrol. t. CLVI. — Hermanus (Herimann) Coloniensis, genere Israelita, Judas antea appellatus, Ruperti tuitiensis aliorumque clericorum sermonibus permotus fidem amplexus est christianam, postea factus est a. 1122 canonicus O. Praem. cappenbergensis. Adeo profecit in virtute et vita religiosa, ut factus sit primus Schedensis canoniae abbas. Nonagenarius, ut fertur, decessit, sed quo anno nos latet. *De sua conversione* scripsit ad Henricum, quem modo filium, modo fratrem carissimum compellat, opusculum pretiosum, quod primum edidit Carpzovius ad calcem Pugionis fidei R. Martini, Lipsiae 1687, male de Steinen, Dortmundae 1741; dein Migne patrol. 170, 803—36; germanice Brischar in Katholik 1888. II, 261 ss., quem de auctore ibid. pag. 257 ss. consule[1]). *Vita s. Godefridi* cappenbergensis comitis et praepositurae ejus nominis O. Praem. fundatoris († 1126) in actis SS. Boll. ad 13. Jan.; germanice appendicis instar adjecta est ab Hüsing suo l. Gottfried Graf von Kappenberg, Münster 1882,.

6. Adversus *Graecos* schismaticos[2]) disseruit Petrus Grossolanus (juxta

[1]) Cf. Fabricius II, 117; Braunmüller OSB. KL.[2] V, 1353; Deutsch Realenc. VII[3], 227—230; Hist. lit. X, 433-500.

[1]) Cf. Weber Hermann der Prämonstr. Noerdlingen 1861.

[2]) Inter Graecos schismati jam addictos inclaruit Euthymius Zigabenus (rectius juxta codd. Zigadenus vel Zygadenus), monachus Bas. Constantinopoli, cujus tamen vita non satis est comperta. Floruit sub Alexio Comneno imp. (1081-1118). Versatus erat in lectione operum patrum, qui post nicaenum vixerunt concilium, et hortante imperatore multa ex illis compilavit opera, quorum magnam partem exhibet Migne P. G. t. CXXVIII-CXXXI; inter quae potiora sunt: *Panoplia dogmatica* orthodoxae fidei divisa in titulos XXVIII, in quibus de praecipuis fidei dogmatibus disputat, omnis generis haereticos impugnat. Titulo XIII exhibet Photii l. contra Romae asseclas; titulo ultimo Saracenos aggreditur. Eo in op. nobis asservavit fragmenta operum deperditorum, hinc pretiosum: speculatio vero propria desideratur. Latine illud vertit Franc. Zinus edidit que omissis tit. XII et XIII contra Latinos Venetiis 1555; Lugduni 1556; Parisiis 1650 et in bibl. max. PP. Lugdunensi t. XIX, graece prodiit in Tergovist in Walachia 1710; plene Migne CXXX. — *Expositio symboli*, disputatio *de fide* cum philosopho saraceno in urbe Melitine; *contra Massalianos, contra Phundagiatas* seu *Bogmilos; sermo* in adorationem ven. Zonae ss. Deiparae (ib. CXXXI, 9—59; 1243—1250). Fuit etiam Euthymius exegeta. Exhibet Migne t. CXXVIII prolixum commentarium iam magis elaboratum in *Psalmos* et t. CXXIX commentarium *in quatuor Evangelia* (Lipsiae 1792 ed. Chr. Fr. Matthaei), qui a Maldonato, Rich. Simon Hist. crit. du N. T. c. 29 et Noesselt laudatur, quod sit literalis, in verborum proprietatibus observandis diligentissimus et in dissonan-

quosdam ob vestem rudem) seu Chrysolaus, quem alii Arisolanum, Grysolaum, Crisolaum, Proculanum etc. appellant. Patria erat Insubrius, non Calaber nec origine Graecus, celebri Mathildi comitissae sanguine junctus. Initio videtur duxisse vitam solitariam: inde evocatus ab Anselmo archiepiscopo mediolanensi, ut suas ageret vices, dum ipse abesset in terra sancta, constitutus est episcopus savonensis (1100). Defuncto in expeditione sacra archiepiscopo, Petrus mediis sane non honestis sedem ambivit mediolanensem (1102). Hinc ob simoniae crimen accusatus et male acceptus, prius a populo est rejectus, et quamvis in synodo romana (1105) restitutus sede iterum pulsus a concilio lateranensi V. a. 1116, archiepiscopatu se abdicare et ad savonensem redire ecclesiam est coactus. Itinere in Orientem instituto vel forte a Paschali II. missus Constantinopolim venit ad Alexium Comnenum, ibique disputavit de Spiritus s. processione, ut videtur graece; et cum respondissent illi e graecis Jo. Phurnus, Nic. Methonensis et Eustratius metropolita nicaenus, opposuit Jo. Phurno disputationem de eodem argumento. Prioris disputationis compendium exhibet Baronius ad a. 1116 n. 7-14; ipsam orationem graeco-latine Leo Allatius in Graeciae orthod. I, 379 et Migne patrol. 162, 1007-16. In biblioth. casinensi 1880 t. IV. p. 351—59 exstat tr. ejusdem acephalus *de Spiritus s. processione.* Diem obiit Chrysolanus[1]) Romae 6. Aug. 1117.

7. De eucharistia, de qua hoc aevo haud pauci ob Berengarii circa eam errores quaestiones moverant, plures scripserunt, inter quos eminet Algerus canonicus et scholasticus ecclesiae cathedralis leodiensis, natus circa a. 1070 vel 1075. Magni factus est sua aetate, hinc a pluribus Germaniae episcopis invitatus, ut in suis ecclesiis scholastici magistri munere fungeretur. Postquam diu ecclesiasticis negotiis sub episcopis Alberto et Friderico in ecclesia leodiensi gradu diaconi praefuit, mundo valedicens (c. 1121) arctiorem vitae normam sub regula s. Benedicti in coenobio cluniacensi professus est. „Jam senex presbyter ordinatus est et fere per decem annos religiose conversatus bonam, quam in clericatu duxerat, vitam felici obitu terminavit“ [1]) forte 1130 vel 1131; secundum Malou 1132 vel 1135, secundum alios 1151 vel 1152. Magno encomio illius virtutem et scripta extollit Petrus ven., qui trium sodalium olim leodiensis ecclesiae canonicorum mentione facta ita prosequitur: „Tertius (Algerus), cujus memoriam vix sine lacrimis facio, humilitate, vitae totius sinceritate, puritate, secundum meum judicium longe praecedentes exsuperans, ita meo tempore apud nos vixit, in tantum benigne et sancte conversatus est, ut licet a nobis carne recesserit, spiritu tamen et memoria singulari nobiscum semper, dum vivemus, non esse non possit. Qui et l. *de sacramento altaris* auctoritatibus ss. patrum invincibiliter communitum nobis et fidei suae insigne testimonium et contra

---

tiis inter evangelistas apparentibus componendis sagax et felix. Commentarium *in ep. Pauli* edidit Nic. Kalogeras Athenis 1887 t. 2. Cf. Ehrhard apud Krumbacher Gesch. der Byz. Lit. ed. 2 pag. 82—84; Welte KL. IV, 1025 s.

[1]) Giulini Memor. di Milan. IV, 434 ss.; Tiraboschi Storia della let. III. l. 3 c. 2; Fabricius I, 403; Argelati biblioth. script. mediol. I. p. II, 712; Hefele Conciliengesch. V², 271 ss.; 332 ss.

[1]) Ita auctor chronici cluniac. in notis biblioth. cluniac. M. Marier p. 138. Nostri Algeri exstat elogium Nicolai de s. Maria canonici leodiensis (c. a. 1120-42) inter analecta Mabillonii I², 129-31; et apud Migne CLXXX, 737. Cf. de hoc Nicolao Hist. lit. XII. 159—162. Ipsius forte est *Triumphus s. Lamberti* de castro Bullonio a. 1141 apud Chapeaville gest. pont. tungr. II, 577—602, et in MG. XX, 497—511 ed. W. Arndt; refragatur tamen Delescluse in Biogr nat. de Belg. XV, 693 ss.

quorundam modernorum vel imperitiam vel errorem singulare praesidium dereliquit«. Comparatione vero instituta inter Lanfrancum (p. 1089), Guitmundum (fl. exeunte sec. XI.) et Algerum ita censet: »Horum primus de veritate corporis et sanguinis Christi, quae sacramentorum velamine obtegitur, bene, plene, perfecte; sequens melius, plenius, perfectius; ultimus optime, plenissime, perfectissime disseruit, adeo ut nihil etiam scrupulosissimo lectori quaerendum reliquerit[1]).« Praecipuum ejusdem opus jam laudatum fuit, scil. *De sacramentis corporis et sanguinis domini* ll. 3 constans, in quorum 1. veritatem realis praesentiae corporis Christi in hoc sacramento explicando probat et discutiendo confirmat; in l. 2. totus est in solvendis quaestionibus, quae de materia, accidentibus et effectibus hujus sacramenti moveri solent; in 3. l. impugnat ex patrum, Augustini praesertim, doctrina Waldensium tunc succrescentes errores de probitate et sanctitate ministri ad sacramentorum valorem requisita. »Fateor, inquit cl. Malou[2]), auctorem nostrum, quamquam ab eruditione merito laudetur, tamen hic illic scripta patrum apocrypha aut libros genuinos sub nominibus supposititiis allegasse . . . sed haec menda Algero facile condonanda sunt, idque non tantum ob summam, qua ipsius aetas laborabat, librorum inopiam, verum etiam quia nunquam testimonia apocrypha profert, quin sententiam suam genuinis iisque perspicuis copiose probet«. Saepius prodiit eximium hoc opusculum, ex recognitione Erasmi Friburgi B. 1530; Coloniae 1535; et aliis editionibus omissis cura Malou Lovanii 1847, et nostra cura inter opuscula selecta ss. PP. t. 23. Oeniponti 1878. Subjecimus libellum *de sacrificio missae* scil. brevem Canonis explicationem a Theiner e cod. parisiensi transsumptum et a doctissimo card. Mai tamquam Algeri tr. genuinum editum in Script. vet. novae collect. IX, 371—375. Algeri praeterea sunt l. *de misericordia*, justitia et de illis qui extra Ecclesiam (excommunicatis, damnatis, schismaticis, haereticis) opus juris canonici systematicum de disciplina ecclesiastica, in quo ostendit quibus in casibus misericordia servanda, quando potius justitia exercenda. Eo multum usus est Gratianus in condendo suo decreto[1]), ed. a Martene in thes. anecd. V, 1019; et l. *de libero arbitrio* a Pez in thes. anecd. IV. p. 2 pag. 111 editus, omnia simul in Migne patrol. 180, 727—972. Ejus *epistolae* sicut et l. *de juribus* ecclesiae leodiensis interciderunt.—De fractione corporis Christi non bene disseruit Abbaudus abbas[2]) c. 1130 contra P. Abaelardum, quem immerito impugnat. Brevem tr. edidit Mabillonius Analect. t. 3 et inde Migne patrol. 166, 1339.

8. De corpore et sanguine D. J. Christi et de pluribus aliis sacramentis disserit Gofridus claro et nobili genere apud Andegavos natus[3]). Prima aetate

---

[1]) In eadem bibl. cluniac. p. 794 ed. paris. 1614. Hanc tamen censuram Michael a s. Joseph in sua Bibliographia crit. I. 188 ita interpretatur: „Quae censura justa nobis videtur, si in Algeri opere praecipue spectetur amplitudo ejusdem copiaque et ubertas eruditionis, nam Lanfranci opus praestantius forsitan videtur, si ad nervos ejus et dictionis qualitatem attendamus. Ceterum cf. plura de ipso in Hist. lit. de France XI, 158—67; Ceillier XIV, 379-86, deque ejus doctrina apud Werner Gerbert v. Aurillac. p. 182-187.

[2]) In praef. suae ed. praemissa.

[1]) Cf. Hist. lit. XI. 58—67; Kober KL.[2] I, 544; Hüffer Beiträge zur Gesch. der Quellen des Kirchenrechts im Mittelalter 1862, 1—66, ubi describitur etiam ipsius *liber sententiarum* mscr.; Maassen in Poezl's krit. Vierteljahrschr. V, 186—214.

[2]) Cf. Hist. lit. de la France XII, 444. Michael a s. Jos. in bibliogr. crit. 1, 8,

[3]) Cf. Gallia christ. nova VIII, 1368; Hist. lit. XI, 177—208 ss. apud Migne

inter monachos monasterii vindocinensis (Vendôme) O. S. Ben. nomen dedit tantumque profecit, ut 21. Aug. 1093 abbas fuerit renunciatus. Urbanum II. plurimum juvit contra ejus adversarios: hinc in meritorum praemium ab eo presbyter est sacratus atque cardinalis s. Priscae dictus. Duodecies pro romanae Ecclesiae utilitate alpes transcendit terque ab ejus adversariis fuit captus dureque habitus. Obiit 26. Mart. 1132. Ejus scripta scil. opuscula 18, sermones 11, epistolarum (185) ll. 5 (magni momenti pro historia sui temporis), quorum 1. complectitur ep. plures ad romanos pontifices; tr. *de ordinatione episcoporum* et de investitura laicorum, de qua controversia plurimum erat sollicitus, collegit Sirmondi Parisiis 1610; inter ejus opera, ib. 1696 III, 411—658; in bibl. PP. coloniensi t. 12; lugdunensi t. 21; in patrol. Migne CLVII, 9—294. Aliquot (8) opuscula habes in MG. libelli de lite II, 676—700. Inter ea est *ep. ad Paschalem II* (p. 680—683), qua pontificem graviter hortatur, ut revocet concessionem nimis indulgenter circa investituram factam.

9. Quae de sacrificio missae tradiderat Ivo carnotensis (de quo infra) serm. 5 (Migne CLXII, 535—562), metrice expressit Hildebertus cenomanensis in versibus[1]) *de mysterio missae* (ib. CLXXI, 1177—1192). Forte ipsius quoque est brevis, sed bonus tr. *de sacramento altaris* (ib. 1149—1154), quem edidimus inter opuscula ss. PP. XXXIX, 274—284. Dubii, si non suppositi sunt l. *de expositione missae* (ib. 1153—1176), qui est compilatio rudis ex aliorum scriptis de missa; et l. *de sacra eucharistia* (ib. 1195—1212) versibus constans. Natus est Hildebertus (aliis Aldebertus, Childebertus, Dydalbertus, Gildebertus, Idebertus, Ildebertus) Lavardini 1056 (secundum alios 1057). Berengarii fuit discipulus. Cluniaci ingressus est O. S. Ben. Hoel episcopus cenomanensis scholam cathedralem ei concredidit (1085) atque 1091 archidiaconum constituit. Post hujus episcopi mortem electus est 1097 vel jam 1096 in ejus successorem. Multa incommoda est passus a Guilelmo II. Angliae rege ejusque filio, aliisque adversariis, unde 1112 bonis omnibus fuit spoliatus, imo et in carcerem conjectus. Tantus porro luctus clerum et populum cenomanensem invasit, ut nihil intentatum reliquerint pro ejus aliorumque captivorum relaxatione obtinenda. Hinc gemitus, indicta jejunia, institutae supplicationes. Pace tandem composita carcere est dimissus. Vinculis solutus Hildebertus dissipatam populi cleriqui disciplinam ad saniorem formam revocare annisus est. Reformando gregi strenue instabat promotusque fuit etsi septuagenarius et invitus ad sedem archiepiscopalem turonensem unanimi cleri populique consensu. Pluribus interfuit synodis magnaque in veneratione apud aequales fuit: unde a s. Bernardo, qui eum induxerat, ut Anacleto II. relicto, Innocentio II. adhaereret, dictus est „tanta Ecclesiae columna“ et a pluribus scriptoribus venerabilis. Decessit 18. Dec. 1133, vel intra a. 1132—34. Scripta ejus, quae aequales laudarunt, demum collecta prodierunt cura Beaugendre Parisiis 1708 in f., ed. non satis critica, sicut etiam illa[1]), quam

---

p. 11-28: Ziegelbauer hist. rei liter. OSB. III c. 3 § 4, qui accurate de ejus vita et scriptis disserit.

[1]) Cf. Franz die Messe im deutschen MA. pag. 431. Quanti fierent Hildeberti versus collige ex Guilelmo malmesb. Abbrev. Amalarii (Migne CLXXIX, 1774): „Sane moneo, si de compendio vis scire significationes missae, legas versus Hildeberti . . . si significationes sacrarum vestium et ceterarum id genus, sermones Ivonis carnotensis episcopi. Hi enim talia videntur intellexisse perspicacius et texuisse pulchrius“.

[1]) Cf. de his editionibus B. Hauréau Notices et Extraits de la bibl. nationale

curavit (et auxit) canonicus Bourassé in patrol. Migne CLXXI, 1—1453. Praeter opuscula jam laudata mentione dignae sunt *epistolae* (117) „verborum venustate egregiae, sententiis utiles et sententiarum coloribus adornatae (Henricus gand. de SE. c. 8)," hinc ob earum elegantiam et suavem urbanitatem in scholis pro informanda juventute legebantur: agunt vero etiam de dogmatibus, disciplina, ritibus. Eae, quae agunt de captivitate Paschalis II (11, 21. 22), leguntur in MG. lib. de lite II, 667—673. *Sermonum* (144) plerique non videntur esse ipsius[1]); *vita s. Radegundis* reginae, in Act. SS. 13 Aug. III, 83—92; vita (bona) *Hugonis cluniacensis* (in actis SS. 29. Apr. III, 634—48; Migne CLIX, 857—894); l. *de querimonia et conflictu* carnis et spiritus seu animae. Moralis philosophia *de honesto et utili,* l. magna ex parte derivatus ex Cicerone, Seneca romanisque poëtis, non videtur genuinus, sed Guilelmi de Conchis. Libellus *de quatuor virtutibus* vitae honestae (metrice) et alia *carmina* cujus modi sunt: *Berengarii epitaphium,* quem gratus discipulus supra modum laudat; de operibus sex dierum etc. Alia tamen sunt vel dubia vel supposita. Incomparabilis dicebatur verificator, genium vero poëticum non ita comparet. — Vivianus[1]) O. Praem. unus ex primis s. Norberti discipulis circa a. 1139

XXVIII, 2, 289—448; XXIX, 231—362; XXXI, 2, 126—140; XXXII, 2, 7. 84-106; 107—166; XXXIII, 1, 257 ss.

[1]) Von den dort (in ed. Beaugendre etc.) unter Hildebert's Namen publicierten Sermones sind fast alle ihm abzusprechen und vielmehr Gottfried Babion, Petrus Comestor, Peter dem Lombarden, Mauritius von Sully u. a. zuzuschreiben. Ebensolche Sorgfalt ist bei den Poesien Hildebert's, über die Hauréau in einer eigenen Schrift gehandelt hat (B. Hauréau, Les mélanges poétiques d'Hildebert de Lavardin, Paris 1882) erforderlich. Bäumker Archiv für Gesch. der Philosophie, Berlin 1896. X, 135, qui ibidem notat, alios quoque tr. philosophicos nominatim et theologicos olim sub ejus nomine vulgatos arte critica proficiente fuisse ei abjudicatos. Ita opus inscriptum *tractatus theologicus* Hugonis a s. Victore esse.

[2]) Bringmann SJ. KL.[2] V, 2056; Hist. lit. de la Fr. XI, 250—412; Boehmer

---

Realenc. VIII, 67 ss., Déservillers, Un évêque du douzième siècle, Hildebert et son temps, Parisiis 1876; Dieudonne Hildebert de Lavardin etc, Paris 1898 ed. 2, et antea jam Beaugendre in vita suae ed. praemissa; Ziegelbauer Hist. rei lit. III. c. 3. § 5. Cf. etiam Potthast 597[2]. De ejus carminibus cf. Baumgartner Gesch. der Weltlit. IV, 438.

[1]) Praetermittimus Waleramnum (Walranum, Valramum, Gualeranum etc.) episcopum naumburgensem (1090—1111), cui praeter alia tribuitur l. *de unitate Ecclesiae conservanda* et de schismate inter imperatorem et pontificem sive Apologiarum pro imp. Henrico IV. ll. 3, de quo egimus t. I p. 1026. Ipse supremo vitae suae tempore ad partes papae transiit. Exstat ejus quoque epistola ad s. Anselmum, in qua conqueritur de varietate caeremoniarum inter altaris sacrificium varie a variis observari solitarum, ut jam supra p. 5 diximus (Migne 158, 547—552), quae occasionem praebuit l. s. Anselmi *de sacramentorum diversitate.* — Herbertus (Herebertus) de Losinga episcopus Norwicensis († 7. Jul. 1119) reliquit *epistolas* et *sermones.* Illae prodierunt primum cum ep. Osberti de Clare († inter 1160—1170) et Elmeri prioris cantuariensis († 1137) cura Rob. Anstruther Londini 1846; recentius in The Life, letters and sermons of Bishop H. de Losinga, Londini 1879 t. 2 in 8. Cf. egregiam disquisitionem auctore Wolff OSB. occasione hujus ed. in Studien und Mittheil. aus den Benediktinerorden 1885 VI, 21—40. De Osberto (et Anselmo OSB. ab. s. Anselmi ex sorore nepote († 11. Jan. 1148) docte disserit V. de Buck in Etudes de Théol. (Nouv. série) 1860 II, 64—97; 545—582; Osbert de Clare et l'abbé Anselme instituteurs de la fête de l'immaculée Conception de la s. Vierge dans l'église latine. Alius est Otbertus, Henrici IV. assecla, qui licet aliunde quam per portam ingressus est ovile factus episcopus leodiensis (1091), non male rexit ecclesiam illam († 31. Jan. 1119). Scripsisse creditur, aliis tamen refragrantibus, stilo puro et nitido non sine partium studio epistolam parentatoriam *de vita et obitu Henrici IV imp.* apud

scripsit *harmonium* sive tr. de libero arbitrio et gratia, quem ediderunt Martene et Durand in collect. ampl. IX, 1073, et inde Migne 166, 1321—36.

Goldast Apol. pro Henrico IV, Hanoverae 1611 p. 204—226. Cf. Hist. lit. X, 258—262; Potthast p. 607. — De animae origine bona exstat *epistola* Hugonis de Ribemont, scriptoris alioquin plane ignoti, quam habes in Martene thes. anced. I, 368. Cf. Hist. lit. XI, 113—115.

II. S. Scriptura.

10. Ne exspectes opera, quae ad disciplinas isagogicas in s. Scripturam spectent. Ejusmodi argumenta minus curarunt theologi antiquiores, qui in arte critica non adeo versati libros s. Scripturae fidenter e manibus Ecclesiae acceptarunt unice solliciti, ut ejus sensum assequerentur uberesque fructus ex ditissimo hoc fonte haurirent: eoque minus quaestionibus isagogicis erant intenti, quod vix esset qui sacrorum librorum genuinitatem, veracitatem etc. in dubium vocaret. Quare opera fere omnia sicut hactenus, ita et sequenti tempore sunt exegetica. — Primus nominandus est Anselmus laudunensis ecclesiae scholasticus et canonicus, „vir totius Franciae, imo totius latini orbis lumen in liberalibus disciplinis et tranquillis moribus“ [1]). Lauduni natus s. Anselmo in monasterio beccensi se instituendum tradidit, Parisiis dein magisterium cum Manegoldo (cf. I, 1045 a.) exercuit tanto fructu et successu, ut Eugenius III. de eo dixisse feratur, „per eum revixisse literalis scientiae decus et intelligentiam Scripturarum“ [2]); ipseque de cunctis fere provinciis examina discipulorum in illam attraxerit urbem (inter quos Guilelmum de Campellis, de quo cf. supra p. 9. a.), atque ita celeberrimae illius universitatis fundamenta jecit. Seculo ad finem vergente in patriam rediit, functusque est munere archidiaconi scholastici. Scholam ibidem reddidit celebrem atque inter discipulos Abaelardum, qui tamen de eo contemptim loquitur, numeravit. Tanto autem zelo magisterio incubuit, ut episcopales recusaverit infulas († 15. Jul. 1117). Hoc ei positum fuit epitaphium:

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister,
Anselmus, cui per diffusi climata mundi
Undique notitiam contraxit, undique laudem,
Sana fides, doctrina frequens, reverentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, censura vigens, correctio dulcis,
Consilium sapiens, mens provida, sobria, clemens.
Sed quas longa Dei concessit gratia dotes,
Idibus invisis dissolvit Julius aether,
Qua vivens viguit, comitetur gratia functum.

Nominatissimum eum reddidit *glossa interlinearis* in s. Scripturam. Jam Walafridus Strabo († 840) adjecerat s. Scripturae glossam, quae dicebatur *ordinaria*. Cum vero ea non esset satis literalis, verba scil. obscuriora non interpretaretur, Anselmus substituit verbis obscurioribus clariora brevissimasque explicationes ex patribus haustas, et ita „multa breviter et quasi punc-

[1]) Ita Guibertus abbas de Novigento l. 3 de vita sua.

[2]) Marlot in Metrop. remensi II, 285 ss. Cf. et Rupertus Tuit. in reg. s. Bened. l. 1 opp. IV, 294.

tim, sed docte et accurate attingit«[1]): hinc haud parum contulit ad faciliorem s. Scripturae lectionem, ideoque addita lateri textus glossa ordinaria, ipsa inserebatur inter textus lineas: unde dicta est interlinearis. Eam auctoritatem, qua fruebatur glossa ordinaria, non est consecuta: magnus tamen fuit semper ejus usus: hinc saepissime prodiit, ut Basileae 1502, 1508, optime Antverpiae 1634 etc. Composuit[2]) quoque (allegoricas) enarrationes *in cantica canticorum*, Parisiis 1549 ed. Simone Fontaine, simul cum enarrationibus *in Apocalypsim; in Matthaeum* (inter opera s. Anselmi cant. Coloniae 1573; 1612), simul in patrol. Migne CLXII, 1187—1586; ep. *Num Deus vult malum?* ib. 1587—1592. Anselmi laud. et Raldulfi fratris ejus sententias nunc primum excerptas ed. G. Lefèvre, Evreux 1894.

11. S. Bruno a loco patrio Astensis, a sede episcopali Signiensis dictus[3]), natus est intra a. 1045—1049 parentibus pauperibus. Romae cum Berengario (1079) disputavit, quem ad errorum retractationem induxit, factusque est in meritorum praemium a Gregorio VII. episcopus segniensis seu signinus (1080): cardinalatus honorem tamen recusavit. Familiaris quoque fuit Urbano II, qui a. 1095 in Galliam proficiscens eum secum duxit. Annis aliquot in pastorali munere cum laude exactis, contemplationis desiderio illectus Casinum migravit ac religiosam vitam ibi est professus (1102). Post aliquot annos electus est in abbatem missusque pro bono Ecclesiae legatus apostolicus in Galliam et Siciliam. Ob sat acres literas ad Paschalem II, quibus eum urget ad revocandum privilegium nimis amplum in causa investiturae Henrico V. concessum, hujus incurrit offensa privatusque est dignitate abbatiali (a. 1111); quare ad suam rediit ecclesiam, cui iterum magno zelo praefuit sancteque obiit 18. Jul. 1123, a Lucio III. a. 1183. inter sanctos relatus. Jurium Ecclesiae intrepidus erat defensor, doctrina et auctoritate inter aequales excelluit: hinc quatuor romanis pontificibus erat a consilio, itinerum socius, in negotiis gravissimis legatus apostolicus, in causis ecclesiasticis judex. Exposuit plures libros V. T., scil. *Genesim, Exodum, Leviticum et Deuteronomium,* in quibus breviter historiis praenotatis satis compendiose allegorias supponere studuit. Exposuit autem tantum aliquot horum ll. capita commentario continuo, alia nonnisi summatim. Sequuntur commentarii *in Job,* in quibus ex s. Gregorii Moralibus quam plurima transcripsit; *in Psalmos,* qui fere ex allegoriis et tropologiis constant; *de muliere forti* i. e. in Proverbiorum 31, 10—31; *in Canticum canticorum,* quod cum plerisque veteribus interpretibus de Christo et Ecclesia explicat; *in Isaiam,* in quo plurimum s. Hieronymo utitur (primum editus in Spicil. casin. III, 1, 1—204); *in Evangelia,* quae satis literaliter exponit; *in Apocalypsim* demum. Secundum ipsius sententiam in omnibus septem visionibus (septem ecclesiarum, sigillorum, tubarum etc.) eaedem Ecclesiae persecutiones narrantur: in ultima vero coelestis Jerusalem aedificia describuntur[1]). Praeterea reliquit *homilias* 143, *sermones* tres, *sententiarum* ll. 6, in quibus disserit de figuris et ornamentis Ecclesiae, i. e. de virtutibus; de novo mundo, de s. Trinitate et mysteriis vitae Christi; de laudibus bb. V. Mariae

[1]) Ita Possevinus in Appar. t. I. p. 86.
[2]) Cf Hist. lit. de France X, 170-189; Hefele KL.[2] 7, 898; Feret la Faculté de Théol. a Paris I, 25—33; Lefèvre de Anselmo laud. scholastico, Evreux 1894.
[3]) Alius a pluribus viris eruditis sec. praeteriti, qui pariter Bruno vocabantur, et de quibus disseruimus t. praeced. passim.

[1]) Cf. Cornely Introd. gen. t. 1. diss. 3 c. 4 pag. 653.

et de festivitatibus sanctorum; hinc plures exhibet *sermones* de Christo, b. Maria V. et de sanctis; tr. *de incarnatione Domini* et ejus sepultura; *de sacrificio azymo, de sacramentis Ecclesiae,* mysteriis atque ecclesiasticis ritibus, in quo tamen tantum de consecratione ecclesiarum deque ordinatione episcoporum disserit; *vitam* s. Leonis IX., in forma concionis in Watterich vit. rom. pont. I, 95-100 etc.; *responsionem* ad eam quaestionem, cur corruptus tunc temporis Ecclesiae status[1]) etc., quae omnia continentur in patrol. Migne t. CLXIV—CLXV. Ea antea jam saepe prodierant Romae 1775 t. 2 in 8; 1789—91 t. 2 in f. etc. eaque haud parum commendantur a claritate, eruditione, elegantia. In MG. lib. de lit. II, 546—562 edidit Sackur l. *de simoniacis,* et ep. IV *de investitura,* ib. 563-565.

12. Celebratissimus hujus temporis scriptor est Rupertus (Robertus) cognomento Tuitiensis, vir magnae doctrinae et sanctitatis, quem ferunt tardi fuisse natura ingenii, sed gratia Dei, intercedente b. Maria V., quam enixe obsecraverat, mira illustratione divinitus esse auctum. Natus videtur Leodii vel in hujus civitatis ditione; a prima pueritia institutus est in omnibus disciplinis in monasterio s. Laurentii OSB. leodiensi. Studiorum curriculo absoluto ipse ibidem docuit magna doctrinae fama, adeo ut plures adolescentes illuc attraxerit. Inde transiit in monasterium Siegburg (1113) et a. 1120. electus est in abbatem monasterii tuitiensis (Deutz) prope Coloniam. Totus literis librisque conscribendis vixit inter aequales doctissimus, ingenii sagacitate et eruditionis copia praesertim insignis († 1135). Tam studiosus autem fuit in orationibus et continuus in revolvendis Scripturis, ut etiam dormientis labia quasi orantis vel legentis continue moverentur. Commentarios in universam fere Scripturam concinnavit, secutus ideam, omnia, quae ea complectitur, ad opera trium personarum ss. Trinitatis referendi. Opus Patris est creatio illo temporis spatio a rerum principio usque ad lapsum primi hominis; opus Filii est redemptio a lapsu primi hominis usque ad passionem J. Christi, circa quam ss. librorum pars maxima versatur. Opus Spiritus s. est renovatio creaturae a tempore resurrectionis J. Christi usque ad finem mundi. Inscripsit opus prolixum *de Trinitate* et operibus ejus ll. 42, (Migne t. CLXVII) specimen theologiae biblicae, in quo commentatur heptateuchum, prophetas majores et quatuor Evangelia. Ultimis 9 ll. agit de operibus et donis s. Spiritus non per modum continui commentarii. — Accedunt commentariorum *in prophetas minores* ll. 34, in quibus omnia mystice refert ad Christum, ad Ecclesiam et electorum salutem (Migne CLXVIII, 9—836); *in cantica canticorum*[1]), quae de incarnatione Domini inscribit, atque in iis excurrit ad depraedicandas virtutes et praerogativas b. Mariae V. (ib. 839—962); *in Job,* epitome Moralium s. Gregorii M. (963—1196); *in Ecclesiasten* (1195-1306); *de gloria*

[1]) Cf. Bruno Bruni in prolixis proleg. ad suam ed. Romae 1791; Mittermüller OSB. KL.[2] 2, 1378; Ziegelbauer hist. rei lit. OSB. III. c. 3 § 2; in Act. SS. 18. Jul. t. IV, 471—484; Gigalski Bruno B. v. S. Sein Leben und seine Schriften, Münster in W. 1893, opus accuratum; Robotti del Fiscale, Storia della vita di S. Brunone vesc. di S. . . . Alessandria 1859.

[1]) Alius Rupertus floruit eodem fere tempore (1124) teste Trithemio c. 365. „Hic multis annis, scribitipse, in gymnasio parisiensi philosophiae seculari operam dedit et philosophus nobilis evasit. Sed considerans praesentis vitae inanem esse philosophiam, studium vanitatis deseruit et ad patriam revertens in dicto coenobio (lymburgensi in dioecesi spirensi) monachus et demum abbas factus est". Reliquit *in cantica canticorum ll. IV, de contemptu mundi ll. II etc.* (inedita).

et honore Filii hominis super Matthaeum ll. 13 (cc. 1-12, 26, 27; p. 1307-1634) adversus adoptianos sec. XII. *De glorioso rege David* ll. XV, in quibus historiam David juxta ll. regum typice considerat atque de Christo rege interpretatur. — *In Ev. s. Joannis* ll. 14, commentariorum suorum forte optimus (CLXIX, 201—827); *in Apocalypsim* ll. 12 (827—1215); Coloniae 1526 m. 30), cujus singulos exponit versus, atque in ea non tam fata futurae praevidet Ecclesiae, sed potius, quae ad eam spectant ab origine mundi. Haec quidem opera exegetica allegoricis et tropologicis accommodationibus abundant, sensum tamen literalem praemittit, quem interdum ex lingua hebraica probat.

13. Alia ejusdem opera sunt: *De victoria Verbi Dei* ll. 13, (1215—1502), in quibus describit juge certamen mali cum bono incipiendo ab angelorum lapsu usque ad antichristum, cui finem imponet Christi victoria. — *De divinis officiis* per anni circulum ll. 12, opus liturgicum laude dignum, in quo brevius quidem ritus missae explicat, fusius et sagaciter officii annui significationem et momentum illustrat[1]). — *De voluntate Dei,* in quo sententiam s. Anselmi laudunensis et Guilelmi de Campellis (quocum et publice de hoc argumento postea 1117 disputavit) circa relationem voluntatis divinae ad malum morale impugnat. (Migne CLXX, 437—54). Non tacuerunt adversarii novasque in eum moverunt querelas: hinc respondit l. *de omnipotentia divina* (ib. 453—478); *de laesione virginitatis,* et an possit consecrari corrupta (ib. 543—560); *Annulus* sive dialogus inter Christianum et Judaeum ll. 3 (ib. 559—610), seu apologia religionis christianae, in qua ostendit vaticinia messiana in Christo Jesu esse adimpleta. Eosdem Judaeos prae oculis habet in op. *De glorificatione Trinitatis* et processione Spiritus s. ll. 9, in quibus illorum exceptiones adversus hoc mysterium dissolvere nititur (CLXIX, 9—202) quo in op. praeprimis sequitur literam. — *Chronicon* s. Laurentii leodiensis 959-1095 sive res gestae episcoporum leodiensium et abbatum s. Laurentii ll. 5 (959—1095), quorum tres priores fere perierunt: supersunt enim tantum fragmenta eaque interpolata, sed non sine pretio, apud Martene ampl. collect. IV, 1038—82, cum continuationibus variorum ad a. 1164 cur. Wattenbach in MG. SS. VIII, 261—79: *de incendio oppidi Tuitii,* MG. SS. XII, 629-37 ed. Jaffé; *Vita Heriberti* archiep. coloniensis, ex qua fragmenta leguntur ibid. IV, 742-52 ed. Pertz; integra Migne LXX, 389—429; *de meditatione mortis* ll. (Migne CLXX,, 333—357). *Passio b. Eliphii M.* (f. 362), prioris narrationis retractatio (ib. 427—436). *Super quaedam capitula regulae d. Benedicti ab.* ll. IV (ib. 477—538), in quibus suas cum adversariis controversias et negotia attingit. *Altercatio* monachi et clerici, quod liceat monacho praedicare (ib. 537—542). Fusius monachos tuetur adversus canonicos regulares, qui illos ab omnibus Ecclesiae muneribus exclusos volebant in dial. de vita vere apostolica ll. V (ib. 609-664), qui suppresso auctoris nomine vulgati fuerunt, sed ex conjectura non levi Ruperti esse censentur. Forte et ipsius est ep. (ib. 663—668), qua ratione monachorum ordo praecellit ordinem clericorum. In nonnullis auctoris nostri orthodoxia in controversiam vocata fuit praesertim de eucharistia, objicitur enim ipsi impanationis vel consubstantiationis figmentum: strenue tamen plures ipsum vindicarunt, inter quos Gerberon edita prolixa apologia (apud Migne CLXVII, 23—198) et nostra aetate Doyen Die Eucha-

[1]) Cf. Migne CLX; Thalhofer Liturgik, introd. ed. 2. p. 84; Franz die Messe p. 416—418.

ristielehre R. von Deutz, Metis 1889. Fatendum est eum minus accurate de tanto mysterio loqui: quod excusatione dignum, cum ejus aetate terminologia nondum adeo accurata et fixa esset, sicut post conc. lateranense IV. *Vita Cunonis* ab. sigebergensis (1105—26), postea episcopi ratisbonensis († 1132). Decessit[1]) laboriosissimus vir 4. Mart. 1135. Ejus opera collecta passim prodierunt, primum cura Cochlaei Coloniae 1526 in f.; aucta Moguntiae 1631 t. 2 v. in f.; mendose recusa Parisiis 1638; in primis Venetiis 1748—52 t. 4 in f. studio Gregorii Cannoni, in patrol. ed. Migne CLXVII-CLXX. Dümmler et Boehmer ex conjecturis ei tribuunt aliquot carmina (13), quae hic accurate edidit (post alias quatuor ed. recentiores) in MG. lib. de lit. III, 624—641.

14. De Honorio Augustodunensi presbytero et scholastico, qui et »solitarius« seu inclusus dictus est, nihil certi, de ejus aetate pauca constant. Indicia ex ejus operibus collecta Germanum suadent fuisse, clericum regularem et scholasticum: inde etiam ineunte seculo XII. floruisse colligitur, quo anno decesserit ignotum (f. post a. 1152). Quare Augustodunensis sit dictus, non satis liquet: neque enim ab Augustoduno in Burgundia ita appellatus videtur, sed forte vel ab Augusta Rauracorum (Augst seu Basilea) vel ab Augusta Vindelicorum: sed et Ratisbonae et Moguntiae degisse ordinemque s. Benedicti esse ingressum conjicitur. Magnae eruditionis vir erat, qui libenter quae ex patrum thesauris collegerat, scriptis consignavit, ut ea cum clericis librorum copia destitutis communicaret. Haec potiora opera[1]): *Neocosmus* seu Hexaemeron; *de decem plagis Aegypti* spiritualiter; expositio totius *psalterii* cum canticis, cujus tamen tantum partes selectae prodierunt (in Pez Anecdotis t. II, 1, 95 ss.); Expositio *in cantica canticorum; Sigillum s. Mariae,* in quo de ipsa interpretatur canticum canticorum; *quaestiones* et ad easdem responsiones; *Elucidarium* seu dialogus de summa totius christianae theologiae ll. 3 de Christo, de Ecclesia et de vita futura. Hoc theologiae compendium aliis atque aliis auctoribus fuit tributum: Augustino, Lanfranco, Anselmo, Abaelardo. Neque defuerunt (Haureau, Kelle), qui desperarent de inveniendo legitimo ejus parente. Plures tamen stant pro nostro Honorio, prae primis Endres in diss. Honorius A. und s. Elucidarium in hist.-pol. Bl. 1902 CXXX, 157—169 (cf. etiam Kelle de eodem argumento Wien 1902 ex Sitzungsber. der k. Ak. der W.). Multum lectitatum fuit hoc opusculum dialogi forma concinnatum: in varias versum linguas: versionis germanicae numerantur ad a. 1500 editiones saltem 13. — *Inevitabile* seu de libero arbitrio, in quo agit de praedestinatione et gratia[2]), a quo distinguitur alius l. *de libero arbitrio; Summa* (jejuna) *totius* de omnimoda historia i. e. chronicon mundi usque ad a. 1135, cujus pars ab a. 726—1133 prodiit

[1]) Cf. Schmid Allg. deutsche Biogr. XXIX, 699-703; Histoire litt. de la France XI, 422—587; latine apud Migne 170, 703—804: Rocholl R. v. Deutz, Gütersloh 1886: J. Müller in diss. Rup. von Deutz und seine vita s. Heriberti, Köln 1888; KL. 10², 1367-1371; F. W. E. in Die kath. Bewegung ed. a Rody Wirceburgi 1887 XX fasc. 16—18.

[1]) Cf. Stanonik KL.² VI, 268—74, qui accuratum catalogum exhibet operum editorum, manuscriptorum, deperditorum; idem allg. d. Biogr. XIII, 47 ss.; Scherer Zeitschr. für österr. Gymnasien 1868 p. 567 ss.; Hist. lit. de la Fr. XII, 165—184; Pez. Thesaur. anecd. noviss. diss. isag. t. II. p. IV; Fabricius III, 258; R. Rocholl Realenc. VIII³, 327-332; Jul. Dieterich in praef. aliquot opusc. in MG. lib. de lit. III, 29 ss.

[2]) Hunc tr. Cassander edidit, sed in variis locis insigniter ab eo corruptum teste Mich. a s. Joseph II, 487.

cum sequenti in MG. XX, 125—134: ab ea distingui debet. alia epitome pariter jejuna inscripta *Imago mundi* de dispositione orbis cum brevissimo chronico, olim admodum vulgata saepiusque edita[1]), 1472 etc.; recepta in bibliothecam PP. coloniensem t. XII; lugdunensem t. XX; *catalogus* romanorum pontificum ad a. 1130; *Gemma animae,* l. liturgicus ita appellatus, quia „veluti aurum gemma ornatur, sic anima divino officio decoratur," in quo nimis allegorice ritus ecclesiasticos illustrat; hujus veluti epitome (sed minus bene disposita) est *Sacramentarium* seu de causis et significatu mystico rituum divini in Ecclesia officii; *Speculum Ecclesiae,* in quo specimina exhibet instructionum utilium pro populo: „hoc igitur speculum, scribit in ejus veluti praefatione, omnes sacerdotes ante oculos Ecclesiae expendant (f. expandant), ut sponsa Christi in eo videat, quid adhuc Sponso suo in se displiceat et ad imaginem suam mores et actus suos componat;" collectio pro historia concionum utilis[2]); *Eucharisticon* seu l. de corpore et sanguine Domini. Propter quandam affinitatem inter Eucharisticon et *Offendiculum,* in quo agitur de sacrificio missae, non defuerunt qui hoc opusculum tribuerint nostro auctori. Verum adversatur Jo. Kelle, cum auctor Offendiculi, videatur minus bene sentire de transsubstantiatione et reali corporis Christi in eucharistia praesentia[3]). *Summa gloria* de apostolico et augusto sive de praecellentia sacerdotii prae regno l. (etiam in MG. lib. de lite III, 63—80); *scala coeli* major seu de ordine cognoscendi Deum in creaturis; *scala coeli minor* seu de gradibus caritatis opusculum (probabiliter est Honorii); *de luminaribus Ecclesiae* sive de scriptoribus ecclesiasticis ll. 4, quorum 1. ex s. Hieronymo; 2. ex Gennadio; 3. ex Isidoro; 4. ex variis fontibus excerptus est; in c. ultimo suorum operum exhibet elenchum; *Summa XII quaestionum,* in quibus disputat de praecellentia s. Petri prae Michaele arch. Tuetur hominem angelo esse digniorem, angelum homine feliciorem; qq. VIII *de angelo et homine; de animae exsilio* et patria, alias de artibus etc. Ejus scripta collecta prodierunt ed. Jo. Conen 1621: in bibl. maxima PP. lugd. t. XXI; in Migne patrol. t. CLXXII. In MG. lib. de lite III edidit J. Dieterich *De offendiculo*, in quo invehitur in sacerdotum incontinentiam (p. 38-57, ed. etiam a Nolte in Revue des sciences ecclés. IV scr. t. V, 541 ss.; VI, 56 ss.); *de apostatis* (p. 57—63), in quo agit contra monachos apostatas. — *De cognitione vitae* in appendice opp. s. Augustini t. VI (Migne XL p. 1005—1032) est nostri Honorii. Alia ejusdem opera perierunt; *Philosophia mundi* ipsi tributa jam asseritur Guilelmo de Conches († 1153—54).

15. In *psalmos*[1]) exstat *expositio* per contemplationem exarata Odonis as-

[1]) Cf. plenissime de ea Otto Doberentz Zeitschr. für deutsche Philologie XII, 275 in articulis quatuor.

[2]) Cf. Thalhofer l. c. p. 85; Franz op. cit. p. 420—425.

[3]) Cf. Sitzungsber. der philos.-hist. Kl. der k. Ak. in Wien 1902 n. XLIV; 1903 n. XXV p. 182—84. Diss. prolixior mox prodibit. Endres hist.-pol. Bl. CXXX (1902), 157—169.

[1]) Explanationes sive *flores psalmorum* manuscriptos reliquit Lethbertus (Lietbertus) can. reg. s. Aug. insulensis, postmodum s. Rufi abbas c. a. 1110 prope Valentiam in Gallia narbonensi. Cf. Hist. lit. IX, 570—578. Duas ejusdem *epistolas* edidit Martene in thes. anecd. I, 329 s., unam de obligationibus et praerogativis religiosi, alteram de vivendi ratione presbyteri secularis. Cf. A. Weis Allg. deutsche Biogr. XVIII, 458. — Plura opera mscr. in s. Scripturam reliquit Robertus Canutus O. S. Aug. graecoladensis, quae cf. apud Fabricium I, 305. Floruit c. a. 1120 prior Oxoniae. — Achardus de Arroasia reliquit c. 1120 tr. *super templo Salomonis*, de quo cf. Marquis de Vogüé in Les archives I, 567—579.

tensis OSB. (c. a. 1120), quae prodiit inter opera s. Brunonis signini, Venetiis 1651; in patrol. Migne t. CLV, 1142—1298. — Ogerii (Oglerii) O. Cist. abbatis Lucediae (Locedii) in dioecesi vercellensi (1123) reliqui sunt sermones XV *de sermone Domini* in ultima coena ad discipulos habito, qui prodierunt inter sermones s. Bernardi op. t. V., in patrol. Migne CLXXXIV, 879—950. — De Richardo de Dumellis egimus jam t. I. p. 1060. — Juverit demum meminisse celebris exegetae, qui quamvis floreret in ecclesia graeca a romana schismate divisa, saepe a theologis catholicis allegatur. Est is Theophylactus patria Euboeensis. Functus est primum munere diaconi Constantinopoli in ecclesia s. Sophiae: a Michaele Duca imp. (1071—1078) datus est filio ipsius praeceptor, demum factus archiepiscopus acridanus in Bulgaria jam ante a. 1078. Quando obierit non satis liquet. Mortem contigisse post a. 1107 plures referunt, imo non deest qui eum vitam protraxisse ultra a. 1118 autumet. Commentariis illustravit aliquot V. T. libros, et fere totum N. T. Commentarius *in Psalmos* est adhuc ineditus; ex prophetis minoribus rogatus a Maria imperatrice interpretatus est secundum triplicem sensum literalem, moralem, analogicum, quantum fieri licuit, *Osee, Habacuc, Jonam, Nahum* et *Michaeam*. In exponendis evangeliis et s. Pauli epistolis plurimum utitur Chrysostomo, quem in compendium redigit, aliisque etiam patribus per modum compilatoris, additis de suo explanationibus moralibus et allegoricis. Commentarius vero *in Actus apostolorum*, cujus triplex exstat recensio (Migne CXXV, 495—1131), et in epistolas catholicas ad verbum fere consonat cum Oecumenii commentariis, ut non sint nisi duae ejusdem operis recensiones. Reliquit[1]) praeterea plura alia scripta, ut disputationem *de accusationibus latinorum* (Migne CXXVI 222—254), sed spiritu pacifico, adeo ut Leo Allatius de eccl. or. et occid. perpetuo cons. c. X § 2 eum unionis amicis accenseat; *homilias*, plures *epistolas* (75), *institutionem regiam* (paedagogicam) pro Constantino Porphyrogenito ex philosophis plerumque ethnicis haustam; *Martyrium ss. MM. XV tiberiopolitensium*, qui imperante impio Juliano apostata Tiberiopoli passi sunt, etc. Opera ejus collecta prodierunt curis Fr. Foscari, Bon. Finetti et Ant. Bongiovanni, Venetiis 1754—1763 t. 4; cum diss. praevia M. de Rubeis; Migne P. G. t. CXXIII—CXXVI.

[1]) Cf. Ehrhard in Krumbacher Gesch. der byz. Lit. p. 133 ss., et ipse Krumbacher ib. pag. 463 ss.; Richard Simon Hist. crit. des princ. comment. du N. T. c. 28; Bon. M. de Rubeis apud Migne CXXIII, 9—143, (et iterum c. CXXIV).

III. Historia ecclesiastica (1109—1141).

16. Haud pauci concinnarunt chronica[1]). Inter horum scriptores praecipuus forte est Ekkehardus OSB. monasterii, ut videtur s. Michaelis

[1]) Udalricus Bambergensis († forte 1127) collegit *codicem epistolarem* a. 1125, qui proprie continet institutionem quandam epistolicam, ut formulas inde haurirent scriptores illorum temporum satis rudes, sed etiam diplomata vera et genuina ad a. 1134 (postea adjecta) ut plurimum ex archivis bambergensibus desumpta, quae res illius temporis, controversias praesertim de investitura, mirifice illustrant, scil. epistolas rom. pontificum, imperatorum, cardinalium, episcoporum, principum etc. Illum edidit (mendose) Jo. Georgius Eccardus Cor-

bambergensis, ab Ottone episcopo abbas constitutus monasterii ab ipso in praedio suo Uraugia (Aura), hinc Uraugiensis dictus. Ejus memoria ad recentiorem usque aetatem oblivione fere obruta mansit, quamvis ipsius chronicon quondam fuerit vulgatissimum. Ultimis seculi XI. annis illud scribere aggressus est, atque ab o. c. usque ad sua tempora quam amplissimam rerum gestarum notitiam exhibet, quam indefessa sedulitate ex libris tam historicis quam biblicis theologicisque vel aliorum scriptis collegit. Hinc inter varias sec. XI. et XII. historias universales primus ei locus tribuendus videtur. Illud prosecutus est ad a. 1116; dein iteratis vicibus continuavit (-1125) et etiam retractavit († p. 1125). Continuationes hae maximae sunt auctoritatis atque reliquo operi longe praestant. Nam quae auctor ipse viderat vel ab aequalibus audierat accurata et satis ampla narratione exposuit, etiam aliorum scriptorum opera non neglexit, epistolas vero aliaque documenta, quorum compos factus est, narrationi inseruit vel paucis exhibet[1]). Prodiit demum cura G. Waitz inter monumenta Germaniae t. VI, 1—267 (ubi subjicitur ejus *Hierosolymita* seu brevissimus l. de oppressione, liberatione ac restauratione s. hierosymitanae ecclesiae seu de expugnatione hierosolymitana 1096-1104), et inde receptum in patrologiam Migne t. CLIV, 459-1060. Anonymorum continuationes dedit Pertz in MG. SS. XVI, 1—12; XVII, 360—65.

17. Ibidem reperitur pariter *chronicon* Hugonis abbatis flaviniacensis, hinc flaviniacense (ab ejus patria etiam virodunense) dictum, prolixum, sed rerum ad historiam sec. XI. facientium copia insigne. Natus est Hugo ex familia quae vel imperatorum Ottonis III. et Conradi II. cognationem affectabat, a. 1065 Viroduni aut in vicinia ejus urbis: ibique puer in monasterio s. Vitoni literis est imbutus, mox et obedientiam professus. Post vitam sat agitatam ob turbas illius temporis electus est in abbatem monasterii flaviniacensis (1096): sed post triennium loco cedere coactus est et licet in concilio valentino (a. 1100) praesentibus legatis pontificiis abbatiae fuerit restitutus, ob offensum sodalium animum eam pacifice retinere non potuit. Temporis lapsu refriguit in zelo pro causa pontificia declinavitque ad partes adversariorum, imo aliquandiu intrusus fuit abbas illegitimus in s. Vitoni monasterium. Vixisse creditur ad a. 1140 imo ad a. 1053. Librum suum per vices passim nullo ordine

---

poris hist. medii aevi II, 1—374; accurate Jaffé in Bibliotheca V, 1—469. Cf. Dümmler NA. XIX (1894) 222 ss. — Heimo canonicus bambergensis († 31. Juli 1139) concinnavit *chronographiam*, ex qua excerpta habes in M. G. SS. X, 1—4; Migne CLXXIII, 1365-68. De ea scribit Wattenbach II, V § 15: Die Begebenheiten des christlichen Zeitalters sind darin aus Bernold und den Würzburger Annalen entnommen; eigene Nachrichten zu geben war sein Zweck nicht, sondern nur die Chronologie festzustellen. Für uns ist daher das Werk fast werthlos und nur als ein Denkmal der so lebhaft in Bamberg betriebenen Studien wichtig.

[1]) Cf. Waitz in prooemio ed. suae; Wattenbach t. 2. IV § 26, qui de eo scribit: Ekkhards Weltchronik dürfen wir wohl unbedingt für das vollendetste Werk dieser Art erklären. Die Sprache ist rein und einfach, die Erzählung klar und übersichtlich, die Auffassung verständig und gemässigt . . . Es bildete lange Zeit für einen grossen Theil, namentlich für den Norden Deutschlands die Grundlage aller geschichtlichen Kenntniss, wie Siegbert für den Nordwesten, und Herrmann der Lahme für den Süden; sogar in den isländischen Annalen ist es benutzt. Auch an sein Werk schlossen sich Fortsetzungen an, die Erfurter und Würzburger Annalen, die Ursperger Chronik. Andere, wie der sächsische Annalist, der Poehlder und Magdeburger Chronograph, Albert von Stade, der Coelner Annalist überarbeiteten auch Ekkehards Werk und führten es weiter. Cf. Potthast p. 400 s.; Altmann Realenc. 5², 286.

servato et prout animus ferebat usque ad a. 1102 produxit. In eum contulit quidquid in libris ad rem suam et in archivis reperit, acta et documenta pretiosa. Hinc illum edidit sed satis mancum, in nova biblioth. manuscr. I, 75—272 Labbe Parisiis 1657, eumque historiae ecclesiasticae XI. praesertim seculi thesaurum incomparabilem pronunciat, cui laudi Pertzius non adstipulatur[1]), dum Lambertum, Bertholdum et Bernoldum ejus aevi historicos Hugoni praeferre non dubitet, sed tamen de historia optime meritum et saepe (praesertim pro tempore Gregorii VII) cum fructu consulendum profitetur in proemio suae editionis (e cod. autographo) inter monumenta Germaniae t. VIII, 288-502; Migne CLIV 21—404. Eum enim minus sagacis animi fuisse censet, falsis quoque rumoribus patentem, in disponendis rebus fallentem, loquacem nonnunquam et justo verbosiorem. *Necrologium* ejus pariter exhibet Pertz l. c. 285-87. — Alius ab eo est aequalis Hugo OSB. de Floriaco dictus[2]) a monasterio, quod est ingressus, cum apposito de s. Maria ab ecclesia, in qua fuit sepultus et prope quam erat natus, qui sagaciter compilavit *historiam ecclesiasticam* ll. 4 usque ad Caroli Calvi obitum[3]). Novam dein paravit operis editionem in sex ll. distributam, in qua multa aptius disposuit, quaedam praesertim theologici argumenti addidit, de quaestionibus dubiis longius disputavit, alia tamen resecuit vel breviora reddidit, narrationis telam ad a. 855 perduxit. Alii dein illud auxerunt et continuarunt. Prodiit prior ed. cura Bernhardi Rottendorf Monasterii 1636; optime (sed ultima tantum pars cum aliis Hugonis libris) inter MG. SS. IX, 337—406, et inde in patrol. Migne t. CLXIII. Alia ejusdem opera sunt: *Liber*, qui modernorum regum francorum continet actus (ab a. 842—1108); Chronicon *de regibus Francorum* a Pharamundo ad Philippum I. (1108), quod solebat tribui Ivoni Carnotensi, gallice ed. Guizot Collection VII, 65—86 (ab a. 949-1108); *chronicon* (breve) scriptum pro Ludovico VI. rege a Nino usque ad Carolum Calvum, Ivoni quondam tributum, integrum in ed. cit. Rottendorfii; *de regia potestate et sacerdotali dignitate* ad Henricum Angliae regem (1101—35) directum[1]), occasione controversiarum de investitura et contra Hugonem flaviniacensem in suo chronico rigide stantem e parte Gregorii VII. Magna in eo libertate regni et Ecclesiae contentionem dirimere et ad justam aequamque pacem revocare studuit. Exstat in Baluzzi miscell. ed. Mansi II, 184—97; in MG. libelli de lite II, 466—94, 1893. *Vita s. Sacerdotis* episcopi lemovicensis (c. 711—720), quae est retractatio vitae ab alio compositae, recepta inter acta SS. bollandiana ad d. 5. Maji II, 14—22 etc.

18. Florentius OSB. Wicensis seu Wigorniensis († 1118), etiam Bravonius (Bavonius) dictus, scriptor est *Chronici* ex chronicis (Gildae, Bedae, Adonis, Mariani, Sigeberti etc.) ab o. c. ad Henrici I. tempora sive ad a. 1117. Sequitur in eo plurimum chronicon Mariani († 1086), unde etiam dictum est chronicon Mariani, multaque ad Anglorum genealogias spectantia refert[2]).

---

[1]) Cf. etiam Schüz in comment. crit. co de scriptis et scriptor. historicis p. 159; Mittermüller KL. VI, 387; Hist. Littér. X, 73—85.

[2]) Alius Hugo de Floriaco O. S. Ben. eodem tempore floruit, decessitque 1124 abbas cantuariensis, cujus forte est commentarium in psalmos, quod mscr. reperiri in bibliothecis Angliae fertur.

[3]) Cf. Hist. lit. X, 285—306; Waitz in proleg. suae edit., etiam apud Migne CLXIII, 337-349, Mittermüller KL.[2] VI, 388.

[1]) Cf. Sackur NA. XVI (1891), 369-386.

[2]) Cf. Schrödl KL. IV, 1559; Potthast p. 450.

Continuatum illud fuit a Joanne monacho ad a. 1140. Prodiit primum cura Guil. Howardi Londini 1592; Francofurti (mendose) 1601; quaedam ex eo habes in MG. SS. V, 564—68; XIII, 124—30; cum continuatione ibidem 130-134. Auctor etiam est *Vitae s. Wulstani* († 1095) in Act. SS. 19. Jan. II, 239—242. — Romualdus I. archiepiscopus salernitanus (1121—36) auctor est chronici[1]) ab o. c. ad a. 1125, quod dein continuavit ad a. 1178 Romualdus II. item archiepiscopus salernitanus (1153, † 1. Apr. 1181), editum a Muratorio cum Saxii notis inter scriptores rerum italicarum t. VII. p. 1, 7—244 et in MG. SS. XIX, 387-461. — De rebus aetate sua gestis (1102—1140) fuse et accurate refert Falco[2]), scriba s. palatii Innocentii II. et judex beneventanus, quod chronicon prodiit inter quatuor antiquos chronologos editos ab Ant. Caraccioli, Neapoli 1626 in 4; ed. Carusio in bibl. hist. Sic. I, 302—98 cum castigationibus Pellegrini; et in thesauro antiq. ed. Burmanni t. IX. etc., Migne 173, 1145-1262, opus pro historia Italiae praesertim inferioris gravis momenti.

19. Plures scripserunt de expeditionibus bellicis ad recuperanda loca sacra. Ita Alberius (Albericus) ecclesiae aquensis in Gallia, probabilius Aquisgrani in Germania canonicus, narrat[3]) ex fide eorum, qui praesentes interfuere, sed sine judicio et accuratione critica, stilo tamen ardenti et fere poetico, *historiam hierosolymitanae expeditionis* sive de passagio Godofredi de Bullione et aliorum principum usque ad a. 2. Balduini II. (1095-1121) ll. XII, qui sine nomine auctoris primum editi sunt cum chronologia Henrici Meibomii a Reinero Reineccio Helmstadii 1584 in 4. sub titulo chronici hierosolymitani *de bello sacro*, dein suo auctori restituti in Jac. Bongarsii gestis Dei per Francos I, 184—381, Hanoverae 1611 in f.; Migne CLXVI, 389—716; gallice versi a Guizot Parisiis 1824. — Eandem expeditionem in suae *historiae hierosolymitanae* ll. 4 a conc. clarimontano, quo ea decreta fuit usque ad captam urbem hierosolymitanam tractat (1095-98) Baldericus (Baudrius) Aurelianensis (quia n. in oppido Menny prope Aurelianum c. a. 1047) monachus OSB. dein abbas burgulensis (Bourgueil), demum archiepiscopus dolensis († 7. Jan. 1130 vel 1131). Sed cum indomitis praeesset Britonibus, quorum perversitatem tolerare non poterat, protervos et exleges saepe deserebat et in Normanniam fugiebat, ubi dolensis ecclesia fundos habebat. Historiam suam concinnavit ex opere annonymo, neque enim ipse interfuit bello sacro, concinnatam testi oculato revidendam tradidit adeo ut, sit fide digna. Exstat in Bongarsii gestis etc. I, 84—138 et in Migne patrol. CLXVI, 1057—1152, ubi alia ejusdem scripta reperies, ut *vitam s. Hugonis* rotomagensis ep., quae tamen pretio critico caret fideque non est digna; *Vitam b. Roberti* de Arbisello († 1117); *Itinerarium* sive ep. ad Fiscannenses (Fécamp); *carmina et l. de visitatione infirmorum*, qui diu Augustino tribuebatur, hinc inter ejus

---

[1]) Dubitat tamen Tiraboschi Storia della Lett. it. III. l. 4 c. 3 n. 15, qui totum censet esse Romualdi II.

[2]) Alius est Falco, de quo egimus I, 1074.

[3]) Cf. Wattenbach t. II § 24; Pastor KL.[2] 1, 411: Alberts Werk, das in 12 B. zerfällt, ist mit feuriger Begeisterung, aber mit wenig Kritik geschrieben; auch ein Versuch pragmatischer Darstellung wird in demselben nicht gemacht. Die chronologischen Angaben Alberts sind ungenau, die Namen der Personen und Städte vielfach entstellt. Das Buch zeigt uns das ideale Ritterthum im höchsten Glanze; die Darstellung ist brillant, voll Farbe und Leben. Secundum Kugler fons praecipuus est pro hoc bello sacro. Cf. Fr. Kühn in N. Arch. Zur Kritik Alb. von Aachen XII (1887), 545—557.

opera supposititia reperitur (Migne XL, 1147); sed judice Pitra Balderico videtur asserendus[1]); *vita s. Maclovii* (apud Mabillon in actis SS. OSB. sec. I. p. 217—22); *Acta s. Valeriani M.*, quae forte sunt ipsius.

20. Robertus s. Remigii in dioecesi remensi monachus OSB., dein (1095) abbas, interfuit concilio clarimontano sub Urbano II, in quo decretum fuit bellum pro recuperanda terra sancta (1095). Compunctus autem desiderio visendi sacra loca cum cruce signatis peregrinationem hanc est aggressus praesensque adfuit dum Hierosolyma expugnaretur (14. Jul. 1099). Interim a sodalibus delatus, quod monasterii dilapidasset bona pro itineris sumptibus, depositus fuit in synodo remensi (1098 vel 1099) et ad prioratum relegatus senucensem. Non probavit Urbanus II. judicium, sed absque effectu: imo Calixtus II (c. a. 1120 vel 1121) eum etiam ab hoc prioratu censuit amovendum († c. 1122). Scripsit *Historiam hierosolymitanam* usque ad a. 1199 ll. VIII (seu IX diviso l. VII. in duos) omissis aliis ed. apud Bongars Gesta Dei I, 30-81; Migne P. L. CLV, 669—758; Recueil des hist. des croisades Hist. occid. III (1866), 717-882. Opus non tanti pretii multum fuit lectitatum et in varias versum linguas[1]). — Galterius (Gauterius, Gualterius) natione, ut videtur, Gallus, Rotgerii ducis antiocheni cancellarius[2]) stilo quidem rudi, sed fideli descripsit *Bella antiochena* seu Historiam de bellis antiochenis (1114—1119), quibus ipse interfuit, et in quorum ultimo admodum infelici ipse captus et in captivitate multa duraque est passus. Quando obierit non liquet. Prodiit apud Bongars I, 441—466 (non satis correcte); Migne t. cit. p. 995—1038; Prutz Quellenbeitr. zur Gesch. der Kreuzz. Danzig 1876 p. 3-55; Riant in Recueil supra c. V, 81-132. — Radulphus Cadomensis, eques ut videtur, non clericus (n. 1080; † c. 1115), bene cultus scripsit stilo eleganti et veraci *Gesta Tancredi* Siciliae regis in expeditione hierosolymitana (1099-1108) in Migne P.L. CLV, 491-590. Cf. Hist. lit. X, 67-73.

21. *Vitas* trium pontificum *Gelasii II* (Romae 1638 cum commentario Const. Cajetano; Migne CLXIII, 475-484 etc.), *Calixti II* (ib. 1079—1082) et *Honorii II*, scripsit Pandulfus nobilissima familia romana ortus, Anacleti antipapae (1130—1138) assecla, a quo et cardinalis factus est. Scribendi genus vividum est, concitatum, abruptum, turbulentum. Vocum peregrinarum est avidus et scriptor difficilis, sententiarum structurae studiosus, qui tamen, ubi indulgere ingenio placet, subito in numeros rapitur poëticos. Ejus vitas habes in Watterich Pontificum rom. vitis. — Hesso scholasticus et canonicus argentinensis reliquit brevem,

---

[1]) Cf. de eo Hist. lit. XI, 96—113. Ab eo distinguendus est Baldericus Belga, vir pius et eruditus, scholasticus trevirensis, qui collegit *gesta Alberonis* archiepiscopi trevirensis († 1157), cui erat acceptissimus et familiaris. Reperies ea in MG. SS. VIII, 243—60 et Migne 154, 1307—38, de qua vita Wattenbach (II, 239 ed. 5): Dieser Balderich, der Albero bis an dessen Tode sehr nahe stand, hat uns ein prächtiges Bild von ihm hinterlassen . . . eine warme lebensvolle Schilderung. die uns den Mann zeigt, als ob er vor uns stünde. — Alius Baldericus cognomine Rubeus fuit episcopus noviomensis et tornacensis (1079—1112). De alio Balderico cameracensi egimus I, 1069 a. Cf. Peters KL. I, 1080 ss.

[1]) Cf. Potthast p. 978: Oudin com. de SE. II, 861 ss. — Marquardt die Hist. hier. des Robertus monachus, Koenigsberg 1892; Hist. lit. X, 323—331.

[2]) Alius ab eo est Gautier (fl. 1155) OSB. majoris monasterii s. Martini apud Turones, cujus (non Gauterii Cluniacensis) est l. de miraculis b. Mariae V. ed. a Labbe in bibl. n. I, 650—655. Legitur etiam apud Mabillon Act. SS. IX, 391—402 fragmentum suae historiae hujus monasterii. Cf. Hist. lit. XII, 941.

sed permagni momenti et fidelem *commentarium* de rebus a. 1119 gestis inter Calixtum II. Papam et Henricum V. imp., quo continentur acta concilii remensis hoc a. celebrati (in MG. SS. XII, 422—428). Edidit illum Seb. Tengnagelius inter vetera monumenta contra schismaticos, Ingolstadii 1612, 329—338 (Migne 163, 1081-86) et aliis ed. omissis W. Wattenbach in MG. Lib. de lite III, 21-28 hac inscriptione: Qualiter nuper inter regem et domnum papam causa coeperit ac processerit breviter descriptum. — Idem Tengnagel p. 133—233 edidit etiam cum veteribus monumentis Gregorii VII. *vitam comitissae Mathildis* († 1115), quam carmine partim hexametro partim leonino composuit Donizo (Domnizo) monachus canusinus OSB., emendatiorem Leibnitius inter SS. brunsvicenses I, 629-689; cum annotationibus Muratorii inter SS. It. rer. V, 335—383, inde Migne CXLVIII, 949—1036; ed. et italice versa a Franc. Davoli, Reggio nel Em. 1888, ed. splendida. Inde anonymus historiam soluta oratione derivavit, quam Leibnitius, Muratori l. c., et Migne ib. 1039—1058 exhibent[1]).

22. Inter eos, qui de historia magis particulari, nationum, dioecesium etc. egerunt, mentionem prae primis meret celeber historiae Russiae parens Nestor, qui lucem aspexit medio sec. XI. in oppido Beloozerensi seu Lacu - Albo. Dum juvenis a. 17 esset, s. Theodosio cryptensi socium se adjunxit et ad monasticam vitam receptus praeter morem mox ad diaconatum gressum fecit. Fuit autem non literis modo, sed et virtutibus insignis († 1115 a. aetatis 60), postquam quadraginta fere a. in religione fuerat emensus. Composuit lingua slavonico-russa stilo simplici et fideli, pie credulo et subinde devoto *Annales* initio sumpto a diluvio ad a. 1110. Alii opus interpolarunt, retractarunt, continuarunt, hinc codd. inter se dissentiunt, ut forma originalis vix habeatur. Illud demum ex 53 codd. edidit societas archeologica virorum doctorum Petropoli 1767 t. 5, quam editionem plures aliae secutae sunt; magna diligentia et accuratione Schlözer Russische Annalen in ihrer slavonischen Grundsprache gereinigt, erklärt und übersetzt, Göttingen 1802-1809; Miklosich *Chronica* Nestoris, Vindobonae 1860. Verum recentiori aetate moventur dubia de genuinitate hujus chronicae[1]). Alia lucubratione narrat *martyrium* ss. principum Borisi et Glebi; alia s. Theodosii kievo-cryptensis *vitam* et gesta: data vero occasione plurium aliorum patrum cryptensium vitae breviores proponuntur. Prodiit ejus *Patericum Peczericum* Kiowii 1661; 1702 in f., sed ita retractatum, ut forma originalis perierit[2]). In martyrologio graeco-slavico inter sanctos recolitur 27. Oct.

23. De historia ecclesiastica Angliae meruit Eadmerus OSB. monachus cantuariensis, s. Anselmi discipulus et comes individuus, a quo nunquam neque regis ira nec odio territus recessit. Tanti eum fecit s. praesul, ut non solum sine praecepto ejus non surgeret,

[1]) Cf. Potthast p. 1468.

[1]) Cf. Leger Chronique dite de Nestor traduit sur le texte slavon-russe avec introduction, Parisiis 1884, de quo op. disserit Martinov in Revue de qq. hist. XXXVI, (1884), 438 s.

[2]) Cf. Martinov Annus eccl. graeco-slavicus, Bruxellis 1863 p. 261 s.; Schroedl KL. 9², 165; Gass Realenc. X², 495. Bonwetsch vero in ejusdem encyclopaediae ed. 3. XIII, 722 statuit, praerogativam patris historiae russiacae immerito Nestori tribui, cum conveniat Jacobo monacho ejusdem monasterii seniori, cujus narrationes publicae dedit luci Makarij metropolita moscoviensis 1849; et cui debentur quaedam narratio martyrii et encomium Boris et Gleb necnon et quaedam alia. Insuper tuetur, Nestorem non esse Annalium auctorem, sed quendam Silvestrum sodalem, dein abbatem monasterii s. Michaelis, qui vixerit saltem ad a. 1116.

sed nec latus inverteret. Ad episcopatum s. Andreae in Scotia a rege electus 1120, mox episcopatu dimisso (1121) Cantuariam rediit († 13. Jan. 1124). Aliqui eum decessisse dicunt priorem cantuariensem 1137, aliis tamen refragantibus, secundum quos prior eo a. defuncto Elmer vocabatur. Ab infantia ipsi mos erat semper nova, quae forte et maxime in rebus ecclesiasticis occurebant, diligenti attentione considerare ac memoriae commendare, ut de se ipse loquitur l. 2. Novorum. Quo studio doctissimus evasit, sinceritate historiae et orationis facundia prae ceteris illustris. Potiora ejusdem opera sunt: *Vita s. Anselmi ll. 2* (ab a. 1093-1109), recepta inter acta SS. Aprilis t. II. p. 866—93 cum notis Henschenii; et quaedam ex ea in monumentis Germ. SS. XIII, 140—6; *Historia novorum* ab exeunte sec. X.—1122 ll. 6, in quibus agit de archiepiscopis Lanfranco, Anselmo, Radulfo (cura Mart. Rule, Londini 1884 in SS. rerum brit. medii aevi n. 81); excerpta in MG. XIII, 139—148. *Vita* s. Wilfridi eboracensis episcopi, in actis SS. 24. Apr. III, 293—312; in op. cit. J. Raine 161—226; *Vita* s. Bregwini archiep. cant. († 762; in actis SS. 26. Aug. V, 831-35); *Vita* s. Oswaldi ep. wigorniensis et archiep. eboracensis (in Raine The historians of the Church of York, 1886. II. 1—59); *Vita* s. Dunstani archiep. cant. *Vita* s. Odonis cant. archiep., quae juxta alios est Osberin, de quo cf. Nomencl. I, 1078. *De excellentia V. Mariae; de quatuor virtutibus,* quae fuerunt in b. Maria (i. e. de justitia, prudentia, fortitudine et temperantia) ejusque sublimitate; l. *de beatitudine* coelestis patriae; *de s. Anselmi similitudinibus* etc., quae prodierunt in ed. operum s. Anselmi curante Gerberonio et recepta fuere a Migne in t. CLIX suae patrologiae[1]).

24. Turgotus OSB. prior dunelmensis, archidiaconus et vicarius, 1109—1115 episcopus s. Andreae in Scotia, praeter *vitam v. Bedae* (cf. t. I. pag. 633 a.) descripsit[1]) *historiam ecclesiae dunelmensis* (ab. a. 635-1096), quam ediderunt Rog. Twysden inter Angliae scriptores p. 1—58, Londini 1652 et auctores infra citandi tamquam Simeonis OSB. dunelmensis theologiae doctoris oxoniensis, qui eam descripsit († c. a. 1130): nam is post irruptionem Danorum omnes historiarum reliquias in variis monasteriis conquisivit et inde compilavit praeter alia minora historiam *de regibus Anglorum* et Danorum (616-1129), ib. Eam continuavit Joannes de Hexam sive Hagustaldensis OSB. ab a. 1130—54; qui tamen ab a. 1141 unius anni metachronismo peccat, ut notavit Pagi[2]). Epistola ad Hugonem *de archiepiscopis eboracensibus* (627—796) etc., quae omnia ediderunt Twysden l. c., et J. Hodgson Hinde *Simeonis dun. opera et collectanea,* Durham 1868; Arnold Simeonis . . . opera omnia, Londini 1885. — Hugo eboracensis ecclesiae cantor et archidiaconus scripsit *historiam* quatuor archiepiscoporum eboracensium: Thomae I., Gerardi, Thomae II. et Thurstani ad a. 1127, quae prodiit cura Jac. Raine in op. The historians of the Church of York II, 98—220, 1886. — Arnulfus (Ernulphus)

---

praef. suae editionis; Schroedl KL.[2] IV, 61; Ziegelbauer III. c. 3. § 7; Ragey Eadmer, Paris (1892).

[1]) Cf. Oudin de SE. II, 949—955. Anglice versa prodiit cura J. Stevenson Londini 1855. Ei tribuitur etiam *Vita s. Margaritae* reginae Scotiae († 1093) cui fuit a confessionibus. Eam habes in Actis SS. 10. Jun. II, 328-40; in Pinkertons Lives II, 159—196 etc. Secundum alios ea est cujusdam Theodorici.

[2]) Ad a. 1141 n. 8: 1153 n. 13. Cf. Oudin II, 1101—1105. Excerpta prostant in MG. SS. XIII, 157—160. Cf. Potthast p. 1021.

[3]) Cf. Goepfert KL.[2] 1, 1440; Hist. lit. X, 425—430.

[1]) Cf. Fabricius 2, 484, qui recenset etiam ejus scripta inedita; Gerberon in

OSB. patria Bellovacensis[3]) natus c. a. 1040, Lanfranci discipulus, prior cantuariensis, deinde Petri Burgensis (Peterburg) abbas (1107), denique 1114 episcopus roffensis († 15. Mart. 1124), reliquit codicem, qui titulo „textus roffensis“ innotuit, scil. Collectanea *de rebus ecclesiae roffensis* a prima sedis fundatione ad sua tempora i. e. de ejus fundatione, dotatione, chartis, placitis aliisque rebus, in Wharton Angliae sacrae II, 329 ss., et Oxonii 1720 ed. Hearne; ep. praeclara ad Walkelinum ep. wintoniensem *de incestis conjugiis* et responsiones ad varias qq. de sacramento eucharistiae, i. e. de usu intingendi corpus Domini in vinum, in Dacherii spicilegio III, 464—74; ed. II[2], 410 ss.; Migne CLXIII 1441—1474. — Guilelmus de Wycumba can. reg. s. Aug., primum Roberti Betum ep. herfordiensis clericus familiaris, dein prior lanthoniensis coenobii in Cambria, cui muneri adversariorum machinationibus cedere coactus est (fl. circa a. 1140), scripsit *vitam Roberti ep.*, quae exhibet Henr. Wharton Angliae sacrae II, 295-321.

25. Munio (Martinus) ab aliis Alphonsus Nuño dictus, ex thesaurario compostellanae ecclesiae mindoniensis in Gallaecia praesul, capellanus et a secretis Alphonso VII. († 6. Jun. 1136), coepit *historiam compostellanam* sive de rebus gestis D. Didaci Gelmirez primi archiepiscopi, quam continuarunt Hugo, Gallus natione, ut creditur, sed episcopus portugalensis († 7. Sept. 1136), et Giraldus, pariter Gallus, compostellanae ecclesiae thesaurarius et parochus[1]). Edidit illam Henr. Florez in España sagrada t. XX, et exinde Migne CLXX, 889—1236. Multa in ea occurrunt de romanis pontificibus, conciliis, episcopis illius temporis.

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. hist. vet. l. 7 c. 4; Hist. lit. XI, 115—120.

26. Landulphus a s. Paulo in Compyto presbyter ut ab alio Landulpho, qui senior dicitur et circa a. 1085 floruit (cf. Nomencl. I, 1071), distinguatur, junior dictus, Mediolanensis, epistolarum consularium dictator, multa ob patrias turbas passus[1]), concinnavit *Historiam mediolanensem* ab a. 1095-1137, qua bene et accurate continuavit Historiam mediolanensem minus veracem malamque Landulphi senioris (acerrimi adversarii Gregorii VII.). Eam edidit Muratori inter scriptores rerum italic. V, 469—520, et hinc Migne CLXXIII, 1420—1546; et in MG. SS. XX, 17—49. Inde multa mutuatus est Ughelli, quae ad archiepiscopos mediolanenses spectant t. IV. Italiae sacrae.

27. Cosmas Pragensis, quem splendidissimis „patris bohemicae historiae Herodotique“ encomiis ornarunt viri eruditi, de perscrutandis Bohemorum rebus gestis optime meruit. Natus is est circa a. 1045, cumque e literarum rudimentis emersisset, Leodium se contulit, quod tunc prae ceteris Lotharingiae scholis sub Francone magistro[2]) florebat, ibique grammaticae et dialecticae operam laeto successu navavit. Sacerdos ordinatus est 1099 et inter canonicos s. Viti pragensis capituli adscriptus: decani demum dignitatem inter a. 1119—22 adeptus († 21. Oct. 1125). Eorum, quae apud populares et exteras gentes audierat vel viderat vel denique ipse rerum gerendarum particeps egerat, vitae suae quasi summam *chronicon Bohemiae* aetate jam provecta confecit in ll. 3 distributum,

[1]) Cf. Argelati Script. mediol. II. 1, 777 ss. Pariter distingui debet a Landulpho (Landolfo), qui dici solet „sagax“ (fl. c. a. 1000), et de quo egimus I, 679.

[2]) Cf. de hoc scholastico Sigebertum gembl. de SE. c. 164, qui ejus diligentiam laudat. Scripsit inter alia *de quadratura circuli*. Vitam protraxit ad a. saltem 1083.

quos tamen non uno eodemque tempore in lucem emisit. Illud non eadem felici historiae conscribendae indole ornati, sed non minore cum posterorum gratia historiaeque utilitate continuarunt (1125—42) auctor, quem nonnulli canonicum wissegradensem fuisse autumant, dein monachus OSB. sasavensis (ad a. 1162) et aliquot canonici pragenses[1]). Primus illud edidit Freherus in limine script. rerum bohemicarum, Hannoviae 1602; plenius 1607, deinde alii; prae ceteris accurate Koepke in MG. SS. IX, 1-132; cum continuat. 1126—1142 p. 132—148; 843—6; et inde Migne CLVI. 9—389. Addidit in posteriore edit. Freherus etiam *s. Adalberti vitam* ep. pragensis Bohemorum, Polonorum et Borussorum apostoli († 997), quam immerito censuit esse Cosmae nostri: est enim Jo. Canaparii (cf. Nomencl. I, 935 a.).

28. Quaedam ad ecclesiam atrebatensem et ad historiam sui temporis spectantia suppeditat Lambertus patria Guisnensis, archidiaconus ravennensis, canonicus et praecentor insulensis, primus episcopus atrebatensis post hujus dioecesis a cameracensi, cui per secula quinque conjuncta fuerat, separationem (1093), ab ipso Urbano II. Romae consecratus, *in gestis*, quibus Atrebatensium civitas sub Urbano romanae et apostolicae sedis episcopo, excusso Cameracensium subjectionis jugo in antiquam reformatur dignitatem, quae edidit Baluze Miscell. t. V, et inde Migne CLXII, 627—720. Collegit quoque *canones* (32) concilii claromontani a. 1095; etiam ejus *epistolae* (144), inter quas plures summorum virorum ad ipsum, non carent pretio pro historia sui temporis. Magni factus est a romanis pontificibus[1]). Ita Paschalis II. apostolicas vices ei delegavit a. 1104 pro absolutione Philippi francorum regis ob incestuosas nuptias cum Bertrada andegavensi excommunicati († 16. Maj. 1115). — Ab hoc distingui debent Lambertus Hersfeldensis, de quo egimus Nomencl. I, 1067 († p. 1077), et Lambertus canonicus s. Audomari sithiensis, forte et abbas, vir sua aetate clarissimus, qui multa compilavit, ut *chronicam*, cujus pars (919—1120) prodiit in MG. SS. V, 65 s.; *seriem archiepiscoporum coloniensium* usque ad a. 1036; *trevirensium* ad a. 977; episcoporum *cameracensium* ad a. 1076; *morinensium* ad a. 1099; *abbatum* s. Bertini et praepositorum s. Audomari ad a. 1120, ib. t. XIII, 382 ss.), quae derivata sunt ex l. *Florido* (inedito) qui est instar encyclopaediae[2]), in quam congessit omnis generis facta et narrationes veterum auctorum († 1123 vel 1125). — Ab hoc alius est Lambertus OSB. junior seu minor dictus, quem P. Krollick conjicit auctorem esse celebris historiae seu *chronici andaginensis monasterii* s. Huberti (687—1106) editi a Martene in ampl. coll. IV, 915—1023 (mendose); a Bethmann et Wattenbach in MG. SS. VIII, 568—630; Migne CLIV, 1341—1456; gallice a P. de Robaulx de Soumoy sub titulo: *Chronique de l'abbaye de St. Hubert dite Cantatorium*[3]),

---

[1]) Inter hos fuit Jaroslaus (Joroslaus), ex canonico ecclesiae cathedralis canonicus regularis s. Norberti, cujus continuatio (1143—1283) prodiit primum Viennae 1753 in 4. De Cosma ejusque continuatoribus erudite disserit Koepke in proleg. suae editionis. Cf. Wattenbach II, IV § 27; V, 59; de variis editionibus et literatura cf. Potthast p. 357.

[1]) Cf. Gallia christ. III, 322; Hist. Litér. de Fr. X, 44—60; van Arembergh in Biograph. nation. XI, 155.

[2]) Cf. Pertz Archiv für ältere deutsche Geschichtsforschung VI, 5; VII, 531—46; VIII, 306; Em. van Arembergh l. c. p. 162—166. — L. Floridum accuratius describit Jules de Saint-Genois in Messager des Sciences hist. de Belg. (Migne CLXIII, 1003—1033); Schanz KL. VII, 1340—1341.

[3]) Cf. P. Krollick Die Klosterchronik von St. Hubert und der Investiturkampf

Bruxellis 1847; Reiffenberg in Monuments pour servir à l'hist. des prov. de Namur etc. 1847, VII, 233—376. Idem Krollick una cum Hanquet probabile censet, eundem Lambertum auctorem esse l. 2. *Miracula s. Huberti* et *Vitae Theodorici* abbatis andaginensis (1055—1087), quem habes in MG. XII, 36—57 et in Act. SS. Aug. IV, 848—864. Verum alterius sententiae est Cauchie La querelle des investitures dans les dioecèses de Liège et de Cambrai, Lovanii 1891 et praesertim in diss. La chronique de St. Hubert dite Cantatorium, le l. second des Miracula S. Huberti et la Vita Theodorici ab. and. Bruxellis 1902, in qua negat eundem esse auctorem trium horum opusculorum, concedi vero ut probabile posse, Lambertum chronicon concinnasse.

29. Leo a patria Marsicanus cognominatus OSB., casinensis monasterii bibliothecarius et decanus; a Paschali II. cardinalis et episcopus ostiensis creatus (1101; † 1115—1117), hinc Ostiensis dictus, scripsit admodum accuratum et diligens *chronicon casinense*[1]) ab obitu s. Benedicti a. 542 usque ad a. circiter 1078, quod Petrus diaconus, ejus sodalis, ex nobilissima comitum tusculanorum stirpe ortus c. a. 1107, monasterii bibliothecarius et archivarius († p. a. 1140) ad a. 1087, et adjecto l. IV. perduxit ad a. 1140, quae tamen continuatio auctoritate, veritatis studio et gravitate longe est inferior[1]). Prodiit, sed abbreviatum opera Ambrosii Traversarii O. Cam. († 1349), cura Laurentii vicentini monachi Venetiis 1513; Parisiis 1603 ed. Jac. Breulio; Neapoli 1616 cum notis Matth. Laureti Hispani, sed pro libito mutatum et amputatum, ideo fide non dignum, cum ejus diatriba de monachatu Gregorii M. et translatione atque exsistentia corporis s. Benedicti, ib. 1607; Parisiis 1668 ex recensione Ang. de Nuce casinensis ab., qui primus edidit genuinum Leonis et Petri opus accurate et diligenter cum commentario amplissimo, subjuncta appendice veterum monumentorum; inter scriptores rerum it. IV, 241-602 ed. Muratori; optime vero in MG. Script. VII, 551—727—844 et Migne CLXXIII, 439—990. Petrus autem praeter alia composuit l. *de viris illustribus casinensibus* (47), Romae 1655 ed. Jo. B. Mari, Parisiis 1666; cura Fabricii in bibliotheca eccles. Hamburgi 1718; cur. Muratori inter scriptores rer. it. VI, 9—84 et in thesauro ant. it. cur. Burmanno t. IX. 329; supplementum adjecit (complectens scriptores 31) ad a. 1584 Domnus Placidus romanus, monachus et diaconus casinensis: *de ortu et vita justorum* coenobii casinensis in nova coll. VI, 245 ed. Mai; *de locis sanctis*, emendate in Bibl. dell'acad. stor.-giurid. t. IV., Romae 1887; *catalogus* abbatum casi-

---

im Bisth. Lüttich, Programm des Sophien-Realgymnasium, Berolini 1884.

[1]) Ab hoc distingui debet *Epitome chronicorum casinensium* (491—857) sub Anastasii Bibliothecarii nomine conscripta a casinate quopiam monacho i. e. a Petro diacono, chronicon portentosum judice Wattenbach ed. a Muratori inter rer. it. SS. II, 1, 351—370. Cf. Potthast p. 718. — A Leone nostro distingue alium Leonem pariter monachum casinensem et cardinalem, qui Urbano II († 1099) a secretis fuit, cujus nomine complures epistolas scripsit ejusque registrum fecit.

[1]) Cf. prae primis Wattenbach in eruditis proleg. suae ed. in MG. et deutsche Geschichtsquellen II. s. IV § 31. A Mabillon in praef. sec. 1. Act. OSB. vocatur Petrus „Scriptor non malus quidem, sed non satis diligens;“ et Angelus de Nuce in notis ad prol. l. IV. chronici casin. „Multa, inquit, scripsit, sed sine delectu et sine crisi: vivido quidem fuit ingenio, properantis interdum judicii.“ Schüz de script. hist. p. 371—376; Esser KL. 9², 1909; Tiraboschi t. 3 l. 4 c. 2 n. 37 ss. Plurima ejusdem opera msc. recensentur in c. 37 sui op. de vir. ill. casin. cum annot. Fabricii in bibl. ecd.

nensium, apud Caravita I Codici e le arti a Monte Casino 1869 I, 89—93: Historica relatio *de corpore s. Benedicti* Casini (in Act. SS. 21. Mart. III, 288-297); *Vita s. Aldemarii* ab. casinensis († c. 1070) in Act. SS. 24. Mart. III, 489—92; *de notis* sive siglis Romanorum ad Conradum III (Venetiis 1525); *disciplina casinensis* ed. Hergott in Disciplina monastica, Parisiis 1726; *Vitae ss. Guinizonis et Januarii* (Act. SS. Maji VI, 450) etc., quae omnia reperies in Migne CLXXIII, 1003-1146.

30. *Chronicon farvense* ad a. 1125 concinnavit Gregorius Catinensis OSB. ejus coenobii bibliothecarius inter a. 1105—19 editum a Muratori inter SS. rer. it. II, 2, 289—678; excerpta in MG. SS. XI, 520—536; 548—589 (cf. Migne CXXVII, 333-44): opus pro historia etiam Italiae utile, recentissime iterum ed. ab Hugone Balzani Romae 1903. Magna quoque sedulitate collegit omnia monumenta et literas monasterii in l. gemniagrapho sive cleronomiali ecclesiae farvensis ed. sub inscriptione *Il Regesto di Farva* cura J. Giorgi e U. Balzani, Romae 1879—92 t. 4; orthodoxa defensio imperialis *de investitura* scripta nomine congregationis farvensis sub Henrico (V.) imp. ed. Giorgi in Archivio della Società romana di storia patria II, 456—73; in MG. lib. de lite 1893. II, 535—42. — Joannes monachus s. Vincentii composuit *chronicon* monasterii s. Vincentii de Vulturno OSB. seu *vulturnense* dictum (703—1071), in quo fabellas narrat et contra chronologiam peccat: unde cum auctor res vel tempora perturbarit, etiam diplomata, quae chronico suo inseruit, de falsitate non parum suspecta redduntur, ut notant Du Chesne, Mabillonius atque Cuperus. Prodiit sed non integrum in Muratori Script. rer. it. I, 2, 325—523. — Prolixam *epistolam* de reformatione monasterii s. Mariae eboracensis (inter ep. s. Bernardi 470) scripsit Turstanus (Trustanus, Turstinus), Henrici Angliae regis sacellanus, archiepiscopus eboracensis (1114-1140), deinde monachus O. Cist. in monasterio Fontanensi apud Rippon oppidum agri eboracensis († 1140 vel 1141). Alia ejus scripta sunt inedita. Cf. Hist. lit. XI, 722—728.

31. Clarius floriacensis primum, dein abbatiae s. Petri Vivi OSB. monachus, chronicon[1]) s. Petri vivi senonensis a Christo n. ad a. 1124 scripsit, quod ab aliis continuatum fuit ad a. 1179, dein ad a. 1267; ed. a D'Achery Spicil. 2², 463—86 (ab a 420—1184), integrum a Duru in Bibliothèque historique de l'Yonne 1863. II, 451-550. Excerpta reperies in MG. SS. XXVI, 30—36. — Joannes OSB. in monasterio besuensi dioecesis divionensis sacellanus et praecentor († c. 1120) reliquit[2]) *chronicon besuense* ab a. 600-1119, continuatum ad a. 1174, mendose editum a D'Achery Spicil. II², 400—463; Migne CLXII, 861-1006; in op. Chronique de l'abbaye de S. Benigne de Dijon suivie de la chronique de s. Pierre de Bèze, Divione 1876 in 8. ed. Bougaud et Garnier. — Seherus OSB. abbas calmosiacensis († 8. Maj. 1128) scripsit dilucide et accurate[3]) *de primordiis calmosiacensis* (Chaumouzey) *monasterii* OSA. in dioecesi tullensi (1091—1109) ll. 2, quod vulgavit Martene in thes. Anecd. III, 1162—98; Jaffé in MG. SS. XII, 324-47; Migne CLXII, 1119—1152; Duhamel in Documents rares ou inédits de l'hist. des Vosges 1869 t. 2., qui illud capite auctum exhibet. — Martinus pictaviensis monachus scripsit historiam monasterii novi (Montierneuf) pictaviensis a fundatione 1086-1127,

[1]) Cf. Hist. lit. X, 501—504, juxta quam hoc chronicon non est sine pretio praesertim pro Gallia.

[2]) Cf. Hist. lit. X, 270—276.

[3]) Cf. Hist. lit. XI, 70—76.

cujus fragmentum exstat in Martene thes. anecd. III, 1209—20.

32. Rodulfus n. Monasterii (Moutiers) super Sambriam fluvium bene institutus Leodii Porceti (Burtscheid) apud Aquensem urbem vitam monasticam professus est a. aetatis 18. Cum vero gradatim ad praepositi munus provectus sine ullo fructu pro regula accuratius servanda contendisset, alia monasteria invisit haesitque in monasterio s. Trudonis (St. Troud, Tron) OSB. ibique scholarum magister pueros primis literarum rudimentis imbuit et monachorum cantum satis barbarum secundum Guidonem Aretinum felicissime emendavit. Prior electus c. a. 1103 acerrimo studio monasticam disciplinam in meliorem statum reformare coepit. Post superatas multas difficultates et contradictiones tandem a. 1107 hoc evicit, ut Cluniacensium usus apud Trudonenses inducerentur. Defuncto abbate gravissimae ortae sunt turbae ob successoris electionem, quibus demum sopitis ipse electus est 30. Jan. 1108 in abbatem. In novas incidit calamitates tam internas quam externas ob lites de episcopatu leodiensi exortas: unde maluit ire in exsilium. Anno 1121 electus est in abbatem s. Pantaleonis monasterii coloniensis, cui magna cum laude suorum praefuit ad a. 1123, sed pacatis rebus ad sodales trudonenses rediit. Novas iterum calamitates et ingentia damna passus non destitit promovere bonum spiritale et temporale sui monasterii laetissimo fructu et successu († 6. Mart. 1138). *Gesta abbatum trudonensium* (ad a. 1108) *ll.* 7 enarrat[1]), quibus alius Rudolfo vix inferior sex adjecit et historiam ad a. 1136 deduxit. Exstant duae aliae continuationes (ad a. 1366). Edidit opus vere pretiosum D'Achery Spicilegii t. II. p. 659 ss. ed. mendosa; accuratissime Koepke in MG. SS. X, 213—272, cum continuationibus p. 333—443; inde Migne CLXXIII, 9—434. Reliquit et aliquot *epistolas,* quibus ex parte Gestorum supplementa continentur haud contemnenda in MG. ib. p. 317—32. Libros VII *contra simoniacos* scripsit, quatuor rationibus, tribus agens auctoritatibus, quos Mabillonius in monasterio gemblacensi invenit; ii postea in generali monasterii conflagratione perierunt. *Vita Lietberti* (1051—1076) ep. cameracensis, quam habes in D'Achery II, 138 ed. 2; Migne CXLVI, 1450—1484, in Act. SS. 23. Jun. IV, 586—606, et in MG. VII, 528—538 ed. Pertz, non est nostri Rodulphi, sed recentionis Rodulphi monachi s. Sepulchri apud cameracenses c. 1290.

33. Ex plurimis *hagiographis*[1]) hac periodo speciminis gratia sint: In Germania Thiofridus (Theofridus) OSB. in lingua graeca et hebraica eruditus, abbas epternacensis[2]) a. 28 († 3. Apr. 1110, juxta alios 1106 centenarius vel fere centenarius, aut jam a. 1100) collegit *Flores epitaphii sanctorum,* quos edidit Joan. Roberti SJ. Luxemburgi 1619, et *sermones* duos de sanctorum reliquiis et de veneratione sanctorum, in Migne P. L. CLVII, 313-410; *Vita Willibrordi* ep. trajectensis († 739) carmine et prosa. Vitam metricam ediderunt Decker, Trier 1881, et Rossberg, Lipsiae 1883; alterius prodierunt tan-

[1]) Cf. Koepke in proleg. suae edit.; Wattenbach Allgem. deutsche Biogr. XXIX, 570; deutsche Geschichtsquellen im Mittelalter II, IV § 21; Hist. lit. XI, 675—686.

[1]) De Faricio patria Aretino monacho malmesburiensi OSB. et abbate abindonensi in Anglia († 23. Febr. 1117) egimus t. I pag. 654 a. — De Rangerio ep. lucensi († 1112) ib. p. 1030 a. — De Gualberto monacho marchianensi OSB. († c. 1134), qui collegit *miracula s. Rictrudis* († c. 688) in Act. SS. 12. Maj. III, 118—140, cf. Hist. lit. XI, 412—415.

[2]) Cf. ejus vita a Roberti suae ed. praemissa et Hist. lit. IX, 503—510.

tum fragmenta (cf. MG. XXIII, 13-30): integram demum edidit, recensuit atque amplis illustravit Commentariis Schmitz SJ., Luxemburg 1898. Ea est retractatio vitae, quam jam Alcuinus concinnaverat. Pretium historicum non est magnum, majus vero est momentum pro literatura et cultura illius temporis. Scripsit quoque *Lutwini* archiepiscopi trevirensis *vitam* (713) in Act. SS. 29. Sept. VIII, 169—172, quae ab aliis tribuitur Nizoni (I, 1081), et *vitam s. Irminae,* quam Theodericus pariter epternacensis, de quo infra, praemisit l. 2 chronici sui. — Norbertus OSB. abbas secundus iburgensis († 4. Dec. 1117) narrat *vitam s. Benonis* ep. osnabrugensis († 1088), qui ejus monasterii fuit fundator et primus abbas, quam edidit Jo. Ge. Eccardus in corp. script. medii aevi II, 2161—2194; R. Wilmans in MG. SS. XII, 58—84. Ea pretiosa est, sed F. Philippi genuinitatem in dubium vocat in N. A. der Ges. f. ältere deutsche Geschichtskunde XXV (1900), 767—795. Eam vero solide tuetur P. Scheffer-Boichorst in Sitzungsber. der k. pr. Akad. der W. zu Berlin, 1901 p. 132-162. — Conradus OSB. abbas brunvilarensis succinctam scripsit *vitam* magistri sui *Wolfhelmi* OSB. ab. († 1091), contra quem scripserat Manegoldus (cf. I, 1044), in actis SS. 22. Apr. III, 77—88; MG. SS. XII, 180-95; Migne CLIV, 405—34 etc.

34. Marbodus (Merboldus, Marbottus, Marbadus, Mardebanus, Merobaudus, Merbodaeus) natione Britannus (n. c. 1035), scholae andegavensis, quam rexit, famam plurimum promovit, oratorum enim dicebatur rex, qui gallicanae eloquentiae arcem obtineret, Ciceroni, Homero, Maroni aequiparabatur. Postquam archidiaconi functus est munere episcopus electus est rhedonensis (1096). Quamquam adolescens laxiori deditus erat vitae, nec sine pecunia ad infulas promotus esse videtur, tamen episcopus factus et simoniacos et fornicarios valde detestatus est, et tam austere se gessit, ut jejuniis se macerare et pene sancti elogio ornaretur. Aetate jam grandaevus et lumine oculorum orbatus episcopatu se abdicavit et monachus monasterii s. Albini OSB. obiit a. aetatis 88 (11. Sept. 1123). Ejus *opera* prodierunt[1]) cum operibus Hildeberti cenom. cura Ant. Beaugendre Parisiis 1708; Migne t. CLXXI 1457—1782, inter quae *epistolae,* et plures vitae sanctorum, ut *s. Licinii* andegavensis ep. († c. 600), in actis SS. 13. Febr.; *s. Roberti* abb. Casae Dei[2]), ib. 24. Apr. III, 317—26; *s. Magnobodi* Conf. († c. 660); *s. Gualteri* (Gauterii) ab. et canonici stirpensis in dioecesi lemovicensi († 1070); ib. 11. Maj. II, 701-6; *s. Florentii* Conf. in Glonna monte, ib. 22. Sept.; *Theophili* poenitentis, metrice, ib. 1. Febr.; Carmina *de septem fratribus* machabaeis, *de s. Laurentio, de s. Alexio, de s. Victore, de s. Mauritio* et sociis ejus, *de s. Thaiside, de ss. MM. Felice et Adaucto; de b. Maurilio episc.* aliaque carmina, in quibus pangendis inusitatum aliis leporem et elegantiam sermonis assecutus est. Etiam l. Ruth metrice exhibet[3]). Ejus *Poëmes* . . . traduits en vers français avec une introduction edidit Sigism. Ropartz, Rennes 1873. Duas ejusdem *epistolas* habes in MG. lib. de lite III, 692—694 ad sacramenta sacerdotum conjugatorum spectantes. — Vitalis de auxitana provincia

[1]) Cf. Fabricius V, 16 ss.; Knöpfler KL. 8², 640 Prodierunt jam antea Parisiis 1531; Coloniae 1539; Basileae 1555.

[2]) Hujus sancti (Roberti) *vitam* narrat et Bernardus OSB. prior s. Gemmae in pago santonensi (fl. 1160), quam habes apud Mabillon AS. sec. VI, 2, 208—222, et *miracula* apud Labbe bibl. nova II, 637—659; in Act. SS. 24. Apr. III, 326—333. Cf. Hist. lit. XII, 627 s.

[3]) Cf. Ferry de Marbodi rhed. ep. vita et carminibus, Parisiis 1899. Ernault Marbode ev. de Rennes, sa vie et ses ouvrages, Rennes 1890; Baumgartner Weltlit. IV, 374 ss.; Hist. lit. X, 343—392.

oriundus, apostolicae sedis notarius, c. a. 1123 scripsit *vitam s. Bertrandi* Convenarum ep. († c. a. 1123), quam ediderunt Martene et Durand Collect. VI, 1021; in Act. SS. 16. Oct. VII, 1173-1184. — Anscherus OSB. abbas centulensis sive s. Richarii (Riquier † 25. Jul. 1136) descripsit[1]) c. a. 1110 ll. III. *vitam et miracula s. Angilberti ab.* (usque ad a. 814), quam reperies in Act. SS. OSB. IV, 1, 123—140. — Theobaldus[2]) coenobii besuensis monachus OSB. (fl. 1124) narrat stilo inflato et absque judicio critico *Acta, translationes et miracula s. Prudentii M. ll. IV* in Labbe bibl. nova II, 605-637, et in Act. SS. 6. Oct. III, 348-378. — Stephanus can. reg. abbatiae piperacensis scripsit *vitam s. Petri de Chavanon* can. reg. s. Aug. Piperaci in Avernia in actis SS. 9. Sept. III, 472-79. — *Vitam s. Hugonis* gratianopolitani episcopi († 1132) scripsit Guigo (Guido, Wigo) de Castro (al. de Pinu) natione Gallus[3]), nativitate Valentinensis n. 1083. Vix ordinem Carthusianorum ingressus ob insignem virtutem Carthusiae majoris prior generalis quintus electus est et s. Bernardo fuit carissimus († 27. Jul. 1137). Reperitur ea vita inter acta SS. 1. Apr. I, 35-46 cum Henschenii notis; Neuville 1890. Ipse collegit *consuetudines ordinis,* reliquit pias *meditationes* (20); ex plurimis ejusdem *epistolis* sex tantum ad nos perveneruut, quae omnia reperies in patrol. Migne CLIII, 593—784. Tribuitur ipsi a Massueto et ep. seu tr. *ad fratres de monte Dei* ll. 3, ib. CLXXXIV, 307—363. — Raynaldus de Semur OSB. monachus cluniacensis, vezeliacensis abbas et demum archiepiscopus lugdunensis (1128; † 7. Aug. 1129) scripsit[1]) *vitam s. Hugonis* abbatis cluniacensis († 1109) et ejusdem vitae synopsin metricam, quae prodierunt in bibl. cluniac. p. 648—54; Migne CLIX, 893—910; in actis SS. 29. Apr. p. 648—55; excerpta in MG. SS. XV. 2, 940 s. — Galfredus Grossus OSB. scripsit circa a. 1130 *vitam b. Bernhardi* ab. primi tironiensis in dioecesi carnotensi († 1114), quae est una ex fidelioribus et melioribus sec. XII., ed. cum notis a Jo. Soucet, Parisiis 1649 in 4; ab Henschenio 14. Apr. II, 222—55; Migne 172, 1367-1446. — Nicolaus OSB. in monasterio suessionensi dedit *Vitam s. Godfridi* episcopi ambianensis († 1118), quae reperitur[2]) apud Surium 8. Nov. VI[2], 209 ss.

35. Stephanus OSB. abbas[3]) monasterii s. Jacobi leodiensis († 24. Jan.

---

[1]) Cf. Hist. lit. XI, 611—618.

[2]) Alius ab eo, cujus supra I, 1083 meminimus.

[3]) Alius Guigo pariter O. Carth. et ejusdem prior generalis († 27. Sept. 1188) auctor habetur l. *de quadripartito exercitio cellae,* rerum secularium declinatione, meditatione, oratione et opere manuum, quem edidit Chifflet in Manuali Solitariorum Divione 1657 in 8; biblioth. PP. lugd. XXIV, 1468; Migne CLII, 799—884; et forte auctor est *Scalae claustralium* sive tr. de modo orandi, et de vita contemplativa in app. opp. s. Bernardi II, 324—31; et *scala paradisi* inter opera s. Augustini spuria Migne XL, 997—1004.

[1]) Cf. Hist. lit. XI, 85—90. — Alius ab eo est Raynaldus OSB. prior s. Eligii Parisiensis, cujus sunt prolixa commentaria in Pentateuchum, Josuam, Judices, Ruth et Isaiam fere juxta sensum allegoricum (inedita). Floruit hac aetate. Cf. Hist. lit. XI, 719—722.

[2]) Sed cf. quae Hist. lit. XI, 729—736 in hac historia carpunt.

[3]) Cf. Hist. lit. IX, 522-526. — Eodem a. 1112 decessit Stephanus monachus wittebiensis in Northumbria monasterii OSB., dein abbas (1088—1212) primus Eboraci in monasterio b. Mariae congr. clun., pro cujus bono spirituali et temporali, nam gravissima erat passum damna ob iteratas Danorum incursiones, admodum erat sollicitus. Superest ejus scriptum *de reparato monachatu* et de fundatione coenobii sui, quod exstat in Monasticon anglic. I, 384 ss., Savoy 1673. Cf. Hist. lit. X, 14—18. — Eodem fere tempore floruit Stephanus can. reg. abbatiae piperacensis (fl. 1130), qui nar-

1112) descripsit *vitam s. Modoaldi* episcopi trevirensis († 640) ll. 3 in actis SS. 12. Maj. III, 51—62; excerpta in MG. SS. VIII, 223—26; XII, 285; Migne CLIV, 1275-80. — Gualterus archidiaconus teruanensis (Térouanne † c. 1132) scripsit *vitam Caroli Boni*[1]) comitis Flandriae et Mart. († 1127), quae exstat in actis SS. 2. Martii I, 163—79 cum notis Henschenii, et in MG. SS. XII, 531—61; Migne CLXVI, 901—44; *vitam b. Joannis*[2]) ep. teruanensis († 1130) in MG. XV, 2, 1136—50 et in Actis SS. 27. Jan. II, 794-802; Migne ib. p. 873. — Nizo OSB. in monasterio s. Laurentii auctor est *vitae Friderici*[3]) episcopi leodiensis († 27. Maj. 1121), quam publicae luci dedit Wattenbach in MG. SS. XII, 501—8. — *Vita s. Ayberti* de Crispino presbyteri reclusi OSB. († 1140) auctore Roberto archidiacono ostrevandensi exstat in Actis SS. 7. Apr. I, 673—80.

36. Manfredius Potentiae episcopus (1119) scripsit *vitam Gerardi* decessoris sui, quam vulgavit Ughelli Italiae sacrae VII[2], 136—138. — Joanni Cajetano OSB. monacho casinensi, qui postmodum fuit Gelasius II, rom. pontifex (31. Jan. 1118-29. Jan. 1119), debemus *vitam et passionem s. Erasmi* Cajetani episcopi et Formii sub Diocletiano, quae prodiit[1]) cum scholiis curis Const. Cajetani Romae 1638 in 4; 1802 in app. ejusdem Vita del pontefice Gelasio II. Ejus *epistolas* reperies in Migne CLXIII, 487—514. Cf. Jaffé I, 775—780.

37. *De vita et passione s. Canuti* Daniae regis et martyris (1080—86) scripsit Aelnothus Cantii in Anglia editus, monachus cantuariensis, quatuor quinquenniis et bis fere binis annis in Dania, ut ipse refert, commoratus, apud regem Nicolaum Canuti fratrem[2]). Hanc vitam notis illustratam primus vulgavit Haraldus Huitfeld, Hafniae 1602; 1631; historiae danicae suae subjecit Joannes Meursius Sorae 1631 et Hafniae 1657; Florentiae 1746 etc.; in actis SS. cum notis Solerii 10. Jul. III, 127-43. — *Vitam s. Wenefredae V. et M.* in Anglia († c. 660) descripsit Robertus abbas salopiensis (Shrewsbury), quam reperies in Act. SS. 3. Nov. I, 708—26; anglice 1635 in 12; 1712; 1713. — Bernaldus natione Gallicus, archidiaconus bracarensis in Lusitania, reliquit *vitam b. Geraldi* magistri sui et archiepiscopi bracarensis († 1110), quae edita est a Baluzio Miscell. III, 179—205. — Cartuito (Carthuithio, Hartwico) episcopo, alioquin satis ignoto juxta quosdam forte ratisbonensi 1105—1126, juxta alios vesprimensi), tribuitur *vita s. Stephani* Hungarorum

---

rat, sed satis obiter, *vitam s. Petri* de Chavanon CR. s. Aug. hujus abbatiae fundatoris († c. 1080), quam habes in Act. SS. 9. Sept. III, 472—479. Cf. Hist. lit. XI, 122—124.

[1]) Eodem fere tempore Gualbertus brugensis notarius scripsit *passionem Caroli comitis Flandriae*, quae continet notitias pretiosas pro historia culturae medii aevi. Ea reperitur in actis SS. 2. Mart. I, 179—219; Migne 165, 943—1046; Köpke in MG. XII, 561-619, mendose; gallice Parisiis 1891 ed. Henr. Pirenne, ed. accurata et critica, de qua tamen cf. Anal. bolland. 1892 XI, 188—197. — Cf. de utroque auctore Hist. lit. XI, 139-146. A nostro Galterio distingue Galterium (Gualterium) episcopum magolensem ex Insulis oppido Flandriae oriundum, qui scripsisse super Psalterium dicitur (sed erronee ut aliis videtur) a Trithemio de SE. n. 402 († 6. Dec. 1128), et Galterium, cujus supra meminimus (p. 42).

[2]) Haec vita non est Joannis de Collemedio canonici iprensis et archidiaconi morinensis, ut censet Hist. lit. XI, 146—148.

[3]) Cf. Anal. boll. II, 259 ss.

[1]) Cf. Act. SS. 2. Jun. I, 213 ss.

[2]) Cf. Fabricius I, 25; Hans Olrik Studien over Aelnods skrift om Knud den hellige in Historisk Tidsskrift de Copenhague ser. VI. t. IV (1892—1894), 205—291.

regis († 1038), quae saepe prodiit[1]), Cracoviae 1511; 1519; in Act. SS. 2. Sept. I, 562—75 cum eruditissimo Stiltingi commentario p. 456—562; cum hoc Cassoviae 1767; Budae 1836., ed. Jos. Podhradczky: Migne CLI, 1207—34 etc.

38. Praetermittimus David Scotum, quem Wirceburgi scholas regentem Henricus V. capellanum sibi assumpsit voluitque historiographum sui itineris romani seu expeditionis, quam a. 1110 suscepit adversus Paschalem II. Haec historia seu potius Panegyricus imperatoris ll. III comprehensus praeter pauca fragmenta periit. Dicitur David postea factus episcopus bangorensis (1120—1139). — Benedictum claudiocestrensem monachum, qui post a. 1120 scripsit *vitam s. Dubricii* archiepiscopi urbis Legionensis (430), quam habes apud Wharton Angliae s. II, 654—661. — Gualbertum (Walbertum) monachum marchianensem in Galloflandria OSB., qui c. a. 1128 collegit *Miraculorum s. Rictrudis* abbatissae († c. 688) *ll. 2* in Act. SS. 12. Maj. III, 418-440 et aliud reliquit scriptum de eadem sancta ib. 440-454. — Guilelmum Petrum bibliothecarium monasterii s. Aegidii in Valle Flaviniana (fl. 1120), qui collegit *miracula s. Aegidii,* quae ex parte habes in MG. XII, 316-323, reliqua in Anal. boll. IX (1890), 393-422. — Joannem OSB. monachum nonantulanum (fl. 1120), qui scripsit *vitam s. Fortunati* ep. fanensis († c. 620), quam habes in Ughelli It. sacrae I, 658—661; in Act. SS. 8. Jun. II, 106—112. — *Adelgorium* (Adelgotum, Adelgoz, Adalgotum) archiepiscopum magdeburgensem (1107), ab Henrico V depositum († 1119), cujus ep. a. 1110 pro auxilio adversus paganos (Slavos) sat pretiosam edidit Martene coll. I, 625. — Richardum episcopum Montis Corvini in Apulia (fl. 1130), qui scripsit *vitam s. Alberti* sui praedecessoris († 1127), quam expolivit luculentiore stilo Alexander Gerardini episcopus vulturariensis, qui translatus ad sedem s. Domingo obiit 1525.

39. *Historiae literariae* specimen dedit Sigebertus in Gallia belgica circa a. 1030 natus, qui juvenili aetate regulam s. Benedicti professus est in monasterio gemblacensi (Gembloux) in ditione leodiensi. Inde paulo post Mettas (Metz) transiit ad s. Vincentium Fulcuino abbate eum vocante, quia egregie erat institutus, ut scholas ibi regeret. Hoc munere diu functus, cum scribendo et docendo magnam sibi laudem acquisisset, ita ut ad eum audiendum multi undique accurrerent, »ut apis prudentissima ad alvearia sui monasterii regredi[1])« statuit, et c. a. 1071 Gemblacum redux, quod plurimum diligebat, iisdem ibi, quibus apud Mettenses, vacabat occupationibus. Totus legendo, scribendo, docendo deditus, cum rebus publicis judicandis aptissimus videretur, semper tamen ab hujusmodi negotiis agendis abstinuit, unice intentus internae monasterii sui saluti, pro quo ne senex quidem labores subire declinavit († 5. Oct. 1112). Magna apud omnes valuit auctoritate ob doctrinam, qua inter primos sui temporis claruit, et vel ipsis judaeis erat carus ob suam in literis hebraicis peritiam: sed dolendum quod steterit a partibus Henrici IV. contra Gregorium VII., Paschalem II. et Urbanum II. Hinc aliqua scripsit quae melius fuisset, si nunquam prodiissent[2]). Inter ejus opus-

[1]) Cf. Potthast Bibliotheca historica medii aevi p. 1584[2].

[1]) Ut ipse de abbate Olberto dicit in gestis gemblac.

[2]) Cf. Schüz in Comment. critico de scriptis et scriptoribus historicis p. 155: „Maximam profecto eruditionis ac doctrinae laudem merere poterat S., nisi sub schismaticorum signis militasset et Henricianis partibus adversus rom. pontifices Gregorium VII. et Paschalem II. ad procacissimam usque, ut Labbeus ait,

cula, tempore fere novissimum est *Chronographia* seu conspectus historiae universalis synchronisticus ab a. 381-1099; quam totam iterum revisit, correxit, auxit et ad 1111 usque deduxit: sed in ordine chronologico omnia triennio serius narrare solet, quam gesta sunt: quod tamen nonnemo scribis attribuit. Continuatores habuit plures quam ullus alius praeter Martinum Polonum. Primus (ad a. 1135) fuit Anselmus gemblacensis abbas (1113; † 1136), qui multa cum laude praefuit literarum amore morumque elegantia commendatus, ingenio quidem Sigeberto inferior, judicio fluctuans, sed tamen ob multa utilia quae tradit commendatione dignus[1]). Hunc secuti sunt aliquot continuatores anonymi, qui et additamenta subinde inseruerunt[2]). Prodiit haec chronica saepe, ut ed. Auberto Miraeo, Antverpiae 1608; optime et acuratissime cum continuationibus inter MG. SS. t. VI, 268-474, cura Bethmann et inde apud Migne t. CLX. Ea olim magni fiebat, sed modo ab eruditis non tanti fit. Etsi enim magnam prodit diligentiam et lectionis fructum, caret tamen accuratione chronologica et judicio critico. Liber *de scriptoribus ecclesiasticis* (171), ed. in bibliotheca ecclesiastica A. Miraei Antverpiae 1639 p. 131—58, et cum hujus scholiis in bibl. ecclesiastica Fabricii Hamburgi 1718, opus in quo succincte nimis de singulis agit, cujus meritum in eo est, quod saltem plurium scriptorum nomina operumque argumenta memoriae consignaverit, quae alioquin oblivioni fuissent tradita. *Gesta abbatum gemblacensium* (940—1050) inter MG. SS. VIII, 523—557 cur. Pertz, qui et continuationem usque ad a. 1136 auctore Godescalco exhibet; et *vita Wicberti* (Guiberti) fundatoris ecclesiae gemblacensis († 962), quae prodiit ib. p. 504—516; inter acta quoque SS. 23. Maj. V, 260-265. *Vitae Deoderici* ep. mettensis († 984), inter MG. IV, 461—83 ed. Pertz; *s. Sigeberti* regis conditoris ecclesiae et abbatiae s. Martini extra civitatem mettensem († 663), inter Act. SS. 1. Febr. I, 227—231. „*Vitas ss. Maclovi* († c. 565), *et Theodardi* († 668), prosequitur ipse de se in SE. c. 171, urbaniori stilo melioravi. *Vitam* quoque *s. Lantberti* cum in primis urbane meliorassem, postea ... defloravi comparationibus antiquorum juxta consequentiam rerum, quamvis priorem utpote simplicem quidam magis amplectantur et curiosius describant. Est enim sensu apertior et verbis clarior.“ Priorem sub falsa Reineri nomine edidit Chapeaville Gesta pont. tungr. I, 411; alteram defloratam Acta SS. Sept. V, 589. Antiqui vero isti sunt Moyses, Josue, David, Constantinus M., s. Benedictus. „Respondi Trevirensibus, ita iterum Sigebertus, *de jejunio quatuor temporum,* qui regulas cujusdem Bernonis (cf. Nomencl. I, 981) secundum allegoriam ut sibi videtur bene concinnatas observant et a consuetudine Leodicensium discordant.“ Responsio continetur duplici epistola, quae non est sine pretio pro historia hujus jejunii. „Descripsi heroico metro Ecclesiasten, quem opere stromateo tripliciter digessi, ad literam, allegorice,

---

infrunitae mentis audaciam editis etiam, quod ipse in l. de viris ill. inter opera sua absque rubore meminit, scriptis publicis adhaesisset“. Et postquam varia ejusdem errata notavit, subjicit: „Vitas SS. a Sigeberto conscriptas quod attinet, nec illae fidem ubique authenticam faciunt“ etc. Libellos ejusmodi praeter alias ed. habes in MG. lib. de lit. II, 437—464 ed. Sackur.

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belg. I, 328; Hist. lit. XI, 623—626. Continuatio haec reperitur in MG. SS. VI, 375—85. *Appendicem* a. 1113—60 adjecit Samson archiep. rhemensis († 1151), quam habes in Pistorii-Struve Scr. rer. Germ. I, 1015 s.

[2]) Cf. de his fuse et erudite disserentem Bethmann l. c.; Sigfr. Kirsch de vita et scriptis Sigiberti, Berolini 1841, l. juxta Bethmann doctissimae sedulitatis; Hist. lit. IX, 535—565; Wattenbach t. II, IV, § 22; Potthast p. 1016 ss.

mythologice«. Carmen ineditum Gemblaci viderunt Andreas et Miraeus; ubi jam sit nescitur. Aliud opus de temporum computatione ineditum adhuc latet. Alia quoque Sigeberto sed immerito tribuuntur, ut sermones (excepto sermone *in s. Luciam*), epistolae, vitae rom. pontificum, chronicon s. Vincentii met.; passio ss. undecim millium virginum. Hactenus edita reperies in Migne P. L. CLX, 9—832. Praeclaro quoque poemate celebravit *passionem sanctorum Thebaeorum*[1]), quod cum rarissima ejusdem *Passione s. Luciae V.* (inter Acta sincera s. Luciae V., Panormi 1758 p. 61—107) primum edidit egregie Dümmler in Abhandl. der k. Ak. der W. zu Berlin, phil. u. hist. Abtn. 1893 p. 1—125.

[1]) De quo cf. Pertz. Archiv XI, 1—17.

IV. Theologia practica.

40. Juverit paucis saltem pontificum[1]) hujus meminisse aetatis, cum gravissimis laboraverint difficultatibus et curis in componendis controversiis de *investitura* aliisque ad Ecclesiae regimen spectantibus negotiis. Urbano II. fatis functo (1099) electus est 13. Aug. Rainerius (Reginer) cardinalis, qui assumsit Paschalis II. nomen. Is Bledae in Tuscia ortus a puero in monasterio cluniacensi Deo se devovit. Necdum vicennio major ab abbate in monasterii causa Romam est missus et a Gregorio VII. cognita juvenis pietate et in rebus gerendis solertia ibidem retentus, postea ab eodem presbyter cardinalis est ordinatus: deinde vero abbas ad s. Paulum extra muros est electus. Tristissima incidit ejus pontificatus tempora: quatuor enim sibi invicem succedentes antipapas sustinere debuit, unde omnia schismate fuere turbata. Cum nollet Henrico V. Ecclesiae jura et investituram usurpanti cedere, ab eodem custodiae est traditus atque in ea per menses duos detentus. Tot vexationibus attritus et familiarium precibus motus coactus est, ut ipse fatetur »pro Ecclesiae pace et liberatione facere, quod ne paterer, vitam quoque cum sanguine profundere paratus eram.« Verum propterea incurrit multorum reprehensionem et concilium lateranense a. 1111 »privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere dici debet pravilegium« damnat irritumque pronunciat: quare et pontifex illud revocavit. Decessit[1]) summus pontifex 21. Jan. 1118. Ejus epistolas diligenter recenset Jaffé in Reg. pont. rom. I, 702—782 et II, 753 s., exhibent Labbe (107) coll. conc. X, 622—713, Migne CLXIII, 31-448. Inter eas, quae magnam solicitudinem pro bono et pace ecclesiam produnt, plures referuntur ad investituras, quas praesertim initio sui pontificatus graviter damnat; una est gravis et prudens Alexio imp. inscripta pro curanda unione ecclesiae graecae cum latina, cui tamen consilio nullus respondit effectus.

[1]) Pro Gregorio VII. hac aetate praeter alios, quos jam laudavimus, stetit Jarento Viennensis in monasterio cluniacensi institutus, post laxiorem vitam monachus exemplaris et abbas monasterii s. Benigni divionensis, quod reformavit († 12. Febr. 1112). Scripsit ad Theodericum II (cf. I, 1076 a) *epistolam*, qua eum ad constantiam in persecutionibus hortatur et Otbertum episcopum leodiensem schismaticum († 31. Jan. 1119) atris depingit coloribus. Habes eam ep. in Mabillonii annal. OSB. V, append. p. 669.

41. Paschali successit Gelasius II. (24. Jan. 1118), qui tamen jam post

[1]) Cf. Hist. lit. X, 216—251.

annum Cluniaci obiit (29. Jan. 1118). Ei mox ibidem suffectus est 2. Febr. Guido archiepiscopus viennensis nobilissima ortus stirpe, qui dictus est Calixtus II. Vir erat plane apostolicus, virtutibus clarus, qui pacem cum Henrico V. Ecclesiae infestissimo feliciter tandem composuit 8 Sept. 1122 per sic dictum „Pactum Calixtinum". Sollicitus admodum de pace et bono Ecclesiae ubique locorum decessit[1]) 13. Dec. 1124. Ejus epistolas et diplomata diligenter recenset Jaffé I, 780-821; II, 735; exhibent Migne CLXIII, 1090—1338; U. Robert Bullaire du p. Calixte II, Paris 1891 t. 2; opuscula supposita Migne ib. 1369—1415: ea sunt *Miracula s. Jacobi,* de quo opusculo at Trithemius de SE. n. 359: „Scripsit (illud Calixtus) expolito sermone et maxima diligentia; „*sermones IV* in s. Jacobum; *de obitu et vita sanctorum; Thesaurus pauperum,* qui tribuitur alioquin Joanni XXI, de quo infra loquemur; *Vita Jacobi* ep. primi tarentasiensis (sec. V) etc. — Callixtum excepit Honorius II. (1124 -13. Febr. 1130) antea Lambertus Fagnanus dictus, parentibus mediocris fortunae in comitatu bononiensi natus, qui merito eruditionis suae sub Paschali II cardinalis et episcopus ostiensis est creatus et a Calixto II electus, qui celebre iniret cum Henrico V. concordatum wormatiense. *Epistolas* recenset Jaffé I, 823—840; II, 755; edidit Migne CLXVI, 1215—1314; Liverani in Codice diplomatico e bollario di Onorio II, inter ejus opera IV, 91 ss., Macerata 1859, qui et t. III. exhibet ejus vitam inscriptam: Lamberto da Fiagnano. W. Schum ei asserit libellum pro Paschali apologeticum in cod. inscriptum *Disputatio* vel defensio quorundam catholicorum cardinalium contra quosdam insipientes vel schismaticos, imo haereticos, qui conabantur asserere, domnum papam P. (Paschalem) non debere papam vocari, quia Henricum imp. excommunicavit[1]).

42. Primus, qui praesertim juri canonico operam dederit hac aetate, est S. Ivo Carnotensis[2]) in agro bellovacensi natus c. a. 1040. Studiis vacavit in celebri beccensi monasterio sub magisterio Lanfranci, ubi et cum s. Anselmo condiscipulo perennem iniit amicitiam. Primum fuit canonicus nigellensis: postea vocatus a Guidone bellovacensi episcopo praeficitur (1078) praepositus seu abbas canonicis regularibus s. Quintini, quam canoniam extra urbis muros ipse episcopus condiderat. Ibi theologiam docuit et cum in canonibus esset versatissimus, quasdam constitutiones sodalibus dedit, unde pro canonicorum regularium institutore habetur. In locum Gaufridi ob simoniam dejecti episcopus carnotensis juxta monita summi pontificis Urbani II. a clero et populo eligitur et ab eodem etiam consecratur (24. Nov. 1090). Vir multarum virtutum et literarum plurimum illustravit suam ecclesiam, apostolico vigore restitit adulterinis nuptiis Philippi regis, a quo multa propterea est passus. Decessit 23. Dec. 1116; secundum alios 1117. Lucerna occidentalis orbis, decus, ornamentum ac fulgor gallicanae ecclesiae salutatur a Baronio. Et certe recondita ac praecellenti eruditione conspicuus, juris divini humanique scientia operibusque celeber, eximiis ac plane con-

[1]) Cf. Notitiam historicam praeviam in Migne CLXIII, 1073—1090. Marx KL. II, 1701—1705; U. Robert. Hist. du p. Calixte II., Parisiis 1891; Hist. lit. X, 505—536.

[1]) Cf. Brischar KL. VI², 257—60; Zöpffel Realenc. VIII³, 316 cum copiosa literatura; Liverani op. cit.; Schum Die Politik Papst Paschalis II gegen K. Heinrich V. im J. 1112, in Jahrb. der Akad. gemeinnütz. Wissensch. zu Erfurt (1877) Heft VIII.

[2]) Distingui hic debet a s. Ivone Helori pauperum patrono et advocato (n. 17. Oct. 1253; 19. Maj. 1303), de quo cf. KL. V, 1143.

sentaneis summo praesuli virtutibus ceteris regni praeluxit episcopis. Sanctis adnumeratur, sed quando fuerit canonizatus non constat. Pius V. canonicis regularibus indulsit festi ipsius 20. Maji celebrationem[1]). Maxime innotuit Ivo compilatione *Panormiae* tributae in pp. 8, quae est collectio canonum seu ex canonibus compendiosum decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur juristae. In eo Burchardum Wormatiae episcopum ita accurate secutus est, ut etiam ejus menda transcriberet, non secus ac ipse Burchardus menda Reginonis. Prodiit primum Basileae 1499; restitutum, correctum et emendatum opera et diligentia Melchioris a Vosmediano artium et s. theologiae doctoris, ut praefert titulus, Lovanii 1557. Longe copiosior est alia compilatio, quae inscribitur Ivonis *decretum* in 17 pp. distributum, quod edidit Jo. Molinaeus Lovanii 1561: sed de ejus genuinitate haud levis est controversia[2]). Pretiosae sunt Ivonis *epistolae* 292, quarum 285 edidit Petrus Pithou Parisiis 1585; cum annotationibus Fr. Jureti et Jo. B. Saucheti Parisiis 1610; epistolas ad investituram spectantes exhibet Sackur in MG. lib. de lit. II, 642—657; *Sermones* 24 de ecclesiasticis sacramentis et officiis ac praecipuis per annum festis, quorum 21 edidit Melch. Hittorp in divinis catholicae Ecclesiae officiis, Coloniae 1568 etc. Inter eos praecipuus est quintus[1]), quem ipse inscripsit *de convenientia veteris et novi sacrificii*, in quo artificiose nimis ostendit omnes missae caeremonias et ritus praefiguratos fuisse sacrificiis V. T. Tribuunt ipsi nonnulli *Micrologum*, de quo egimus I, 1037. *Chronicon de regibus Francorum* vel Historia Francorum brevis a Lothario Ludovici Pii filio — 1108, ab aliis tribuitur Hugoni floriacensi, ut supra diximus, et a Migne subjicitur Ivonis operibus (CLXII, 611—618). Habes haec omnia apud Migne CLXI; CLXII. Reliquisse ipsum et commentarium *in Psalmos* ineditum legitur. — Placidus coenobii nonantulani OSB. prior, dein (ignotae sedis) episcopus, insignem reliquit librum *de honore Ecclesiae* adversus Henricum V., in quo nihil aliud agit, quam ut magistratus laicos a sacrarum dignitatum et munerum collatione ac ordinatione quam longissime arceat persuadeatque, nihil secularibus principibus in Domini sanctuarium licere, quae modestia et integritas sanctissimis quibusque principibus cara et solemnis fuit[2]). Edide-

---

[1]) Cf. Gallia christ. nova VIII, 1126; vita ipsius praemissa operibus Migne CLXI, XVII—L; et altera Frontonis, qui ipsius opera edidit, ib. 11—28 et inter acta SS. 20. Mart. cum observationibus Henschenii; Kreutzwald KL. VI, 1144; Hist. lit. X, 102—147.

[2]) Cf. Michael a s. Joseph Bibliogr. crit. III, 157 ss., qui proposita quaestione, num collectio Ivonis praestantior sit decreto Gratiani allatisque auctoribus rationibusque pro et contra infert: „Haec certe probant Ivonis collectionem non solum utilem, verum etiam necessariam esse post collectionem Gratiani, ex hac autem plura commoda percipi posse, quae in illa desiderantur, facile quoque ostenditur“ etc. Cf. Theiner in sua diss. de decreto, quod Ivoni tribuitur, inter disquisitiones criticas in praecipuas canonum et decretalium collectiones, Romae 1836 p. 139 ss., etiam in Migne CLXI, XLIX—LXXXVIII; prae primis F. Fournier Yve de Chartres et le droit canonique in Revue des qq. hist. 63, 51—98; 384—405, dein seorsim Paris 1898, qua in diss. disputat de operum Ivonis momento atque auctoritate, qua valuerunt apud posteros canonistas. — Eodem fere tempore Gregorius presbyter romanus collectionem canonum concinnavit in ll. 8 distributam, quam *Polycarpi* titulo inscripsit. Ea nunquam videtur prodiisse, sed describitur a Balleriniis in l. de antiq. can. collect. p. IV c. 17; ejusque rubricae saltem exhibentur in Migne patrol. 163, 751—58.

[1]) Cf. Franz Die Messe im deutschen MA. p. 429—431.

[2]) Cf. Kayser Placidus v. N. de honore Ecclesiae. Ein Beitrag zur Gesch. des

runt illum primus Pez in thes. anecd. noviss. II, 2, 73—180; inde Migne CLXIII, 615—690; Loth. de Heinemann et E. Sackur in MG. hist. libelli de lite II, 568—639.

43. De *liturgia* meruit praeter Ivonem beatus Odo (Odoardus, Oudart) domo Aurelianensis, qui publice literas in urbe tullensi, dein (1087) Tornaci per quinquennium magna cum laude et discipulorum frequentia docuit. Forte accidit ut Boëtii l. de consolatione philosophiae discipulis praelegeret; ubi vero ad l. 4., in quo de libero arbitrio agitur, pervenisset, recordatus l. s. Augustini de libero arbitrio, quem duos ante menses emerat, sed legere praelectione Platonis neglexerat, eum afferri jussit, si quid forte in eo hac de re observatione dignum reperiret. Tum lectis duabus tribusve pagellis, sic ea lectione affectus est, ut protinus convocatis discipulis: „Vere, inquit, hactenus ignoravi, quantae facundiae et doctrinae esset Augustinus", moxque librum ipsum a capite exorsus discipulis legit et explanavit. Cum vero ad l. 3. pervenisset, in quo s. doctor miseram exponit peccatorum conditionem, qui mundum fetidae cloacae similem coelesti gloriae anteponunt, prae intimo dolore alta suspiria ex imo pectoris trahens, „Heu, inquit, quam stricte ista nos tangit premitque sententia, qui omnia studia nostra in vanae scientiae acquisitionem conferimus, divini cultus omnino immemores et coelestis gloriae, ea post mortem indigni futuri." Quibus dictis surrexit totusque lacrymis perfusus ecclesiam ingressus est. Exinde totus mutatus precibus, jejuniis, eleemosynis se dedit, cumque aliquot clericis Deo se ex corde dicare statuit. Accepta ab episcopo s. Martini ecclesiola vitam ibidem religiosam sub regula s. Augustini professus est[1]), eique monasterio primus abbas praefuit. Electus est a. 1105 episcopus cameracensis, sed nolens ab Henrico IV. accipere investituram, inde ejectus est: restitutus ab Henrico V. 1106; sed ab eodem ob eandem causam iterum expellitur decessitque[2]), exsul in acquicinctiensi monasterio 19. Jun. 1113. Ejus opera collecta prodierunt in bibl. PP. colon. t. XII; lugd. XXI; in patrol. Migne CLX, 1053—1160. Potiora sunt: *Expositio in canonem missae,* simplex, utilis, non allegorica[3]): *de peccato originali ll. 3,* philosophica disputatio, in qua plura sagaciter dicta reperiuntur; disp. succincta contra judaeum Leonem Nomin *de adventu Christi* Filii Dei; *de blasphemia in Spiritum s.; de canonibus Evangeliorum,* in quibus scil. exhibet quae evangelistae omnes, vel tres vel duo tractant, quaeque seorsim singuli.

44. Joannes OSB. probabiliter monasterii epternacensis (fl. f. c. 1136) disseruit in ep. apud Martene ampl. coll. I, 711—716 de tribus missis, quae in festo nativitatis D. celebrantur. — Drogo ex monacho benedictino monasterii niscasiani apud Remenses[4]), prior et abbas laudunensis, dein episcopus ostiensis et cardinalis (1131-38) scripsit *de divinis officiis* seu horis canonicis; *de septem donis s. Spiritus,*

Investiturstr., Kiel 1888, quae diss. tamen non omnibus arrisit.

[1]) Cf. Heribertus in l. de restaur. abbatiae s. Mart. turon. in D'Acherii Spicil. XII, 398 ss.

[2]) Cf. Ziegelbauer hist. rei lit. OSB. III c. 3 § 1; Mabillon in Annal. bened. V, 299; Hist. lit. de Fr. IX, 583—606; A. Auger Biogr. nat. de Belg. 16, 75—78; KL. IX, 695. Ejus vitam moresque descripsit Amandus de Castello, canonicus tornacensis prior aquicinctinus (Anchin); denique abbas marchionensis (Marchiennes) OSB. in ep. *de obitu Odonis* in Belgica christiana Arn. Raissii, Duaci 1634; in actis SS. 19. Jun. et in MG. SS. XV, 2, 942—45. Decessit Amandus 1133. Cf. Hist. lit. XI, 211—213.

[3]) Cf. Thalhofer l. c. p. 83.

[4]) Cf. Hist. lit. XI, 699—702.

de sacramento dominicae passionis; *de creatione* et redemptione primi hominis; quae prostant in bibl. lugd. XXI, 329 ss.; in patrol Migne CLXVI, 1515-64. — Stephanus de Balgiaco (de Baugé) augustodunensis episcopus (1112-36), hac dignitate se abdicavit, in cluniacense monasterium se recepit ibique diem suum obiit 1139 vel 1140. De ejus morte ita scribit Petrus ven. l. V. ep. 6: „Venerabilis et cum honore nominandus Stephanus aeduensis episcopus . . . spretis parentibus, nobilitate, fastu, divitiis, ipsis etiam episcopatus infulis, pauperem Christum pauper secutus est et in sancta devotione toto mentis affectu perdurans atque inter manus meas Deo spiritum reddens cum veneratione tanto sacerdoti congrua tam a me quam a fratribus Cluniaci conditus est“[1]) etc. Ejus l. *de sacramento altaris* et de iis, quae ad varios Ecclesiae ministros ab inferioribus usque ad episcopum pertinent, primum a Jo. de Montalon canonico augustodunensi 1517 fuit editus receptusque in varias bibliothecas patrum, etiam a Migne in patrol. LXXII, 1271—1308. Complectitur haec nitida institutio ascetico-liturgica etiam duplicem canonis explicationem literalem et allegoricam. Occurrit in eo jam vox *transubstantiare*. — Huc referri potest et Gilbertus abbas bangorensis, dein episcopus limiriciensis seu lunicensis (1106—1139), dictus et legatus apostolicus, qui primas partes habuit in magna et celebri synodo habita 1110 in Fiadhmac-Aengussa (seu Rathbreasail). Scripsit ad clerum Hiberniae ep. *de usu ecclesiastico*, in qua eum rigide hortatur ad abrogandos abusus reformandosque ritus ad normam ritus romani. In libello *de statu Ecclesiae* hujus organismum describit disseritque de juribus et officiis graduum Hierarchiae[2]). Habes ea in Migne CLIX, 995—1004. Anno 1139 sedi suae renunciavit, et non diu postea obiit. — De Galonis episcopi parisiensis († 23. Febr. 1116) ep. de recitando officio divino cf. Hist. lit. X, 94—101. — Beroldus mediolanensis ecclesiae cicendelarius et custos c. a. 1123 floruit magnique est nominis apud ambrosiani ritus cultores. Stilo brevi, conciso et nitido librum scripsit, qui ab auctoris nomine *Beroldus* communiter appellatur, ubi quidquid viderat aut audierat et scriptum reperererat de ritu, caeremoniis et praerogativis ecclesiae mediolanensis, collegit. Hinc rubricarum est manuale et unicum in suo genere directorium. Postquam fructus ipsius diligentiae diu manserunt manuscripti, illius opus edidit sed valde imperfecte Muratori Antiq. IV. diss. 57 p. 861—932; demum nostra aetate prodiit Beroldus sive *ecclesiae ambrosianae mediolanensis Kalendarium* et ordines sec. XII. ex cod. ambrosiano ed. Dr. M. Magistretti v. cap. rr. beneficiato, ss. caeremoniarum metropolitanae mediolanensis praefecto, Mediolani 1894, additionibus et observationibus eruditis editoris egregie illustratus[1]), editio accurata. — Benedictus Romae ecclesiae s. Petri canonicus scripsit *de ecclesiastico ordine* totius anni et praecipue apostolicae dignitatis et totius curiae, quem inter alios libros de ritibus Ecclesiae romanae vulgavit Mabillon Musei italici II, 118—64; Migne CLXXIX, 731—62.

45. Sicut in theologia scholastica eminet s. Anselmus ut ejus velut parens habeatur, ita in *mystica* hac periodo Hugo a s. Victore, qui[2]) quidem

[1]) Cf. Hist. lit. XI, 710—714.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. I, 525 s.

[1]) Cf. Lit. Handw. 1893 c. 750; Argelati bibl. med. I, 2, 144, qui diligenter ejus opera mscr. (19) recenset; Ambr. Kienle Stud. und Mitth. aus d. Bened. O. 1885, VI, 276—304.

[2]) Alius Hugo hac aetate inclaruit, sed non tam a libris scriptis quam a gestis praeclaris, Hugo scil. cluniacen-

omnibus fere disciplinis ob insignem eruditionem et opera plurima addici potest. Quo magis tamen innotuit suis libris, eo minus constat de ejus patria et reliqua vita. Alii Gallum, Flandrum alii ex ditione yprensi, alii et quidem probabilius Saxonem dicunt ex nobili familia comitum de Blankenburg. Natus est circa a. 1096 vel 1097: juvenis Parisios venit (c. 1115), ubi congregationi canonicorum regularium s. Victoris se adjunxit totusque virtuti, studio, edendis libris vixit tanti factus, ut „alter Augustinus“ „lingua Augustini“ salutaretur, quia versatissimus erat in ejusdem operibus. Quo anno obierit, non una est eruditorum sententia. Praeferenda ea est, quae eum statuit[1]) decesisse in flore aetatis 11. Febr. 1141 (1142). Belle de eo scripsit Jac. de Vitriaco Hist. occid. l. II c. 24: „Inter canonicos s. Victoris nominatissimus et praecipuus exstitit citharista Domini, organum Spiritus s. M. Hugo de s. Victore dictus, qui malagranata tintinnabulis conjungens exemplo sanctae conversationis multos ad honestatem incitavit, et melliflua doctrina ad scientiam erudivit; multos autem aquarum viventium puteos effodiens libris suis, quos de fide et moribus tam subtiliter quam suaviter disserendo edidit, incerta et occulta sapientiae pluribus aperuit, immortalem sui gloriam veluti compositionem odoris et opus pigmentarii et in omnium ore quasi mel dulcoratum velut musicum in convivio vini, et tamquam naves poma ferentes posteris relinquendo.

46. Doctrinam, quam praesertim ex s. Augustini operibus hausit, in plurima diffudit opera, quorum potiora sunt: *De Scripturis et scriptoribus sacris* praenotatiunculae (Migne CLXXV, 9—28), in quibus introductionem quandam in singulares libros sacros tradit; *annotationes elucidatoriae* (breves) in Pentateuchon, in l. Judicum, in ll. Regum (ib. 29—114), in quibus fere solum sensum literalem exhibet; in Salomonis Ecclesiasten *homiliae 19* (ib. 113-256); in his practico potius quam scientifico modo textum explicat; *annotatiunculae elucidatoriae* (prolixiores) in Threnos Jeremiae secundum multiplicem sensum, in Joelem prophetam (255-372); *expositio moralis* in Abdiam (371-406); *de quinque septenis* seu septenariis (in s. Scriptura) opusculum scil. de septem vitiis, petitionibus orationis dominicae, donis Spiritus s., virtutibus et beati-

---

sis (I), ab illis dictus „Magnus“. Nobili progenie ortus a. 1024, puer 14 a. induit in celeberrimo tunc temporis monasterio cluniacensi vestem s. Benedicti. Juvenis a. 18 ordinatus est diaconus, brevi post electus in magnum priorem et a. natus 25 in abbatem ob insignes plane animi dotes (1049). Annos 60 praefuit monasterio illudque ad summum promovit splendorem, adeo ut innumera omnium regionum monasteria virtutum disciplinaeque religiosae fama attracta eidem subjicerentur vel aggregarentur. Ingens erat ejus auctoritas apud populos, principes, reges et imperatores, episcopos et pontifices, qua in bonum Ecclesiae fructuose est usus. Decessit in odore sanctitatis 29 Apr. 1109; jam 6 Jan. 1120 a Calixto II. sanctis adnumeratus. Supersunt paucae *epistolae* ex multis, quae perierunt, et breviora quaedam scripta (Migne CLIX, 845-956). Cf. Hist. lit. IX, 465—487; Baeumer OSB. KL. VI, 372—382; A. B. Huillier Vie de S. H. Solesmes 1888; ejus vita a Hildeberto cenom. scripta (supra p. 19); Potthast p. 1379. — De alio ordinis religiosi hac periodo sidere S. Stephano de Mureto (loco, ubi primum vitam eremiticam egit) ordinis grandimontensis fundatore († 1124) cf. Hist. lit. X, 410—425. Ejus *regula* prodiit Divione 1645; Rotomagi 1671; *instructiones et consilia* ab ipsius discipulis collectae, Parisiis 1704. 1707, substantiam, si spectes, ipsius videntur esse.

[1]) Cf. ep. Osberti valetudinarii praefecti, qui ipsi astitit, de ejus morte ex-

---

emplari in Hugonis vita ed. op. 1648 praefixa (Migne 175, CLXI ss.). Cf. Elogia ibid. p. CLIII ss. S. Thomas 2. 2. q. 5 a. 1. ad 1. allatis quaedam Hugonis verbis subjicit: „Quamvis dicta H. a s. Victore magistralia sint et robur auctoritatis habeant etc“.

tudinibus (405—414). *Explanatio* (allegorica et tropologica) in canticum b. Mariae (Luc. 1, 46—55 p. 413—432); *quaestiones et decisiones* in epistolas s. Pauli (431-634); quae tamen auctori nostro ab Hauréau, Denifle etc. abjudicantur, et cuidam discipulo Hugonis tribuuntur; pro genuinitate tamen stant Hist. lit. de la Fr.; Kilgenstein etc. *Posteriorum*[1]) *excerptionum ll. 20* continentes utriusque Testamenti allegorias, opus magna ex parte dubium. Ob hos in s. Scripturam labores Cornely Hugonem melioribus interpretibus adnumerat[2]): sagacitas tamen ingenii auctoris nostri in suis scriptis se minus prodit. — Commentariorum *in hierarchiam coelestem* s. Dionysii Areopagitae secundum interpretationem Jo. Scoti ll. 10 (923-1154). — Sequuntur jam opera dogmatica: *Institutiones* in decalogum legis dominicae (Migne CLXXVI, 9—18), quasi introductio ad sequens opus; de sacramentis legis naturalis et scriptae *dialogus* (17—42); *summa sententiarum* (in primis s. Augustini) in 7 tr. distincta (p. 41—174), in qua agitur de virtutibus theologicis, de Trinitate et incarnatione, de creatione et angelis, de statu naturae humanae, de sacramentis, compendium proinde theologiae, de cujus genuinitate Denifle vir in discernendis veteribus codicibus si quis sagacissimus[3]) dubitat. P. 7. *de sacramento conjugii* saltem videtur esse alterius. *De sacramentis christianae fidei* (p. 173-618), quo in opere prolixiori l. 1. narrationis et disputationis seriem deducit a principio mundi usque ad incarnationem Verbi; in l. 2 (pp. 18) ab incarnatione Verbi usque ad finem et consummationem omnium ordine procedit: quibus duobus ll., qui duobus respondent Testamentis, s. Scripturae theologiam exhibet[1]). Hoc praecipuum est auctoris nostri opus insignis sagacitatis, cujus magna fuit auctoritas penes posteros theologos. — *Eruditionis didascalicae ll. 7*, quibus exhibet quandam veluti encyclopaediam et methodologiam, introductionem ad studium s. Scripturae et modum quo ex rerum visibilium consideratione ad invisibilis etiam divinae Trinitatis agnitionem assurgere possimus (p. 739—838). Libellus *de potestate et voluntate Dei* utra major sit (839—842); *de quatuor voluntatibus* in Christo libellus (p. 842-846); *de sapientia animae Christi*, an aequalis cum divina fuerit (p. 845—857); *de b. Mariae virginitate* libellus epistolaris, in quo respondet cuidam b. V. Mariae cum derogatione obloquenti, quod Virgo virginum diceretur (857—876); *de unione corporis et spiritus* (CLXXVII, 285-295). — Ad theologiam mysticam, quam plu-

[1]) *Excerptionum priorum ll. 10* (Migne CLXXVII, 193—285) agunt de origine et discretione artium; de situ terrarum, et a l. 4 exhibent summam historiarum usque ad tempora sua.

[2]) Introd. in V. T. libros sacros diss. 3. c. 4 § 14.

[3]) Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters III, 634—40. Ceterum et A. Mignon eas tribuit ipsi Lombardo tamquam specimen operis sui majoris. Cf. Revue des sciences ecclés. 1890 II, 524 ss.

[1]) Occasione duplicis hujus operis censet Scheeben Handb. der kath. Dogm. I. n. 1042: Wenn Hugo an Schärfe hinter St. Anselm, an Tiefe hinter seinem späteren Mitbruder Richard zurücksteht, so bezeichnet er doch durch seine sinnige Einfachheit einen hohen Grad theologischer Cultur und kann jetzt noch für Anfänger als Führer in der Theologie des hl. Augustin dienen. Laforet Coup d'oeil sur l'hist. de la théol. dogm., Lovanii 1851, pag. 59: Hugues demeure à notre avis un théologien du premier ordre. Son Traité des sacrements, surtout, est une mine fort riche pour la science théologique; il renferme une foule d'aperçus très profonds sur un grand nombre de dogmes; et il serait à désirer que cet ouvrage fût moins oublié des hommes qui font une étude spéciale de la dogmatique. La diction de Hugues est claire, aisée, coulant et l'on ne recontre point chez lui cet attirail de divisions, de subdivisions, d'objections et de réponses etc.

rimum promovit[1]), spectant inter alia: *De arca Noe morali* ll. 4 (CXXVI, 678—681); *de arca Noe mystica* (681-704); *de vanitate mundi* et rerum transeuntium usu ll. 4 in forma dialogi (703—740); *de institutione novitiorum* (925—951); Soliloquium *de arrha animae* (951—970); *de laude caritatis* (969—976), *de modo orandi* (977—984); *de modo dicendi et meditandi* (875—881); *de fructibus carnis et spiritus* 997-1006); *de contemplatione* et ejus speciebus; *de modo meditandi* seu de meditandi artificio (993—998); de amore sponsi ad sponsam (p. 987-994) etc. Tres tantum supersunt *epistolae* (p. 1011—1018). — Plurima opuscula, quae ipsi tribuuntur, sunt dubia vel spuria: ut *chronica* (exilis sed magno in usu) pontificum et imperatorum[2]) ad a. 1135 in MG. SS. XXIV, 88—101 cum continuationibus variis; *de Verbo incarnato* collationes tres (315—324); *de filia Jephte* (323-334); speculum *de mysteriis Ecclesiae* (335—380), *miscellanea,* quae complectuntur ll. VII elucidationes varias in s. Scripturam sane ex operibus Hugonis excerptas (469—901); vel *sermones* sermonumque fragmenta C (899-1210) etc. Opera ejus collecta saepius prodierunt[3]), in primis Rotomagi 1648 cura canonicorum reg. s. Victoris (m. 90); et in patrol. Migne CLXXV—CLXXVII.

47. Denique addere licet Godefridum (Geoffroi) Belgam, episcopum bathensem († 1135), qui forte idem est cum Godefrido Babion, scholae andegavensis quondam rectore, cujus juxta Morin Revue bénédictine X (1893), 28—36 plures sunt *sermones,* quos inter sermones s. Augustini edidit Caillau Parisiis 1836—1839. — Gibelinum archiepiscopum arelatensem (1090), quem Paschalis II. legatum Hierosolymas misit, ubi electus est patriarcha (1107; † 1112), cujus exstat praeclara ad clerum arelatensem *ep. exhortatoria* de eligendo digno praesule (apud Baronium ad a. 1107 § 18, et in hist. pontif. arel. ed. Saxio Aquis sextiis 1629 pag. 217). — Bernardum natione Gallum OSB. in monasterio cluniacensi, quem Hugo abbas misit in Hispaniam ad reformandum s. Facundi coenobium, unde ad regendam cathedram toletanae urbis a. 1085 expugnatae omnium approbatione ascendit († 1124, juxta alios 1122 vel 1125 vel 1126). Huic immerito juxta Nic. Antonium bibl. vet. hisp. l. VII c. 3 n. 63 tribuuntur *sermones IV* super Salve Regina (inter op. supposita s. Bernardi Migne CLXXXIV, 1059-1078) et alter super Magnificat[2]). — S. Otto e nobili familia de Mistelbach, Henrici IV. capellanus, imo aliquamdiu (1102) imperii cancellarius, demum episcopus bam-

[1]) Bringmann KL.[2] 6, 393: Wie von Anselm die Scholastik, so wurde von Hugo die Mystik um ein Bedeutendes gefördert. So bewährte in Hugo der lebenskräftige christliche Geist auch auf dem Boden der Mystik seine innere Fruchtbarkeit und Fortschrittsfähigkeit. Und eben weil die gesammte Geistesarbeit Hugo's von dem mystischen Lebenselemente durchdrungen und belebt ist, darum liegt auch in den Schriften dieses Mannes etwas so Anziehendes und Hinreissendes, daß durch die Lektüre derselben Verstand und Gemüth wahrhaft bezaubert werden.

[2]) Cf. Potthast I, 238. Prodierunt tantum *tabulae chronologicae* ad a. 1135; pars prior ab Adamo ad Christum mansit inedita.

[1]) Cf. praeter auctores jam citatos Hist. littér. de France XII, 1—72; prolegomena varia ed. Migne t. CLXXV; Stöckl Geschichte der Philos. des Mittelalters; Schwane Dogmengeschichte der mittlern Zeit p. 30 ss.; Hauréau les oeuvres de Hugues de St. V., essai critique, Parisiis 1893; Feret I, 8—11; 110—118; A. Mignon Les origines de la Scholastique et Hugue de St. V., Paris 1895 t. 2; J. Kilgenstein die Gotteslehre Hugos von St. V., Würzburg 1898; Zöckler Realenc. VIII,[3] 436—445.

[2]) Cf. Hist. lit. XI. 56—64.

bergensis fuit (1102—1139), vitae sanctitate et laboribus apostolicis magis quam scriptis celeber, colitur enim inter sanctos (2. Jul.) et Pomeranorum salutatur apostolus. Multa in sua dioecesi condidit monasteria, alia reformavit, scholam cathedralem ad pristinum revocavit splendorem. Bis in Pomeraniam excurrit (1124 et 1128), ut genti illi Christi annunciaret Evangelium, multos illius incolas ad veram adduxit fidem († 20. Oct. 1139). Reliquit[1]) plures *epistolas,* necnon et *sermonem* ad novam ecclesiam Pirissae in Pomerania a se 1124 fundatam, propterea memorabilem, quod in eo disserte septem mentionem faciat sacramentorum brevemque de singulis institutionem tradat (Migne CLXXIII, 1313-1360). Reliquit alios breves sermones (38), qui manserunt inediti.

48. Denique praetermittendus non est Theophanes Kerameus, sub cujus nomine Fr. Scorso SJ. edidit *Homilias* (LXII) in Evangelia domenicalia et festa totius anni graece et latine, notis illustratas; iterum cura Gregorii Palamas, Hierosolymis 1860; Migne P. G. CXXXIII, 136—1077, quae non carent pretio. Verum haud facilis est controversia de earum auctore, cum in codd. msc. aliis atque aliis tribuantur, qui omnes Κεραμεύς cognominantur. Lancia di Brolo Storia della Chiesa in Sicilia, Palermo 1884 II, 459-492 eas tribuit Theophani Kerameus archiepiscopo rossanensi, qui floruit sec. XII; Batiffol earum partem tribuit Joanni Philagathos monacho, discipulo Bartholomaei abbatis in Calabria, (in op. l'abbaye de Rossano, Paris 1891 p. XXXI, 36. 56. Cf. Ehrhard apud Krumbacher Gesch. der byz. Lit. ed. 2 p. 172.

[1]) Cf. plura de eo in vitis auctoribus Ebone et Herbordo in Act. SS 2. Jul. I, 309-410, aliorumque, quos diligenter recenset Potthast p. 1504 s.; Ussermann in Episcopatu bamb., typis Sanblasianis 1802, cujus vitam exhibet Migne CLXXIII, 1267—1314; Weber KL.[2] IX, 1175—1183.

II.

Theologi a. 1142—1170.

I. Theologia scholastica.

49. Initium sumimus et in hac periodo a doctore Ecclesiae, cui sane inter theologos hujus periodi primus debetur locus. Is est s. Bernardus, vir si quis unquam potens sermone et opere, quem Pius VIII. universalis Ecclesiae doctorem declaravit, et pia grataque posteritas „doctorem *mellifluum*[1]“ salutat. Natus est Bernardus nobilibus parentibus in arce Fontaines prope Divionem 1091. Adolescens a. 21. devictis mundi blanditiis cum 30 cognatis et amicis, quos fervida sua eloquentia secum traxit, ingressus est monasterium Cistercii (Cisteaux) vix conditum (1112—13). Celeres fecit in omni virtute progressus, ut jam post triennium constitueretur abbas tertiae Cistercii filiae i. e. monasterii claraevallensis (1115). Solis instar eluxit, sanctitatis, eloquentiae, doctrinae coelitus haustae fama plurimos undique ad vitae religiosae professionem attraxit, monasticae observantiae rigorem et vigorem ubique restauravit et promovit, vivens 72 monasteria condidit vel ordini aggregavit, auctoritate valuit apud fideles, potentes hujus seculi, episcopos et ipsos summos pontifices, Innocentium II. et Eugenium III., ejus quondam discipulum, quibus erat a consilio et quorum causam potentissime juvit; in debellandis haereticis et schismaticis magnam habuit partem, populos ad gerendum bellum sacrum sermonibus eloquentibus succendit. Vix erat negotium ad Ecclesiam spectans, in quo feliciter componendo ipse, aliorum precibus vel necessitatibus excitus, non fuerit sollicitus. Occubuit florentissimum ordinis cisterciensis decus 20. Aug. 1153 ab Alexandro III. inter sanctos relatus. Abstinemus a referendis elogiis, quibus a scriptoribus omnis aetatis, nationis, conditionis, etiam a protestantibus[1]), fuit celebratus, aliis mirantibus ejus sanctitatem, aliis zelum et sollicitudinem pro bono Ecclesiae universalis, aliis eloquentiam mellifluam scribendique artem, qua apis

[1]) Melliflui adjectivum s. doctori asseruit (non primus tribuit) Theoph. Raynaudus l. singulari, qui *Apis gallicana* inscribitur.

[1]) Cf. ex. gr. S. M. Deutsch Realencyclop. II², 623—638.

instar sagacis ex s. Scripturae verbis artificiosissime composuerit libros et sermones, qui dictionis suavitate, candore, unctione lectoris rapiunt animum[1]). Hinc saepissime ejus prodierunt *opera* et opuscula sive seorsim sive collectim[2]). Inter operum omnium editiones eminet illa, quam curavit doctissimus Mabillon Parisiis 1667 t. 6 in 2 vol.; 1690, cui ultimam manum apposuerunt Ren. Massuet et Franc. Le Texier, Parisiis 1719 t. 2 in f. (cf. II², 837), quam recudit Migne t. CLXXXII—CLXXXV.

50. Ex ejus scriptis prae ceteris memoria digna sunt: *Epistolae* (c. 444) pretiosissimae[1]), quarum multae sunt dogmaticae vel asceticae vel historicae; *de consideratione ll. 5* ad Eugenium III. (Migne CLXXXII, 757—808), libellus plane aureus, de quo Mabillon: „Si argumenti et personae dignitatem spectes, nihil generosius; si modum tractandi nihil sublimius; si stili majestatem et sententiarum gravitatem, nihil eloquentius et fortius; si denique dictorum puritatem et inhaerentem ss. canonibus disciplinam, nihil catholico doctori et ss. patri convenientius.“ Hinc illum ob suam praestantiam inter opuscula ss. patrum selecta t. XLVII. recudimus Oeniponte 1885. *De moribus et officio episcoporum* tractatus seu ep. 42. ad Henricum archiep. senonensem (p. 809—834); *de conversione* ad clericos, sermo gravis et patheticus contra clericos, qui Ecclesiae dignitates ambiunt et ad sacros ordines temere accedunt (833—856); *de praecepto et dispensatione* ad monachos carnotenses (859—894); *Apologia* ad Guilelmum s. Theoderici ab. (895—918), in qua sodalesque ab accusationibus tuetur ac si despicerent cluniacenses: quasdam tamen horum redarguit superfluitates. Ea magnam Bernardo invidiam conflavit. *De laude novae militiae* ad milites templi l., 921—940), pro quibus primas condidisse regulas creditur[2]). *De*

[1]) Cf. plura de s. Bernardo in Xeniis bernardinis mox citandis; in Hist. lit. XIII, 129—235, ubi accuratissime agitur de ed. opp.; in proleg. ed. op. a Mabillon curatae, etiam in patrol. Migne, praesertim t. CLXXXV, ubi habes p. 643—944 accuratum commentarium Pinii ex Act. SS. Aug. IV, 101 ss.; Capefigue s. Bernard ... et les abbayes de Cluny et de Citeaux; Vacandard vie etc., Parisiis 1895 t. 2; Janauschek KL.² 2, 414—28; Hüffer hist. Jahrb. 1884, 576—624; 1885, 73—91; 232—270; ejusdem auctoris op. inchoatum der hl. Bernhard von Clairvaux, Münster 1886, t. 1. et hujus apologia hist. Jahrb. 1889, 480—490; et diss. ib. 1889, 23—46; 748—807. Plures etiam ex aequalibus vel supparibus Bernardi de eo scripserunt. Praeter eos quos data occasione laudabimus, Joannes Eremita circa a. 1180 reliquit *de vita* s. Bernardi ll. 2, quos edidit Fr. P. Chiflet in genere illustri s. Bernardi asserto, Divione 1660 p. 97—131, atque inde in edit. mabillonianis opp. s. Bernardi; Migne l. c. 531—50. Cf. de his et aliis s. Bernardi vitis, deque literatura circa s. Bernardum Potthast p. 1206 ss.

[2]) *Bernhardinum* sive flores ex s. Bernhardi operibus collegit circa a. 1240 Guilelmus OSB. s. Martini tornacensis, Parisiis 1499; Lugduni 1556 sine auctoris nomine, quod restituit Mabillon Analectorum I, 132 ed. 2. — *Medullam* operum omnium s. Bernardi exhibet Phil. Jac. Steyrer OSB. Friburgi 1779. Cf. Nomencl. III², 343.

[1]) Usus est s. vir in scribendis suis literis opera Nicolai monachi cluniacensis prius, dein claraevallensis, qui tamen falsarius repertus est et propter furtivas subreptiones munere privatus et monasterio ejectus. Factus est sodalis monasterii arremarensi (Moutier-Ramey). Gratiam promeruit Alexandri III, pro quo stetit, vixitque saltem ad a. 1176. Reliquit *epistolas* LV, quas habes in bibl. PP. variis, ita in lugd. XXI, 517—553; Migne CXCVI, 1589—1653; *Sermones* in Tissier bibl. cist. III, 193; inter sermones Petri Damiani Migne CXLIV, et passim inter s. Bernardi op. Migne CLXXXIV, 827—850; 1049—1060. Plura de eo cf. in Hist. lit. XIII, 553—568; in praef. op. s. Bernardi p. 2 apud Migne CLXXXIII, 26-34.

[2]) Plures tamen negant regulas illas esse s. Bernardi, sed eas potius tribuunt

gradibus humilitatis et superbiae tr. (941—972) primum s. Bernardi scriptum c. a. 1021; *de diligendo Deo* (973—1000) l. lectu dignus, a Berengario Abaelardi discipulo temere sugillatus, in quo divini amoris modum, causas, originem, gradus et obligationem accurate et pathetice describit; *de gratia et libero arbitrio* tr. (CLXXXII, 1001-1030); ad Hugonem de s. Victore epistola seu tr. *de baptismo* aliisque quaestionibus ab ipso propositis (1031-1046); *contra quaedam capitula* (14) *errorum* Abaelardi[1]) ep. 190 seu tr. ad Innocentium II. (1053—1072); l. *de vita et rebus gestis* s. Malachiae[2]) Hiberniae ep. († 2. Nov. 1148) magna pietate conscriptus (1072—1118). — Sequuntur t. CLXXXIII *sermones* egregii[3]), unctione pleni, inter quos vere eminet neque satis commendari possunt homiliae 4 de laudibus V. Matris[1]) super verba Evangelii *Missus est angelus Gabriel* etc. (Luc. 1, 26 ss.), quas recudimus cum duobus aliis sermonibus praeclaris de b. Maria V. inter opusc. selecta ss. PP. XII, 53—196 Oeniponte 1870; 1894 ed. 2; et sermones 86 *in Cantica canticorum* (usque ad 3, 1), quos reperies inter opuscula selecta ss. PP. t. V. ser. II., ib.

---

cuidam Joanni Michaellensi, qui synodo trecensi a. 1128 interfuit secretarii munere. Cf. Hist. lit. XI, 66—70. Nova accurataque disquisitione instituta ad aliam conclusionem pervenit Schnürer, quem cf. in diss. Die ursprüngliche Tempelregel kritisch untersucht und herausgegeben in Studien und Darstell. aus dem Gebiet der Gesch., Freiburg III (1903).

[1]) Cf. diss. accuratam W. Meyer Die Anklagesätze des h. Bernhard gegen Abälard in Nachr. von der k. Ges. der Wiss. zu Göttingen. Philol.-hist. KL. 1898 fasc. 4 p. 397—468.

[2]) Cf. de hoc sancto, cui tribuuntur, sed immerito, nota de futuris rom. pontificibus vaticinia O'Hanlon Life of s. Malachi O'Morgair cum additionibus eruditis Vacandard in Revue des quest. hist. 1892 fasc. mensis Jul. pag. 1 ss.

[3]) S. Bernardi sermones accuratissime prodierunt in Xeniis bernardinis editis occasione octavorum natalium secularium, Viennae 1891 t. 1. 2., in quorum 6. seu p. IV. habes amplissimam et diligentissimam bibliographiam bernardinam auctore Janauschek O. Ci., ubi omnem de s. Bernardo literaturam reperies. Cum vero de sermonibus s. Bernardi agimus, nolumus silentio praeterire carissimum ipsius discipulum Guerricum, de magistro apud Tornacum et canonico piissimae jam vitae factum monachum in Claravalle et inde assumptum in abbatem Hinniacum († 19. Aug. 1157). Tanti factus est a sodalibus, ut ei cultus ab immemorabili exhibitus fuerit, quem congregatio ss. rituum probavit (24. Jan. 1889). Praeter brevem tr. *de languore animae amantis* supersunt tantum ejus *sermones* per annum (Migne CLXXXV, 11—214), quos Labbe vere aureos mellitosque censet, Mabillon bernardinis stilo et pietate affines (non tamen aequales). Cf. plura de eo apud Jungmann KL.[2] V, 1345; Beller Le b. Guerric etc. Rotomagi 1890, et in accuratissima diss. Mich. Gatterer etc., eine homiletische Studie, Zeitschr. f. kath. Theol. Oeniponti 1894.

[1]) De sermonibus IV *in Salve Regina*, qui circumferuntur sub Bernardi nomine, cf. editores maurinos — Inter ejus opuscula olim ponebatur et *Formula vitae honestae*, quae tamen est Bernardi Silvestris, insignis magistri literarum humaniorum carnotensis (fl. 1146), de quo cf. Hist. lit. XII, 261—274. Habes illam in Migne CLXXXIV, 1167—71. Ejus aequalis b. Amedeus (Amadeus) et ex familiari aulico Henrici V. sodalis claraevallensis, ex abbate Altacumbae episcopus lausanensis (1145—1158) reliquit octo homilias *de laudibus b. Mariae V.* saepe editas, demum in Migne patrol. CLXXXVIII, 1303—46. Immerito tribui videntur alteri Amedeo O. Min. lusitano, qui in seculo dicebatur Joannes Menesius de Silva fuitque auctor reformatae congr. O. Min., quae in Italia viguit usque ad Pontificatum Pii V. Hic scripsit *Novam Apocalypsim* (nondum editam), in qua sunt aperta, quae in antiqua erant abscondita. Ex ea quaedam valde mira et singularia traduntur de mysteriis vitae et mortis Deiparae, quae fere delibavit Vega in sua *theologia mariana* p. 2. n. 1832 ss. Cf. Michael a s. Josef bibliogr. crit. I, 193; de priori Gremaud in prolixa notitia historico-literaria in Mémorial de Fribourg, Friburgi 1854 mensis Aprilis p. 126 ss. (Migne ib., 1277—98); Hist. lit. XII, 575—581.

1888. In his non tam exegetam[1]) agit, quam doctorem theologiae mysticae. Quaecunque enim de vitiis et virtutibus deque tota vita spirituali alibi dispersa sunt, haec solidius et sublimius pertractat et ex mysticarum allegoriarum involucris ac figuris totius perfectionis eruit arcana. Hos continuavit ad 5, 10 Gilbertus (Gillebertus, Gislebertus), Anglus, s. Bernardi discipulus[2]), postea abbas swinhetensis in Scotiae insula Hoilandia († 1172). Ejus *sermones* valde spirituales, sed tamen sermonibus s. doctoris inferiores prodierunt Argentorati 1497; Florentiae 1485; cum quibusdam aliis ejusdem opusculis asceticis in app. op. s. Bernardi Migne CLXXXIV, 9-298. Quamvis vix dubitari possit Bernardum condidisse et carmina, tamen judice B. Haureau, instituto diligenti examine in l. Les Poèmes latins attribues a S. Bernard omnia, de quibus instituerat inquisitionem (ultra 50), etiam illud celebre „Jesus dulcis memoria", pronunciat supposita. Dreves judicium hoc generatim probat in Zeitschr. für k. Theol. 1892 p. 119—129, duos tamen hymnos, quos Haureau examini non subjecerat, a tam fatali naufragio salvat, hymnum scil. in s. Victorem, qui certo, et hymnum de s. Malachia, qui probabiliter videtur s. Bernardi.

51. S. Bernardo subjicimus alium celeberrimum hujus periodi theologum, theologiae scholasticae antesignanum atque vere parentem, Petrum cognomine Lombardum[3]), quia in Lumello oppido prope Novaram ditionis tunc lombardicae forte ineunte hoc seculo natus est, quem omnes titulo *Magistri sententiarum* salutant. Is primum Bononiae studiis operam dedit, tum amore discendi incensus in Galliam venit episcopi lucensis literis (160) s. Bernardo commendatus: qui ipsum (ep. 410) commendavit Gilduino s. Victoris abbati. Tantum profecit Parisiis, ubi aliquamdiu fuit Abaelardi auditor, ut non solum ibi permanserit, sed et docendi magisterium obierit, quo in munere multum insumpsit tempus magnamque scientiae laudem est consecutus. Electus est a. 1159 (1158) episcopus parisiensis, sed non diu tenuit hanc cathedram, nam jam a. sequenti comparet ejus successor. Quare a. 1160 juxta plures obiit, vel munere se abdicavit decessitque juxta alios 20. Jul. 1164. — Ejus opera sunt: *In psalmos davidicos* commentarius, qui ad catenarum genus accedit glossamque interlinearem Anselmi laudunensis fusius evolvit additis sanctorum dictis, quare dicta est „glossa magistralis" seu „magna glossatura", Norimbergae 1478; Parisiis 1541 inf.; Migne t. CXCI; Collectanea *in omnes d. Pauli ap. epistolas* ex DD. Augustino, Hieronymo aliisque nonnullis s. Scripturae primariis interpretibus summa arte diligentiaque contexta, quibus longiores explicationes dogmaticas inserit, Parisiis 1535; 1537; 1547 in f. etc., Migne t. 191. 192. Lipenius ei tribuit etiam *Concordiam evangelicam*, quam bis editam signat scil. 1483 et 1561. Ineditae sunt glossae *in l. Job.* — Eidem asseruntur a nonnemine et 26 *sermones*[1]) operibus Hildeberti cenomanensis inserti (cf. supra p. 19). Protois op. infra cit. specimina exhibet ex 25 *sermonibus* in varios dies festos, qui forte ipsius sunt (p. 126—147).

[1]) Dav. Lenfant. OPr. (cf. II², 498) compilavit *Biblia s. Bernardi* seu collectionem et explicationem omnium locorum s. Scripturae, quae in operibus s. Bernardi sparsim reperiuntur, Parisiis 1655.

[2]) Cf. Hist. lit. XIII, 461—469.

[3]) Alius a Lombardo placentino romanae Ecclesiae subdiacono et domestico exsiliique socio s. Thomae cant., qui vero nomine appellatur Heribertus de Boshan sive Bosianensis.

[1]) De Lombardi sermonibus saepe et accurate disserit Hauréau op. cit. praesertim I. 216—23.

52. Maxime vero innotuit suo opere, quod inscripsit *Sententiarum ll. 4,* quia collectio est diligens textuum ss. patrum (c. 75), Hilarii praesertim, Ambrosii et Augustini. In eo quae sibi videntur adversa conciliat ad illum fere modum, quo Gratianus in suo decreto usus est. Modestum, sobrium et prudentem se exhibet in dirimendis controversiis; alienus est a subtilibus speculationibus; non multum argumentatur, pauca ex proprio penu addit; complectitur vero fere integrum theologiae corpus, quod forte praecipuum est ejusdem meritum. Libro 1. per distinctiones 48 doctrina de Deo uno et trino exponitur[1]); in 2. doctrina de creatione, angelis et homine lapso dist. 44; in l. 3. agit de incarnatione Verbi et de caritate Dei et proximi dist. 40; l. 4. de sacramentis et de novissimis dist. 50. Hoc est illud opus, quod exinde omnes occupavit scholas, ubique regnavit ad finem usque sec. 16., quo demum magno theologiae profectu summa s. Thomae sine comparatione longe perfectior invaluit et praevaluit. Hinc etiam innumeri in illud scripserunt commentaria, innumerae ejus prodierunt editiones, inter quas celebrantur ed. Norimbergae 1474; 1478; 1499 etc., cum brevi expositione literae et quaestionibus, quae circa ipsam moveri possunt, auctore Jo. Martinez de Ripalda SJ. Salmanticae 1635; Lugduni 1636; Parisiis 1892. Accuratissime vero prodiit inter opera s. Bonaventurae, ad Claras Aquas (Quaracchi) 1892 s. Non tamen omnes ipsius sententiae omnibus arriserunt. Ita jam s. Bonaventura in 2. sent. d. 44 dub. 3 octo positiones refert, in quibus Magister sententiarum communiter a magistris parisiensibus non tenebatur. Ita in 1. l. dist. 5; »quod caritas, quae est amor Dei et proximi, non est quid creatum, sed increatum;« d. 24: »quod haec nomina *trinus* et *trinitas* non dicunt positionem, sed privationem tantum.« L. 2. d. 5. »quod in angelis beatis praemium praecessit et meritum respectu substantialis praemii habet subsequi;« et d. 30: »quod nihil de cibis transit in veritatem humanae naturae nec per generationem nec per nutritionem.« In 3. l. d. 5: »quod anima exuta a corpore est persona«; et d. 22: »quod Christus fuit homo in triduo.« In 4. l. d. 2: »quod baptismus Joannis cum impositione manuum aequipollebat baptismo Christi, ita quod baptizatus baptismate Joannis in fide Trinitatis non erat rebaptizandus.« Aliud est de potestate baptizandi interius, quam dixit d. 5. »quod Deus potuit alii dare et quod creatura potuit suscipere«; et similiter »quod Deus potest potestatem creandi communicare et creare per creaturam tamquam per ministrum.« Temporis lapsu propositionum numerus, quae doctoribus minus arriserunt, auctus est, et operis editionibus subjunctus fuit. Prae primis gravi controversiae

[1]) Operis systema accurate proponit Scheeben Handb. der kath. Dogmatik l. 1 § 58 n. 1045. Nomine autem sententiarum intelligebatur non collectio dogmatum, sed effatorum, propositionum, quaestionum, quae ex patrum operibus conciliorumque decretis compilabantur, ut inter se conferrentur, conciliarentur, mutuo illustrarentur: unde dein efflоruerunt summae theologicae. Cf. Hist. lit. XII, 585—610; Denifle Archiv I, 587 ss.; Morgott lit. Hdw. 1892. c. 82 ss., praeprimis KL. IX², 1916—23, ubi de ejus opere inter alia scribit: Der Lombarde schöpfte aus dem Bologneser Theologen Gandulf (cf. infra), aus Pulleyn (p. 96) und dem Victoriner (Hugo) und zwar aus letzterem so ausgiebig, dass man ihn entweder als Plagiator oder als Verfasser auch der Hugo'schen Sentenzen bezeichnen zu müssen glaubte (vgl. Mignon Les origines de la scholastique I, 7—11). Wie weit aber auch die Abhängigkeit von seinen Vorgängern sich erstrecken mag, er übertraf sie alle an Reichhaltigkeit, Systematik, Korrektheit und Nüchternheit der theologischen Anschaunngen etc. Usus quoque est et Abaelardo et Gratiano. Cf. O. Baltzer die Sentenzen des P. Lombardus. Ihre Quellen und ihre dogmengesch. Bedeutung, Leipzig 1892.

occasionem praebuit Lombardi propositio: »Christus secundum quod est homo non est aliquid«, quam Alexander III. in ep. ad archiep. rhemensem 18. Febr. 1177 sub anathemate prohibuit[1]). Eam acerrime aggressus est Gualterus s. Victoris prior, sextus successor celebris Richardi, in opere, quod scripsit c. 1180 adversus haereses manifestas et in conciliis damnatas, quas defundunt sophistae Abaelardus, Lombardus, Petrus pictaviensis et Gilbertus porretanus, quos Franciae Labyrinthos appellat. Opus tamen non prodiit[2]). In eo enim ultra omne fas hos aggreditur viros, quos scorpiones et serpentes vocat, ex quorum ore locutus sit diabolus eosque solemniter damnat. Reprobat artem dialecticam, quam diabolicam judicat etc. Impugnavit opinionem illam quoque Joannes cornubiensis (Cornwall) magister duplici scripto scil. *Eulogio* ad Alexandrum P. III., quod Christus sit aliquis homo (Martene thes. anecd. V, 1655-1702) scil. verus homo ex anima rationali et humana carne subsistens[3]), cujus epitome *Apologia de Verbo incarnato* continens objectiones contra eos, qui dicunt, Christum non esse aliquid, secundum quod est homo, reperitur inter opera Hugonis a s. Victore (Migne CLXXVII, 295—316; prior l. ib. CXCIX, 1043—86). Non desunt etiam qui Petrum Lombardum plagii insimulent dicantque eum pene exscripsisse Bandinum (Baudinum) obscuri nominis theologum, qui eodem fere tempore concinnavit *sententiarum ll. 4*, quibus universae theologiae summa ac fidei nostrae compendium pure, simpliciter et methodice tractatur, quique primum prodierunt Viennae 1519 (m. 15); Lovanii 1557; Migne CXCII 965—1112: quod plane incredibile; alii vero censent Baudinum potius in compendium redegisse Lombardi sententias, ut liquet etiam ex inscriptione plurium codd., qui hanc vel geminam prae se ferunt inscriptionem: »Abbreviatio Mag. Baudini de l. sacramentorum M. Petri parisiensis«[1]).

53. Alii quoque coeperunt hoc tempore sententiarum libros concinnare[2]). Ita Robertus Pullus (Pulleyn, Polenus, Pulleinus, Pulleinius, Pollen, Bollen etc.) natione Anglus (n. intra a. 1080—1090), qui Parisiis operam dedit literis, ibidemque in facultate theo-

[1]) Eam jam probibuerat in ep. ad Guilelmum archiep. senonensem (apud Denifle Chartularii univ. paris. I, 4) 28. Maj. 1170.

[2]) Illud describunt Plank Studien und Kritiken 1844 p. 823 ss. et Denifle Archiv für Literatur u. KG. I, 405 ss.; specimina exhibet Bulaeus in hist. univ. paris. II, 629—660, inde Migne CXCIX, 1127-1172. Cf. Hövelmann KL. XII, 1206.

[3]) De qua controversia cf. Petavius de incarn. V. 6 ss.; Bach Dogmengesch. des Mittelalt. II, 180 ss.; Morgott l. c. Huic Joanni praeter inedita tribuitur etiam *de canone mystici libaminis* ejusque ordinibus (ib. 177. 455—70), sed immerito, videtur enim hic libellus, non magni alioquin pretii, qui praecipue versatur in explicandis crucis signis supra oblata formatis, Richardi O. Praem. wedinghusani, qui floruit exeunte seculo XII. Cf. Ebner in ed. 2. op. Thalhofer Handb. der k. Lit. I, 86; Hist. lit. XIV, 194-200.

[1]) Cf. Denifle Archiv I, 438, qui p. 589 aliorum quoque meminit, qui Lombardi opus in compendium redigere vel abbreviare studuerunt, quorum tamen labores manserunt inediti; Pez diss. isag. in Anecd. t. 1. pag. XIV; cf. etiam Tiraboschi Storia etc. l. 4 c. 2 n. 14; Fabricium VI, 250; praesertim Rettberg Comparatio inter M. Bandini libellum et Petri L. ll. 4 sent., Goettingae 1834. Cf. de Lombardo Protois P. Lombard, son epoque, sa vie, ses écrits, son influence, Paris 1881; Seeberg Realenc. XI³, 630—642.

[2]) Gerland (Garland, Jarland) can.reg. s. Pauli bisuntini et artium liberalium magister (fl. 1148*), cujus jam meminimus I³, 1092 a., compilavit patrum testimonia de argumentis dogmaticis in sua *Candela studii salutaris* seu Candela evangelica ed. Coloniae 1527 ed. rarissima. Prologum edidit Martene in thes. Anecd. I, 372. Cf. Histoire lit. XII, 274—279.

logica factus est magister publicus. In Angliam reversus electus est archidiaconus rocestrensis oxoniensemque academiam jam pene collapsam denuo erigere statuit. Ipse ibi scholas aperuit (1130—1135), gratis docuit, auditores et magistros ex aliis regni partibus illuc evocavit, ex quibus non paucos suis sumptibus aluit, alios omnibus humanitatis officiis sibi et musis obstrinxit. Hinc in gratitudinis signum quotannis in ea academia sermo in ejus elogium habitus fuit. Ortis in patria turbis Parisios secessit cathedramque rexit, magna omnium, etiam s. Bernardi approbatione. Ab Innocentio, cui viri merita perspecta erant, Romam vocatus, ex Anglis forte omnium primus, cardinalis factus est et a Lucio II. electus (1145) in cancellarium s. romanae Ecclesiae († 13. Jul. 1146; secundum alios c. a. 1150). Vir erat vita et scientia commendatus, admodum doctus, insignis sacrarum Scripturarum interpres, qui ante Petrum Lombardum collegit *sententiarum ll. 8* (distinct. 238), quos edidit Hugo Mathoud Parisiis 1655 in f.; Migne CLXXXVI, 639—1010, eruditis annotationibus illustratos[1]). Innumeras agit quaestiones de theologia theoretica et practica ordine non satis concinno: rationibus potius et Scripturae dictis utitur quam patrum testimoniis. Alia ejus scripta manserunt inedita.

54. Hugo Ambianensis cognominatus, monachus cluniacensis[2]) et ex abbate radingensi archiepiscopus rothomagensis († 11. Nov. 1164), reliquit praeter *epistolas* dialogorum seu *quaestionum theologicarum ll. 7* (ed. Martene anecd. V, 895—1000), quibus plura ad theologiam spectantia summatim complectitur. In his statuit: „Quem itaque Christus per Ecclesiam deponendo vel excommunicando destituit ab officio, si in sacramentis altaris ministrare praesumit, qui jam minister non est, nihil facit". Propterea reprehensus a Matthaeo albanensi episcopo, in ep. l. 6. subjuncta propositionem legitimum in sensum interpretatur. Tr. *in Hexaemeron,* cujus superest fragmentum, pars forte commentarii in Genesim, qui periisse videtur; contra haereticos sui temporis sive *de Ecclesia et ejus ministris* ll. 3 (cum opp. Guil. de Novigento, Parisiis 1651); Tr. *de memoria* complectens 3 ll. in laudem memoriae; *super fide catholica* et oratione dominica[1]); *Vita s. Adjutoris* monachi tironensis OSB. (c. 1131), quem habes in Martene thes. anecd. V, 1011—1018; opuscula omnia in Migne CXCII, 1131—1352. — Pothoni Prumiae in dioecesi trevirensi coenobii OSB. monacho († 1153) tribuuntur *de statu domus Dei ll. 5,* in quibus disserit de ecclesia militante et triumphante, et de magna domo Sapientiae, necnon et de septem donis s. Spiritus, de J. Christo perfectissimo templo s. Spiritus, Hagenoae 1532 in 8., et in bibliotheca pp. parisiensi t. IX; coloniensi XII; lugdunensi XXI: sed secundum alios ii libri sunt Pothonis OSB. presbyteri et monachi prunveningensis prope Ratisbonam, cujus etiam est l. (sane non commendandus) *de miraculis s. Dei genitricis* a Pezio editus Viennae 1731

[1]) Cf. Hitzfelder KL. X², 633; Steitz-Wagemann Realenc. XII², 388—393.

[2]) Alius ab eo est Hugo OSB. cluniacensis, qui scripsit *vitam s. Hugonis I.* abbatis cluniacensis ab a. 1048—1109, quae exstat in bibl. cluniac. p. 437—448 cum ep. *ad Pontium* ib. 557—60; Migne CLIX, 917—23. Cf. de nostro Hist. lit. XII, 647-667.

[1]) Hujus sicut et symboli exstat brevis *expositio* Gosleni seu Josleni Joscelini de Vierzi magistri parisiensis et ex archidiacono bituricensi episcopi (1127—52) suessionensis, quam edidit Martene Monumentorum t. IX. et inde Migne CLXXXVI, 1479—1496. In epitaphio dicitur „magister celeberrimus parisiensis, pater justitiae et multorum coenobiorum, hostis vitiorum et castitatis cultor praecipuus." Cf. Hist. lit. XII, 412—417.

cum *vita et revelationibus vita Agnetis Blanbeckin.* Uterque liber rarus est, quia auctoritate comitis Sinzendorfii et consilio Pii Nic. Garelli bibliothecae caesareae praefecti fuit prohibitus et exempla omnia bibliopolae fuere ablata, continet enim inepta et absona. Ceterum Antonius Weis hujus Pothonis exsistentiam in dubium vocat[1]).

55. A recto tramite aberravit Petrus Abaelardus (Bajolardus) dialecticus dictus ob disputandi argutias. Natus is est in oppido Pallet seu Palais 1079. Discendi ardore actus domum reliquit paternam, et Roscellini factus est discipulus. Parisios profectus Guilelmum de Campellis magistrum audiit, sed dein aemulus scholam Meloduni(Melun), postea et Parisiis in monte s. Genovefae aperuit multosque attraxit discipulos. Aliquamdiu vitam parum honestam cum Heloisa Monmarantiana genere et eruditione clara duxit. Sed poenitentiam egerunt ambo paulo post, illaque monialis, deinde 1130 Paracleti monasterii OSB. dioecesis trecensis facta est antistita, ipse vero monachus s. Dionysii prope Parisios. Magistri munere iterum fungebatur magno discipulorum concursu, ad quorum preces scripsit de theologia librum, in quo minus bene *de unitate et Trinitate divina* (seu *de fide s. Trinitatis* vel *de Trinitate* speculatur, quem primum edidit Stölzle Friburgi 1891: hinc ejus errores damnati fuere in concilio suessionensi a. 1121 ipseque coactus est librum suum flamnis tradere. Agitatissimam semper duxit vitam atque irrequietam, quam fusius prosequi non vacat. Abbas quoque electus est ad s. Gildam in Britannia dioecesis Venetorum (Vannes), quam dignitatem recepit, ut a persecutione, quam in Francia metuebat, tutum se praestaret: sed nec ibi diu consistere ei licuit, reperit enim regionem barbaram, cujus lingua ipsi ignota, populum autem inhumanum et in omnem licentiam effusum, monachos plane immorigeros. Interim monitus fuit s. Bernardus a Guilelmo a Theodorico de erroribus Abaelardi late jam diffusis: testatur enim de libris Abaelardi Guilelmus: „Transeunt mare, transiliunt alpes". Quare s. doctor illum ad meliorem frugem revocare nisus est: Abaelardus vero ipse postulavit ab archiepiscopo senonensi, ut in synodo audiretur. Ad eam invitatus fuit et s. Bernardus, qui praesente rege Ludovico VII. errores illius ex ejusdem scriptis collectos seu *capitula haeresim* (inter Ab. opp. ed. Cousin II, 765 s.) synodo (1141) damnandas proposuit, quae et illos damnavit, sed mox Abaelardus ad summum pontificem appellavit. Ipse etiam s. doctor causam detulit ad Innocentium II. insigni prolixaque epistola (190, cf. supra p. 89). Abaelardus ut se tueretur, Romam proficisci statuit; sed in itinere subsistens Cluniaci apud Petrum venerabilem, hujus consiliis permotus fuit, ut reconciliaretur s. Bernardo et se subjiceret auctoritati ecclesiasticae: ibique studio et operibus pietatis deditus non multo post decessit 21. Apr. 1142[1]). Ex ejus discipulis prodierunt unus

[1]) Allgem. deutsche Biogr. XXVI, 478; de priori cf. de Lorenzi KL. X, 243.

[1]) Cf. Hertling KL.² 1, 12—18; Nitzsch Realenc. I³. 14—25; Remusat, Abélard, Parisiis 1845 t. 2; Hayd Abälard und seine Lehre im Verhältnis zur Kirche und Dogma, Ratisbonae 1863; Bach Dogmengeschichte des Mittelalters II, 41—88; Schwane Dogmengesch. der mittl. Z. § 6: Deutsch P. Abälard, Leipzig 1883; Hist. lit. de la France XII, 86—152; Denifle Arch. für Literatur u. KG. I, 402—69: 584—624 in accuratissimis disquisitionibus criticis de operibus ipsius suorumque discipulorum Quod vero attinet partes, quas habuit s. Bernardus in hac controversia, cf. Bonnier Abélard et s. Bernard, Parisiis 1862 in 12; S. Bernard, Abélard et le rationalisme moderno auctore O.Ci., Avenione 1880 ed.2; Vacandard Abélard, sa doctrine, sa methode et sa lutte avec S. Bernard, Parisiis 1881: Feret I, 100—103; 131—53.

pontifex (Coelestinus II), viginti cardinales et supra 50 archiepiscopi et episcopi.

56. Abaelardi opera collecta prodierunt studio A. Quercetani et cura Fr. d'Amboise († 1620) Parisiis 1616 in 4; plenius cura Cousin ib. 1836; 1849-1859; et inde Migne t. CLXXVIII. Potiora sunt: *Epistolae* (12), inter quas eminet ea, quae solet dici *Historia calamitatum* Abaelardi (Turici 1841 ed. Orelli), studio partium infecta nec semper satis fide digna. Ep. alia inscribitur *Heloissae problemata* (42) cum Abaelardi solutionibus (Migne CLXXVIII, 113—380 et 677—730). *Sermones* (34), quos habuit ad virgines paraclitenses, quarum antistita erat Heloisa (379—610); *expositio orationis dominicae*, nonnihil dubia, et expositio *symboli*, quod dicitur apostolorum, et in symbolum Athanasii (611—632). *Ethica* seu „scito te ipsum" s. Bernardo invisa et a magnis seculi XII. viris ut erroribus infamis condemnata. „Legite, scribit s. Bernardus ep. 188 ad cardinales E. R., et alium quem dicunt sententiarum ejus, nec non et illum (librum), qui inscribitur: Scito teipsum, et animadvertite, quantum et ipsi silvescant segete sacrilegiorum atque errorum: quid sentiat de anima Christi, de persona Christi, de descensu Christi ad inferos, de sacramento altaris, de potestate ligandi atque solvendi, de originali peccato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiae, de opere peccati, de voluntate peccandi" etc. Prodiit tantum l. 1. in Pezii thesauro anecd. nov. III, 2, 226; inde in Migne p. 631—678. Sequitur ib. p. 731-784. *Expositio in Hexaemeron* pro Heloissa ejusque monialibus. Illud secundum sensum literalem exponit[1]). Pertingit ad Gen. II, 17, reliqua desunt. Commentariorum super s. Pauli *ep. ad romanos ll. 5* (783—978). *Introductio ad theologiam* in ll. 3 divisa, quae non integra pervenit ad nos (979-1114). Exhibet „aliquam sacrae eruditionis summam, quasi divinae Scripturae introductionem." Fusius in ea de mysterio ss. Trinitatis agit. *Theologiae christianae ll. 5* (1113—1330), retractatio veluti op. de unitate et trinitate divina[1]), in concilio suessionensi damnati, quam s. Bernardus l. c. graviter carpit. *Sic et non*, quem l. (a. f. 1115-1117) primum e lidit, sed incomplete Cousin Ouvrages inédits d'Abélard Parisiis 1836 in 4. (p. 1—169); integrum exhibent Ernestus Lud. Theod. Henke et Georg. Steph. Lindenkohl, Marburgi 1851, dein Migne p. 1329-1610, in quo testimonia patrum de variis theologicis argumentis (158) sibi in specie opposita profert, quin ea conciliare nitatur. Is forte idem est cum illo libro, qui dicitur *Liber sententiarum*. Hoc opere novam induxit methodum, nam relinquit lectoribus controversiarum solutionem, ad quam inveniendam ipse regulas in prologo proponit. *Inter philosophum, Judaeum et Christianum* (dialogus), quem ex codd. bibliothecae caes. viennensis primus edidit Fr. H. Rheinwald. Hic etiam typis dedit *epitomen* theologiae christianae, sed mendose, Berolini

[1]) Hujus finis, qui hactenus desiderabatur, reperitur apud Hauréau Notices et Extraits e quelques manuscrits latins de la Biblioth. nationale Paris 1890—93. V, 236 ss. Ibidem I, 52 – 68 exhibetur l. 1. commentarii Theodorici (Terrici) professoris carnotensis in Hexaemeron, qui secundum Hauréau pantheismum Spinozae jam sapit, a quo tamen illum Cl. Baeumker excusat in Archiv für Gesch. der Philos. X, 136. De hoc viro suo tempore celebri, qui teste Jo. Saresberiensi Aristotelis opera e somno ad vitam revocavit, fuse disserit Clerval passim in op. docto Les Ecoles de Chartres au moyen-âge du Ve au XVIe siècle (Mémoires de la Société Archéol. d'Eure et Loire, Chartres 1895 p. 169 ss.; 254 ss. etc.). Decessit autem Theodoricus post a. 1148.

[1]) Cf. hist. Jahrb. 1890 p. 673 ss.

1835, ex parte Cousin in op. supra cit. (utrumque Migne p. 1611—1684—1758). Epitome tamen videtur potius discipuli opus. Alterius dialogi fragmentum dat Cousin opp. II, 727-729, penes quem reperies et opera Abaelardi dialectica. In rebus fidei Abaelardus rationalistam agit nimisque audax est[1]); ejus praecipuos errores ita s. Bernardus breviter innuit ep. 192: „Cum de trinitate loquitur, sapit Arium; cum de gratia, sapit Pelagium; cum de persona Christi, sapit Nestorium". Ejus *Hymnarium paraclitense* seu hymnorum (133) libellos tres[2]) primum typis dedit Dreves Parisiis 1891. *Planctum Abaelardi* edidit Wilhelm Meyer, München 1885; Erlangen 1890. *Expositiones* ejus super Psalterium et super epistolas Pauli manserunt ineditae. Earum specimina habes apud Cousin II, 723—726.

57. Contra Petri Abaelardi dogmata scripsit[3]) Guilelmus OSB. s. Theodorici remensis abbas (1119—1135) *disputationem catholicorum patrum ll. 3* praemissa ep. prolixa ad Gaufridum carnotensem ep. et ad s. Bernardum, qua eos ad oppugnandam theologiam Abaelardi, cujus tredecim proponit capitula, hortatur. Ortus est Guilelmus nobili genere c. a. 1085 Leodii; hinc et leodiensis est dictus. Fama virtutum s. Bernardi accitus Claravallem adiit sacrumque cum ipso foedus iniit, atque ab eo die arctissima illi necessitudine fuit devinctus, ut liquet etiam ex ejus scriptis: ita ex. gr. inscribit epistolam, quae praecedit ipsius l. de sacramento altaris: „Carissimo suo electo ex millibus suus ille seipsum". Quae aestimatio et dilectio ipsum permovit, ut abdicata abbatia transiret ad cistercienses. Decessit[1]) in monasterio signiacensi intra a. 1148—53. Ejus opera collecta prodierunt in bibl. cisterciensi cura Bertrandi Tissier t. IV. et in Migne patrol. CLXXX, 206—726. Potiora sunt praeter ascetica, quorum aliqua habes inter opera s. Bernardi (Migne CLXXXV, 365-408), *de sacramento altaris*, quem tr. s. Bernardo discutiendum et emendandum misit, priusquam eum in lucem ederet. Eo autem consilio illum concinnaverat, ut ss. patrum sententias de hoc argumento colligeret, praesertim s. Augustini textus, quibus nonnulli fideles turbabantur. *Speculum fidei*, quod est tr. de virtutibus theologicis; *aenigma fidei*, in quo disserit de excellentia et simplicitate fidei; de erroribus Guilelmi de Conchis philosophi († 1150) ebroicensis[2]). *Brevis commentatio* in priora 2

---

[1]) Scheeben Handb. l. 1 n. 1043 de Abaelardo ita scribit: Ein Gegenstück zu beiden Werken Hugo's (de quo cf. p. 76 ss.) bilden die beiden Hauptschriften s. Zeitgenossen A., dessen Geist ebenso unruhig und keck, wie der Hugo's sinnig und demüthig war. Der summa sent. von H. steht gegenüber das B. Sic et non . . . de sacramentis steht gegenüber Abälards Introductio . . . welche in dem rationalistischen Geiste gehalten ist, den der hl. Bernhard an dem Verfasser so stark gerügt hat.

[2]) Cf. Baeumker lit. Handw. 1891 c. 604.

[3]) Pro Abaelardo stetit Petrus Berengarius (fl. 1140*), de quo egimus I[3], 1047 a. Cf. et. Hist. lit. XII, 254—260.

[1]) Cf. Kutter Wilhelm v. Thierry, ein Repräsentant der mittelalt. Frömmigkeit, Giessen 1898 coll. observationibus Ficker theol. Rundschau II (1899) 155 ss., neque enim hic liber commendari potest: cf. potius Hist. lit. de la Fr. XII, 312—333; Schroedl KL. XII[2], 1622 ss.

[2]) Natus est hic philosophus in Normanniae oppido Conches c. a. 1080. Carnoti scholam rexit atque inter discipulos celebrem numeravit Joannem Saresberiensem. Ob suas malesanas opiniones impugnatus fuit a Gualtero a s. Victore et Guilelmo s. Theodorici ab. mox laudato. Quae sint ejus opera genuina, diu fuit controversum. Ipsius non est *Magna de naturis philosophia* sub ejus nomine a Gesnero Argentorati ut dicitur c. 1474 edita. Ejus *philosophia* prodiit inscripta *Philosophicarum et astronomicarum institutionum ll. III* sub nomine Guilelmi hirsaugiensis ab., Basileae 1531, inter Bedae opera Migne XC, 1127—1178 sub

cc. Cantici cant. ex s. Bernardi sermonibus, inter opp. s. Bernardi, Migne CLXXXIV, 487—436; commentarius *in Cantica cant.* ex scriptis Ambrosii collectus ib. XV, 1851—1962; Excerpta ex ll. s. Gregorii papae super Cantica cant.; *Expositio altera* in Cantica cant. (inchoata usque ad 2, 3). Expositio *in ep. ad Romanos ll. 7; de natura corporis et animae,* seu tr. de cognitione sui ipsius. Coepit et describere *vitam s. Bernardi,* quae tamen desinit in a. 1130; reperitur ea in ed. operum s. Bernardi (Migne CLXXXV, 225—268) et inter acta SS. 20. Aug. Plura manserunt inedita, ita Sententiae *de fide,* potissimum ex s. Augustino et aliis patribus, l. *contra errores Gilberti* Porretani, nisi sit ille, qui sub Gaufridi nomine Migne CLXXXV, 595—618 prodiit, ut aliqui suspicantur. Fuit porro Guilelmus logicus subtilis et sagax, theologus in patrum operibus apprime versatus, mysticus sublimis sed sobrius, in ss. Scripturis bene institutus, auctor methodicus, eloquens, in scribendo unctione plenus, qui prae ceteris aequalibus proxime s. Bernardum est assecutus.

58. Alius, qui a recto tramite aberravit, fuit Gilbertus. Porro Gilbertus (Gislebertus) Porretanus (de la Porrée), a loco nativitatis et a sede, quam tenuit (1142), Pictaviensis dictus, ob disputandi subtilitatem dialectici cognomentum accepit. Natus est circa a. 1070 et studiis operam dedit Pictavii, Carnoti[1]), Lauduni. Carnotensis ecclesiae factus est cancellarius 1134, inde Parisios vocatus dialecticam primum docuit, dein theologiam. Intererat concilio senonensi, in quo damnatus est Abaelardus, qui ipsi insusurasse dicitur versum Horatii „Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet". Duo archidiaconi ejus doctrinam detulerunt ad Eugenium III., qui in Galliam profectus in synodo primum parisiensi (1147), dein rhemensi (1148) eam examinandam proposuit, agente praesertim s. Bernardo, qui illius errores contra summam Dei simplicitatem detexit. Prompte se subjecit Gilbertus subscripsitque professioni fidei suis erroribus contrariae. Decessit in senectute bona a. 1154. Psalmos et epistolas Pauli exposuit, quae tamen commentaria manserunt inedita. *Commentaria* in opera Boëthio tributa prodierunt una cum his in Migne patrol. t. LXIV; opusculum *de sex principiis* in Aristotelis categorias, ib. CLXXXVII, 1258—70, in scholis medii aevi magni factum, adhibitum et saepe commentariis illustratum fuit: nam Aristoteles ex decem categoriis quatuor priores tantum fusius evolverat, brevius reliquas, Gilbertus quae deerant supplere est nisus. Hinc ipse Albertus M. scribit (op. I, 194 ed. lugd. 1651): „Sicut in praedicamentorum l. secuti et prosecuti sumus scientiam Aristotelis: sic in hoc l. sequimur Gilbertum Porretanum, qui ea (quae de sex principiis dicuntur) invenit et composuit ad faciliorem intellectum eorum, quae in l. Praedicamentorum succincte dicta esse videbantur[2])".

---

titulo *elementorum philosophiae ll. IV,* et inter opera Honorii augustod. Migne CLXXII, 39—102 sub titulo philosophia mundi, editio optima. Cum hac consonat, omissis opinionibus malesanis ejus *Dragmaticon* (h. e. Dramaticon i. e. dialogus), quod prodiit inscriptum Dialogus de substantiis physicis, Argentorati 1567. De aliis ejusdem operibus philosophicis cf. Baeumker KL. XII, 1592—1612; Reg. L. Paole Realenc. *Moralis philosophia* de honesto et utili, quae inter opera Hildeberti Cenomanensis comparet, nostra jam aetate ipsi tribuitur. Cf. Hist. lit. XII, 455—466.

[1]) Hic magistrum habuit Bernardum (seu Silvestrum) carnotensem philosophum opinionibus platonicis etiam erroneis addictum, de quo cf. Stoeckl KL. 2^3, 428 s.

[2]) Cf. Feret 1, 153—64; Gallia christ. II, 1175. Hist. liter. XII, 476—485; Hayd KL. V^2, 599; Cerval Les Ecoles des Char-

59. Adversus Armenos monophysitismi erroribus infectos duas orationes invectivas scripsit Isaac, qui dicitur fuisse magnae Armeniae Catholicus seu veluti patriarcha, sed ut videtur immerito. Inter haereticos natus et educatus aspirante Dei gratia disjecta erroris caligine coepit deserere simul et confutare illorum errores: hinc Armenios suos usque adeo graviter offendit, ut non modo muneribus sacerdotalibus interdiceretur, verum proposita interfectoribus mercede pluries quaereretur ad mortem. His agitatus turbis ad „sanctissimam metropolim“ confugit, quo nomine videtur intelligenda Roma, juxta alios Constantinopolis. Ejus *orationes* adversus Armenos idem sapientes atque Eutyches ac Dioscorus, Timotheus item Aelurus, Petrus Fullo, Julianus Alicarnasseus, et Aphthartodocatee primum edidit Combefisius in suo Auctario t. II; dein Gallandi in sua PP. vet. bibl. XIV, 411-447. In earum 1. refellit PP. testimoniis errorem de una in Christo natura; in 2. narrat suam ad veram fidem conversionem atque Armeniis 29 exprobrat errores[1]). Subjicitur brevis Armeniae a Gregorii Illuminatoris tempore historia. Habes haec in Migne P. G. CXXXII, 1155—1258 (fl. c. 1145). — Adversus Graecos disputavit passim, dum Constantinopoli degeret, Anselmus O. Praem. s. Norberti discipulus havelburgensis episcopus in marchia natu brandenburgensi (1126), Lotharii II. apocrisarius et legatus illuc missus. Hortatu Eugenii III. illarum disputationum summam complexus est *dialogorum ll. 3*, ecclesiastica eruditione plenis, quorum 1. agit de variis religionis christianae formis[1]). Eos primum edidit d'Achery Spicilegii ed. novae t. 1. Scripsit etiam l. *de ordine canonicorum regularium* et ep. apologeticam pro eodem (Migne 188, 1091—1247). Non satis stetit pro juribus Ecclesiae adversus Fridericum Barbarossam, hinc cum aliis episcopis reprehensus fuit ab Eugenio III. Electus fuit 1155 archiepiscopus ravennatensis decessitque 12. Aug. 1158. *Ejus epistolae* perierunt. *Vita Adalberti II.* archiep. moguntini (1138—1141) a Jaffé bibl. rer. germ. III. 568—603 edita eique asserta alterius est Anselmi[2]).

60. Insignis fidei catholicae apologeta erat Petrus I. Mauricii Monboiserii filius cognomento „Venerabilis“ ob eximiam divinarum et humanarum scientiarum cognitionem cum insigni vitae probitate conjunctam, inter coenobiarchas cluniacenses summo praeconio celebrandus. Patriam habuit Arverniam, parentes nobilissimae prosapiae, qui ipsum a teneris annis Deo in monasterio cluniacensi obtulerunt. Copiosas suas facultates monasterio donaverat, unde benefactorum numero meruit accenseri illudque ipse ingressus est. Defuncto

---

tres au moyen-âge, Chartres 1895; Hauréau Notices et Extraits de quelques mscr. latins I, 298 ss, qui notat textum communiter vulgatum non esse originalem, sed retractationem Hermolai Barbaro humanistae veneti.

[1]) Cf. Ceillier Hist. gén. des Auteurs sacres et eccl. XIV, 1, 643 ss.

[1]) Disputavit praesertim cum Eb. Niketa archiep. nicomediensi et Basilio de Achrida († p. 1166). Hujus disputationes primum edidit Jos. Schmidt Des Basilius aus Achrida Erzb. von Thessalonich (1145) bisher unedirte Dialoge, München 1901. Textus vero prout nunc exstat non videtur originalis, sed retractatus a scriptore quodam posteriore. Cf. Hefele KL². I, 897; Strerath de Anselmo ep. havelb. diss. hist, Monasterii 1854; aliosque apud Potthast p. 112. Colloquio illi cum graecis interfuit Jo. Burgundio civis ac judex pisanus, qui tunc temporis graecae linguae peritia inclaruit; interfuit et concilio romano a. 1179. Vertit homilias s. Joan. Chrysostomi in Genesim, in Ev. Joannis, Nemesii l. de natura hominis, Jo. Damasceni de fide orthodoxa ll. 4 etc. († 30. Oct. 1194). Cf. Fabricius I, 281; Tiraboschi t. III. l. 4 c. 3 n. 4 s.

[2]) Cf. Wattenbach Geschichtsq. II⁵, 370.

Hugone II. (1122) ipse assumitur in abbatem a. natus nonnisi 30, etsi ad 400 monachi in illo degerent, eique multa alia monasteria fere ad duo millia subjicerentur. Ultimus forte est abbatum, qui congregationem cluniacensem disciplinae custodia et bonarum literarum studio ad magnum iterum provexit splendorem et auctoritatem: nam jam detrimentum passa erat sub s. Hugonis (1109) successore. Gratia valuit apud pontifices et reges obiitque postquam praefuit cum dignitate 24. Dec. 1056. Opera ejus ediderunt Petrus de Monte Martyrum, Parisiis 1522, et Marrier in bibl. cluniacensi, inde recepta sunt in bibl. lugdunensem t. XXII, et in patrologiam ed. Migne t. CLXXXIX. Inter ea eminent *epistolarum ll. 6*, quae sunt pretiosae; ep. ad Petrum de Joanne *contra eos, qui dicunt Christum nunquam se in Evangeliis aperte Deum dixisse;* tr. *adversus judaeorum inveteratam duritiem* in bibl. max. PP. t. XXII; Ep. ad s. Bernardum *de translatione sua,* qua fecit transferri ex arabico in latinum sectam sive haeresim saracenorum a. 1143, cum summula brevi contra haereses et sectam diabolicae fraudis saracenorum sive ismaelitarum et Roberti ketenensis (vel retenensis) praefatione in l. legis saracenorum, quam Alcoran vocant, a se translato. Profectus erat a. 1141 in Hispaniam omnemque adhibuit curam, ut Mohammedanorum Alcoranum latinam converteretur in linguam, advocatis ad hoc negotium tribus arabicae linguae peritissimis viris: Roberto Ketenensi, Anglo, qui peragratis Gallia, Italia, Dalmatia, Graecia et Syria demum in Hispania sedem fixit et mortuus est (1143) Pampelonae archidiaconus[1]), Armanno dalmata et Petro toletano, quibus ut versio omnibus numeris esset absoluta, quartum addidit saracenum, Mahumet nomine, utpote patriae linguae magis gnarum, nullis pecuniarum expensis parcens. Et quia minus familiaris illis erat lingua latina, dedit eis adjutorem „doctum virum, dilectum filium et fratrem Petrum notarium“ suum. Reverso in Gallias praecipua fuit sollicitudo hanc translationem ad s. Bernardum amicum suum transmittendi, ut eum ad scribendum contra tam perniciosum errorem animaret. Bernardi responsum desideramus, qui utilem hunc laborem ipsi reliquisse abbati doctissimo videtur. Igitur „morem illum patrum secutus, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam haeresim silendo praeterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent et scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent“, opus ipse aggressus est ll. 5 distinctum *adversus nefandam sectam saracenorum,* quorum tamen duo tantum ad nos pervenerunt[1]). Habentur

[1]) Alcoranum in compendium redactum latine vertit, quod prodiit cura Bibliandri Basileae 1543. Verum haec versio „tamquam parum accurata et extra manifestas historias arabismi sententiam satis raro fideliter exprimens“ reprehenditur ab Erpenio ad Sarutam 12. Alcorani, durius adhuc ab Huetio de interpret. l. 2. Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. v. l. 7 c. 5.

[1]) Cf. Martene in observ. praevia suae ed. in ampl. collect. IX, 1119. De hac versione, quae in Occidente fuit omnium prima, scribit Haneberg KL². VII, 1017: Dieselbe kann jedoch so wenig, als überhaupt irgend eine bloße Übersetzung zum Verständniß des ganzen Korans führen, da derselbe tausend dunkle Anspielungen auf Thatsachen und Einrichtungen enthält, welche einer Erläuterung bedürfen. Außer einem gründlichen Studium der Sprache kann nur die Erklärung der mohammedanischen, die einheimischen Traditionen bewahrenden Commentatoren zum Ziele führen. *Vitam v. Petri* scripsit ejus discipulus Rodulphus, quam habes in patrol. Migne 189, 15-28, qui forte idem est cum eo, qui creatus est abbas cluniacensis a. 1173 et obiit 1177; Marrier ib. 27—46; Ziegelbauer l. c. § 10; Demiduid, Pierre le V. ou la vie et l'influence monastique au XII siècle, Paris 1895 t. 2, opus non omnibus numeris absolutum, Hist. lit. XIII, 241—267.

etiam in bibl. max PP. IX, 1121 ss. Ep. sive tr. *adversus Petrobrusianos* haereticos; *de miraculis ll. 2*, in quibus narrat plura mira facta, quae sua aetate contigerant (Duaci 1595 in 12). Reliquit etiam aliquot *sermones, poemata, Statuta* congregationis cluniacensis, *dispositionem* rei familiaris (apud Baluzium Miscell. l. V. p. 443—453) etc.

II. S. Scriptura.

61. Primus[1]) hic nominandus, sive eruditionem spectes sive scriptorum copiam et varietatem, sive nominis famam, est Gerhohus (Gerohus, Gerochus) reichersbergensis O. Can. reg. s. Aug. Pollingae in Bavaria 1093 vel 1094 natus. In patria institutus scholas invisit Frisingae, Mosburgi et Hildesheimii. Magister creatus domum rediit praefectusque est ab episcopo augustano scholae et inter canonicos receptus (1119). Sed cum episcopus simoniaca labe infectus ex parte antipapae staret, Gerhohus gradatim ab eo atque factione schismatica recessit: unde tanta in eum orta est commotio, ut fuga se proripuerit Augusta (1121). Pace inter pontificem et imperium composita revocatus est Augustam, suumque episcopum Romam est comitatus (1123), ubi multum contulit, ut ille excommunicatione solveretur. In patriam redux abdicato canonicatu monasterium raitenbuchense cum patre et duobus fratribus ingressus est (1124), totumque se ascesi dedit. Ab episcopo Chunone Ratisbonam invitatus sacerdos est ordinatus (1126): quo defuncto (1132) ab archiepiscopo salisburgensi Conrado I. praepositus est canoniae reichersbergensi et saepe dein missus legatus Romam in variis negotiis. Magnas diuturnasque habuit de argumentis christologicis controversias, quae Romam usque delatae fuere. Summa gratia fruebatur apud Eugenium III; hinc in l. de gloria et honore Filii Dei prol. n. 5. scribit: „Post Eugenium

[1]) Praetermittimus Serlonem OC. abbatem quartum savigniacensem in Normania, post s. Bernardi obitum monachum claraevallensem († 1158), cujus *sermones* et *sententias* in quosdam Scripturae locos edidit Tissier in bibl. cisterciensi t. VI. — Wallenum, natione Scotum, regum Scotiae avunculum, prius canonicum regularem, dein O. Cist. et abbatem melrosensem († 1163), cui tribuitur expositio *in Genesim* (inedita). — *Concordiam* evangeliorum coeperat Wazelinus OSB. s. Laurentii Leodii abbas († 16. Jan. 1158), distinguendus a Waselino Momalio suo in abbatia praedecessore († 1149), cujus exstat in Analectis Mabillonii I, 471 ep. *de continentia conjugatorum* ante communionem. Juxta Paquot ipsius est et Concordia. — Nicolaus cardinalis (1144), Germanus, romanae Ecclesiae bibliothecarius, hebreae graecaeque linguae peritus disseruit *de s. Scripturae emendatione*, quem commentarium (mscr.) Baronius laudat ad a. 1145 n. 1. — Leonius presbyter canonicus s. Victoris parisiensis (fl. c. 1170) verbis hexametris scripsit vel saltem coepit *Historiam V. et N. T.* (mscr.). Cf. Fabricius IV, 551; Hist lit. XIII. 434—447. — Osbernus (Osburnus) OSB. Glocestriensis (fl. c. a. 1150), alius ab Osberno, de quo egimus I, 1077, et ab Osberto Clarano seu Clarentio, de quo cf. supra p. 20 a. scripsit in Genesim, Exodum, Numeros, Deuteronomium et in l. Judicum in forma dialogi; et ingens opus *Pannormiam* inscriptum, quasi vocabularium, quod editum dicitur KL.[3] V, 712 inter auctores classicos t. 8. a Mai (?). — Clemens Claudiocestriensis, Anglus, canonicus reg. lauthoniensis († 1170) composuit ll. 12 *concordiae evangelistarum*, quos anglice vertit Jo. Wiclef teste Raleo VI, 1. p. 456; necnon prolixum commentarium *in septem ep. canonicas* etc. Cf. Fabricius II, 366. — De operibus Joannis OSB. monachi (c. 1158) Majoris monasterii (Marmoutier) fusius disserit Hist. lit. XIII, 353—366.

vero non est inventus similis in Ecclesia romana pontifex, qui scriptis meis ita arrideret, qui oleum superfunderet ac thus poneret, quia qui ei postea successerunt, non ita me habuerunt notum ut ille«. Orto schismate occasione electionis Alexandri III., cui opponebatur Victor IV., diu haesit quem agnosceret pro pontifice. Postquam vero didicit Alexandri electionem fuisse legitimam, pro ipso etiam stetit. Multa propterea est passus: imo et cum monachis fugere coactus est de »nidulo« suo, ut ipse ait, propter invasiones hostiles. Disciplinam monasticam in sua canonia strenue servavit, de illius bono spirituali, imo et temporali plurimum erat sollicitus; per universam Germaniam et Italiam inclaruit magnaque pollebat apud omnes auctoritate. In persequendis simoniacis corrigendisque abusibus praesertim ecclesiasticorum acer admodum fuit non habita semper sufficienti ratione temporum et adjunctorum: hinc ejus imagini subscriptum: »Hic in corrigendis magnatum moribus laboravit«; nonnobstantibus tamen omnibus ejus querelis et censuris, Ecclesiae et romanis pontificibus addictissimus erat. Decessit 27. Jun. 1169, postquam die s. Joannis B. sacrum solemne habuit atque pro more concionatus est.

62. »Vix alius sec. XII. scriptor, inquit Sackur, tantam librorum molem, quantam Gerhoh. . . . posteris reliquit. Vix ullam, quibus homines tunc commovebantur, quaestionum disputare vel disserere praetermisit. Adversis et secundis temporibus ad membranas confugit; hic animi tranquillitatem, hic conscientiae pacem invenit«. Eorum aliqua primus edidit Pezius in thesauro anecd. noviss. t. I. II. V. et VI., longe plura exhibet Migne t. CXCIII. CXCIV. Potiora sunt: Commentarius *in Psalmos*, opus ingens in pp. 10 divisum, quarum tamen p. III (in Ps. 31—37), V. (Ps. 44-50) et IX. (in Ps. 78-118) Pezius supplevit ex commentario Honorii augustodunensis (cf. supra p. 29) inedito[1]). In eo temporis sui adversarios impugnat, res suae aetatis narrat atque in psalmis videt praedictas, ac singularem suam »de gloria et honore hominis in Deum assumpti et in Deum nati« sententiam, quam a monophysitismi errore non longe abesse aliqui censuerunt, exponit et defendit. Prolixiorem elaboravit expositionem in Ps. 64., quam inscripsit l. *de corrupto Ecclesiae statu* ad Eugenium III., cui propriis manibus l. obtulit. Eum ediderunt etiam Gallandi in bibl. vet. PP. XIV, 549—594 et Sackur MG. lib. de lite III, 413—492; (Migne XCIII, 997-1066) *Expositio* in canticum Issaiae (c. 12), Ezechiae (Is. 38), Annae (1. Reg. 2), Moysis (Ex. 15 et Deut. 32), Habacuc (c. 3), (Migne XCIV, 9—118). Sequuntur jam plurima opuscula christologici argumenti, quae controversiis occasionem praebuerunt, vel quibus adversariis respondet suamque sententiam tuetur: *Ep. ad Eberhardum* babenbergensem ep. Quomodo secundum s. Hilarium glorificaturus Filium Pater major; glorificatus autem Filius minor non sit, cum in symbolo Athanasii Filius aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem dicatur (ib. p. 1065-1072). *De gloria et honore Filii hominis,* sive de glorificatione naturae humanae in Christo[2]), ad Hartmannum ep. brixinensem (p. 1073—1161). Liber *contra duas haereses* (Pez thes. I, 2, 283—366), scil. contra Nestorium »qui detrahit homini divinitus con-

[1]) Aliquot fragmenta in varios psalmos edidit quoque Sackur in MG. lib. de lit. III, 411—439 et 492—502.

[2]) De hoc argumento sicut et de sacramentis excommunicatorum fere tota vita disputavit cum Eberhardo episcopo babenbergensi († 1172), cujus epistolae responsoriae plures supersunt. Initio quidem controversia erat sat pacifica, sed versus vitae finem acriter exarsit, quod ille Victori IV. adhaereret, Gerhohus Alexandro III.

cepto dans illi minorem gloriam Dei Patris gloria pro eo, quod natura ejus humana secundum sui conditionem minor est Patris natura, cui tamen aequalis est in gloria . . . Porro altera (haeresis) non aufert Christo, sed nimis tribuit antichristo, dum sacerdotes officio divino seu communione christiana synodaliter privatos asserit in officiis praesumptis Ecclesia contradicente conficere posse corpus Christi[1]).« — Contra plures Abailensis (Abaelardi) discipulos scripsit *l. ad Innocentium II.,* in quo prop. refutat »Hominem de virgine sumptum non esse Deum, sed ipsius Dei singulare habitaculum,« qui tamen periit. Contra alios discipulos Abaelardi scripsit *ep. ad Ottonem I.* ep. frisingensem, in qua tuetur s. Hilarium, cui quidam objiciebat, eum tradidisse »corpus Christi non esse glorificatum ultra ceterorum sanctorum corpora, nec humanam in Christo naturam in accepta gratia excedere excellentiam cujuslibet angeli.« — *De aedificio Dei* ad Chunonem ep. ratisbonensem seu de studio et cura disciplinae ecclesiasticae, quo in l. (ib. p. 1187—1336, magna ex parte in MG. lib. de lite III, 136-202 ed. Sackur) acriter vehementerque plures reprehendit abusus, ostenditque (sed minus clare et practice), quid quemque in Ecclesia statum deceat dedeceatque. Cum quibusdam nonnulla in eo displicuissent, coactus est opus ad incudem revocare omniaque ss. patrum conciliorumque auctoritatibus communire, ut Gerhohus rejici non posset, quin patres et concilia rejicerentur. — Tr. *adversus simoniacos*[1]) ad Bernardum ab. claraevallensem (1335—1372). *De differentia* inter clericum secularem et regularem l. epistolaris ad Innocentium II. in forma dialogi, in quo se tuetur adversus accusatores ipsum incriminantes, eum nimis urgere obligationem clericorum ad vitam communem, adeo, ut canonicos existimet irregulares et nisi ad eam convertantur, salvari non posse (Migne CXCIV, 1375—1426; in MG. l. c. III, 202—239). Propter has accusationes et suas de sacramentis schismaticorum et simoniacorum opiniones Romam profectus est ibique publice disputavit a. 1133 non sine fructu. Cum querelae et accusationes non cessarent, a Coelestino II. iterum Romam vocatus fuit, quo defuncto Lucius II. duas pro ipso scripsit epistolas, unam ad Conradum archiep. salisburgensem, alteram ad Romanum ep. gurcensem.

63. Scripsisse praeterea dicitur bb. abbatum formbacensium *Berengeri et Wirntonis OSB. vitas* (Migne t. cit. p. 1425—1444), genuinitatem tamen negant Wattenbach et Riezler. *De Henricis IV. et V.* imp. et Gregorio VII. (quem summi fecit) nonnullisque consequentibus rom. pontificibus syntagma, ex parte a Gretsero et Migne ib. 1443-

[1]) Ita ipse in proemio opusculi. Ceterum etsi singularis, imo dura sit ejus loquendi ratio, tamen a communi theologorum, imo et Ecclesiae doctrina recedere non videtur, ut cum c. 6. statuit: „Cum ergo dicit auctoritas: Non est corpus Christi, quod schismaticus efficit: subintelligendum est, quantum ad essentiam, rem et efficientiam, quod tamen specietenus et sacramentotenus dici potest corpus.“ Fatendum vero est, alibi eum ita loqui, ut videatur errare circa sacrificium missae. Ita ex. gr. de gloria et honore Filii hominis scribit: „Ex his colligitur, quod in Ecclesia sola corpus Christi praesentatur, ubi a sacerdotibus catholicis missa ritu ecclesiastico celebratur. In quorum consortio non reputantur simoniaci et sub excommunicatione interdicti“ etc. Hinc etiam delatus fuit apud legatum Innocentii II. Gualterum ravennatensem archiep., qui tamen accusationis rationem non habuit.

[1]) Prologum, qui deest apud Migne, et emendationes ad hunc tr. ex cod. exhibet Jaksch in Mittheil. des Institut für österr. Geschichtsforsch. 1885. VI, 254—69. Librum ipsum sub inscriptione *De eo, quod princeps hujus mundi jam judicatus sit*, exhibet Sackur in MG. lib. de lit. III, 240—272.

1480 editum; sed plenius et accuratius nondum tamen integrum a Scheibelberger inter inedita Lincii 1875, sub inscriptione originali *ll. 3 de investigatione antichristi,* quo in op. nefanda refert de Henrico IV., abusus curiae romanae graviter redarguit, inquirit in advenientis antichristi signa: censet vero antichristum non esse unum et singularem hominem sub mundi clausulam exoriturnm, sed omnes Ecclesiae oppugnatores ac persecutores[1]). Propter copiam rerum eo tempore gestarum et notitiarum gravium molem inter Gerhohi opera primum obtinet locum juxta historicos teste Sackur. Inter haec (antea) inedita est etiam ejusdem tr. *contra Graecorum errorem* negantium Spiritum s. a Filio procedere; *de quarta vigilia noctis,* occasione schismatis Friderici I., pro hujus historia magni momenti, ultimum Gerhohi in fugam missi opusculum in forma dialogi editum primum a Scheibelberger in österr. Vierteljahrsschr. für k. Theol. X (1871), 569—606 et a Sackur l. c. p. 503—525. In eo deplorat schisma sui temporis quartamque esse jam illam vigiliam (Matth. 14, 25) noctis, qua Christus Ecclesiae periclitanti succurrere debeat. Dolendum Scheibelbergeri ed., quae t. 3 complecti debebat, non fuisse absolutam. Variis in operibus et ep. (7) ad Adamum abbatem eboracensem impugnat errorem Folmari praepositi Petrae stillantis (Triefenstein) de eucharistia, quem hic hisce verbis expressit in ep. ad Eberhardum archiep. salisburgensem: »Ego igitur in sacrosancto mysterio sicut spiritualis uvae meracissimum sanguinem sub vini sapore ac specie bibere me quidem, sed solum et purum sine carne non dubito: ita solam et puram carnem Christi sine ossibus, sine membris corporalibus, imo et sine humani corporis plenitudine sub panis sapore ac specie manducare me credo; nec me Filium hominis, sed carnem Filii hominis manducare confiteor.« Retractavit quidem Folmarus suum errorem circa eucharistiam, sed incidit in adoptianismum[1]) libellisque Gerhohum insectatus est. Haud paucas reliquit *epistolas* de argumentis in primis theologicis: quas magna ex parte edidit Pez thes. VI, 444-608; Migne CXCIII, 489—618. — Opusculum ejus *de schismate ad cardinales* primum edidit Mühlbacher in Archiv für öst. Gesch. XLVII, 357—382; dein Sackur l. c. 401—411. Plura ipsius scripta manserunt inedita, cujusmodi sunt *de ordine donorum Spiritus s.; de novitatibus hujus seculi* ad Hadrianum IV., in qua summatim plura complectitur ex suo commentario in Psalmos[2]), et quae

[1]) Fragmenta jam exhibuit Jod. Stülz in Arch. der Wiener Akademie XX. 127-188 a. 1858; l. primum integrum exhibet Sackur MG. l. c. III, 305—395.

[1]) Cf. de his controversiis deque Folmaro († 13. Apr. 1181) Kaltner Tüb. Qtlschr. 1883 p. 523-552; Leflad KL.² IV, 1592—5; Bach ib. I, 242 ff.; Dogmengesch. des M. A. II, 391 ss.; 400 ss. Folmari tr. *de carne et anima Verbi Dei* quadamtenus adversus Gerhohum periit. Contra Folmarum scripsit (praeter alios, quos cf. Migne CXCIV, 1481—1490) etiam Arno, Gerhohi frater et in praepositura successor, vir insigniter doctus, de quo Bach KL.² I, 1416: Er ist in der Abendmahlsfrage und in dem Adoptionsstreit des 12. Jahrh. einer der bedeutendsten Theologen Deutschlands († 1175). Praeter ejus *scutum canonicorum* impressus etiam est *Apologeticus* contra Folmarum cujus antea fragmentum tantum prodiit (Migne 194, 1495—1538), sed cura Const. Weichert integer ad fidem unici qui exstat cod. mscr., Lipsiae 1889, de quo l. Bach: In letzterer Schrift tritt Arno als gewandter und tiefsinniger Apologet so wohl der wirklichen Gegenwart des Leibes Christi in der Eucharistie, als der lebendigen Einheit der beiden Naturen in der Einen Person Christi auf. Aggressus quoque est Folmarum clericus quidam salisburgensis, quem aliqui conjiciunt esse Rudiger Gerhohi et Arnonis fratrem.

[2]) Horum opusc. fragmenta reperies in Zeitschr. für kath. Theol. Oeniponti 1885. IX, 539—53. quibus a Grisar ejus

spectant historiam sui temporis. Scripta ejus magnam testantur eruditionem in patrum operibus et jure canonico, cognitionem accuratam s. Scripturae, atque notitiis de historia sui temporis ecclesiastica, profana et literaria referta sunt[1]).

64. Ernaldus (Arnaldus) O.Ci. Bonaevallis in valle carnotensi abbas, s. Bernardo maxime intimus et familiaris, scripsit tr. *de operibus sex dierum; in Ps. 132.* hom. 5; *de donis Spiritus s., de cardinalibus operibus Christi* usque ad ascensum ejus ad Patrem, ad Hadrianum IV. P. M., olim inter s. Cypriani opera vulgatum; *de septem verbis* Domini in cruce, *de laudibus b. Mariae V., meditationes* (Migne CLXXXIX, 1517-1761). Continuavit quoque *vitam s. Bernardi* a Guilelmo a Theodorico coeptam (secundam, Migne CLXXXV, 267 s.; excerpta in MG. SS. XXVI, 99-109). Variis vexationibus gravatus bis Romam confugit et a. 1154 consentiente Hadriano IV. abbatiae renunciavit[2]), decessitque post a. 1156. — Radulphus OSB. flaviacensis[3]) monasterii in territorio bellovacensi abbas (fl. 1157) reliquit commentaria *in Leviticum ll. 20* suo aevo celebrata, excusa primum Coloniae 1536; dein in bibliotheca PP. coloniensi t. X, et lugdunensi t. XVII. Inedita sunt ejus commentaria *super parabolas Salomonis* etc. — S. Aelredus (Alredus Adelredus etc.) O. Cist. abbas rhievallensis in Anglia, praeter *sermones* (*25*) *de tempore* et *de sanctis* habuit sermones (32) *de oneribus* in cc. 13 ss. Isaiae prophetae. Reliquit *speculum caritatis,* cujus etiam compendium confecit; *de spirituali amicitia l.* inter opp. s. Augustini suppositа Migne XL, 831—844); *de vita eremetica* ad sororem, inter opera s. Augustini Migne XXXII, 1451—1474; tr. *de puero Jesu duodenni*; *vita s. Niniani ep.* († 432) in Actis SS. 16. Sept. V, 318—28, in Historians of Scotland t. V ed. Forbes etc.; et alia historica, ut *de sanctis ecclesiae hagelstadensis,* in Memorials of Hexham priory t. 1, ed. a Raine, Londini 1864; *vitam s. Eduardi* regis et confessoris[1]) etc. Prodierunt ejus opera collecta cur Ric. Gibon Duaci 1610; Migne CXCV, 209—796. Erat Aelredus nobilibus in Anglia parentibus natus, ab ipsa tenera aetate in timore Dei et bonis studiis sollicite educatus. Crescente cum annis pietate factus est ordinis cisterciensis monachus atque inter sodales virtutum literarumque cultura eminuit, ideoque electus abbas rhievallensis, qui locus eboracensis dioecesis est. Ejus fama pervenit ad aures Davidis Scotorum regis, qui eum invitum, cum honores refugeret, fecit sibi familiarissimum. In scriptis, dictis, factis omnique vitae

---

mens de investitura declaratur; et in MG. lib. de lit. III, 273—283 et 289—304 ed. Sackur.

[1]) Cf. Lefflad KL.[2] V, 378—91; Stülz Propst Gerhoh I. in den Denkschr. der Wiener Ak. hist.-phil. KL. I, 1850, 113 ss.; Bach Pr. G. etc. in der österr. Vierteljahrsschr. 1865 IV. 19—116; Binterim Geschichte der deutschen Conc. IV, 187—212; Rump. lit. Hdw. 1874 c. 501 ss.; Potthast p. 502; Ribbeck Forsch. zur deutschen Gesch. XXIV (1884), 1—80.

[2]) Cf. Streber KL.[3] I, 1418. Hist. lit. XII, 535—541.

[3]) Distinguì ab eo debent: Radulphus de Diceto († 1202), de quo infra; R. Glaber († 1050) de quo cf. I,[3] 956); R. Niger suffolciensis, archidiaconus glocestrensis, qui proditionis apud Henricum II. accusatus, quia s. Thomae cant. addictus, pulsus est in exsilium, (fl. 1171) Scripsit *chronicon* a Christo incipiendo; aliud ab o. c., cujus excerpta leguntur in MG. SS. XXVII, 327—41; *The chronicles of Ralph N.* ed. ab Anstruther Londini 1851. — Radulphus (Rudolfus) OSB. monachus s. Sepulcri, qui circa a. 1290 scripsit *vitam s. Lietberti* ep. cameracensis et atrebatensis (1051-76). Prostat ea cum Henschenii commentario in Actis SS. mense Jun. IV, 586; in Monum. G. SS. VII, 528—38 ed. Pertz; Migne 146, 1449—84. Cf. Hist. lit. XI, 686—689. — De Radulpho de Rivo infra agetur. Cf. Zeck KL.[2] 10, 731.

[1]) Reperitur ea integra solum apud Twysden hist. angl. Script. p. 369—414.

ratione erat s. Bernardi diligentissimus imitator. Decessit in odore sanctitatis 12. Jan. 1166, atque sub Henrico II. Anglorum rege inter sanctos relatus est[1]). — *De oneribus decem Isaiae* disseruit etiam Godefredus OSB. abbas weingartensis (1130), dein admontensis (1138; † 25. Jun. 1165). Incredibile est quantum commodi, lucis et gloriae huic monasterio per ipsum accesserit. Incendio deletum ex cineribus resuscitavit, bibliothecam auxit, disciplinam promovit, adeo ut minimum 20 sodales in abbates aliorum monasteriorum assumerentur. Reliquit praeterea l. *de benedictionibus Jacob patriarchae, homilias 17* in diversos Scripturae locos V. T., et homilias *dominicales* (92) et *festivales* (84), quae omnia edidit[2]) Pez Anecd. II, 1; seorsim Augustae V. 1725 t. 2 in 1 v.; Migne CLXXIV, 21—1212. — Wolbero OSB. monasterii s. Pantaleonis coloniensis abbas († 9. Apr. 1167) reliquit pro monialibus pia *super Cantica canticorum* Salomonis commentaria in 4 ll. distributa (Migne CXCV, 1005-1278), quae primum edidit H. Gravius, Coloniae 1630.

65. Zacharias Chrysopolita (quia ex Goldsborough, probabilius quia bisuntinus erat), prius scholae bisuntinae magister, dein O. Praem. in abbatia s. Martini laudunensi († c. 1156), quatuor Evangelia in unum continuum opus ab Ammonio alexandrino redacta opere. In unum ex quatuor sive de *concordia Evangelistarum* et desuper expositio continua ll. 4 illustravit duces sequens ss. patres, ratione tamen habita potius sensus moralis et allegorici, quam literalis[1]). Opus pro eo tempore laude dignum. Prodiit primum Coloniae 1535 etc.; Migne CLXXXVI, 11—620. — Herveus Cenomannus n. c. 1080 OSB. monasterii burgidolensis (Bourg-Dieu, Déols) dioecesis bituricensis illustre decus et ornamentum, ob virtutis culturam venerabilis salutatus, de quo sodales in encyclica de ejus obitu epistola testantur: „De omni tempore vitae ejus dixerimus, in diebus nostris majoris abstinentiae, pudicitiae mundioris, sanioris consilii, humilitatis altioris, taciturnitatis magis assiduae, locutionis plus circumspectae prorsusque a vanitate alienae, purioris vel amplius catholicae doctrinae inque universa morum honestate praeclariorem nullum nos cognovisse.“ Obiit a. 1150 vel 1149. Plura composuit opera[2]), ex quibus

---

[1]) Cf. Vita in actis SS. t. 1. ad diem 12. Jan.; Pitseus de ill. Angliae scriptoribus.

[2]) Cf. Pez in diss. praevia; Ziegelbauer § 12; Wichner Geschichte des Benediktinerst. Admont. Graecii 1874. I, 81. Alius ab eo est Godefridus episcopus lingonensis, qui eodem a. 1165 decessit. Hic *passionem s. Mamantis M.* narrat, quam habes in Act. SS. 17. Aug. III, 435—439. Cf. Wurm H. J., Gottfried B. von Langers, ein biogr. Versuch als Beitrag zur Gesch. des 12. Jahrh., Würceburgi 1886 in 8.

[1]) Cf. Schmid in fasc. tubing. 1886, 531—547; 1887, 231—75, qui accuratissime de auctore ejusque opere disserit, deque eo ita censet: Dass derselbe (Kommentar) allerdings noch vorwiegend katenenartige Darstellung hat, aber dennoch in vielem selbständig ist, durch theilweise grammatische Behandlung des Stoffes, durch die meist scholastischen Expositionen, sowie durch Reichhaltigkeit der gebrachten Erklärungen viele exegetische Arbeiten des Mittelalters überragt, ja wenn wir die catena aurea des h. Thomas ausnehmen, die beste Leistung als Gesammtkommentar zu den Evangelien genannt werden darf. Bellesheim KL. XII, 1861.

[2]) Cf. Pez. praef. t. III. anecd. pag. IV; Hist. littér. XII, 344; Braunmüller KL.[2] V, 1917, qui de eo scribit: H. ist sehr belesen in den h. Vätern, durchaus rechtgläubig, streng in seinen Anschauungen, echt kirchlich gesinnt, voll gerechten Tadels über die Mißbräuche und Mißstände seiner Zeit;“ Ziegelbauer l. c. § 3., qui epistolam encyclicam sodalium ejus encomium complectentem exhibet. Eam habes etiam in Migne CLXXXI, 10. — Alius ab eo est Herveus Majoris monasterii, cujus epistolam *de cultu s. Martini turon.* habes in Anal. boll. III, 217-221.

prodierunt commentariorum *in Isaiam* ll. 8, in quibus multum sequitur s. Hieronymum; primum eos edidit Pez Anecdot. t. III; commentaria bona et pia *in ep. d. Pauli*, in quibus utitur scriptis patrum, sed et de suo plura addit atque singula accurate expendit, primum edita ab Hittorp Coloniae 1533 inter opera s. Anselmi, cui tributa a pluribus fuere. Ea habes in Migne P. L. t. CLXXXI. Inedita sunt commentaria in Ezechielem, in lamentationes Jer., in XII prophetas minores. — Garnerus (Guarnerus) can. reg. et subprior s. Victoris parisiensis[1]) concinnavit non sine ingenio opus inscriptum *Gregorianum* h. e. allegoricae omnium pene rerum in biblicis contentarum explanationes promptae ex universis d. Gregorii papae scriptis in ll. 16 distributum. Initium ducit ab omnium conditore Deo, cui coelestes subjungit spiritus, his proxime coelestem machinam et singulas orbium mobilium stellas, moxque passiones aëris multiplices etc. Edidit illud Picardus Parisiis 1608; dein Migne CXCIII, 23—462. — De simili opere Alulfi (Alalfi, Aluf) toranensis canonici, dein monachi OSB. in monasterio s. Martini, in quo bibliothecarium egit († 1144), egimus supra I, 559 a.

[1]) Alius ab eo est Garnerus seu Guarnerus de Rochefort O. Ci. ex abbate claraevallensi episcopus lingoniensis (1192-1195. † 1199), cujus *sermones* (40) exhibet Tisier in bibl. cist. III, 75 ss.; Migne CCV, 559—827. Cf. Gallia christ. 4, 591 ss. Nostra aetate ipsi asseruit Cl. Baeumker tr. adversus Amalricanos, quem edidit inscriptum: Ein Tractat gegen Amalricianer aus dem Anfang des 13. Jahrh., 1893.

III. Historia ecclesiastica.

66. Vitalis Ordericus (Odericus, Oldericus) natus est apud Attingesham prope Shrewsbury urbem in Anglia 17. Febr. 1075. Puer decennis missus fuit a patre in S. Ebrulfi monasterium uticense (Ouche) in Normannia, ubi cognominatus est Vitalis. Pietati et studio totus deditus hortatu sui abbatis Rogerii et rogatu sodalium insigne opus *historiae ecclesiasticae*[1]) sive utile censis historiae tripartitum composuit, divisum in ll. 13. Hujus p. 1. (ll. 1—2) res a Christo nato summarie describit usque ad a. 140; p. 2 (ll. 3—6) persequitur bellica Normannorum gesta in Francia, Anglia, Apulia; monasteriorum fundationes, episcoporum et abbatum totius pene Neustriae seriem et res gestas multaque alia notatu digna, praecipue sub Guilelmo II. duce cognomine Notho, luculenter exponuntur. P. 3. (ll. 7—13) plura referuntur de morte Guilelmi regis († 1087) tribusque ejus filiis Roberto, Guilelmo et Henrico; de itinere item hierosolymitano a. 1097 et variis aliis illorum temporum eventibus. Communi eruditorum

[1]) Inter graecos hac aetate prae primis innotuit Joannes Zonaras summis in aula imperiali muneribus functus, qui defuncta uxore relicto mundo in monasterium insulae principum (Hagia Glykeria) secessit atque eo in secessu plura elaboravit opera, inter quae praecipua sunt *Epitome historiae* ab o. c. ad a. 1118 ll. XVIII, prolixa et pretiosa, quia plura continet ex fontibus jam deperditis. Saepius prodiit, ut in corpore SS. byz., cura L. Dindorf Lipsiae 1868-1875 t. 6; Migne P. G. CXXXIV—CXXXV, 1—438. *In canones* s. apostolorum et s. conciliorum tam oecumenicorum quam particularium *commentarii* cura Beveridge in suo synodico, Oxonii 1672; Migne CXXXVII, et quaedam alia, quae habes Migne CXXXV, 413—438 et CXIX, 1011—1119. Vixisse dicitur ultra dimidium sec XII et a. 89 aetatis attigisse. Cf. de eo Du Change in praef. suae ed., etiam in Migne CXXXIV, 9—29; Krumbacher p. 370—376.

consensu hoc opus magni aestimatur[1]) et Antonius Pagi ad a. 1141 Annalium eccl. n. 7 testatur: »Ex Orderici historia multa ad supplendos annales ecclesiasticos mutuati sumus; nam licet hic auctor non raro in chronologiam peccet, multa tamen scitu dignissima in medium profert et sincere narrat. Existimo eum ante mortem opus suum revidisse« etc. Illud primus edidit Du Chesne in Historiae Normannorum scriptoribus (319-925), Parisiis 1619; inde Migne CLXXXVIII, 17—984; Parisiis 1838—45 t. V cur. Aug. Le Prévost, Besançon 1891; segmenta in MG. SS. XX, 50-82 col. XXVI, 11-28. Dubois illud gallice vertit Parisiis 1827 t. 4 in 8. Paulo post a. 1143 auctor decessisse videtur.

67. Majoris forte celebritatis est Chronicon Ottonis maximi inter scriptores germanos historicos medii aevi[2]), natalibus illustrissimi, fuit enim Henrici IV. imp. nepos, filius s. Leopoldi marchionis Austriae, Conradi III. frater uterinus et Frederici I. Barbarossae patruus (n. c. 1114). Parisiis studiis aliquot annos operam dedit. In reditu celebre tunc monasterium morimundense invisit et spiritu optimo regularis disciplinae, qui ibidem vigebat, captus cum quindecim electissimis clericis, itineris sociis, professionem monasticam ord. cist. est amplexus (c. 1134) factusque etiam abbas (1136). Defuncto episcopo frisingensi electus est a. 1137 in ejus successorem, sed habitum monasticum nunquam deposuit. Bonum suae ecclesiae spirituale et temporale plurimum promovit. Fere primus cognitionem et studium ll. Aristotelis Germaniae regionibus intulit disputationumque usum. Propter stirpis nobilitatem et dignitatem munerum magnas habuit partes in negotiis quoque politicis: Conradum III. comitatus est in terram sanctam (1147—1148), quae expeditio effectu caruit: infirmus se contulit ad ordinis capitulum generale Morimundi celebratum ibique decessit 22. Sept. 1158. Ejus *chronicon* complectitur res gestas ab initio mundi ad a. 1146 ll. 7, subjuncto l. 8, in quo agit de fine mundi, antichristi persecutione, resurrectione mortuorum, judicio finali, gloria beatorum atque suppliciis damnatorum[1]). Prae oculis autem habet Augustinum de civitate Dei et Orosium: in factis referendis plurimum utitur Ekkehardo (cf. supra p. 34). Hujus operis veluti continuatio sunt ll. 2 (nimis laudatorii) *de gestis Friderici Barbarossae* usque ad a. 1157, quibus inseruit plura monumenta magni pretii. Moriens jussit eos sibi afferri virisque doctis et piis legendos dedit, ut corrigerent ea, quae forte opinioni Gilberti Porretani, sui quondam magistri, faventia dixisset, ne cuidam scandalum mo-

[1]) Schroedl KL.[2] IX, 1023: Über die ältere Geschichte der Normandie, sowie besonders einzelner Klöster in derselben bietet das Werk reichen Inhalt dar, und es bleibt für die Kirchengeschichte und die Geschichte jener Zeit sowohl durch Umfang des Gesichtskreises, als auch durch das Streben nach genauen Nachrichten eine sehr wichtige Quelle . . . O. schöpfte mit vieljährigem mühsamen Fleiß aus einer Menge der besten und kostbarsten Quellen und ist nur in einzelnen fernliegenden Punkten unzuverlässig. Cf. Potthast p. 879; Hist. lit. XII, 190—204.

[2]) Ita Michael Gesch. des deutschen Volkes III, 329, Freiburg 1903. Cf. Büdinger Universalhistorie im Mittelalter II, 26—41.

[1]) Weber KL. IX[2], 1184: Er durchdringt den historischen Stoff philosophisch als der erste und einzige Geschichtschreiber dieser Richtung im deutschen Mittelalter. In den leitenden Gedanken lehnt er sich an Augustinus u. Orosius. Er selbst nennt seine Chronik ein Buch de duabus civitatibus und versteht darunter Babel und Jerusalem, das irdische und himmlische Reich, welche er hienieden vermischt im Kampf erblickt. Im 8. B. spricht er vom Weltuntergang, von der Scheidung beider Reiche nach der Auferstehung und von der künftigen Herrlichkeit.

verent: se enim fidem catholicam secundum regulam Ecclesiae romanae velle defendere. Scrupulum ei movebat paulo acrior, ut nonnullis videtur, censura, qua s. Bernardum tamquam Gilberto plus justo infensum perstrinxerat. Opus continuavit[1]) ejus discipulus et notarius Rahewin (Radewin, Rachwin, Ragewin, Reguin) canonicus frisingensis et praepositus s. Viti († p. 1170), adjectis ll. de gestis Friderici 3. et 4. ad a. 1160; *chronicon* ab a. 1146 ad a. 1209 annalium modo Otto OSB. abbas s. Blasii (1222; † 23. Jul. 1223), qui fere assequitur auctoris primi dotes, quamvis haud raro in chronologiam peccet[2]). Utrumque opus cum Radevici continuatione primo vulgavit Cuspinianus Argentorati 1515 ed. egregia; et aliis ed. omissis accuratissime Wilmans inter MG. SS. XX, 83—334; seorsum Hannoverae t. 2 1867; et *Gesta Friderici* in MG. ib. 338—493; ed. Waitz Hannoverae 1884 ed. 2. emendata; utrumque (prioris ll. 6 et 7) etiam germanice vertit Horst Kohl inter Geschichtsschreiber der deutschen Vorz. 12. Jahrh., Lipsiae 1881 t. 8 et 9.

68. Pelagius ovetensis episcopus († 1156, secundum alios 1153), continuavit brevissime et incomposite *chronicon,* quod post Idatium Isidorus pacensis, Sebastianus salmanticensis et Sampirus asturicensis produxerant usque ad Ranimirum († 982), usque ad Alphonsum VI. (1020—1109). Prodiit[1]) cura Prudentii Sandovalli, Pampelonae 1615. 1634; in Florez España sagr. XIV. 472—90. — Petrus Bechini filius[2]), canonicus s. Martini turonensis (1143-60), scripsit *chronicon* ab o. c. —1137, cujus posteriorum p. ab a. 250 edidit Salomon in Recueil de chroniques de Tourraine p. 1—63; fragmenta Holder-Egger in MG. SS. XXVI, 477. 478. — Theodorici OSB. aeditui monasterii ss. Mariae et Heriberti (fl. 1164) plura exstant opuscula historica, inter quae *summam cunctorum* qui nosse cupias chronicorum haec lege i. e. chronicon universale brevissimum ab o. c. —1163; et *catalogus pontificum rom.,* ed. Holder-Egger in MG. XIV, 571—77; *catalogus archiepiscoporum coloniensium,* ib. XIII, 285-287; *catalogus abbatum* ad a. 1164 (ab aliis continuatus ad a. 1545) cum aliis spectantibus ad monasterii historiam ib. XIV, 560—564 et in Archiv für die Geschichte des Niederrheins cum copioso commentario ed. Lacomblet.

---

[1]) Cf. de Ottonis op. et continuatione Wattenbach in op. Deutschlands Geschichtsquellen II. V § 4, qui de hac ita censet: An philosophischer Tiefe mag Otto den Rahewin übertroffen haben, aber keineswegs an den Eigenschaften, welche dem Geschichtschreiber am nöthigsten waren; vielmehr ist Rahewin darin seinem Meister vorzuziehen, daß er sich nicht durch philosophisch-theologische Gesichtspunkte leiten läßt, sondern seine volle Aufmerksamkeit der Geschichte unbefangen zuwendet und kein anderes Ziel erstrebt, als diese der Nachwelt zu überliefern. In der Meisterschaft der Sprache und der Darstellung aber ist kaum ein Unterschied zu bemerken. Als gleichzeitiger Bericht über die Geschichte der Gegenwart ist das Werk Rahewins schwerlich übertroffen. Cf. eundem allgem. d. Biogr XXIV, 688. 741; Heinrich Thomä die Chronik des Otto von St. Blasien kritisch untersucht. Diss. Leipzig 1877.

[2]) Cf. Bernheim der Charakter Otto's von Freising und seine Werke in Mittheil. des Institus für österr. Geschichtsforsch. 1885. VI, 1—57; Potthast p. 884 ss.; O. Holder-Egger XIV, 533-537. Hujus Rahewin videtur etiam esse insignis dialogus *de pontificatu s. romanae Ecclesiae,* de quo sicut et de auctore cf. H. Boehmer in N. Archiv der Gesellsch. für ältere deutsche Geschichtskunde 1896 t. XXI. p. 635—84. Edidit illum in MG. lib. de lit. III, 526—546.

[1]) Cf. Fabricius 5, 212; Nic. Antonius Bibl. hisp. vetus t. II. c. 3 n. 44 ss.

[2]) Alius Petrus de Raymundo. OSB. abbas s. Maxentii reliquit *chronicon* a creatione mundi ad a. 1134 ll. 2, cujus l. 2 pluribus omissis edidit Labbe in bibl. nov. p. 190—221. Cf. Hist. lit. XIII, 405—407. Obiit post a. 1163.

69. Plurium rom. pontificum vitas narrat Petrus Pisanus. Erat ipse scriptor vel scriniarius et notarius sacri palatii et a Paschali II. creatus est diaconus cardinalis; ejus enim causam strenue tuebatur adversus rebelles. Gelasium II. in Gallias confugientem comitatus est, atque Calixto II. et Honorio II. operam suam in rebus sacris indefesse navavit, sed electo Innocentio II. cum aliis cardinalibus ad Anacletum II. pseudopontificem defecit. Diu tenuit hoc schisma, sed s. Bernardi industria Petrus demum legitimo pontifici reconciliatus est (1137; † 1144). Scripsit fusius *vitam Paschalis II.* (Migne CLXIII, 13—28), atque librum Pontificalem diu neglectum continuavit ampliando et retractando notitias antea jam collectas de pontificibus a Leone IX. usque ad Paschalem II; sequentium pontificum vitas scripsit Pandulfus ut jam supra p. 42 diximus. Alia nostri Petri scripta sunt: *Gestorum triumphalium per Pisanos factorum* narratio, edita in Anecdotis Ughellianis It. sacrae X², 91—95, et *epistola* universi romanae urbis cleri et populi ad Didacum archiep. compostellanum, in qua narrat electionem Analecti pseudopontificis 10. Apr. 1130 factam, apud Watterich Vitae rom. pont. II, 187—190, quem cf. de nostro auctore in proleg. I. pag. LIV—LXXI. — Paulus de Bernried canonicus ratisbonensis spiritus vere ecclesiastici, strenuus erat adversarius simoniae et concubinatus sacerdotum, et ab Henrico V. in exsilium fuit actus; hinc ad canonicos regulares bernriedenses in dioecesi augustana confugit atque inter eos fuit receptus[1]). In itinere romano documenta collegit pro conscribenda fusiori *vita Gregorii VII.*, cujus est intrepidus apologeta. Edidit illam Gretserus Ingolstadii 1616 in 4; inter acta SS. 25. Maji VI, 113—143, apud Mabillon, Muratori, in primis apud Watterich Rom. Pont. vitae I, 474—546 et in Migne P. L. CXLII, 39—104 etc. Narrat quoque *vitam s. Herlucae* V. boicae († 1142), inter acta SS. 18. Apr. II, 552—57; et cum vita Gregorii VII. Ipsius non esse videtur *Vita s. Erardi*, sed Pauli (Paululi) quondam Judaei. Cf. Nomencl. I,³ 1097. Videtur decessisse ante a. 1156; forte c. a. 1145.

70. Inter rerum *anglicarum* scriptores, qui seculo XII. floruerunt, primum locum tenet Guilelmus, quem Usherus praecipuum post Bedam Angliae historiographum vocat aliorumque historiographorum ducem. Natus est c. 1096 forte Somerseti, fuitque monachus malmesburiensis OSB., praecentor et bibliothecarius, vir literarum amore, industria et doctrina conspicuus, qui iterum iterumque res patrias et externas exponendas sibi sumsit ideoque magnam apud posteros laudem meruit. Fere nihil de ejus vita scimus, atque etiam mortis incertum est tempus; sed cum ultimum ipsius opus in maximis ejus aetatis gravissimisque eventibus videlicet a. 1142 abrupte desinat, eum hoc a. aut sequenti (juxta quosdam a. 1145) interiisse supponitur[1]). Laboriosissimum fuisse scriptorem testantur opera, quorum non minus quam viginti ante a. 50. aetatis suae composuit. Ea tamen non omnia prodierunt; ex his (cf. Migne CXXIX, 955—1774) potiora sunt: *Gesta regum anglorum* (ab. a 449—1127) atque *historiae novellae* (ab a. 1127—42); utriusque excerpta in MG. SS. X, 449—485 et aliqua XIII, 134—39; prodiit utrumque post edi-

[1]) Cf. Jo. May Neues Arch. der Gesellsch. für ältere deutsche Gesch. 1887. XII, 335—352; Hermann ib. 1889. XIV, 567 ss.; Greving Pauls v. B. Vita Gregorii VII. Münster 1893 in Kirchengesch. Studien (ed. Knöpfler et Sdralek II, 1); Esser KL. IX, 1712; Gretseri proleg. ad vitam a se editam, etiam in Migne l. c. p. 219—227.

[1]) Hardy in praef. ed. suae op. Guilelmi; Potthast p. 557; Schrödl KL. XII, 1611; Schüz p. 548—551.

tiones mendosas accurate cura Hardy Londini 1840 t. 2 in 8; in primis William Stubbs, ib. 1887—89 t. 2 in 8; anglice ed. a Jos. Stevenson in *Church historians of England,* ib. 1855 t. 4; *de gestis pontificum anglorum* (600—1125) *ll. 5,* ed. Hamilton 1870 inter SS. rer. Brit, m. aevi n. 52. Hujus l. V. est *Vita s. Aldhelmi* († 709). *De antiquitate glastoniensis ecclesiae* (Hearne ed. Oxonii 1727 I, 1—122); *de vita s. Dunstani* episcopi wigorniensis in Stubbs Memorials of s. Dunstan 1874 p. 250—324. *Vita s. Wulstani* († 1095) ei tributa (cf. Migne ib. p. 1735-1772) est potius Guilelmi wigorniensis. Plura alia inedita ei tribuuntur. Nonnullis displicet, quod legendas nimis credulus historiae inseruerit, neque satis rationem habuerit in narrandis eventibus notae temporis; scriptorem se tamen veracem et sincerum exhibet: utitur stilo eleganti et ornato. De eo ita habet Lelandus[1]: „Cujus libros, cum in manus sumo, sumo autem cum frequentissime tum lubentissime, toties vel admirari cogor hominis diligentiam, felicitatem, judicium. Diligentiam, quod passim ostendat se ingentem bonorum auctorum numerum legisse: felicitatem, quod eorum elegantiam et nervos aemulus ipse in suis lucubrationibus belle exprimat: judicium denique, quod multa ab aliis temere scripta ad incudem revocet revocataque luci et veritati restituat." — Aelfredus (Alverdus, Aluredus) compilavit, ut videtur (fl. c. 1143), ex Galfridi monmutensis chronico *annales britannicos* sive historiam de gestis regum Britanniae (a Bruto usque ad 1129), quam Th. Hearne edidit Oxonii 1716. — Porro Galfridus (Gallofredus, Jeffrey) erat archidiaconus primum, dein episcopus asaphiensis seu elsiensis († 1154), ejusque celebris sed fabulosa *Historia Britanniae* ll. XII seu Britanniae utriusque regum et principum origo et gesta ex britannico sermone latine translata ll. 12 prodiit Parisiis 1508; 1517; inter scriptores brit. rerum, Heidelbergae 1587; ed. Giles inter Scriptores monasticos, Londini 1844; germanice ed. S. Marthe (A. Schulz) Halae 1854 ed. optima. Hujus op. l. 7. est *Prophetia Merlini* Ambrosii Britanni ex incubo olim (ut hominum fama est) ante a. 1200 circiter in Anglia nati, vaticinia et praedictiones a Galfredo latine conversae, seorsim editae[1]) cum ll. VII explanationum Alani de Insulis, Francofurti 1603 etc. Epitomen prioris operis confecit Ponticus Viruniu§ Tarvisinus († 1520), quae prodiit 1508; Augustae V. 1534; Heidelbergae 1542, et ib. 1587 inter rerum brit. SS. — Henricus ex lincolniensi canonico archidiaconus huntingdonensis (post a. † 1154) scripsit petente Alexandro ep. lincolniensi *historiam anglorum ll. XII* 55—1154), quorum tantum octo prodierunt cura H. Savilii inter scriptores rerum anglic., Londini 1596 et Francofurti 1601. p. 295—399; Migne CXCV, 799-978. Ex l. IX. edidit D'Achery in suo spicilegio (III, 503 ed. novae) ep. *de contemptu mundi* sive de episcopis et viris illustribus sui temporis (Migne ib. 979-990). Critice eam edidit Th. Arnold inter rerum britann. medii aevi scriptores n. 74, Londini 1879, ubi et quaedam fragmenta exhibet l. X., qui erat *de sanctis Angliae* ab Oswaldo usque ad Wilfridum[2]). Pro temporibus remotioribus, ut per se patet, minoris est auctoritatis, pro vicinioribus magni pretii.

71. Documenta pretiosa ad historiam Angliae sui temporis illustrandam con-

[1]) De scriptor. M. Britanniae c. 166. Cf. Christlieb. Realenc. XVII², 134—137.

[1]) Cf. editiones et versiones utriusque op. apud Potthast p. 487 s. Ipsius non est *de vita et vaticiniis Merlini Calidonii* carmen heroicum sub ejus nomine editum, Londini 1833. 1837.

[2]) Cf. Streber KL.² V, 1711. Quaedam ex illis ll. exhibentur et in MG. SS. XIII, 148—154. Anglice prodiit interprete T. Forester, Londini 1850 in 8.

tinentur epistolis 394 s. Thomae cantuariensis. Natus est Thomas Becket Londini 21. Dec. 1118. Absoluto studiorum curriculo, quibus Parisiis et etiam aliquamdiu Bononiae operam dederat, factus est canonicus et a. 1154. archidiaconus. Ob insignem in gerendis negotiis prudentiam, cui magna ex parte debuit Henricus II. coronam, ab eo assumptus est in regni cancellarium et post quinquennium etsi reluctans electus archiepiscopus cantuariensis (1162). Regi leges ferenti utilitati ac dignitati ecclesiasticae repugnantes adeo constanter obstitit, ut neque pollicitationibus neque terroribus de sententia decederet, moxque conjiciendus in carcerem clam recessit. Rex hinc vere bacchatus est in ejus propinquos, amicos, fautores: sed praesul apostolicus non respexit carnem et sanguinem, neque ullus in eo humanitatis sensus pastoralis officii constantiam labefactavit. Aegre composita concordia opera Alexandri III. et Ludovici VII. Galliae regis, redire permissus est ad sedem suam (30. Nov. 1170), sed mox iterum commota est ira regis: quare nefarii satellites sperantes se regi facturos rem gratam, eum, rege quidem inscio, crudeliter in ecclesia orantem necarunt[1]) 29. Dec. ejusdem anni. Relatus est inter sanctos jam a. 1173. Epistolas collegerunt edideruntque Chr. Lupus Bruxellis 1682 in 4; Giles et Robertson op. cit.; Migne CXC, 435—739.

72. Theodoricus drontheimiensis, seu monachus nidrosiensis, primus norwagiensis historicus, scripsit hoc ferme tempore historiam brevem *de regibus vetustis* Norvegiae (861-1137), quam cum opusculo anonymi *de profectione danorum* in terram sanctam a. 1185 suscepta Amstelodami 1684 edidit Caspar Kirchmann. — Vincentii canonici et notarii pragensis *chronicon Bohemiae* (ab a. 1140—67) inter monumenta hist. Bohemiae edidit[1]) Dobner t. I, Pragae 1764 in 4 (mendose); in MG. SS. XVII, 654—83. — Laurentius OSB. Leodiensis[2]), qui

---

[1]) Ejus vitam eleganter et fideliter narrat Heribertus de Bosham (Boshan, Boscham) Anglus, sancti episcopi familiaris et a secretis exsiliique socius Prodiit inter ejus opera ed. Giles Oxonii 1845; et inter s. Thomae opera ed. eodem Giles t. XII; Migne CXC, 1073—1292. Post s. praesulis passionem Romam contendisse dicitur, ab Alexandro III. creatum esse cardinalem et a Lucio III. archiepiscopum Beneventanum († 1186). Ita Eggs Purp. docta I. 91 aliique, quae tamen probari nequeunt. — Eduardus Grim OSB. cantuariensis *vitam s. Thomae* scripsit „partim ut ab iis accepimus, qui viventi familiarius adhaeserunt, partim ipsis nostris oculis vidimus“ (Migne ib. 1—56). — Aliam *vitam* elaborarunt Benedictus OSB. monachus Cantuariensis et Richardo archiepiscopo cancellarius, abbas petroburgensis († 1193 vel 1194), quam primum edidit J. A. Giles Londini 1850 in 8; Elias de Evesham monachus (cf. Migne p. 253—258); Guilelmus Stephanides presbyter londinensis († 1191), quae etiam reperitur in Migne ib. 103—192: et alius Guilelmus OSB. cantuariensis, ib. 190, 233—252 et integra ed. a Robertson Materials for the history of Th. B., Londini 1875 ss. t. IX.; Henricus ab. et Rogerius monachus croylandensis; Joannes saresberiensis: Philippus leodiensis, Rogerius de Pontiniaco, Thomas monachus frigidi Montis, Euvrardus magister, qui martyrii ejus tempore crucem ante Dei martyrem ferebat (Migne p. 335—344) etc. Has et alias vitas accurate collegerunt et ediderunt op. cit. Giles et Robertson. J. Morris The Life and martyrdom of S. Th., London 1859; 1886 ed. aucta. Cf. Potthast p. 1602[1] ss. de variis vitarum editionibus et copiosam literaturam. De Alani OSB. *vita* infra loquemur. Cf. A. L. Huillier S. Thomas de Cantorbery, Paris 1892 t. 2; Bellesheim KL. XI[2], 1661—1168.

[1]) Das Werk, inquit Wattenbach II, V § 9, ist sehr gut geschrieben, treu und zuverlässig, und daher eines unserer wichtigsten Quellen; nur im Anfang ist es über die Vorgänge in Italien, bevor Vincenz als Augenzeuge berichten konnte, ungenau und irreführend. Cf. alias editiones apud Potthast p. 1097[2].

[2]) Alius abeo est Laurentius Leodiensis OSB. s. Vitoni Viroduni abbas (1099;

per annum Viroduni degit, sed de cujus vita et morte nihil scimus, *gesta episcoporum virodunensium* (et abbatum s. Vitoni) a Bertario (cf. Nomencl. I³, 891) coepta (ab a. 332—922), ab anonymo continuata, ab a. 1047 sermone locuplete et nonnunquam ornatiori deduxit usque ad a. 1144 satis accurate, aeque et plene[1]), quae postea duo, ut videtur, scriptores longius continuarunt, alter ab a. 1156—87, alter ad a. 1230 (Migne 204, 919—988), qui tamen Laurentium neque rerum cognitione neque sermonis elegantia aequarunt. Prodierant jam alibi, optime postea ed. Waitz in MG. SS. X, 486-525.

73. Lisiardus (Liziardus) turonensis clericus, ab a. 1153-68 decanus laudunensis, scripsisse dicitur *historiam hierosolymitanam,* cujus pars prior periit (Bongars I, 594—625; Migne CLXXIV, 1589-1634). — Qua occasione mentione dignus est Fulco (Fulcherius, Foucher) Carnotensis, qui Robertum Normanniae a. 1095 secutus est in Palaestinam, deinde regis Balduini I. et II. fuit capellanus, secundum nonnullos etiam Tyri episcopus, demum patriarcha hierosolymitanus († 20. Nov. 1157). Scripsit simplici amenoque stilo *gesta Francorum Hierusalem perigrinantium ll. 3* (1095—1127), quae ad a. 1124) primus in lucem protulit[2]) Bongarsius *in gestis Dei per Francos* I, 381-440; saepius dein integre prodierunt, etiam in Migne 155, 823-940; et in *Recueil* des historiens des croisades, Sér. Hist. occidentaux III, 311—485, Parisiis 1866; et gallice in Guizot *Collection* des mémoires relatifs à l'hist. de France, Parisiis 1828 ss. t. XXIV. — Neque praetermitti[1]) debent Rorgo Fretellus archidiaconus (Antiochenus cognominatus), cujus *l. locorum sanctorum* terrae Jerusalem prostat in Migne CLV, 1039-1054 et saepe alibi. — Joan-

† 1. Jul. 1139), vir ingenio et rerum prudentia usuque commendatus, continuis prope agitatus procellis tempore schismatis Henrici IV. imp. Epistolam hac de re scripsit ad clericos verodunenses, quam habes in Mabillonii Anal. V, 683 ss. Cf. Hist. lit. XI, 704—709.

[1]) Cf. Waitz in monito praevio suae ed., qui censet auctorem fortasse suam historiam secundis curis pertractasse et aliquantulum longius continuasse.

[2]) Cf. Hefele KL. IV, 2094; Potthast p. 476; Hist. lit. XI, 47—55. Ab hoc op. distinguitur *historia gestorum* viae sui temporis hierosolymitanae ll. VI versibus hexametris scripta, quam primus edidit du Chesne script. rerum franc. ad calcem t. IV, emendatiorem et magis integram Martene Anecd. III, 213 ss.; Migne CLV, 941—993. Libri saltem posteriores videntur esse Gilonis parisiensis. Hic Gilo fuit clericus parisiensis, deinde monachus cluniacensis, demum cardinalis et episcopus tusculanus, necnon et legatus apostolicus per Orientem († c. 1142). Cf. Fabricius II, 618; III, 59; Hist. lit. XII, 81—84. Scripsit quoque *vitam s. Hugonis* ab. cluniacensis († 1109), quae plene reperitur apud A. L'Huillier *Vie de s. Hugues abbé de Cluny*, Parisiis 1888 p. 565—618; excerpta in MG. XV, 2, 935—40. — Distingui debet Gilo ab Aegidio parisiensi pariter poëta, de quo cf. Fabricius I, 22. — Ex Fulcone epitomen derivavit Bartolfus Peregrinus de Nangeio germanus inscriptam *De gestis Francorum*, qui Hierusalem a. 1095 expugnaverunt (ab a. 1095—1116), quae sine auctoris nomine reperitur apud Bongarsium I, 561—93.

[1]) Forte huc etiam referri potest Cafarus de Caschifellone civis genuensis († 1166), qui praeter *Annales januenses,* juxta Pertz „luculentissima januensis gloriae monumenta" ab a. 1099—1163, ab aliis ad a. 1249 continuatos (in MG. ed. Pertz XVIII, 11—356) reliquit et *Cronica della prima Crociata* in Atti della Società Ligure di Storia patria, I Genova 1859; MG. XVIII, 40—55. Cf. Potthast p. 180 s. — Odo de Deogilo OSB. ex abbate s Cornelii compendiensis abbas s. Dionysii († 1162), cujus est *de profectione Ludovici VII* regis Francorum in Orientem a. 1147—1149 sive de via s. Sepulcri a Ludovico VII ... suscepta ll. VII, sive l. de itinere L. etc. ed. a Chifflet in l. s. Bernardi Cl. ab. genus illustre assertum, Divione 1660 p. 9—77; Migne CLXXXV, 1105—1246 etc. Cf. Hist. lit. XII, 614-624, quae laudat relationis sinceritatem, ordinem, nitorem.

nes wirceburgensis presbyter, qui invisit intra 1160—70 terram sanctam deditque ejusdem descriptionem apud Pez thes. 1, 3, 486—534; Migne ib. 1055—90; Tobler Descriptiones terrae sanctae, Lipsiae 1874 p. 108—92.

74. Eberhardus OSB. Fuldensis (fl. 1150) collegit *summarium traditionum fuldensium* seu donationum veterum s. Bonifacio legatarum, quod prodiit apud Schannat corpus traditionum fuldensium p. 280—316; Roller Eberhard v. Fulda und s. Urkundenkopien, Kassel 1901. Collegerat illud hortante Marcuardo OSB. abbate fuldensi, qui nitide sed breviter narrat *gesta* sua ab a. 1150—65 apud Schannat hist. fuldensis p. 187-90 et Boehmer fontes III, 165—73. Antea erat abbas deggingensis (1142—50), qui fortis stetit pro bonis monasterii adversus iniquos usurpatores: sed monasterio pulsus decessit 23. Jul. 1168. — Ortlieb OSB. in monasterio zwifaltensi, postea (1140) abbas neresheimensis († 1163), coepit a. 1135 narrare illius monasterii *fundationem ll. 2* (1089—1141), quod opus continuavit Bertholdus abbas (qui resignavit senex octogenarius a. 1169) in l. *de constructione monasterii zwivildensis.* Utrumque reperies in MG. SS. X, 64—123 ed. O. Abel; in Eug. Schneider *Die Zwifalter Annalen* und Ortliebs Chronik, Stuttgart 1889. — Hariulphus (Ariulfus) ex monacho OSB. centulensi s. Richarii (St. Riquier) abbas s. Petri aldenburgensis non procul Brugis († 1143) scriptor[1]) est *chronici centulensis abbatiae ll. 4* ab a. 625 ad a. 1088, quod edidit D'Achery Spicil. t. IV., sed longe integrius et emendatius exstat in ed. ejusdem nova II, 291-356, praesertim vero accurate illud edidit Ferd. Lot in op. Hariulf chronique de l'abbaye de St. Riquier (V. siècle-1104), Paris 1894. In ejus l. 3. notabilis est catalogus 256 codd. mscr. in coenobio asservatorum. — *Vita s. Arnulfi* ep. suessionensis († 1087) in Mabillonii sec. VI. bened. II, 505—55; in actis SS. 15. Aug. III, 230—59; in MG. SS. XV, 872—904; *vita s. Madelgisili* (Mauguille) eremitae, quam ex Mabillonii ed. (sec. IV. bened. II, 537) repetit Papebrochius in actis SS. 7. Maji additis notis[1]); *Vita s. Gervini* ab. centulensis († 1075) ex ejus chronico derivata legitur apud Mabillon A. SS. OSB. VI, 2, 319—337. — Haec omnia reperies in Migne CLXXIV, 1212—1450. — Simon Gandavensis OSB. primum alchiacensis abbas (1127), dein 1131. sithiensis, sed a. 1136 depositus, non tamen ob ejus demerita, sed ob defectum conditionis in electione servandae († 1148), continuavit *gesta abbatum s. Bertini* Sithiensium ll. 3, quae coeperat Fulcuinus (cf. Nomencl. I,[3] 917) († 910) ab a. 648-962. Sed ex monumentorum defectu ea prosecutus est nonnisi ab a. 1021-1145, quae dein alii deduxerunt ad a. 1187, Prodierunt cura Holder-Egger in MG. SS. XIII, 607—673 omissis chartis[2]).

75. Teulphus OSB. prior, dein abbas († 1138) cooperantibus sodalibus composuit[3]) *chronicon mauriniacensis monasterii* dioecesis senonensis (ab a. 1108—47), quod du Chesne edidit in script. rerum franc. IV, 359; Migne CLXXX, 131—76; Waitz in MG. XXVI, 38—45. — Hugo pictaviensis OSB., notarius Guilelmi abbatis vezelicensis in dioecesi augustodunensi[4]), jussu Pontii ab. scribere aggressus est *Historiam Vizeliacensis coenobii* ab a. 846—1165, praefixa brevi comitum nivernensium historia ll. 4, quam edi-

[1]) Cf. Hist. lit. XII, 204—218.

[1]) Cf. Fabricius III, 179.

[2]) Cf. Potthast p. 453[2] et 1212. Hist. lit. XIII, 78—82. Ipsius quoque est *vita* metrica *s. Bertini* († c. 709), quam edidit Fr. Morand notis illustratam, Paris 1872.

[3]) Cf. Hist. lit. XI, 689—695.

[4]) Cf. Hist. lit. III, 668—673.

dit D'Achery Spicil. II,[2] 498—560, exinde Migne CXCIV, 1561-1682; et quaedam fragmenta ex ejus l. *de libertate monasterii* (1159—65) habes in MG. SS. XXVI, 143—50. Gallice versam dedit Guizot *Collection* VII, 99-337. — Fragmentum *chronici cluniacensis* (1153—58) Francisci de Rivo OSB., quod ab aliis continuatum fuit ad a. 1318, exstat in bibliotheca cluniacensi ed. Marrier p. 592. 1650, et Bouquet Recueil XIV, 397 s. — Milo Crispinus OSB. cantor monasterii beccensis scripsit circa a. 1150 *vitam Lanfranci cantuariensis* a Dacherio editam cum opp. Lanfranci et inter acta SS. cum notis Henschenii 28. Maj. VI, 832—47 etc.; scripsit et *vitas abbatum* quatuor beccensium, qui Herluino ab. primo et s. Anselmo successerunt: Guilelmi de Bellomonte, Bosonis, Theobaldi et Letardi ad calcem op. Lanfranci. — Hugo OSB. prior lobiensis narrat c. a. 1160 fundationem monasterii lobiensis in MG. XIV, 543-48. ed. Waitz, apud J. Vos *Lobbes, son abbaye et son chapitre* ou histoire complète du monastère de S. Pierre à Lobbes, Lovanii 1865 p. 357—67. — Stephanus O. Cist. abbas primus Boni Fontis, quod monasterium situm est in dioecesi rhemensi, describit ipsius *exordium* (cf. Bibl. PP. cist. pag. 1.). — Alius ab eo est Stephanus monachus beccensis (fl. 1160), cujus poëma *Draco normannicus* edidit Mai in append. suorum opp. Romae 1871 I, 20—65. Alia carmina cf. apud Potthast p. 1034.

76. Udalscalcus (Oudalscalcus) ex familia honesta nobilium virorum de Maisack natus, monachus OSB. ad s. Uldalricum Augustae V., abbatis Eginonis comes individuus, scripsit narrationem documentis innixam *de controversiis* inter Hermannum ep. augustanum (1096—1132) antipapae Burdini asseclam et Eginonem ab., quam post Canisium III,[2] 2. p. 6—19, edidit in MG. SS. Jaffé XII, 429—448; Migne CLXX, 837—62. Scripsit quoque petente Ulrico ep. constantiensi *vitam s. Conradi* ep. constantiensis († 976), quam edidit Pertz, ib. IV, 429—436; Migne ib. 865—76 etc. Post Eginonis mortem (1120), quem Romam comitatus est, Constantiam secessit et a. 1125 electus est sui monasterii abbas († 1151). Vir erat admodum cultus, musicus et poeta, qui reliquit alia scripta, ut *vitam Adalberonis* ep. augustani († 910) apud Steichele Archiv für die Gesch. des Bisth. Augsburg 1860. III, 1—9, quae tamen non tanti est pretii historici. — Adalbertus diaconus bambergensis occasione canonizationis s. Henrici narrat c. a. 1146 hujus *vitam et miracula*[1]), quam habes post multas ed. imperfectas accurate in MG. SS. IV, 787—814; cum aliis miraculis et l. III. (sec XIII) p. 814—820. — Ebbo monachus OSB. montis s. Michaelis babenbergensis († 16. Maj. 1163) diligentem et fidelem scripsit[2]) *vitam s. Ottonis*, ep. bambergensis († 1139), quae in causa canonizationis authentica fuit declarata. Eam edidit R. Koepke in MG. SS. XII, 822—83; emendatius Jaffé Bibl. V, 580—692; sed textus originalis desideratur. — Ejus sodalis in eodem monasterio Herbord scholasticus († 27. Sept. 1168) de vita ejusdem s. ep. *dialogum* concinnavit, qui forma quidem praecellit Ebonis l., sed fidelitate et sinceritate narrandi ab eo deficit. Illum reperies[3]) ed. a Jaffé bibl. rer. Germ. V, 639—835; R. Koepke in MG. SS. XX, 697—769 (minus accurate jam XII, 721—822)

[1]) Cf. Potthast p. 1363; Wattenbach II, V § 15.

[2]) Cf. Wattenbach 2, 1V § 25; Potthast p. 1504; Wiesener Ebos vita Ottonis e. b. nach ihrer geschichtlichen Glaubwürdigkeit untersucht in Forsch. zur deutschen Gesch. XXVI, 501—527, qui ei negat judicium criticum.

[3]) Cf. Potthast p. 1504; Wattenbach ib.

et seorsim editum in Script. rer. germ. Hannoverae 1868. — Erchenfridus OSB. insignis (tertius) et benemeritus abbas mellicensis (1126-1163), qui obiit in itinere secundo ad loco sacra 17. Maj. 1163, scripsit *historiam martyrii et miraculorum Colomanni* natione Scoti, qui in oppidulo Austriae inferioris martyrium subiit a. 1012, quam ediderunt Lambecius Bibliothecae vindob. II, 611—10 et Hieron. Pez inter SS. rer. austr. I, 94—109; Waitz in MG. SS. IV, 674—78 etc.; *Annales* sui monasterii, ed. Rich. Heinzel 1867. — Adalbertus OSB. abbas heidenheimensis (fl. 1150) describit *Vitam s Wunnibaldi* et *vitam s. Willibaldi* ejus fratris ep. eichstetensis († c. 786): utramque edidit Gretser ad calcem Philippi eystetensis ep. de ejusdem ecclesiae divis tutelaribus, Ingolstadii 1617 in 4. — Sigebotus monachus Cellae s. Paulinae narrat *vitam Paulinae*, quae hoc monasterium fundaverat († 14. Mart. 1112), quam primus[1]) edidit Paulus Mitzschke in l. *Sigebotos Vita Paulinae* Ein Beitrag zur ältesten Geschichte des schwarzburgischen Landes- und Fürstenhauses, Gotha 1889. — Rogerius sive Ruggerius fuldensis scripsit vel forte tantum descripsit et collegit vitas martyrum t. 6 (ineditas). quae in bibliotheca fuldensi asservabantur.

77. Stephanus OSB. monachus Cellae novae in Galaecia (fl. 1150) cum Ordonio sodali (fl. 1189), qui forte aliqua (miracula) adjecit[2]), narrat *vitam s. Rudesindi* episcopi dumiensis sive mindumiensis et postremo iriensis († 977), quae non caret pretio pro historia lusitana. Eam reperies in actis SS. die 1. Mart. I, 107—118; in Mabillonii actis SS. OSB. sec. V. p. 524-43; in Florez España sagr. XVIII. app. n. 32 p. 374—409. — Achardus[1]) O. Cist., in monasterio claraevallensi novitiorum magister sub s. Bernardo, narrat *vitam s. Gotselini* eremitae, ed. ab Arnaldo Raisio, Duaci 1626 in 12. — Guilelmus de Dandina cognomento de s. Savino († 1157) composuit *vitam b. Hugonis de Lacerta* lemovicensis, discipuli s. Stephani ord. grandmont. institutoris († 1124), apud Martene ampl. coll. VI, 1143—86; Migne CCIV, 1181—1222. — Robertus OSB. ex monacho stabulensi coenobii walciodorensis (Waulsort, Waussor † 1174) abbas stilo compto[2]) scripsit *vitam s. Forannani*, hujus coenobii abbatis, dein archiepiscopi armacani, qui hoc munere abdicato rediit ad suum monasterium († 982). Prodiit ea inter acta SS. 30. Apr. III, 808—14. Ipsius etiam videtur esse *chronicon walciodorensis coenobii* (ad a. c. 1100), quod edidit D'Achery Spicilegii II, 708-29; (cum continuatione ad a. 1230) in MG. XIV, 502—542 ed. Waitz; et *Translatio* ss. MM. Candidi et Victoris atque trium coloniensium virginum quam habes in Anal. boll. XI (1892), 115-135. — S. Atto (Atthus, Actius, Azzo etc.) natione Hispanus, ex monacho vallumbrosano et totius congregationis

---

[1]) Nisus est E. Arnemüller vitam Paulinae auctore Sigeboto, quae amissa credebatur, reconstruere in N. Archiv X (1885) p. 3—34. Cf. ib. XVIII (1893), 447—489 M. J. Dieterich Über Paulinzeller Urkunden und Sigeboto's Vita Paulinae.

[2]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. vet. l. 7 c. 6 n. 99 ss.

[1]) Alius ab eo est Achardus (Acardus, Archardus) Briglingtonensis, Anglus, discipulus Hugonis a s. Victore, qui post longam literarum professionem terrenarum pertaesus inquietudinum ad canonicos regulares s. Victoris se contulit eorumque factus est abbas, dein episcopus abrincensis (1161; † 29. Mart. 1171). Reliquit plura opuscula inedita disseruitque etiam *de ss. Trinitate*, cujus l. fragmenta nobis asservavit Joannes de Corwal in Eulogio (Martène Thes. V, 1668—1670). Cf. Oudin de Script. II, 1298; Hist. lit. XIII, 453—457.

[2]) Cf. Hist. lit. XIII, 515—517.

abbate generali episcopus pistoriensis (1133; † 22. Maj. 1153) scripsit[1]) *vitam s. Joannis Gualberti ab.* congregationis vallisumbrosae fundatoris, quae exstat in actis SS. 12. Jul. III, 365—82; Migne CXLVI, 671—706; Romae 1612 ed. D. Thesauro ab.; *Vitam s. Bernardi* ejusdem congr. ab. generalis, parmensis ep. et S. R. E. cardinalis († 1133), Romae 1612 in 4; in Mon. hist. ad prov. parm. III, 497—511. — Joannes a Nusco monachus OSB. Montis s. Virginis narrat *vitam* magistri sui *s. Guilelmi* ordinis sui institutoris († 1142), quam edidit Jo. Jac. Jordanus congregationis abbas 1643, inde cum notis Papebrochius in Actis SS. 25. Jun. V, 114—34.

78. Reginaldus dunelmensis monachus composuit libellum *de admirandis b. Cuthberti ep. lindisfarnensis virtutibus,* quae novellis patratae sunt temporibus, ed. J. Raine Newcastle 1835; l. *de vita et miraculis s. Godrici* eremitae in Anglia († 1060), ed. Stevenson Durham 1847 in 8; *vita s. Oswaldi* regis et M. in Simeonis monachi dunelmensis opp. ed. a Th. Arnold Londini 1882. I, 326—85 in rer. brit medii aev. SS. n. 75. — *Vitam s. Birgittae* V. scoticae narrat Laurentius OSB. orator vehementior quam facundior, ex monacho et praecentore dunelmensi abbas westmonasteriensis († 1154), quae exstat in Actis SS. 1. Febr. I, 172—85 (initio mutila); ed. Colgan in Act. SS. Hiberniae I, 567—82; ed. C. de Smedt in Act. SS. Hiberniae 1—76 (sine auctoris nomine).

79. Alios hagiographos praetermittimus, ut Mauritium OSB. episcopum catanensem († c. 1144), cujus est *Historia translationis corporis s. Agathae* M. V. Constantinopoli Cataniam, in Act. SS. 5. Febr. I, 637—644 etc.; — Hugonem ab. Farsito (fl. 1144), qui collegit *miracula* s. Mariae suessionensis (apud Migne LXXIX, 1777-1800). — Baldewinum monachum (fl. c. a. 1145), qui ll. 3 narrat *miracula* patrata a s. Gibriano presb. († c. 309) post translationem corporis in novam arcam (1145), in Act. SS. Maj. VII, 619—651. — *Miracula* aliqua s. Theoderici ab. in Monte aureo prope Remos († 533) narrat Adalgisus monachus coenobii remensis[1]) (fl. 1150) in Actis SS. 1. Jul. I, 72—80. — *Miracula* s. Joannis Beverlacensis ep. eboracensis († 721), quae ipse viderat vel a testibus fide dignis acceperat, pie sed fusius literis tradidit Guilelmus Kecell seu Ketell canonicus beverlacensis, ib. 7. Maj. II, 173-180, ap. James Raine The historians of the Church of York 1879 I, 261-293. Natione videtur fuisse Gallus et floruisse juxta Potthast p. 1394 c. 1150: verum ex ipsis miraculis satis clare colligitur[2]) eum vixisse sec. exeunte XI. — *Vitam Guilelmi* Norvicensis pueri christiani a Judaeis, ut ferebatur, a. 1144 occisi narrat Thomas Monmouthensis monachus norvicensis (1149), auctor quidem cultus et eruditus, sed nimis credulus. Habes illam in op. docto et accurato *The Life and miracles of. St. William de Norwich,* now first edited from the unique manuscript, with an introduction, translation and notes by Augustus Jessopp and Montagne Rhodes James, Cambridge 1896. — *Historia s. Cataldi* ep. tarentini (fl. c. 640) inventionis et translationis tribuitur Berlengerio tarentino (fl. c. 1151), in Act. SS. 10. Maj. II, 570—575. — Richer OSB. abbas 2. Martini metensis († 1152) metrice celebravit s. Martinum turonensem. Ejus carmen edidit R. Decker in Jahresber. der Ges. für nützl. Forschung in Trier 1878—1881, Trier 1882; in progr. gymnasii, ib. 1886.

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. V. t. II l. 7 c. 4 n. 38 ss.

[1]) Cf. Hist. lit. XI, 10—12.
[2]) Cf. Hist. lit. VIII, 317 s.

— Martini Sauriensis in Lusitania († 1147) *vita* auctore Salvato alias Salviano ejus discipulo prodiit in Actis SS. 31. Jan. II, 1131-1134. — *Vitam s. Laverii* auctore Roberto de Romana diacono Saponariae († 1162) habes in Ughelli Italia sacra VII,[2] 488—496. — *Vitam Margaritae* (Albonensis) Burgundiae comitis filiae, Guidonis Delphini comitis Alboni conjugis narrat c. a. 1163 Guilelmus canonicus gratianopolitanus apud Martene ampl. coll. VI, 1201—1214.

80. Herimannus I. episcopus constantiensis († 20. Nov. 1166) narrat quaedam s. Bernardi *miracula,* quae scil. ille sanctus in itinere germanico patraverat in MG. XXVI, 122—128. — Ceterum de miraculis a s. Bernardo in itinere per Germaniam, Belgium Galliamque patratis 1146 et 1147 plures scripserunt, praesertim Gaufridus s. Bernardi notarius et itineris socius, de quo infra, quem juvarunt Eberhardus s. Bernardi discipulus et in hoc itinere socius, abbas eberbacensis († 1170 vel 1171), de quo cf. F. W. E. Roth in hist. Jahrb. VII, (1886) 218 ss.; Gerardus alter itineris socius, abbas Fossae novae, dein ignacensis (Igny † 1177); Philippus quondam archidiaconus leodiensis, dein et monachus claraevallensis (fl. 1170), quorum narrationes ll. VI comprehensae leguntur apud Mabillon in ed. opp. s. Bernardi II, 1061—1211; in Act. SS. 20. Aug. IV, 256—351; Migne CLXXXV, 225—416; Excerpta in MG. XXVI, 121—137: quibus miraculis adde alia ab Herberto abbate morensi, dein archiepiscopo turritano (Sassari c. 1178—1180) relata apud Migne l. c. p. 453—466 et MG. t. cit. p. 137—142. — Henricus abbas breitenowensis (Breitenau) scriptor ut dicitur ferax († 1170), narrat *passionem s. Thiemonis* archiepiscopi salisburgensis (1088—1101), qui obierat in bello sacro pro recuperanda terra sancta, quam edidit Nolte in Archiv f. österr. Gesch. LIV Wien 1876 p. 1—8 (emendationes in N. A. VII, 623); MG. XV, 2, 1237. 1238. — Denique de *martyrologio* auctore Maelmaire (servo Mariae, Mariano d'O (Ua) Gorman abbate hiberno (fl. 1170), quod M. Whitley Stockes juris publici fecit, cf. Anal. boll. XIII (1894), 193 s. Quo in labore ei praeiverat Oengus cum S. Melruain Tamlachtae monasterii fundatore et episcopo († 7. Jul. 792). Horum martyrologium demum edidit O'Kelly 1847. Oengus concinnavit *Festologium* (Felire) seu Sanctorum Kalendarium. Edidit illud Whitley Stockes, qui tamen ipsum abjudicat Oengo atque seculi X esse statuit[1]). Oengus dicitur fuisse episcopus obiitque 815 vel 819.

81. Denique ad illustrandas res hujus temporis proderunt *epistolae 470,* Wibaldi (Guibaldi, Wiboldi etc.) OSB. claro genere de Pratis apud Leodios a. 1098. nati. Ab ipsis incunabilis in monasterio stabulensi educatus ad scholas leodiensium a. 1115 perrexit, et a. 1117 ingressus est walciodorense monasterium, ubi scholas rexit, donec a. 1130 Stabulensium abbas electus est. Magna apud Lotharium imp. auctoritate fuit, qui eum romani imperii archicancellarium vocat et quasi consortem in imperii administratione admisit. Caesarem in expeditione bellica in Italiam est comitatus (1137), imo ab eodem dux est missus navalis expeditionis Neapolim. Cum casinense monasterium gravibus turbis exagitaretur, instante imperatore et urgentibus pluribus praesulibus et optimatibus electus est quam maxime invitus abbas casinensis. Sed jam post 44 ab electione dies ob gravissimas vexationes Rogerii regis et Rainaldi pseudoabbatis, qui propter

[1]) In Revue Celtique V, 339—380 On the Calendar of Oengus. Cf. Bellesheim in Gesch. der kath. Kirche von Irland t. I. passim, praesertim p. 239 ss.; 638.

ipsum monasterio perniciem minitabantur, clam aufugit facta monachis libertate alium eligendi abbatem. Rediit ad suos Stabuletum, cui magna fortitudine et vigilantia praefuit. Ob prudentiae virtutumque famam electus est unanimi sodalium consensu in corbejensem abbatem (1146). Nonnisi aegre et urgente Conrado III. rege tandem onus in se suscepit magnaque alacritate et sollicitudine monasterii curam gessit, disciplinam restauravit, bona deperdita recuperavit. Se cum rege ad sacram expeditionem bellicam accinxit, quo tamen mortuo ea in aliud tempus fuit dilata a Friderico ejus successore. Apud hunc quoque factus est omnium ejus consiliorum arbiter atque fere unus primis ejus regni annis universam imperii molem prudentia sua sustentavit. Missus est ab eo legatus bis ad aulam byzantinam, sed in altero itinere obiit Butelliae in Paphlagonia ex veneni potione, ut suspicio est, 19. Jul. 1158. Ex ejus epistolis, quarum plures perierunt, Conradi imp., Henrici filii ejus et Friderici actus praecipui, coloniensis, moguntinae, bremensis, mindensis atque aliarum ecclesiarum Germaniae historia mire illustrantur; acta restituuntur nonnulla, quae exciderant, conc. treverensis et remensis a. 1148; disciplina denique cum ecclesiastici tum monastica multis in locis elucidatur[1]). Eas reperies (441) apud Martene, Migne CLXXXIX, 1121—1458, optime in Jaffé bibliotheca rerum germanic. I, 76—602.

82. Neque minus utiles sunt *epistolae* Sugerii s. Dionysii abbatis OSB., quem humili loco in Galliis natum (1081) virtus et doctrina etiam ad summa evexit. Tanta enim valuit auctoritate apud omnes, ut Ludovicus VII. Galliae rex ad sacrum bellum profecturus eum constitueret regni administrum. Ita autem Sugerii regimen inclitum et memorabile haberi coepit, ut primi ordinis viri certatim laudibus illud extulerint. Sufficiat nobis ex tot encomiis, quibus prudentissimus hic vir celebratur, illud s. Bernardi in ep. ad Eugenium III. (306): „Si quod magnae domus magni regni vas in honore apud nostram habetur ecclesiam gallicanam: si quis ut David fidelis ad imperium Domini ingrediens et egrediens: meo judicio ipse est venerabilis abbas s. Dionysii. Novi siquidem virum, quod et in temporalibus fidelis et prudens, et in spiritualibus fervens et humilis: in utrisque (quod et difficillimum) sine reprehensione versetur. Apud Caesarem est tamquam unus de curia romana, apud Deum tamquam unus de curia coeli . . . Specialius diligere et honorare personam ejus, honorificare est ministerium vestrum.“ Rebus humanis a. aetatis 70. exemptus est[1]) 12. Jan. 1151. Ejus epistolae (164) prodierunt apud Duchesne in Hist. Franc. Scr. IV, 493 ss.; 21 (novae) apud Martene thes. anecd. I, 414—25; 187 in Migne patrol. CLXXXVI, 1347—1440. Utilis quoque est l. *de rebus in sua administratione gestis,* quem cum l. *de consecratione ecclesiae* a se aedificatae, et *vita Ludovici VI,* qui Grossus dictus est, aliisque cf. ib. 1211—1471 et in primis in A. Lecoy de la Marche *Oeuvres compl. de Suger,* Parisiis 1867.

[1]) Cf. praeclarum Wibaldi encomium seu vitam auctore Martene praemissum epistolarum editioni Spicilegii t. II pag. 153-183; Ziegelbauer § 11; Hist. lit. XII, 550—571; prae primis Janssen Wibald von Stablo u. Corvey, Münster 1854; monumenta corbejensia ed. Jaffé 1864; Potthast p. 1112; Grube KL. XII,[2] 1420-1424.

[1]) Cf. Ziegelbauer III. c. 3 § 9; Hist. lit. XII, 361—405; Guilelmus ipsius domesticus et monachus s. Dionysii in *vita Sugerii,* quam Felibien edidit in codice probationum historiae monasterii s. Dionysii 1706; in Migne CLXXXVI, 1193—1208; Nettement Suger et son temps, Paris 1867 ed. 2; Cartellieri Abt Suger von S. Denis, Berlin 1898; Funk KL. XI. 975—977. Cf. apud Potthast p. 1586 literaturam de eo.

83. *Archaeologiae* specimen reperimus in *Basilicae veteris vaticanae descriptione* auctore Romano, illius basilicae canonico, edita annotationibusque illustrata a Paulo de Angelis, Romae 1646. Reperiuntur in ea multa et egregia antiquitatis monumenta. Sub nomine Petri Mallii (Manlii) ea prodiit[1]) in actis SS. Jun. VII, app. 37*-56*. Porro ex hujus Petri l. ad Alexandrum III. (1159—81) cc. 27. 30. 37 et 38 edidit Mabillonius velut appendicem ad ordinem romanum XI. in Museo italico II, 158—64, quia in iis sermo est de festivitatibus, in quibus pontifex coronari solebat. Subjicitur textui duplex catalogus alter de stationibus per anni circulum, alter de pontificibus romanis eorumque successione, qui uterque tribui potest Petro Manlio, ita tamen ut alius quidam posteriorem continuaverit ad Benedictum XI. — Eodem fere tempore Joannes diaconus *de ecclesia lateranensi romana* l. scripsit, quem vulgavit Mabillon op. cit. II, 560—76, inde vero Migne CXCIV, 1543—50.

[1]) Dubium nonnihil est, num Romanus canonicus et Petrus Manlius ab invicem distinguantur. Res ita juxta Acta boll. se habet: Auctor opusculi est Petrus Manlius; illud Coelestini III. tempore (c. 1192) alius, qui se dicit Romanum canonicum, nonnihil interpolavit.

IV. Theologia practica.

84. Ex romanis pontificibus laudare hic licet Innocentium II., antea Gregorium Papareschi dictum, patria Romanum, cardinalem egregiis instructum dotibus, qui 14. Febr. 1130 suffectus fuit Honorio II. Mox tamen alii cardinales ei opposuerunt Petrum Leonis cardinalem, qui dici voluit Anacletus II. Cum hujus factio Romae viribus esset superior, coactus est Innocentius fugere in Galliam. Agentibus praesertim s. Bernardo in Gallia, s. Norberto in Germania gradatim agnita fuit legitima ipsius electio et Lotharii Germaniae regis potentia reductus est Romam (1133). Morte Anacleti (1138) schisma demum sopitum fuit: sed non propterea pacatum transegit pontificatum, sed medias inter turbas politicas decessit 24. Sept. 1143. Abaelardi damnavit errores in ep. ad Henricum episcopum senonensem; concilium universale X., lateranense II. habuit a. 1139, cui mille circiter interfuere episcopi et innumeri abbates pro Ecclesiae post dirum schisma concordia. Conditi fuere in eo canones 30 pro restauranda disciplina, contra manichaeos recentiores, qui sacramenta rejiciebant; damnatus Arnaldus brixiensis, schismatici depositi. Plurimas reliquit hic pontifex *epistolas* et decreta[1]), quas (598) habes apud Migne CLXXIX, 53-658, atque diligenter recenset Jaffé I, 840—911; II, 756. — Innocentium II excepit Guido de Castello seu de Castro gente Hetruscus, cardinalis, Coelestinus II. dictus (26. Sept. 1143), qui tamen sedem apostolicam haud plus mensibus quinque tenuit, decessit enim jam 9. Martii 1104. Ejus *epistolas* et privilegia (50) exhibet Migne CLXXIX, 765—820. — Die jam sequenti in successorem electus est Gerardus Caccianimicus patria Bononiensis, professione canonicus regularis, ab Honorio II. cardinalis et rom. ecclesiae bibliothecarius creatus, ab Innocentio II ejus cancellarius constitutus. Dictus est Lucius II, sed et ipse tenuit sedem apostolicam non plus mensibus undecim († 13. Febr. 1145). Ejus *epistolas* et privilegia habes apud Migne CLXXIX, 823—936.

[1]) Cf. Hefele Conciliengesch. V, 614 ss.

85. Altera jam die (14. Febr.) cardinales elegerunt Bernardum O.Cist. natione Pisanum, discipulum s. Bernardi, qui ipsum cum aliquot sodalibus in Italiam miserat rogatu Atenulphi abbatis farvensis novam instituturum congregationem. Verum Innocentius II. eos sibi retinuit atque monasterium ad s. Anastasium ipsis tradidit: Bernardum vero a. 1140 abbatem esse jussit: qui electus in pontificem Eugenii III. nomen assumsit. Exstant et pulcherima s. Bernardi ad cardinales ep. de hac electione (237) et aureum opusculum *de consideratione* ad ipsum Eugenium. Tristia tamen erant pontificatus initia, nam ut se populi romani furori subtraheret, Roma secedens ad arces confugit munitas. Dum Viterbii commoraretur excepit legatos episcoporum Armeniae eorumque Catholici nomine suae ecclesiae obedientiam papae promittentes, novamque ibidem indixit expeditionem pro tuenda terra sancta, cujus exordia fausta fuere, exitus vero tristis. Auctis Romae turbis in Galliam se contulit magno honore ibidem a Ludovico VII. exceptus (1147). Varia habuit concilia[1]), ut parisiense, in quo errores Gilberti Porretani episcopi pictaviensis ad examen fuere revocati; remense (1148), in quo peremptorie fuerunt damnati et plures editi canones pro restauranda ecclesiastica disciplina; trevirense, in quo probatae fuere revelationes s. Hildegardae: quibus pontifex lectis et auditis de ea fidelibus narrationibus literas ad eam dedit, quibus eam hortatur, ut acceptam a Deo gratiam humilitate conservare satageret et quae in spiritu visura esset, salvis prudentiae legibus revelaret. Adversus Henricianos haereticos misit Albericum legatum atque etiam s. Bernardum, qui felici adversus eos fructu disputavit. Rediens in Italiam invisit monasteria cisterciense et claraevallense. Pace cum Romanis aegre composita. Tiburi decessit 8. Jul. 1153. Pius IX ipsius ab immemorabili cultum 28. Sept. 1872 probavit, hinc Beatorum donavit honore[1]). *Epistolas* et *privilegia* (592) habes in Migne CLXXX, 1013—1614, diligenter recenset Jaffé II,[2] 20—89; 758.

86. Eugenium III. secutus est (9. Jul.) Anastasius IV. senex magna pietate conspicuus et rerum romanarum et ecclesiasticarum longo usu peritus, qui ad clavum Ecclesiae non plus uno anno et quatuor mensibus sedit († 2. Dec. 1154). Ejus *epistolas* et privilegia exhibet Migne CLXXXVIII, 986—1088, recenset Jaffé II, 89—102; 759. — Huic successor datus est 4. Dec. Hadrianus IV. Natione erat Anglus paupere parente natus, dictus Nicolaus Breakspear. Post hujus in monasterium ingressum duram duxit juventutem. Hinc in Gallias transiit, demum servus receptus in monasterio s. Rufi can. reg. prope Arelatum. Ob egregias dotes admissus est inter sodales, dein electus prior et etiam abbas. Sed elapsis paucis annis ipsos poenituit, quod hominem peregrinum sibi praefecissent: calumnias cuderunt et querelas ad sedem detulerunt apostolicam. Eugenius III. auditis accusationis capitibus, miratus quam sapienter, quam modeste Nicolaus sese defenderet: hinc magni eum fecit et episcopum albanensem et cardinalem creavit: inde in Norvegiam legatum misit. Pontifex electus Fridericum imperatorem coronavit, sed magnas dein incidit calamitates praesertim ob dissidia cum imperatore, adeo ut gravissimis verbis suam deploraret conditionem[2]). Ereptus est tot curis et vexationibus 1. Sept. 1159. Reliquit *epistolas* et privilegia, quae (258) apud Migne CLXXXVIII,

[1]) Cf. Hefele Conciliengesch. V § 618.

[1]) Cf. G. Sainati Vita del b. Eugenio III, Pisa 1868; M. Jocham Gesch. des sel. Papstes Eugen, Augsburg 1873.

[2]) Cf. Jo. Saresberiensis de nugis cur. VI, 24 et Albericus in chron. ad a. 1154; Hist. lit. XIII, 287—297.

1361—1644; Jaffé II, 102—145; 760. habes.

87. Post recensitos pontifices pauci sunt, quos hic adducere liceat: inter hos tamen unum, qui fere eundem in jure canonico locum occupat, quem magister sententiarum ejus aequalis in theologia scholastica. Is est Gratianus ex Tusciae civitate, qui, ut fertur, fuit monachus, secundum plerosque OSB., secundum aliquos O. Cam. s. Felicis bononiensis, cujus quo notius est opus, eo magis ignota vita. Nihil enim fere de ea constat; neque de tempore, quo composuerit suum opus, eruditi inter se consentiunt. Obiisse eum ferunt a. 1158. Inscribitur vero ipsius opus *Concordia discordantium canonum* atque dividitur in 3 pp., et quidem p. I. in dist. 101, quarum singulae distinguuntur in capitula; p. II. in causas 36, quae in quaestiones, quaestiones vero in capitula subdividuntur: causa 33. de poenitentia amplus est de poenitentia tr. septem divisus in distinctiones. P. III. de consecratione inscripta 5 complectitur distinctiones. Privatis auspiciis hoc opus compositum est a Gratiano, in quo non solet fontes adire originales, sed sua decreta haurit ex vetustioribus canonum collectionibus scil. Burchardi, Ivonis, Anselmi lucensis, Deusdedit, Gregorii etc., in primis quod methodum spectat ducem sequitur Algerum (cf. supra p. 16). Thesaurus est eruditionis patristicae magna sedulitate compilatus ex testimoniis genuinis et spuriis rom. pontificum et patrum. Huic collectioni Paucapalea ejus discipulus aliique addiderunt capita, quae in antiquioribus mscr. non leguntur, Paleae dicta, quorum numerantur ultra 150, imo forte 161. Haec collectio, ut notat Pancirollus, tantae postea fuit auctoritatis, ut Gratianus, vulgo magister vocatus, maximum in decidendis causis pondus habuerit, etsi velut privati hominis ejus dicta vim legis non obtineant. Exinde *Decreti* nomine venit, innumeri illud commentariis exposuerunt, illustrarunt, in compendium redegerunt. Ex illo scholae theologi suam hauserunt eruditionem fontisque instar erat, unde sua irrigarent opera testimonis patrum. Typis primum prodiit Argentorati 1471 per Henr. Eggestein, Moguntiae 1472 (m. 500); quas ed. secutae sunt innumerae aliae. Sub Pio V. selecti sunt viri doctissimi ad Gratiani decretum emendandum emendateque edendum. Editio prima emendata prodiit sub Gregorio XIII. Romae 1582., quam secutae sunt aliae critico apparatu instructae, ut Pithoei in corpore juris can. t. 1. Parisiis 1685; 1705; Justi Fontanini, Romae 1727 t. 2; Berardi 1752; Boehemeri in corp. juris can. t. 1. Halae 1747; Richer, Lipsiae 1833, quam recudit Migne t. CLXXXVII. Friedberg Lipsiae 1879-81, ed. pro usu praeprimis commendanda[1]). Notandum tamen est Gratiani decretum non frui publica auctoritate sicut decretales Gregorii, neque enim ab ullo pontifice fuit approbatum, ut fuse ostendit Mich. a s. Joseph in prolixa diss. de hoc decreto in sua bibliogr. crit. 2, 130 ss., qui ibidem crisin hujus operis instituit, naevos, menda errores-que accurate recenset ostenditque illud non esse opus prope divinum, ut a nonnemine exaggerate exhibetur. Ita vero hac de re statuit Benedictus XIV de syn. dioec. l. 7 c. 15 n. 6: »Gratiani decretum, quantumvis pluries rom. pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet; quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret, ut videre est in nostro op. de canoniz. SS. l. 4 p. 2 c. 17 n. 10.«

[1]) Cf. Grisar Zeitschr. f. k. Th. XII (1888), 525 ss; literaturam de auctore nostro apud Scherer KL. III², 1452—1457.

88. A Gratiano sejungendus non est Paucapalea (Pocapaglia) primus et fidus Gratiani discipulus, qui floruit in primis inter a. 1144-50 et forte etiam jus canonicum docuit. Alia vitae ejusdem adjuncta sunt plane incerta: religiosus tamen fuisse videtur. Ipsi tribuenda est divisio p. I. et III. decreti et probabiliter tr. de poenitentia; 59 paleas addidit, quae ab ipso nomen videntur accepisse, necnon et glossas[1]); *summam* in illud composuit: quae jam ab aliis adhibita nostra demum aetate prodiit opera Schulte Giessen 1890, sed non satis accurate[2]).

89. De *liturgia* meruit Isaac O. Cist. natione Anglus, abbas monasterii de Stella in dioecesi pictaviensi (1147; † circa a. 1169) vir sapientia et eruditione conspicuus, epistola ad Joannem ep. *de officio missae,* quae est commentarius mysticus de canone. Reliquit praeterea plures (54) *sermones* ad fratres; ep. *de anima,* quae prodierunt in Tissier bibl. pp. cist. et Migne CXCIV, 1689—1896. Nonnulla manserunt inedita, inter quae et commentarius *in canticum canticorum*[1]).

90. Praeclara opuscula ascetica reliquit Henricus frater laicus OSB. Mellicensis, qui floruit circa hujus seculi medium, scil. *Memento mori* lingua germanica et *Priesterleben,* quae edidit Rich. Heinzel in op. Heinrich von Melk, Berlin 1867. — Rainaldus (Rainerus) quartus abbas Cistercii, cujus mortem (1151) luxit s. Bernardus ep. 270, collegit *constitutiones* ordinis et a. 1134 vulgavit, quas habes apud Manrique Annal. Cist. ad a. 1184, et in Monastico Cisterciensi, Parisiis 1664 p. 265 ss. — Serlo abbas quartus savigniacensis (1140), suum monasterium cum aliis sibi subjectis adjunxit familiae claraevallensi, et renunciato abbatis dignitate secessit in illud monasterium († 1158). Reliquit *sermones XXII* in varia festa, quos habes in bibl. PP. Cist. VI, 107-130. Cf. Hist. lit. XII, 521—524. — Idung coenobita Emmeramensis OSB. quaedam ad ascesim spectantia scripsit. Ejus l. epistolarem *de IV. quaestionibus* monachoclericorum et sanctimonalium virginum vitam spectantibus edidit Pez thes. anecd. II, 2, 507—42. — Asceticae pariter sunt *epistolae tres* Bernardi episcopi quondam bellicensis (1136), qua sede (1140) resignata O. Carthus. monachus et prior (1146|47) monasterii de Portis († 12. Jan. 1153). Eas habes in Bibl. PP. maxima XXIV, 1501 ss. et Migne CLIII, 885—900. Sequuntur ibidem p. 899—931 aliae quinque *epistolae* Joannis de Montmedy (Montmoyon, de Monte medio) pariter carthusiani monasterii de Portis, qui floruisse videtur eodem tempore (c. 1140). — Denique de Ulgerio scholae andegavensis rectore, dein et episcopo (1125; † 16. Oct. 1149) cf.

---

[1]) Cf. Schulte Geschichte der Quellen und Literatur des can. Rechtes I, 109 ss., qui p. 221 addit: Seine Noten waren lediglich Worterklärungen, Angaben von Parallelstellen und Citate aus Vätern, Burchard, den römischen Rechtsquellen und dem longobardischen Rechte, liber feudorum u. s. w.

[2]) Cf. Gietl lit. Handweiser 1891 p 382 ss. — Eodem fere tempore Alexius Aristenus dignitate nomophylax et magnae ecclesiae CP. oeconomus claruit a. 1166, quo synodo CP. interfuit et de jure canonico ibidem consultus adversus Nicephorum patriarcham hierosolymitanum conc. trullani can. 37 protulit. Exstat *synopsis canonum* (ipso longe antiquior), quam ipse scholiis illustravit. Synopsin ipsam habes apud Migne P. G. CXXXIII, 63—114, scholiis notisque illustratam in Cl. Beveregii Pandectae can., Oxonii 1672; commentarios exhibet et Migne CXXXVII una cum commentariis Balsamonis et Zonarae.

[1]) Cf. Streber KL. VI², 937; Histoire 678-83; Franz die Messe im deutschen MA. pag. 438—440.

Gams KL. XII, 191; Migne CLXXX, 1641—1656. — De Hugone Metello[1]) tullensi, Anselmi laudunensis discipulo, et Ecclesiae s. Leonis tullensis presbytero († a. fere 1150), quem Boehmer sat nigris coloribus depingit, supersunt *epistolae* 55 (cf. Hugo s. Antiquitatis monumenta t. 2), inter quas una ad Gerlandum de ss. eucharistiae sacramento adversus erroris berengariani reliquias (Migne CLXXXVIII, 1273—1276), necnon et aliquot *Carmina*, inter quae certamen inter papam et regem de investitura ed. a Boehmer in MG. lib. de lite III, 714—719. Cf. Hist. lit. XII, 493—512. — De Gebhardo episcopo wirceburgensi 1122-1127, dein reprobato, sed legitime iterum electo (1150— 17. Mart. 1159) cf. Henner Allg. d. Bi. VIII, 475—478.

[1]) Alius a Metello OSB. tegernseensi poëta, qui poëtice in carmine *Quirinalia* vitam, passionem et miracula s. Quirini M. in suum translati monasterium narrat. Reperitur apud Canisium in app. t. 1 ant. lect. 35—184; ed. 2 III. 2, 113—196. Num autem Metellus sit nomen proprium an adoptatum non satis liquet. Floruit autem poëta, qui pon infeliciter imitatur Horatium, Virgilium etc. alter sec. XII dimidio. Cf. v. Oefele All. d. Bi. XXI, 508.

III.

Theologi annorum 1171—1200.

I. Theologia dogmatica.

91. Sicut priorem saeculi XII. partem illustraverat e canonia s. Victoris parisiensi Hugo, ita posteriorem illius dignissimus sodalis, discipulus et deinde in cathedra (mediatus) successor Richardus natione Scotus. Munere subprioris (1159), dein prioris (1162) tempore admodum difficili, ob socordiam Ervisii abbatis, functus est decessitque 10. Mart. 1173. Vir erat vere religiosus, insigniter doctus, doctor ut dicitur in epitaphio celeberrimus, magnus contemplator, qui nisus est theologiam mysticam cum scholastica copulare. Plurima reliquit opera. Ea prodierunt Venetiis 1506; studio canonicorum s. Victoris Parisiis 1518; 1540 etc.; Coloniae 1621; iterum eorundem cura Rotomagi 1650 pp. 2 in f.; Migne t. CXCVI. Potiora sunt: *De Trinitate ll. 6* (Parisiis 1510 cum commentario Jo. Fabri), opus ipsius praecipuum, profundum, sensis plenum et sagacis ingenii fructus; cujus appendix est *de tribus appropriatis* personis in Trinitate ad s. Bernardum. De quo op. ita Vincentius bellovac.: „Circa id tempus (1140) floruit M. Rich. S. Victoris . . . qui in libris et tractatibus variis multa Ecclesiae sanctae utilia descripsit, inter quos eminent de s. Trinitate ll. 6, in quibus judicio meo cunctos, qui ante ipsium de hac materia tractatus multiplices ediderunt, probabili inductione simul et dulcedine quadam ac venustate sermonis excessit.“ In eo non tam utitur Scripturarum auctoritate, quam ratione procedit, et revera mirandum est quo usque pertingat suo ingenio. *De Verbo incarnato,* in quo ostendit, necessarium fuisse Deum incarnari, congruentissimum vero fuisse, ut incarnaretur Filius; *Quomodo Spiritus s. est amor Patris et Filii; de superexcellenti baptismo Christi,* tr. potius asceticus quam theologicus; *de missione Spiritus s.* sermo; *de sacrificio David prophetae* et quid distet inter ipsum et sacrificium Abrahae patriarchae (Gen. 15, 9 ss.), qui tr. est commentarius moralis et allegoricus in Ps. 65, 15; *de differentia sacrificii Abrahae* a sacrificio b. Mariae V. (Luc. 2, 24); *de gemino paschate* sermones duo. — Sequuntur jam opuscula ascetica; *de exterminatione mali* et promotione boni tr. 3; *de statu interioris hominis* tr. 3, opusculum eximium; tr. tripartitus *de*

de eruditione hominis interioris, qui est commentarius tropologicus in somnia Nabuchodonosor et visionem Danielis (Dan. cc. 2. 4. 7); tr. *de potestate ligandi et solvendi* (Parisiis 1526; 1528; 1534; 1543); tr. *de judiciaria potestate* in finali et universali judicio; *de spiritu blasphemiae; de differentia peccati* mortalis et venialis, in quibus tamen tractatibus quaestiones propositas potius tangit quam theologice et plene solvit; tr. *de gradibus caritatis; de quatuor gradibus* violentae caritatis. — Alia opera editores referunt inter exegetica: De praeparatione animi ad contemplationem l. dictus *Benjamin minor* (Parisiis 1489; 1521) ab Henrico gand. l. de XII patriarchis; *de gratia contemplationis ll. 5* occasione accepta ab arca Moysis, et ob eam rem dictus *Benjamin major* (ib. 1494), cui subjicit nonnullas allegorias tabernaculi foederis cum recapitulatione brevissima contentorum in hoc op. Haec duo opera eminent inter ejus tr. mysticos et fundamenta scientifica, imo systema continent theologiae mysticae subsequentis aevi[1]); tr. *de meditandis plagis*, quae circa finem mundi evenient; *Expositio difficultatum* suborientium in expositione tabernaculi foederis t. 3; *declarationes* nonnullarum difficultatum Scripturae; mysticae annotationes *in psalmos; in cantica canticorum* explicatio; *in visionem Ezechielis* (c. 1.); *de Emmanuele ll. 2* adversus tr. Andreae magistri[2]), qui favebat judaeorum erroribus; *Explicatio* aliquorum passuum difficilium apostoli; *in Apocalypsim Joannis* ll. 7. In hisce longe magis Hugone allegoriis tropologiisque est addictus, adeo ut concionatoribus, non vero theologis dogmaticis usui esse possint. In nonnullis tantum operibus sensum literalem investigat. Ceterum utitur eloquio medium inter Augustini argutiam et Bernardi dulcedinem incedente, et dum intellectum erudit, affectum inflammat.

92. Rolandus Bandinelli patria Senensis, s. Scripturae interpres et clarus juris canonici magister bononiensis, ab Eugenio III. cardinalis creatus (1150), s. romanae ecclesiae cancellarius et in difficillimis Ecclesiae negotiis adhibitus, electus est a. 1159 in romanum pontificem atque Alexander III salutatus. Cum intrepidus esset jurium Ecclesiae vindex, iram et inimicitiam incurrit Friderici I. imp., qui propterea gravissimum et diuturnum schisma excitavit oppositis ipsi pluribus sibi succedentibus antipapis (Victore IV., Paschali III., Callixto III.), donec tandem pax est confecta et imperator debitam ipsi exhibuit venerationem. Celebravit concilium oecumenicum XI. lateranense III. a. 1179. Magnus erat pontifex, vigilantissimus pro bono Ecclesiae et admodum literatus, adeo ut a centum annis nullus alius pontifex eum aequaret, sive eruditionem spectes in Scripturis, sive in decretorum, canonum ac legum romanarum scientia. Id abunde testantur plurimae ejus *epistolae*, responsa ad consulta, rescripta etc. (1523), quibus etiam quaestiones difficiles diremit (Migne t. CC). Alias reperit Löwenfeld in Anglia ediditque

[1]) Cf. Scheeben Handb. der kath. Dogm. l. 1. n. 1048; Hugonin Notice sur Richard de S. V. (Migne 196, XIV-XXXII), qui diligenter recenset etiam opera ejusdem mscr.; Feret I, 120—29; Zorell KL. X, 1182—1185; Hist. lit. XIII, 472—488.

[2]) Hic Andreas natione ut videtur Anglus, discipulus fuit Hugonis a s. Victore ejusque in cathedra successor. In plerosque V. T. reliquit commentarios (ineditos) et commentans Is. 7, 14: *Ecce virgo concipiet* etc. adductis patrum et judaeorum interpretationibus, nimiam rationem habet horum explicationis sensumque loci incertum relinquit. Hinc contra eum disserit Richardus. Cf. Tronchon André de S. Victor, Parisiis 1877. Hist. lit. XIII, 408 s., quae eum alioquin melioribus sec. XII. exegetis accenset. Calluit enim etiam linguam graecam et hebraicam.

inter Epistolas rom. pont. ineditas, Lipsiae 1885. Hinc ejus epistolae, documenta etc. numerantur jam ad 3899: Jaffé II, 146—418 eorum recenset 3840. Decessit postquam a. 22 tenuit sedem apostolicam[1]) 30. Aug. 1181. In epitaphio salutatur »lumen cleri, Ecclesiae decus, pater urbis et orbis.« Recentiori demum aetate prodierunt *Summa* magistri Rolandi, cura Thaner Oeniponte 1874, etiam *Stroma* Rolandi dicta, quae est unus ex primis commentariis in Gratiani decretum. Huc vero spectat propter aliud ejusdem opus ab Henr. Denifle O. Pr. repertum et ab ejus sodali Ambr. Gietl Friburgi 1891 accuratissime editum, quod inscribitur *Sententiae* auctoritatibus rationibusque fortes. Opus universae theologiae dogmaticae systema complectens, sed non est integrum; pars, sed non magna, deest. Ducem sequitur Abaelardum in divisione operis, quod distribuit in pp. 3: de fide, de sacramentis, de caritate, atque etiam in variis doctrinae capitibus, sed non nimis serviliter: in pluribus enim dissentit ab eo magisque sanam Ecclesiae doctrinam tuetur[2]):

hinc etiam in hisce capitibus potius utitur summa sententiarum Hugonis a s. Victore. Alia quaedam ejusdem opera manserunt inedita.

93. Merito huic addimus Omnibonum (Ognibene) Gratiani discipulum, Rolandi Bononiae collegam, episcopum postmodum veronensem (1157-1185), cujus *sententiarum* opus reperit Denifle pluraque illius fragmenta exhibet. Sequitur et ipse Abaelardum[1]) eique magis quam Rolandus inhaeret, quo subinde utitur, non tamen serviliter, cum et ipse in nonnullis doctrinae capitibus ab illo recedat. Ejusdem videtur esse *Concordia discordantium canonum* seu abbreviatio decreti Gratiani duae pp., quarum prior complectitur 26 dist., altera causas 37 per quaestiones artificiose dispositas, quod se reperisse putat Bickell in cod. 68 francofordiensi[2]). — Tertius magister bononiensis est Gandulphus, clarissimus canonista et sententiarum auctor, de quo tamen nihil nobis constat. Ex allegationibus tantum liquet, eum in universum decretum glossam scripsisse, cujus magna erat auctoritas et usus[3]). Tres codices ejus sententiarum opus continentes in bibliotheca nationali taurinensi reperit Denifle, qui illud describit refertque, non defuisse qui pu-

---

[1]) Cf. Hergenroether KL.[2] I, 481; Morgott in Lit. Hdw. 1892 c. 81 ss., qui ejus Sententias laudat. De synodis sub ipso habitis cf. Hefele V. § 621 ss.

[2]) Cf. Denifle accurate de habitu inter Rolandum et Abaelardum dissertem Archiv I, 596 ss. et Gietl in docta praef. suae ed. p. XXVI ss., qui pag. XXX scribit: Aus dem Gesagten erhellt, daß Roland vielfach von den Anschauungen Abälards abweicht; die Verschiedenheit der Ansichten erweist sich als eine so bedeutende, daß wir R nicht einen Schüler Abälards nennen können. Wie unabhängig R oft gegenüber Abälard erscheint, so wurde doch auch dieser selbständige Geist in einigen Stücken durch den Glanz der Darstellung Abälards irregeführt. Die Reinheit der Lehre, die sonst in den Sentenzen R. zu Tage tritt, wie die Ehrfurcht vor der Auctorität der Kirche und der Väter, die R. in denselben offenbart, bürgen dafür, daß R. sich nicht in einem bewußten Gegensatz zur Kirche befand.

[1]) Cf. Denifle, qui eum abaelardianum vocat, in diss. jam saepe cit. Archiv I, 461 ss. Cf. et Gietl op. cit. praef. L – LVI.

[2]) Cf. Schulte die Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechtes I, 119 ss. Denifle tamen l. c. p. 469 an. rem nondum indubiam censet

[3]) Schulte l. c. p. 132: Er hat das ganze Dekret glossirt, ist von allen Nachfolgern benutzt worden und bekundet eine Originalität und Frische der Auffassung, wie sie selten hervortritt. Et pag. 221 addit: Er hat auf die Nachfolger bedeutend eingewirkt, theils dadurch, daß seine Ansichten angenommen wurden, theils indem ihre Eigenthümlichkeit zur Widerlegung und Kritik reizte, damit aber die sachliche Erörterung förderte.

tarent, Lombardum quaedam ex illo hausisse[1]). — Robertus, quem aliqui confundere videntur cum Roberto Foliot successore ipsius in episcopatu, natione Anglus, Parisios venit, ubi sub magisterio Hugonis a s. Victore et forte etiam Abaelardi in literis multum profecit, dein philosophiam docuit et theologiam. Celebres habuit discipulos ut Joannem Sarisberiensem, juxta quem fuit in responsionibus perspicax, brevis et commodus et studii pervicacis (Metalog. l. 2 c. 10 Migne CXCIX, 867), s. Thomam Becket et Joan. Cornubiensem. Inde transiit Meldunium (Melun) unde Melidunensis cognominatus est. Post a. 30 rediit in patriam et electus est a. 1136 episcopus herefordiensis († 28. Febr. 1167). Dolendum eum in controversiis s. Thomae Becket cum Henrico II ex nimia conniventia stetisse e parte regis. Dictus est „vetus scholasticus“ et composuit *Summam theologicam* vel l. sententiarum, in qua disserit de Deo, angelis, homine, Verbi incarnatione, sacramentis. Sequitur in eo Hugonem a s. Victore juxta hujus opus de sacramentis fidelium. Ea etsi luce digna nondum prodiit, haud pauca tamen ex ea profert Bulaeus in historia universitatis parisiensis ad a. 1152 II 585—628, ut theologiae vere scholasticae et laudabilis quaestionumque theologicarum, quae in scholis agitari hoc seculo consueverant, ut idem ait, ideam ad posteros transmitteret. Quaedam etiam allegat Mathoud in observationibus ad Rob. Pullum, cujus sententiarum ll. 8 ediderat. Specimina philosophiae ipsius praebet Haureau Hist. de la phil. schol. Paris 1872 I, 491 ss. Ineditae quoque manserunt ejus quaestiones *de divina pagina,* et quaestiones *de epistolis s. Pauli*[2]).

94. Petrus patria non Parisiensis, sed Bellovacensis, canonicus primum remensis, dein parisiensis, Cantor dictus ab illustri praecentoris dignitate, de quo Trithemius scribit: „vir in divinis Scripturis eruditissimus et in seculari philosophia nobiliter doctus, (qui) theologicae scholae Parisiis multis annis gloriose praefuit et discipulos multos egregie erudivit“. Electus fuit episcopus tornacensis, sed Guilelmus archiep. remensis electionem non probavit: factus tamen est postea decanus capituli remensis. Honores demum fugiens in coenobio, quod Longus Pons dicitur (Pontinella in dioecesi suessionensi) O. Cist., ipso ingressus anno obiit 22. Sept. 1197. Colitur 19. Maj. inter beatos. Concinnavit *Summam* de suggillatione vitiorum et commendatione virtutum seu ethicam, quae Verbum abbreviatum etiam solet nuncupari, quia incipit a verbis Rom. 9, 28: *Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram.* Opus magis asceticum quam scholasticum, in quo notat quaestiones nimis subtiles, spinosas, singulares parumque utiles (c. 3). Editum et notis illustratum fuit a Georgio Galopino OSB. Montibus Hanoniae 1639 in 4., recusum a Migne t. CCV, 23—370. Reliquit plurima inedita, ut *annotationes* et brevia commentaria in totum V. et N. Testamentum; tr. *de contrarietate Scripturae* seu de contrarietatibus theologicis, ab aliis inscriptum Grammatica theologorum ad intellectum s. Scripturae in multis locis satis utilis; *Summam* magnam de sacramentis et animae consiliis. Alterius summae *Abel* dictae, eo quod procedens per ordinem alphabeticum a nomine Abel incipiat, quae inscribitur *Distinctiones*, magnam partem edidit[1]) demum Pitra in Spicilegio

[1]) Loco cit pag. 621 ss.

[2]) Cf. Morgott KL. X, 1222—1224: Feret I, 88—94; Hist. lit. XIII, 371—376.

[1]) Cf. F. S. Gutjahr, qui ex schedis Dr. Ottonis Schmid professoris graecensis († 9. Jan. 1892) elaboravit diligentem de Petro C. diss. Petrus Cantor Parisiensis sein Leben und seine Schriften, ein Beitrag zur Literatur- und Gelehrtengesch. des 12. Jahrh., Graz 1899; Feret I, 58—68. De eo ita scribit Stephanus tornac. ep. 175

solesm. III, 1—308; et in Anal. sacris II, 6—154; 585—623. — Adamus Parvus Parvopontanus dictus, Anglus, canonicus erat et magister parisiensis prius grammaticae, rhetoricae et dialecticae apud Petit Pont (unde ejus cognomen), dein theologiae, episcopus assoviensis (1175: † 1180 vel 1181). Interfuit concilio lateranensi III. a. 1179, in quo, ut referunt, stetit pro Petro Lombardo. Reliquisse dicitur *commentarium* in 4 ll. sententiarum et *quaestiones* ordinarias[1]). Ex ejus arte dialectica fragmenta exhibet Cousin in Fragments philosophiques II, 386—90).

95. Contra *Judaeos*[2]) pugnarunt Ignetus Contardus mercator januensis in disputatione cum Judaeis habita in insula Majorica a. 1186, quam edidit in *flagello Hebraeorum* Franc. Carbo, Venetiis 1672 in 12. — Philippus Gualterus de Castellione (de Ronchin dictus de Châtillon) insulanus (Ryssel), praepositus canonicorum tornacensium, in scholis quondam fuit nominatissimus ob poema heroicum *Alexandreis* (de rebus gestis Alexandri M.) inscriptum ll. X, opus quinque annorum[1]). Quaedam ejusdem carmina habes in MG. poët. aevi carol. III, 555-560. Scripsit (breviter) *adversus Judaeos ll. 3* ab Oudin editos in veterum aliquot Galliae et Belgii scriptorum opusc. sacris, Lugduni batav. 1692 in 8; Migne CCIX, 423—458. Pez in thes. Anecd. II, 2, 51 ei tribuit l. *de Trinitate* a se repertum (Migne ib. p. 573—590). — Tertius est Petrus Blesensis pluribus aliis operibus illustris in l. *contra perfidiam Judaeorum*, in quo ex variis Scripturae locis Messiae adventum eleganter probat. Porro Petrus a patria Blesensis dictus parentes habuit de optimatibus minoris Britanniae virtute conspicuos. Adolescens ingenuis artibus et politioribus literis Lutetiae et aliquamdiu Bononiae strenuam navavit operam; poeticae autem et oratoriae maxime incubuerat: verum aliis disciplinis sepositis unius se theologiae studio dedit, in qua insigniter profecit, in primis in recondita s. Scripturae scientia, ut scripta ipsius testantur. Unum praesertim gratus agnoscit praeceptorem ac magistrum Joannem saresberiensem, de quo mox. Cum ejus fama ob scientiam et virtutis culturam ubique jam inclaresceret, a Rotrodo rotomagensi archiepiscopo, Siculorum reginae avunculo, a. 1167 in Siciliam missus Guilelmo II. regi Siciliae praeceptor datus est ipsiusque literis ac diplomatibus obsignandis praepositus. Maxima valuit apud Siculos auctoritate. Reversum in Franciam (1169) Henricus II. ad se evocavit in Angliam atque ad regem Franciae magnis de rebus tractaturum misit. Ex aula quietioris vitae cupiditate ad Richardum archiep. cantuariensem secessit, cujus et cancellarium egit et causas apud Henricum

---

(Migne CCXI, p. 462) ad Guilelmum archiep. remensem: „Vir est cujus per omnes ecclesias famae suavis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissime clarens, et doctrinam monitis ornat et moribus disciplinam. Origeni parem in eloquio sic eum docere credimus ut vivere, sic vivere ut docere.“ Distingui debet a tot aliis viris claris, qui eo tempore floruerunt et Petri nomine insigniebantur, ut a Petro Pictaviensi duplici de quo infra, a Petro Audomarensi, a Petro Remensi OP., ab duplici Petro Blesensi, de quo mox etc.

[1]) Cf. Feret I, 48—50; Hauréau Notices et Extraits de quelques msc. lat. III, 197 ss., ubi fragmenta exhibet ex ejus l. *de utensilibus* (domus), quae non carent pretio pro historia linguae latinae.

[2]) Adelphum OSB. abbatem circa a. 1180 contra Saracenos scripsisse memorat Trithemius de script. eccl. c. 383.

[1]) Cf. Baumgartner Gesch. der Weltliteratur IV, 369—372. Alius est Walter van Muiden (Muda) O. Cist., qui exeunte sec. XIII cecinit laudes Thorphimi (Torfinni) ep. Hammariae (Hammer) in Norwegia († 1200) apud Visch bibl. cist. p. 316 s.

II. tractavit: quo defuncto in aula Eleonorae reginae commoratus multas pro ea dedit epistolas ad diversos. Bis etiam ab archiepiscopo (1176 et 1178) Romam missus est in suis negotiis. Bathoniensis archidiaconus factus malevolorum quorundam invidorumque hominum factione pulsus est: quamobrem accepit londinensem archidiaconatum, cui quidem honoris plurimum, sed emolumenti parum adnexum erat. Verum et hic invidiae telis expositus fuit, ut in *Invectiva contra detrectatorem* necesse habuerit famam suam adversus cujusdam hominis malevoli calumnias tutari. Decessit[1]) a. 1200 decanus wolverhamptonensis. Magna est ejus apud aequales et posteros auctoritas et nomen, non solum a doctrina, sed et a vitae integritate morumque sanctimonia, ut nonnemini inter postremos Ecclesiae patres annumerandus videretur. Infulas sibi bis oblatas prae modestia recusavit et ad sacrum presbyteratus ordinem non nisi aetate provecta promoveri est passus. Opera ejus prodierunt collecta cura Jacobi Merlini, Parisiis 1519; Jo. Busaei Moguntiae 1600, cum appendice 1605; plenius et notis illustrata praemissa ejus vita, cura Petri de Gussanvilla, Parisiis 1667, recusa in bibl. patrum lugd. t. 24; cura Giles Oxonii 1846—1847 et in Migne patrol. t. CCVII. Praeter jam laudata mentione digna sunt: *Epistolae* (243) plane luculentae, e quibus Baronius haud pauca derivavit ad postremos suae historiae annos illustrandos; *sermones* (65); quidam a Busaeo ipsi tributi Petri Comestoris sunt; tr. *de transfiguratione Domini; de conversione Pauli* (uterque olim inter epistolas sicut et aliqui ex tract. sequentibus); compendium *in Job,* quod continet Jobi vitam, aerumnas, excessum: *de amicitia christiana* et caritate Dei et proximi tr. duplex; *passio Reginaldi* principis olim antiocheni; *de duodecim utilitatibus tribulationis;* tr. *Quales sunt,* quo gravem de malis episcopis querimoniam complectitur, et ostendit eos non debere dici pontifices, antistites, praesules etc.; *Instructio fidei catholicae* ab Alexandro III. ad Soldanum Iconii missa, quia videbatur propensus in fidem christianam. Dubitant tamen eruditi, num haec instructio sit Petri nostri. — L. *de confessione sacramentali,* in quo ostendit singula peccata letalia, etiam occultissima, in confessione esse aperienda; *de poenitentia* vel satisfactione a sacerdote injungenda, in quo opusc. invehitur in abbatem quendam, qui duriores monachis suis post confessionem, quam sibi fieri volebat, poenitentias injungere solitus erat; *Canon episcopalis* i. e. tr. de institutione episcopi, doctissimus et episcopis perutilis. Poëmata, inter quae tr. *de sacrosanctis ven. sacramenti eucharistiae mysteriis*[1]). — Continuavit ad a. 1118 *historiam* seu descriptionem abbatiae croylandensis OSB., quam (ab ejus fundatione a. 664—1091) coeperat Ingulfus (aliis vitiose *Indulfus*) londinensis Guilelmi Conquaestoris scriba, post lustratam a. 1064 Palaestinam monachus fontanissensis (Fontenelle), factus ab eodem Guilelmo

[1]) Ab hoc distingui debet alius Petrus blesensis, cujus noster erat avunculus. Compilavit hic ex Stephano tornacensi, Rufino et Jo. Faventino Opusculum *de distinctionibus* in canonum interpretatione adhibendis sive ut auctor voluit *Speculum juris canonici,* quod primum edidit Theoph. Aug. Reimarus, Berolini 1837, de quo censet Schulte l. c. p. 208: Das Werk ist eigentlich eine Ausführung und Durchführung allgemeiner Regeln (brocardica) und darf als ein Lehrbuch der Grundbegriffe des canonischen Rechts über das Verfahren und die Anwendung der Rechtsätze bezeichnet werden. Opusculum, quod videtur conscriptum c. a. 1180, neque multum innotuit, neque aliis usui fuit. Cf. Marx KL. IX², 1895.

[1]) Cf. Baumgartner Gesch. der Weltlit. IV, 392. Hoc tamen carmen esse Magistri Petri Pictoris canonici s. Audomari (fl. 1170) tuetur Hist. lit. XIII, 429—433.

abbas in Anglia croylandensis († 16. Nov. 1109). Hanc primus edidit sed minus integram H. Savilius inter scriptores rerum anglicarum, Londini 1596; Francofurti 1601; integriorem et suppletis lacunis cum continuatione nostri Petri ab a. 1091—1118 (et aliorum trium anonymorum) Joannes Fellus[1]), Oxonii 1684 I, 107; Birch in op. Chronicle of Croyland Abbey by Ingulph, 1883. Potthast vero p. 649 et 910 historiam et ejus continuationem censet esse figmentum sec. XIV. Stilus, quo utitur auctor noster, est concisus, sententiosus, abundat antithesibus et agnominationibus. — His subjicimus Hermannum de Scheida (Schelda), qui n. c. 1108 Coloniae, genere Israelita, tribu levita, munere sacerdos, veritati christianae oculos aperuit atque baptismi lavacro renatus est a. 1128. Ingressus est celebre monasterium Kappenberg O. Praem. factusque primus abbas Scheidae (1150). Decessit venerandus 90 a. senex a. 1198. Ipse suam ad veram Christi fidem pie narrat, qui libellus *de conversione D. Hermanni* prodiit in op. Pugio fidei R. Martini ed. a Carpzovio appendicis instar, Lipsiae 1687; Migne CLXX, 803-836. Cf. Seeberg H. von Scheda ein jüdischer Proselyt im 12. Jahr., Lipsiae 1891.

96. Contra *Graecos* schismaticos disputavit Hugo Etherianus (Aetherianus, Eterianus, Heterianus etc.) Tuscus Pisis oriundus, qui cum fratre suo Leone magna auctoritate fruebatur apud Manuelem Graecorum imperatorem (1143—1180). Quadam die imperator Latinis non infensus ad se vocatum interrogavit, num Latinis ss. patrum auctoritas faveret pro sua sententia de processione s. Spiritus a Patre Filioque. Haec quaestio occasionem ei praebuit, cum esset etiam versatissimus in graecorum opinionibus componendo operi *De haeresibus*, quas Graeci in Latinos devolvunt, sive quod Spiritus s. ab utroque, Patre et Filio, procedit ll. 3: pro quo Alexander III. gratias ep. 49 auctori egit. Prodiit primum Basileae 1543; atque in bibl. PP. parisiensi, coloniensi et lugdunensi. Rogante clero pisano scripsit l. *de anima corpore jam exuta* sive de regressu animarum ab inferis, Coloniae 1540 in 8; in bibl. lugd. t. XII, contra errorem quorundam Pisanorum dicentium preces et sacrificia mortuis nihil prodesse. Utrumque (apud Migne CCII, 167—396) conscriptum est stilo nimis florido, secundum nonnullos tumido, sed dolendum textum esse admodum mendosum et corruptum. Ipse ex Latinis primus est, qui Photium docte et erudite refutavit[1]). Tribuuntur ei alia quaedam (inedita). — Hujus discipulus erat Leo pariter Tuscus, imperialium epistolarum sub Em. Comneno (1143—1180) Graecorum imp. interpres, qui juxta Trithemium de S. E. c. 400 edidit quaedam praeclara volumina contra graecos, quae videntur mansisse inedita. — His adjungere licet Nicetam e Maronaea in Thracia oriundum, archidiaconum et chartophylacem Constantinopoli, postea archiepiscopum thessalonicensem[2]), qui floruit sub Manuele I. Comneno (1143—1180) stetitque pro unione cum Latinis ineunda. Quare sex scripsit dialogos *de processione Spiritus s.*, in quibus egregie tuetur dogma catholicum: hinc magni facti

[1]) Cf. Fabricius IV, 322; VI, 235.

[1]) Cf. Hergenroether Photius II, 646; III, 175 ss.: 814 ss. etc.; Rausch KL.[2] IV, 932.

[2]) Cf. Ehrhard in Krumbacher Gesch. der byz. Lit. p. 89 s. Ab hoc distingui debet Nicetas Byzantinus, qui disputavit contra Armenos pro dualitate naturarum in Christo, contra Mohammedanos, quos triplici impugnavit scripto (apud Migne CV, 588—841), et contra latinos de processione s. Spiritus (inter Jo. Hergenroether Monumenta graeca ad Photium ejusque historiam pertinentia, Regensburg 1869). Floruisse dicitur sec. IX, juxta alios ineunte XII. Cf. Ehrhard l. c. p. 79.

sunt a scriptoribus graecis orthodoxis. Prologum cum prolixis fragmentis habes in Migne P. G. CXXXIX, 165-221.

97. Contra *catharos* scripsit Ecbertus nobilibus parentibus natus, canonicus primum bonensis, dein monasterii schoenaugiensis monachus OSB. in silva Hercinia dioecesis trevirensis (1155), cujus factus est abbas (1166; † 28. Mart. 1184). A Rainaldo archiepiscopo coloniensi vocatus est (1163), ut cum quibusdam catharis, qui de partibus Flandriae venerant, disputaret, quos refutavit. Cum vero erroribus renunciare nollent, flammis fuerunt addicti. Scripto etiam eos impugnavit compositis *sermonibus* XIII adversus pestiferos foedissimosque Catharorum damnatos errores, Coloniae 1530; bibl. patrum lugd. t. XIV; Migne CXCV, 11—102, quibus subjecit excerptum de Manichaeis ex s. Augustino. — Scripsit etiam *de laude crucis*, ut hujus venerationem contra adversariorum exceptiones tueretur; *Soliloquium* sive meditationes; *stimulus amoris*, in bibliotheca ascetica ed. Pez VII, 13—63; *de obitu sororis suae* scil. s. Elisabethae Virginis et abbatissae schoenaugiensis († 1165), in actis SS. 18. Junii III, 607—43, qui ut l. 6. cum hujus virginis Visionum ll. 5, lucem viderat ed. Jac. Fabro Parisiis 1513; cum visionibus s. Hildegardis et s. Birgittae, Coloniae 1628; germanice cum aliis ejusdem scriptis, inter quae et *epistolae*, quae non carent pretio, editus a Roth: *Die Visionen der hl. Elisabeth* und die Schriften der Aebte Eckbert und Emicho († 1207) qui probabiliter *vitam Ecberti* seu ejus elogium, quod habes in N. A. XI (1886, 448—454) scripsit, Brunae 1884. — Henricus de Castro Marsiaco O. Cist., nondum elapso quadriennio abbas (1161) Altaecumbae in Sabaudia et 1177 claraevallensis, ab Alexandro III. creatus est (1179) cardinalis et episcopus albanensis. Virtutum ejus fama longe lateque se diffundente omnibus carissimus fuit tam regibus et principibus, quam religiosis et praelatis. A Clemente III. legatus cum plenaria potestate ad provincias transmontanas mittitur, archiepiscopos lugdunensem et narbonensem deposuit, abbates multos reformavit, haereticos debellavit et convicit. Urbano III. defuncto multorum cardinalium votis in successorem designatus, adduci non potuit, ut electioni consentiret. Crucis praedicandae officium assumens imperatorem cum 69 principibus, reges Galliae et Angliae ea signavit et post multa clara gesta pie in Domino obdormivit 4. Jul. 1188. Praeter *epistolas* et *de peregrinante civitate Dei* tr. 18 (Migne CCIV, 215—402), *censuram* (gravem, sed utilem) morum et corruptelae inter clericos et sacerdotes sui temporis (ed. a Petro a Ludewig in reliquiis mscr. et diplomatum ineditorum, Lipsiae 1720 t. II. p. 438-41), scripsit *declarationem* adversus Albingenses, quam exhibet Baronius ad a. 1178 n. 29—37. — Bonacursius quondam Catharorum magister et episcopus, ad veram fidem conversus a. 1190, scripsit *manifestationem haereseos Catharorum*, editam[1]) a D'Achery in Spicil. I, 208 ed. novae, et in Migne patrol. CCIV, 775—92, in cujus parte ultima agit etiam contra asseclas Arnaldi de Brixia. — B. Bernardus Fontis Calidi (Fontcaude) O. Praem. abbas III. vir apostolicus magno ad propugnanda catholicae religionis dogmata ferebatur zelo, ut arduos atque assiduos cum Waldensibus conflictus subire, errores tam verbo quam scriptis confutare cunctatus non fuerit († 1190). Reliquit adversus Waldensium sectam l., quem dicavit Lucio III. ediditque Gretserus in op. *Trias*

[1]) Cf. Fabricii I, 234. Mansi in annot. adjecta refert se alium reperisse codicem ab eo, quem D'Achery ediderat, multum differentem, cujus editionem promittit; num promissioni steterit, nobis non est compertum.

scriptorum adversus Waldensium sectam, scil. cum Ebrardo (sec. forte XIII) et Ermengardo seu Ermengaudo abbate s. Aegidii (1179-95), cujus est opusculum (extrema parte mutilum) contra haereticos, qui dicunt et credunt mundum istum et omnia visibilia non esse a Deo facta, sed a diabolo, Ingolstadii 1614. in 4; inde recusa et inter ejus opera t. XII; in bibl. pp. lugd. t. 24, Gallandii Vet. PP. bibl. XIV, 529-94; et in Migne CCIV, 793-840; 1235-72.

98. Multum inter Armenos emicuit Nerses (Narses) IV. Clajensis, adeo apud suos et Graecos in honore, ut Schnorchali i. e. Gratiosus cognominaretur: neque infensus fuit Ecclesiae romanae, imo Innocentium II. venerabatur. Illustrissima stirpe natus est c. a. 1100 atque egregie institutus, invitus ordinatus episcopus a fratre suo Gręgorio, qui a. 53 supremi Catholici dignitate ecclesiam rexit Armenorum. Fratre defuncto, cui in munere pastorali strenuus erat adjutor, unanimi cleri voto electus est in ejus successorem († 5 vel 13. Aug. 1173). Multa sui ingenii reliquit monumenta[1]). Insignis erat poëta et eloquentissimus orator. Juvenis jam (1121) poetice narrat nationis suae *historiam* ab ejusdem origine ad sua usque tempora; et metrice tradit *historiam sacram* V. et N. Testamenti. Aliis omissis poëmatibus mentione dignae sunt epistolae, quas scripsit nomine sui fratris, in quibus egregie verae fidei illustrat dogmata atque errores adversariorum refellit. Eae prodierunt Constantinopoli 1825; Venetiis 1858. Hinc Manuel Comnenus Graecorum imperator, qui diu jam de unione ecclesiae armenae cum graeca sollicitus fuerat, epistolas et etiam legatos misit ad eum, ut Armenos induceret ad ejusmodi concordiam. Disputationes[1]) hac de re habitas edidit Leunclavius Basileae 1575; Galanus in Conciliatione ecclesiae armenae cum romana I, 212—222, Balgy Historia doctr. cath. inter Armenos c. 6 p. 33 ss. et in app. 4. 5 p. 220 ss., quarum lacunas Mai ex codicibus a se repertis supplevit in Script. vet. nova coll. t. VI, 313—425. Evangelium s. Matthaei commentariis illustravit, sed pervenit tantum ad c. 4., reliqua adjecit Joannes de Erzingh, ed. Constantinopoli 1825. Opera ejus collecta prodierunt studio D. Jos. Cappelletti, Venetiis 1873. — Hujus nepos erat Nerses, Lambronensis a patria dictus, qui ut dignitates sibi oblatas fugeret, secessit in desertum, ibique vacabat contemplationi et studio. Electus tamen est archiepiscopus tarsensis et monasterii Skyrrae abbas (1176). A Gregorio Tgha Catholico adhibitus est in negotio unionis ecclesiae armenae cum graeca, quae tamen ob temporum iniquitatem caruit effectu. Potius cum Ecclesia romana armenae ecclesiae confecta est unio, cui inter episcopos primus subscripsit Nerses: hinc calumnias et odia civium schismaticorum incurrit. Obiit 14. Jul. 1198 a. aetatis 45 vel 46. Ejus memoria in Ecclesia armena recolitur 17. Julii, dictusque est ob sua merita alter Tarsi Paulus. Cum plures calleret linguas, opera aliquot ex latino, graeco et syriaco sermone vertit in linguam patriam; compilavit *vitas* patrum ex veterum scriptis; commentariis illustravit libros s. Scripturae ut Psalmos, Proverbia, librum Sapientiae, Ecclesiasten et pro-

[1]) Cf. Vetter KL.² IX, 161.

[1]) Usus est imperator in hoc negotio Theoriano philosopho, qui duplicem reliquit de his disputationibus, quae versabantur praesertim de duplici in Christo natura juxta conc. chalcedonense, relationem, pretiosam pro historia hujus controversiae. Eam habes apud Mai Script. vet. coll. VI, 314—415; Migne CXXXIII, 120—279. Sed audiatur et altera pars scil. et Nerses. Theorianum favisse Latinis colligitur ex fragmento ep. ejusdem Migne XCIV, 405.

phetas minores, Constantinopoli 1826; etiam *ritus sacrificii missae* (Venetiis 1847). Prae ceteris celebratur *oratio* ejus habita in synodo clajensi (1179) pro unione cum ecclesia graeca ineunda, Venetiis 1784. 1812. 1865. Reliquit et alias *orationes*, epistolas, carmina, homilias[1]), Venetiis 1798; 1838 etc.

99. Gualterius (Gauterius) de Mauritania (Mortagne) rhetoricam professus est in monte s. Genovefae, ubi et Joannem saresberiensem discipulum habuit; dein factus est canonicus anthoniensis, decanus, imo et episcopus laudunensis (1155; † 16. Jul. 1174). Scripsit *epistolas*, quarum 1. agit de effectibus baptismi per ministrum qualemcunque; 2. retractationem continet duriorum quorundam, quae scripserat de Christo et de incarnationis mysterio; 3. est ad Theodoricum, qui negabat essentiam Dei ubique adesse; 4. ad Albericum, qui Christum mortis metu contristatum inficiabatur; 5. contra P. Abaelardum, in qua notat ejus pruriginem, qua dialecticis subtilitatibus subjiciebat ss. Trinitatis mysterium. Eas edidit D'Achery Spicilegii III, 529 ss.; Bulaeus in historia academiae paris. ad a. 1121. Ipsius quoque videtur esse *tr. 7. summae sententiarum* Hugonis a s. Victore (cf. p. 79), qui agit de conjugio[2]). — Thomas Balduinus Devonius, quia oriundus ex Devonshire, excestrensis scholae praepositus et archidiaconus, dein O. Cist. et abbas de Forda, ab a. 1181 episcopus erat wigorniensis et a. 1185 archiepiscopus cantuariensis, quo tamen in munere exspectationi non satisfecit. Profectus in Palaestinam ibi in obsidione Ptolomaidis defunctus est 19. Nov. 1190. Reliquit praeter plurima inedita *sermones* seu tractatus XVI fere asceticos, quorum primus est de ss. eucharistiae sacramento; 7. de salutatione angelica; 1. *de commendatione fidei*, 1. seu epistola *de sacramento altaris;* in bibl. cisterciensi ed. Tissier t. V; Migne patrol. CCIV, 403—774. — De b. Maria V. egit Adamus[1]) O. Cist. abbas pius et doctus Perseniae (Perseigne) in dioecesi cenomanensi († 1203) in *Mariali* seu sermonibus (5) de b. Virgine, quos edidit Maracci cum 7 fragmentis, Romae 1652 annotationibus illustratos. Extant plures ejusdem *epistolae*, quas ediderunt Baluzius (5) in Miscellaneis I, 423 ss. et Martene in thesauro anecd. I, 969 ss., Migne CCXI, 583—780.

100. Neque praetermittendus est Joannes Parvus (forte a statura ita dictus), a patria Sarisberiensis cognominatus, vir clarissimus et celeber sua aetate, qui non tam theologum egit quam philosophum. Parisios profectus a. 1136 viros nominatissimos habuit magistros, inter quos Petrum Abaelardum, Albericum Remensem dialecticum celebrem, nominalium scholae hostem acrem, Gilbertum Porretanum, Robertum melodunensem, Pullum, Guilelmum de Conchis, a quo in literis classicis fuit egregie institutus, etc. Rediit nonnisi optime institutus in Angliam, et commendatione s. Bernardi a Theobaldo archiepiscopo inter familiares est receptus eique ab epistolis fuit (1149). Magna quoque valuit gratia apud Henricum II., qui eo in gravissimis usus est negotiis. Excidit tamen ejus gratia: qua recuperata opera Thomae Becket cancellarii in Anglia remanere fuit permissus: imo huic ad archiepiscopatum promoto familiarissi-

[1]) Cf. Vetter KL. IX,[2] 162; Petermann-Kessler Realenc. X,[2] 487—494 de utroque.

[2]) Cf. Denifle Archiv III, 636 s.; Gietl Die Sentenzen Rolands introd. c. 3; Feret I, 94—99; Hist. lit. XIII, 511—515.

[1]) Cf. Oudin comment. de script. eccl. II, 1682. Distinguendus est ab alio Adamo O. Cist. abbate Caroliloci et post silvanectensi (Senlis) episcopo (1228-20. Aug. 1258), qui pariter *sermones* eruditos composuit.

mus manusque et oculi instar fuit, teste Petro blesensi ep. 22, hinc et exsilii socius. — Eum in Angliam redeuntem comitatus est, et post ipsius martyrium ejus successori Richardo astitit. Agente in primis Guilelmo archiepiscopo senonensi, rege Galliae approbante et clero, electus est episcopus carnotensis (1176; † 25. Oct. 1180, secundum alios 1181 vel 1182). Gravibus negotiis deditus decies alpes transgressus est, saepius Romam adiit; in schismate post Hadriani IV. mortem strenue pro Alexandro III stetit. In necrologio carnotensi dicitur „vir magnae religionis totiusque scientiae radiis illustratus, verbo, vita, moribus pastor omnibus amabilis". Gratiosus fuit quoque summis pontificibus Eugenio III., Hadriano IV., cui magna libertate et fiducia ausus est exponere curiae romanae vitia, Alexandro III., cui aliquando fuit a secretis et epistolis et qui eo potissimum usus est adversus Octavianum antipapam ejusque fautores. Sub hoc pontifice interfuit concilio lateranensi III. (1179). Auctoritatis pontificiae et sacerdotalis propugnator fuit acerrimus. Sagacis fuisse ingenii atque facundum carmine et prosa, linguae etiam graecae peritum et in optimorum scriptorum veterum, philosophorum praesertim, subactum lectione, lucubrationes ipsius testantur.

101. Ejus opera seorsim et dein collecta prodierunt cura J. A. Giles Oxonii 1848 t. 5 et hinc in patrol. Migne CXCIX, 1—1040: editiones minus adhuc perfectae. Ex his mentione dignae *epistolae* (339), editae[1]) primum a Masson Parisiis 1611; *Policraticus* sive de nugis curialium[2]) et vestigiis philosophorum ll. 8, Bruxellis c. 1480 Parisiis et Lugduni 1513 in 4. etc., de quo op. scribit Petrus blesensis (ep. 2[illegible]): „Librum vestrum de nugis curialium legi et mirabiliter me refecit: nam et ibi optima forma eruditionis est, et propter artificiosam sententiarum varietatem inaestimabilis materia voluptatis". Insectatur hoc in op. ironia eleganti sed et mordaci principum nugas, cujusmodi sunt venationes, lusus, moriones, magi, arioli etc.; in assentatores invehitur, qua occasione statuit, licere tyrannis adulari, cum liceat ipsos occidere; contra illos quoque declamat, qui dignitates ecclesiasticas palam ambiebant, privilegia et exemptiones captabant etc. Est istud opus corpus doctrinae moralis et politicae, in quo auctor Thomam cancellarium de suis erga Ecclesiam officiis instruit, vastissimam prodit eruditionem, plurimos enim citat auctores, quorum libri, saltem plures, ad nos usque non pervenerunt. — Aliud opus prioris veluti complementum est *Metalogicus* (Metalogicon) ll. 4, Parisiis 1610, Lugduni B. et Amstelodami 1639; 1644 etc., quod est apologia sanae dialecticae contra sophistam astutum, quem presso nomine, ut parcat, ironice „Cornificium" appellat et generatim contra dialecticae abusum, qui sec. 12. non parum grassabatur, cum sophistae vel sublimissima fidei catholicae mysteria invaderent, suis regulis dialecticis subjicerent atque ita rationalismo viam sternerent. Qua in disputatione sana sequitur s. Augustini

---

[1]) Inter has plures sunt Theobaldi (Thibaud) OSB. abbatis beccensis (1136) et archiepiscopi cantuariensis (1139: † 18. Apr. 1161), cui erat secretis. Cf. Hist. lit. XIII, 309—313.

[2]) Ab hoc distingui debet l. Gualteri Map (Mapus, Mapes) Henrici II. sacellani, canonici s. Pauli londinensis, archidiaconi oxoniensis (1196, † c. 1210) (1210) *de nugis curialium* distinctiones quinque, quas primum edidit Th. Wright 1850, ex quo prostant fragmenta in MG. SS. XXV, 61—74, carmen egregium et notitiis refertum utilibus pro cognoscenda illius temporis vita, sed longe inferius opere Jo. Sarisberiensis, et infensum ordinibus religiosis, in primis cisterciensibus. Ceterum J. Fr. Boehmer vindicat hoc opus Primas canonico coloniensi. Cf. Baumgartner p. 404.

et s. Anselmi principia de habitu inter rationem et fidem, et Aristotelem »qui alios fere omnes et fere in omnibus philosophos superabat« magni facit. — *Entheticus* sive de dogmate philosophorum philosophico-satyricum carmen 926 Distichis constans, quod limavit, auxit perfecitque atque priori suo operi praemisit. Illud edidit atque commentario instruxit Chr. Petersen Hamburgi 1843. — Contraxit *vitam s. Anselmi* cant. archiep. in gratiam Thomae (in Wharton Anglia s. II, 153—76; Migne t. cit. 1009—1040), qui eam Alexandro III. pro ejusdem canonizatione offerre cogitavit scripsitque *vitam et passionem s. Thomae* cant. archiep., Parisiis 1611 in 4. (una cum Joannis epistolis); Migne CXC, 195—208; in Giles et Robertson op. supra citatis. Juxta Giesebrecht Joannis nostri est *Historia pontificalis* i. e. historia Eugenii III. (ab a. 1148—1152), quam nuper primum edidit W. Arndt in MG. SS. XX, 515-45. In ea multae reperiuntur notitiae de controversiis theologicis illius temporis, de concilio remensi, cui ipse interfuit, de s. Bernardo et Gilberto Porretano etc. Tribuitur ei quoque commentarius *in ep. ad Colossenses,* Cantabrigae 1627. 1630, imo *in omnes s. Pauli ep.,* Parisiis 1646 etc., sed de horum commentariorum genuinitate nondum satis constat[1]).

102. His subjicimus Arnulphum Sagiensem ex archidiacono episcopus lexoviensis (1141) in Normannia, qui admodum sollicitus fuit de componendo schismate occasione electionis Anacleti II. adversus Innocentium II., hinc scripsit in Girardum ep. engolismensem et sedis apostolicae per Gallias legatum invectivam sive *de schismate* orto post Honorii II. papae decessum in D'Acherii spicilegio I,[2] 152; MG. SS. XII, 707-20; Migne CCI, 173-94; in MG. lib. de lite ed. J. Dieterich III, 81—108 etc. Ludovicum VII. comitatus est in Palaestinam (1147); pro Alexandro III. contra Victorem IV. stetit, laboravit pro componendo dissidio inter Henricum II. et s. Thomam archiep. cantuariensem; legatus apostolicus ab Alexandro III. in Galliam et Angliam missus est ad magna tractanda negotia. Senio confectus sedi suae renunciavit secessitque in abbatiam s. Victoris parisiensem († 1184) relictis *epistolis* (131) eleganti stilo conscriptis pro historia et disciplina sui temporis ob facta particularia, quae refert, utilibus, quas praeter alios edidit Giles Oxonii 1844; *sermonibus* et *carminibus*[1]), quae collecta prodierunt cura Od. Turnebi, Parisiis 1585, dein in bibl. pp. coloniensi XII, 458; lugdunensi XXII., in Migne CCI 17-152 etc. Epistolis D'Achery, Duchesne, Martene, Bouquet Rec. de hist. XVI, 656—79 alias addiderunt. — Ad *patrologiam* quadamtenus referri potest Joannes Burgundio (Burgundius)

---

[1]) Cf. Hist. lit. XIV, 98—161; Stöckl KL.[2] VI, 1762 ss., qui de eo censet: Im Allgemeinen muss Joh. von S. ein durchdringender Verstand, eine vollendete Schulbildung und eine große Vertrautheit mit der alten Literatur nachgerühmt werden. Er zeigt sich als einen eifrigen Vertheidiger der Kenntnisse, welche wir aus den Schriften der Alten ziehen können. Namentlich schätzt er Plato, in dessen Schriften er eine kaum glaubliche Übereinstimmung mit der christlichen Lehre findet sowie Aristoteles... Dabei aber ist er doch keineswegs blind für die Fehler und Irrthümer der alten Philosophen... Er sucht die Selbständigkeit des Denkens zu wahren, ohne doch letzteres aller Schranken entheben zu wollen. So hat er wie in kirchenpolitischer so auch in wissenschaftlicher Beziehung den kirchlichen Standpunkt überall entschieden gewahrt. Schaarschmidt J. v. S. nach Leben und Studien, Schriften u. Philos., Lipsiae 1862, et in Realencycl. IX,[3] 314—319; Théry Etude sur Jean petit de S., Cadomi 1867 etc. Potthast pag. 675; de ejus carminibus Baumgartner Gesch. der Weltlit. IV, 385.

[1]) Cf. Hist. lit. XIV, 304—334; Gallia christ. XI, 774; Göpfert KL.[2] 1, 1441.

juris consultus et judex pisanus, qui hoc tempore (1194) graecae linguae peritia inclaruit, hinc hortante Eugenio III (1145—1153) plura patrum graecorum scripta in latinam vertit linguam, ut ex. gr. Jo. Damasceni opus *de fide orthodoxa*. Cf. Fabricius I, 281. — Joannes Saracenus (Sarazin, Sarrazinus) OSB. († c. 1180) latine vertit Dionysii Areopagitae l. de theologia mystica, Augustae 1519; Coloniae 1536, inter op. Dionysii Antverpiae 1634; adjecitque annotationes ad l. de divinis nominibus etc.

II. S. Scriptura.

103. Magnam nominis famam[1]) consecutus est Petrus Comestor sive Manducator, Mangeur gallis, inde dictus, si Trithemio c. 380 credimus, quod »Scripturarum auctoritates in suis sermonibus et opusculis crebrius allegando quasi in ventrem memoriae manducavit«. Patria fuit Gallus, decanus dicitur trecensis, qui scholasticam historiam ll. 20 composuit, in qua »a cosmographia Moysi, ut ipse in praef. testatur, inchoans rivulum historicum deduxit usque ad Salvatoris ascensionem«, idque breviter et utiliter difficultates in plerisque locis prudenter exponens: quam laudem Vincentii bellovacensis Cornely approbat[2]). Insuper et quaedam incidentia supplet ex historia Josephi judaei et quorundam gentilium narrationibus, subinde tamen incertis, locis congruis ea inserens: hinc etiam librorum historicorum continuus quidam est commentarius. Prodiit primum s. l. et a. (Argentinae 1469) ed. princeps (m. 150); Reutlingae 1473, dein saepe; Matriti 1699 cura Em. Navarri OSB.; Venetiis 1728 etc. — Reliquit etiam *sermones*, qui dicuntur singularis subtilitatis, in quibus praeter alia utilia moralitatem mentibus mortalium miro modo inculcat, quos habes cum priori opere in Migne CXCVIII, 1053—1844. Prodierant prius Moguntiae 1600. 1605. Ceterum Petrus a. 1164 Parisios

[1]) Quia in studio biblico fere per tria forte secula regnavit ejus historia scholastica, sicut in scholis opus sententiarum Petri Lombardi, et in jure canonico decretum Gratiani, qui ipsi etiam erant aequales, nata videtur fabella, eos inter se fuisse fratres. Nostrum autem etiam fuisse italum non omnino improbabile censet Tiraboschi t. 3 l. IV. c. 2 § 16.

[2]) Op. cit. p. 656. Quam vulgatus fuerit operis hujus usus ita effert Rich. Simon Hist. crit. du N. T. II, 320: Il n'y avait rien en ce temps là de plus grand ni de plus estimé pour l'Ecriture s. que le Pierre Comestor qui a été traduit dans plusieurs langues de l'Europe. On ne lisait la Bible que de la manière qu'elle était dans ce compilateur et avec ses glosses. Cet usage a duré longtemps en France. Knecht KL.² V, 491: Das Hauptwerk der biblischen Geschichte im Mittelalter, welches vielen künstlerischen Darstellungen aus älterer Zeit zum Schlüssel dienen kann, ist die Historia schol. von P. Comestor ... Obwohl das Werk in Prosa geschrieben ist, so waltet darin die Phantasie und der Traum doch weit zügelloser als in den beiden altdeutschen Bearbeitungen der Evangelien etc. Cf. Feret l c. I, 42-48. Illud gallice vertit Guyart des Moulins (Guiardus Molinaeus) canonicus et ab a. 1297 decanus s. Petri Ariensis episcopatus tervanensis, sed sequens textum vulgatae, adjecta versione ll. Salomonis et Machabaeorum. Opus saepe fuit descriptum, auctum adjecta versione aliorum ll. V. T. et N. T. et ita demum typis datum *Les livres de l'A. T. historiées en françois* s. l. et a. et le N. T. et la declaration di celluy faicte et composée par Julien Macho et Pierre Farget, Lugduni c. a. 1478; dein simul ut videtur Parisiis 1487 cura J. de Rely t. 2 in f., duodecies saltem edita et dicta *La grant Bible*, ut discerneretur a *La Bible, (V. T.) pour les simples gens* etiam aliquoties edita. Cf. Streber KL.² 2, 745; Esser ib. 9, 1903; Hist. lit. XIV, 12—18.

transiit factus illius ecclesiae cancellarius, et postquam aliquamdiu in schola theologica magistrum egit, in monasterium s. Victoris se recepit et a. 1178 (secundum alios 1179 vel 1198) e vivis abiit, omnibus quae habuit pauperibus et ecclesiis relictis. Hoc ei fuit positum epitaphium:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor:
Nunc comedor: vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut discat qui me videt incineratum:
Quod sumus iste fuit: erimusque quandoque quod hic est.

Quaedam inedita reliquisse videtur, inter quae forte etiam Liber *Pancrisis* i. e. totus aureus, quia hic aureae continentur sententiae vel quaestiones patrum Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Isidori, Bedae et modernorum magistrorum Guilelmi catalunensis ep., Ivonis carnotensis ep., Anselmi et fratris ejus Radulphi[1]).

104. Paucos reperimus exegetas, quorum opera in lucem publicam prodierint[2]). Irimbertus OSB. in monasterio admontensi, qui, eo diro incendio consumpto 1152, transiit in monasterium s. Michaelis bambergense, ibique electus est abbas 1160, sed a sodalibus expetitus ut abbas 1172 rediit Admontium († 26. Dec. 1176). Vir erat insigniter doctus, cujus scripta edidit Pez in suo thesauro t. II. et IV., praemisso ejus encomio (t. II. p. XI—XVI): ita commentariorum *in l. Judicum ll. 2;* expositionem *l. Ruth;* commentarium allegoricum in selecta quaedam loca *cantici canticorum;* l. de *decem oneribus* in quaedam cc. Isaiae; *in 4. Reg. 14, 7* (ex ejus commentario in ll. regum) in bibl. ascet. t. VIII. etc. — Michaelis meldensis archiepiscopi senonensis († 1199) expositio *in psalterium* passim comparet inter op. s. Bonaventurae.

105. *Canticum canticorum* plures illustrarunt. Praeter Irimbertum, Gilbertum, de quo cf. supra p. 91,

---

[1]) Cf. Denifle Archiv I, 588.

[2]) Plurium hujus aetatis eruditorum labores exegetici manserunt inediti. Ita Odo (Wode) OSB. cantuariensis monachus ex priore abbas s. Martini de Bello (1175) reliquit commentarios in Pentateuchum, in 4 Evangelia, in ep. Pauli, Moralia super Psalmos etc. Cf. Fabricius V, 148. — Matthaeus Scornus, (de Scornay, Schoorisse, de Scornaco) O. Praem. ecclesiae montis s. Martini cameracensis dioecesis, dein ninoviensis monasterii abbas quintus, ecclesiastes disertus († 1199) scripsit commentarios in Psalmos et in Isaiam. — Guilelmus OSB. Petroburgensis (fl. 1168) commentarios in cantica, interpretationes vocabulorum s. Scripturae etc. — Robertus Scriba a scribendis auctorum antiquorum libris ita dictus, Anglus, can. reg. s. Aug. in monasterio bridlingtonensi (fl. c. a. 1180) scripsit in plerosque libros biblicos, de corpore et sanguine Domini, de Ecclesia catholica etc. Cf. Fabricius VI, 408. — Nigellus Wireker OSB. et praecentor cantuarensis (fl. 1190) dedit distinctiones super N. et V. Testamentum. Cf. ib. V, 131. — Simon de Thondi Scotus, monachus melrosensis, abbas coggeshalensis in Anglia, tandem episcopus moraviensis in Scotia († 1184) scripsit in epistolas Pauli. Cf. ib. VI, 487. — In easdem scripsisse sicut et in Canticum Salomonis Udardum monachum cuprensem in Scotia, post circa a. 1190 episcopum brechinensem (qui tamen non reperitur in serie episcoporum a Gams exhibita, quae pro hoc tempore lacunam prae se fert) testatur Fabricius VI, 575 ex Visch bibl. script. O. Cist. p. 315. — Volcuinus (Fulcuin) O. Ci. primus abbas monasterii Sittichenbacensis (fl. circa a. 1179) composuisse dicitur a Visch l. c. commentarium perpetuum in Evangelia etc. — Inter Jacobitas Orientis ferax admodum scriptor fuit Jacobus (post suam in episcopum electionem Dionysius dictus) Bar Salibi episcopus primum Maraschensis (1154), postea Amidanus (1166; † 1171). Longum operum ejus (inéditorum) catalogum recenset Assemani in bibl. orient. II, 210. Inter ea eminent commentaria in V. et N. T. secundum duplicem sensum literalem et mys-

b. Lucas O. Praem., unus ex primis s. Norberti discipulis primusque abbas Montis superioris s. Cornelii (Mont Cornillon) prope Leodium, vir insignis pietatis et doctrinae († 24. Oct. 1178 vel 1179), qui commentarium in cantica canticorum ab Aponio (fl. sec. VII.) elaboratum in epitomen redegit sub inscriptione *Summariola*. Ex his supplevit a 4, 8 Faber quae illi defuerunt in codice Aponii edidit que Friburgi 1538; in bibl. pp. parisiensi t. I. et lugdunensi t. XIV, 128-39. Tribuuntur ipsi praeterea commentaria in Ev. s. Matthaei, s. Joannis, in Apocalypsim, sermones et epistolae[1]). — Philippus de Harveng (Harvengt) cognomento Eleemosynarius, monasterii Bonae Spei O. Praem. dioecesis cameracensis abbas secundus, vir disertus et doctus, pius et sanctus, s. Bernardo familiaris, etsi in nonnullis alterius ab illo sententiae (cf. ep. 10. 11), originem traxit ex mediocris fortunae parentibus. Parisiis primum studuit, unde Laudunum ad Anselmum magistrum profectus est studiis adeo addictus, ut etiam aegrotus libros secum in lecto habuerit. Ordinem praemonstratensem ingressus vitam pietati et literis deditam duxit: et dissipatis calumniis a nonnullis sodalibus in eum sparsis electus est a. 1155 in abbatem. Plurimum sub ejus regimine canonia prosperavit. Laboribus et senio confectus pastorale pedum ultro dimisit et brevi post pie in Domino obiit[2]) 11. Apr. 1182 (secundum alios 1183). Scripta ejus junctim edita sunt a Nic. Chamart Bonae Spei abbate, Duaci 1621 in f.; inde in Migne CCIII. Inter haec sunt: Commentaria *in Cantica canticorum* (mystica); in eadem *moralitates;* responsio *de salute primi hominis*, in qua habes commentarium Gen. c. 3 et solutionem quaestionis affirmantem; responsio *de damnatione Salomonis*, quae ipsi praeeuntibus pluribus patribus non improbabilis videtur; *de dignitate clericorum* eorumque scientia, justitia, continentia; *de obedientia; de silentio* (clericorum); *Vita b. Augustini*, Vita *s. Amandi* trajectensis ep. († 684), etiam in actis SS. 6. Febr., quae tamen ipsius non est; est enim Philippi de Eleemosyna[1]). Neque genuinae sunt vitae sequentes: Passio ss. martyrum *Cyrici et Julitae* matris eius cum sociis eorum († 304). Vita *s. Foillani M.;* Vita *b. Gisleni conf.* († 681); Vita *b. Landelini* conf. († 686). Vita *s. Waldetrudis* († 686); passio *s. Salvii M.* aliorumque (metrice). Genuina tamen censetur *Vita b. Odae V.* O. Praem. († 1158), in Act. SS. 20. Apr. II, 773—780. Supersunt et *Epistolae* (22) etc. — Gilbertus Foliot[2]) OSB. Anglus, in monasterio

ticum (latine Dublin 1693), tractatus theologici et polemici, scripta liturgica, epistolae, homiliae etc Cf. Duval La Littérat. syriaque p. 79 et 399.

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belgique XII, 548 ss.

[2]) Hist. lit. XIV, 268—295; Berlière Phil. de Harvengt, Brugis 1892; Georgius Spiritus lit. norbertinus p. 458; Zeck KL. IX, 2012; C. L. Declèves in hist. monasterii Bonae Spei p. 57—79.

[1]) Philippus hic antea fuit Petri Leonis antipapae fautor, a quo factus est episcopus tarentinus, sed a synodo lateranensi a. 1139 fuit depositus. Hinc in Galliam se conferens inter monachos fuit receptus a s. Bernardo, qui et epistolam (257) pro eo scripsit ad Eugenium III, ut ipsi sacrorum ordinum munia exercere permitteret Postea factus est Clarae Vallis prior (1150), dein et abbas coenobii de Eleemosyna (1156). Cum hanc abbatiam laudabiliter administrasset, senio confectus munere se abdicavit rediitque Claram Vallem (1171), ubi plenus dierum et meritorum obiit. Carolus de Visch asserit ei ep 25, quas ad calcem suae bibliothecae de script. cist. p. 336—352 edidit, et Tissier in sua bibl. p. 238—252: sed juxta alios sunt nostri Philippi, de quo in textu agimus. Cf. Oudin de SE. II, 1254; Hist. lit. XIV, 166—178.

[2]) Hic distingui debet a Roberto Foliot de Melundino nostri propinquo et in episcopatu herefordiensi successore (1163; † 9. Maj. 1186), qui scripsisse traditur l. excerptorum de chronicis Mariani Scoti, l. sacramentorum V. et N. T., quem

cluniacensi in virtute et literis exceltus, ex abbate glocestrensi (1139) et archidiacono midlesexiensi episcopus a. 1148 herefordiensis, et ab a. 1163 londinensis († 18. Febr. 1188), composuit expositionem *in cantica canticorum*, quam edidit Patricius Junius, Londini 1638; et inde Migne CCII, 1147—1304. Magni momenti sunt ejus *epistolae* (520), quae virum scientia et pietate, non minus ac in rebus ad regni regimen spectantibus peritia conspicuum produnt, et quamvis pronior esset ac s. Thomas Becket in causis ecclesiasticis erga Henricum II., jura tamen Ecclesiae non prodidit animumque gessit vere ecclesiasticum et in sedem apostolicam devotum. Illas plene et accurate edidit J. A. Giles ecclesiae anglicanae minister Londini 1845 t. 2 in 8, et inde Migne CXC, 745—1068. Ejus *homiliae* non prodierunt.

106. Mauritius parisiensis Sulliaci natus, fuit primo canonicus bituricensis, tum parisiensis, et archidiaconus, philosophiae et theologiae magister, demum episcopus parisiensis (1160; 11. Sept. 1196). Reliquit Expositionem des Evangiles seu *sermones*, Chambery 1484; Chablis 1489; Lugduni 1511; Avranches 1859, et ep. tres ad Alexandrum III. in causa Thomae cantuariensis, et unam ad Pontium ep. claromontanum, in qua invalidum pronunciat baptismum collatum solis verbis: In nomine Patris et Filii et Spiritus s. Eas habes in patrol. Migne CC, 1419; et CCXI, 313. — Wernerus OSB. abbas eruditione non minus quam vitae integritate clarus († 1174) praeclare de ss. Trinitatis mysterio scripsisse traditur. Reliquit et *librum defloratorum* sive excerptionum ex melliflua diversorum patrum signanter Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Hilarii, Chrysostomi, Maximi, Origenis, Remigii, Cassiodorii, Bedae, Alcuini aliorumque doctorum orthodoxorum doctrina super Evangelia de tempore per anni circulum conscriptarum, Basileae 1494, quae dictae sunt *sermones postillares* (elegantes et utiles); Migne CLV, 725—1256. Hoc tamen opus ab aliis tribuitur Guarnero (Garnier, Warner etc.), qui „Homiliarius" dictus fuit floruitque ineunte hoc seculo (c. 1114). Cf. Kelle Untersuchungen über das Speculum Ecclesiae des Honorius und die libri defloratorum des Abtes Werner, Wien 1902.

tamen alii tribuunt cuidam Gilberto Foliot, qui natione quidem Anglus diu in Gallia degit et ex canonico antisiodorensi et lugdunensi magistroque scholarum factus est etiam episcopus londinensis (1128; † 1134). Fuit is V. et N. Testamenti glossator eximius, atque in cunctis hujus mundi sapientum literis assuetus ludere eoque nomine „universalis" apud s. Bernardum appellatus est. Ex suis scriptis exegeticis nil videtur prodiisse. Cf. Fabricius II, 581; Braunmüller KL.² V, 597; Hist. lit. XI, 236—243.

III. Historia ecclesiastica.

107. Godefridus Viterbiensis, forte a patria cognominatus, etsi non desint qui eum origine Saxonem censeant, puer in bambergensi ecclesia fuit educatus ibidemque etiam studiis vacavit. Trium imperatorum, Conradi III., Friderici I. et Henrici VI. capellanus et notarius fuerat. Post longinqua variaque per a. 40 itinera, locuplete rerum comparata notitia scripsit[1]) *Memoriam seculorum* ab origine mundi ad a. 1185,

[1]) Cf. Fabricius III, 60; Potthast p. 533; Wattenbach allgem. d. Biogr. IX, 451 s. et Geschichtsq. II, V § 6, qui de ejus operibus ita censet: Der geschichtliche Wert dieser Werke ist, wie gesagt, äußerst gering; am ausführlichsten ist, wie in der Kaiserchronik die alte Geschichte

totam fere metrice, quae non prodiit, sed quaedam ejus excerpta habes in Mon. Germ. SS. XX, 94—106. Hanc retractavit prosamque ex Ottone frisingensi mutuavit atque ita partim prosa, metro partim prodiit *Pantheon* seu universitatis ll. XX, qui chronici appellantur, ab o. c. ad a. 1186 (resp. 1191), ed. a B. J. Herold Basileae 1569 in f. inscriptum *Chronicon universale;* a Pistorio in limine SS. rer. germ. II[2], 8—392; a Muratori SS. rer. it. VII, 347—520 omissis V. T. et primis post Christum seculis; a Migne CXCVIII, 875—1044; a Waitz in MG. XXII, 107—307. Continent ll. priores fabulosa multa et inutilia; nonnisi ab a. 1150 incipit esse utile. *Speculum regum* seu de genealogia omnium regum et imperatorum a diluvii tempore ad a. 751 prodiit demum cur. Waitz in MG. XXII, 1—93. *Gesta Friderici I.* imp. metrice ib. 307—334.

108. Praetermisso B. Frowino OSB. abbatiae s. Engelberti in Helvetia abbate et reformatore († 1178), quam ad magnum in disciplina et literis promovit splendorum multisque locupletavit codicibus[1]) — Robertus Torinejensis (n. in oppido Torigny) OSB. prior beccensis et abbas s. Michaelis de Monte in dioecesi abrincensi (1154), hinc de Monte dictus († 23.|24. Jun. 1186), geminam *appendicem* Sigeberto (cf. p. 65) adjecisse censetur[1]), unam ab a. 385-1100, alteram ab a. 1101-1184, in qua respicit historiam praesertim normanno-anglicam, quam (ab a. 385-1186) ediderunt (post editiones saepe incompletas et mendosas) Bethmann in MG. SS. VI, 475—535; Migne CLX, 413—546; gallice a Leop. Delisle, Rouen 1872. 1873 t. 2 in 8; tr. *de immutationibus monachorum*, de abbatiis et abbatibus Normannorum, de aedificatoribus et dotatoribus, in app. opp. Guiberti de Novigento p. 811-18 ed. D'Achery; Migne CCII, 1309—20; *Historia monasterii s. Michaelis,* in Analectis Mabillonii p. 350; *chronicon* abbatum monasterii beccensis ab anno 1034 in app. opp. Lanfranci, Parisiis 1648 in f. — Magnus canonicus reicherspergensis († 1195) reliquit *chronicam* ab a. 1—1195, et *annales reicherspergenses* ab a. 921—1167, quod utrumque habes in MG. SS. XVII, 439—523; cum continuatione ad a. 1279, ib. p. 523—34. Illa dives est compilatio, pro sec. XII. pretiosa[2]). — Ibidem (XXVI, 74-86) excerpta habentur chronicae (ad a. 1172) Richardi OSB. Cluniacensis, patria Pictaviensis. Triplex illius exstat recensio ad a. 1153; ad 1161; ad a. 1174. Sequitur dein catalogus pontificum rom. Ea multum usus est Martinus Polonus[3]). Reperitur apud Martene ampl. Coll. V, 1159-74 (ab a. 754—1153) et plenius in Muratori Antiq. It. IV, 1179—1104 (ab a. 800—1162). *Fundatio monasterii Caritatis ad Ligerim* reperitur in Leboeuf Recueil de divers écrits p. s. d'éclaircissement à l'histoire de France, Parisiis 1738 in 12. I, 381—416.

---

behandelt. Wichtig ist aber das Pantheon deßhalb, weil hier zuerst die ganze Fülle der Fabeln auch in die gelehrte Geschichtsschreibung einströmt und weil Gotfried dadurch einen sehr schädlichen Einfluß auf die späteren Chronisten ausgeübt hat . . . Rechnen wir hierzu noch die fehlerhaften Verse, die in jeder Hinsicht geschmacklose Art der Erzählung, so können wir nicht anstehen diese Werke, auf welche der Autor so stolz war, für ein trauriges Beispiel rascher Entartung der Historiographie zu erklären. Cf. Tiraboschi IV. l. 2 c. 6 n. 2.

[1]) Cf. Wattenbach l. c. § 16; H. v. Liebenau Erinnerungen an Frowin und sein Jahrbuch in J. E. Kopps Geschichtsbl. I, 145—61.

[1]) Cf. Hist. lit. XIV, 362—374.

[2]) Cf. Potthast p. 758[2], qui et alias ed. recenset; Wattenbach l. c. V § 8.

[3]) Cf. Hist. lit. XIII, 531—536.

109. Aliquot pontificum *vitas,* scil. Alexandri II. et III., Anastasii IV., Callixti II., Eugenii III., Hadriani IV., Honorii II., Innocentii II., Leonis IX., Lucii II., Nicolai II., Stephani X. et Victoris II. scripsit Boso, Anglus, scriptor curiae (1149), Hadriani IV. cubicularius, demum cardinalis. Facta Alexandri III. electione fidelissimus ejus fuit et laborum et eventuum socius († 1178). Eae prodierunt divisim suis locis apud Baronium in Annalibus, Muratori Script. rer. Italiae sub nomine cardinalis Aragoniae III, 1, 277; in vitis rom. pont. ed. Watterich[1]), in l. pontificali ed. Duchesne t. II., Parisiis 1892. — Plura quae respiciunt historiam pontificum schismatis tempore (sec. XI. et XII.) reperiuntur in *Annalibus pisanis* ab a. 380—1175, quos forma quidem rudi, sed utiliter concinnavit Bernardus Marago provisor pisanus. Ii tamen magis civilem urbis historiam respiciunt. Exstant in Archivio Storico 1845. VI. 2, 1—71 et ed. Pertz[2]) in MG. XIX, 236-66. Cum quidam dubitarent, num Marago revera eorum sit auctor, scripsit Ad. Schaube in N. A. für ä. Gesch. X (1885), 139—161 B. Maragone doch der Verfasser der Annales pisan.

110. Non defuerunt qui integrarum *nationum* vel *regionum* historiam ecclesiasticam descripserint. Ita Galfredus (Gaufredus, Godefridus) de Bruil coenobita monasterii s. Martialis lemovicensis et prior (1167) vosiensis (Vigeois) in dioecesi lemovicensi, veritatis studiosus scriptor est insignis *Chronici,* multarum rerum notitia referti, quo Galliae historiam complectitur[1]) ab a. 886—1184. Edidit illud Labbeus bibl. nova Mss. II, 279—342; excerpta in MG. SS. XXVI, 198-203. — Andreas monachus OSB. aquicinctinus, prior coenobii marchianensis, qui dicitur obiisse 1194, concinnavit *Historiae franco-merovingicae synopsin* seu Historiam succinctam de gestis et successione regum Francorum seu Chronicam de regibus Francorum ad a. 1194 ll. 3, quos edidit Raphael de Beauchamp, Duaci 1653 t. 2 in 4; Excerpta ed. Waitz in MG. XXVI, 205-215. Dubium est, num ipsius sit *Historia fundationis monasterii marchianensis* in N. Arch. der Ges. für ä. d. Gesch. XV, 455—469. — Hugo Falcandus juxta Benedictinos[2]) Gallus et demum abbas s. Dionysii Parisiis, secundum alios Siculus, insignem condidit historiam *de rebus gestis in Siciliae regno* praecipue ab a. 1154—69, quam iterum post alios edidit Muratori inter rerum ital. scriptores VII, 251—344 et Burmannus in thes. Italiae t. V. Commendatur auctor a stili nitore et judicii sagacitate. Hinc a nonnemine dictus est Siciliae Tacitus[3]).

111. Helmold (Helemoldus, Helinandus) parochus Bosaviae (Bützaw) in Wagria († c. 1183) hortante Geroldo episcopo oldenburgensi suo quondam magistro concinnavit *Chronicam Slavorum et Venedorum ll. 2,* quae pertingit a Caroli M. temporibus ad a. 1171, in qua multa refert comes fidelis et testis oculatus de missione apostolica s. Vicelini († 12. Dec. 1154) in Hol-

[1]) Cf. hunc de his vitis in suo op. pontificum rom. vitae t. I. p. LXXI-LXXXIV, Lipsiae 1862. Eodem fere tempore Nicolaus Maniacutius CR O. S. Aug. lat. versibus hexametris *rom. pont. catalogum* a Petro ad Alexandrum III exhibuit ed. e Papebroch in Propyl. Act. SS. Maj. V, 27*.

[2]) Cf. Wattenbach II. V. § 10.

[1]) Hist. lit. de la France XIV (1869), 337—46.

[2]) L'Art de vérifier les dates p. 896.

[3]) Gibbon Geschichte der Abnahme und Abf. des römischen Reiches c. 56, ubi addit: Seine Erzählung ist gedrängt und deutlich, sein Stil kühn und anmuthig, seine Beobachtung scharf; er hat die Menschen studirt und fühlt wie ein Mensch. Cf. Schroedl KL.[2] IV, 1211; literaturam apud Potthast p. 444.

satia; Wagriorum holsatici, Polaborum lauenburgici et Obotritorum meclenburgici tractus incolarum Pomeranorumque superstitiones idololatricas, bellorum, cladium et difficillimae ad sacra christiana conversionis historiam diligenter persequitur, sed etiam Holsatiae reliquae res, origenes Lubecae ejusque episcopatus, Saxoniae inferioris memorabilia et Germaniae universae regnique danici luce non inficianda perfundit. Ediderunt illam post alias ed. Moller Lubecae 1702; Leibnitius inter script. rerum brunsw. II, 537—653 Hannoverae 1710; ex schedis Lappenbergii Lud. Weiland inter MG. SS. XXI, 11—99; pro scholis, Hannoverae 1868; germanice interprete Laurent, Berolini 1852; ejus epitomen habes initio chronicae Slavorum lubecensis, ed. Laspeyres, Lubecae 1865. Etsi in referendis eventibus remotioribus minoris forte est auctoritatis, opus tamen est eximium et magni pretii[1]). — Illud continuavit Arnoldus lubecensis OSB., custos ecclesiae cathedralis lubecensis et abbas monasterii s. Mariae, s. Joannis et Aegidii (1177—1212), qua in continuatione ad a. 1209 pretiosa, quamvis minus ordinata, disserit etiam de archiepiscopis bremensibus, de introductione religionis christianae in Livoniam, de historia Daniae, de bello sacro seu cruciatis[2]) etc. Eam reperies inter MG. SS. t. XXI, 100—250, inscriptam *Derelictorum Helmoldi supplementum* ll. 6, et seorsim recusi 1868 cura Lappenberg, germanice interprete Laurent, Berolini 1853; retractata a Wattenbach ib. 1896. — Sueno Aggeson nobilis Danus, clericus (fl. 1185), collegit[1]) *Gesta* seu compendiosam regum Daniae historiam a Skioldo ad Canutum VI. seu Breviarium historiae ecclesiasticae danicae ab a. 300—1187, inter ejus opera edita a Steph. Jo. Stephanio et illustrata, Sorae 1642 in 8; inter script. rer. danic. ed. Langebek I, 43—64, Hafniae 1772—74; excerpta in MG. SS. XXIX, 28—36.

112. Guilelmus n. c. 1130 ex archidiacono tyrensi et nazarethano tyrius sive tyrensis archiepiscopus (1174), patria ut videtur Hierosolymitanus, sed in scholis transmarinis literas egregie edoctus est, atque plurium linguarum fuit gnarus. Ab Amalrico rege, qui eum magni fecit, datus est Balduino regni heredi institutor: a quo rege de consilio principum cancellarii in sacro palatio munere honoratus est, ut esset qui regiarum epistolarum curam haberet (1174). Mox (1175) factus est archiepiscopus tyrius. Interfuit a. 1179 conc. lateranensi III, de quo librum (nunc deperditum) conscripsit. Amissa Hierosolyma a. 1187 desperatis regni rebus in occidentem legatus missus a pluribus dicitur, sed exinde nulla ejus memoria recurrit. Veneno inter-

---

[1]) Cf. Streber KL. V,[2] 1753; Wattenbach II[5], 305 ss. et allg. d. Biogr. XI, 702; Moller Diatriba historico-critica de Helmoldo, Lubecae 1702; P. Regel Helmold und seine Quellen, Jenae 1883 diss.; in primis Potthast 576[2]. Ejus auctoritatem graviter impugnat Schirren Beiträge zur Kritik älterer holsteinischer Geschichtsquellen, Lipsiae 1876.

[2]) Cf. Schroedl KL. I, 1423; R. Damus Die Slavenchronik Arnolds, Lübeck 1872; Wattenbach allg. deutsche Biogr. I, 582; Potthast 119 s. Usus est Arnoldus relationibus Conradi querfurtensis Friderici imp. capellani et cancellarii, postea episcopi hildesheimensis (1195), dein 1198 ep. wirceburgensis († 1202), cujus integram *epistolam* fabellas continentem suo inseruit operi. Ceterum fusius *de gestis Danorum* seu historia danica ll. 16 agit stilo eleganti et terso Saxo Grammaticus, Scriptor insignis, praepositus Roskildensis († c. 1184), Hafniae 1839—1858 t. 2. ex magna parte in MG. XXIX, 43—161 cur. Waitz. Saxo G. Historia Daniae Die ersten 9 Bücher der dänischen Geschichte übersetzt und erläutert von Dr. Herm. Jantzen, Berlin 1900. De aliis ed. cf. Potthast p. 999 ss. Ad Saxonem relegat etiam lectorem Sueno.

[1]) Cf. Potthast pag. 1[2].

fectus dicitur a Gams ante a. 1188; secundum alios † c. a. 1190; juxta alios jam 1184. Scripsit vir cordatus, juxta Pagi princeps inter historicos belli sacri, temporis lapsu stilo nitido et eloquenti, judicio sano et sobrio opus plane eximium, *historiam* scil. *rerum in partibus transmarinis gestarum* a tempore successorum Mahumeth usque ad a. D. 1184 ll. 23 comprehensam, quorum tamen ultimum vix inchoatum reliquit. Prodiit vetustioribus ed. omissis[1]) ex accurata Bongarsii recensione in *Gestis Dei per Francos,* Hannoverae 1611, Migne CCI, 209-1068. Aliud ejusdem opus, *historia* de gestis orientalium principum scil. a tempore seductoris Mahumeth usque ed a. 1184 per a. 570 decurrens periit. — Magni aestimatur *Historia de expeditione Friderici I imp.* edita a quodam austriensi clerico, qui eidem interfuit, nomine (ut communiter censetur) Ansberto: ea enim est plena, sincera, accurata. Prodiit curis J. Dobrowsky Pragae 1827 in 8; Tanschinski et Math. Pangerl in fontes rer. austr. sect. I. SS. V, 1—90. Cum ea historia absoluta non fuerit, complenda est[2]) *Descriptione expeditionis asiaticae Friderici I.* imperatoris contra Turcas, fideli et accurata, auctore Tageno decano patavino († 3. Nov. 1190), quam edidit Jo. Aventinus 1522 in 4. ed. non fidelis; Freher Germ. rer. scr. I², 407-416; MG. XVII, 509—516 (in chronica Magni presb. reicherspergensis nonnihil abbreviata). — His adde Joannem de Piscina presbyterum s. Stephani *de transfretatione Friderici I* imp. 1187—1190 in MG. XXII, 338—340.

113. Praetermittendus non videtur Samuel dignitate presbyter, patria Armenus, qui floruit Aniae, quae est Armeniae urbs ad flumen Archurium sita: collegit quippe summatim *temporum* usque ad suam aetatem (1179) *rationem* ex libris historicorum, Eusebii quem in compendium redegit, sicut et Mosis choronensis, quod Armeniam spectat. Opus sane pretio non caret, praesertim pro temporibus posterioribus, nam plurimas notitias congestim suppeditat, quae spectant ad Orientem, in primis suam nationem, seriem patriarcharum armenorum. „Et quidem laetissima est armeniorum illuminatio, quo tempore gens illa universa incredibili studio et consensu ad Christum convolavit, prodigiis plurimis maximisque ss. Gregorii et Rhipsimiae comitumque virtutibus tota Armenia strepentibus. Exin tot templorum coenobiorumque aedificia, tot martyria fortissima, tot doctrinis laboribusque confirmata religio[1])“ etc. Ediderunt illam conjunctis curis latinitate donatam notisque illustratam Joannes Zohrabus et Angelus Mai, Mediolani 1818, et hinc Migne P. G. XIX, 791—934.

---

[1]) Cf. H. Prutz Studien über Wilh. v. T. in N. Arch. VIII (1882) IV, 91—132, Grube KL. XII,² 1624; De variis editionibus, continuationibus, versionibus cf. Potthast pag. 560 ss. Inter continuationes innotuit illa Bernardi cognominati Thesaurarii (ad a. 1231), quae tamen majori ex parte est cujusdam Ernoul armigeri equitis de Balian, prodiitque praeprimis in Guizot *Collection des mémoires* XIX, 1824; et accurate cura M. L. de Mas Latrie *Chronique de Ernoul* et de Bernard le Trésorier, Parisiis 1871. Cf. Roehricht p. 50 s. Inter varias versiones citamus germanicam cura E. et R. Kausler, Stuttgart 1840 in 8; 1842. Aliquot Guilelmi sphalmata recenset Schüz comment. p. 552 ss. Cf. Wagenmann Realenc. XVII,² 134—142.

[2]) Cf. A. Chroust Tageno, Ansbert und die Historia Peregrinorum. Drei krit. Untersuch. zur Gesch. des Kreuzzuges Friedrich I., Graz 1892.

[1]) Ita Editor in praef., in qua § 5 conjicit ex indiciis in ipso op. exstantibus Samuelem fuisse orthodoxum, conjecturamque hisce absolvit: „Omnino Samuel ejusmodi scriptor est, quem genuisse Armenii merito glorientur, Europaei autem nunc cognoscere gestiant“.

114. De singularibus *dioecesibus* vel ecclesiis scripserunt, praetermisso Henrico Can. reg. s. Aug. praeposito berchtolsgadensi et per nefas injuste ab imperatore Friderico I. ob suam erga Alexandrum III. fidelitatem deposito, sub Adalberto archiepiscopo salisburgensi dioecesis vicario et archidiacono, cujus *historiam calamitatum ecclesiae salisburgensis* (ob has turbas) edidit Pez in thes. anecd. t. II. p. 3. pag. 199-219 et exinde Migne 196, 1539—52. — Eberhardus s. Eberhardi[1]) archiep. salisburgensis (1146—64) discipulus aliquot archiepiscoporum hujus ecclesiae vitas descripsit, scil. *s. Ruperti* († p. a. 697), in actis SS. 27. Mart.; *s. Virgilii* apostoli Carinthiae († 784); *s. Eberhardi,* in actis SS. 22. Junii; *s. Hartvici* († 1024), in actis SS. 14. Jun.; *s. Gebhardi* suevi († 1088), in actis SS. 16. Jun., quas primum ediderat Henr. Canisius Antiq. lect. II, 247 ss.; et emendatius VI, 1139 ss. — Conradus sacrista frisingensis hortante Ottone II. episcopo collegit *librum traditionum frisingensium* usque ad a. 1187, quem alii continuarunt ad a. 1473, et ex quo cur. Waitz excerpta habes in MG. SS. XXIV, 314—331, neque enim tanti videtur esse momenti. — Rupertus (Rubertus, Rudmarus OSB.) abbas gottwicensis (1173—99) scripsit *vitam s. Altmanni,* fundatoris vel saltem restauratoris sui monasterii, qui ex canonico et scholarum paderbonensium rectore et sacellano Henrici III. factus est episcopus passaviensis (1065—91), quam sine auctoris nomine publicavit Tengnagel in veteribus mon. pro Gregorio VII. contra schismaticos, Ingolstadii 1612 in 4. p. 34—67 et Pez inter Script. rerum austr. t. I, 134 Lipsiae 1721; in Actis SS. 8. Aug. II, 378-89; Migne 148, 867—94 et excerpta ed. Pertz in MG. XII, 230—42. — Richardus OSB. in monasterio hagulstadensi (Hexham in Northumbria) philosophiae et theologiae lector, prior († c. a. 1192) scripsit *de statu et episcopis hagulstadensis ecclesiae,* quem l. cum aliis edidit Rog. Twysden inter script. anglic. hist., Londini 1652 t. X; J. Raine in Memorials of Hexham priory, Londini 1864. I, 63—106. — Lambertus Waterlos[1]) in ditione tornacensi n. 1108 parentibus nobilibus, puer a. 11 jam receptus inter canonicos reg. ad s. Aubertum Cameraci, scripsit *annales cameracenses* sat prolixos, sed minus dilucidos (1199—1170), quos edidit Bouquet Rec. XIII, 497—532 inscriptos *chronicon cameracense autbertinum,* sed plenius Pertz in MG. SS. XVI, 509—54, qui ob notitiarum sui temporis copiam non carent pretio. — Alius ab hoc est Lambertus Parvus cognominatus OSB. in urbe leodiensi prior, qui ex annalibus monasterii s. Jacobi minoribus (quos cf. in MG. XVI, 632—45 ed. Pertz) concinnavit *annales,* in quibus prosequitur gesta episcoporum leodiensium ad a. 1174, vix aliquid addens fonti: eos deinde de suo ad a. mortis suae 1194 continuavit. Pretiosior est continuatio Reineri OSB. monachi s. Jacobi, quem plures cum alio, de quo mox redibit sermo, sed immerito, confundunt, usque ad a. 1230. Ea se commendat candore et sinceritate et rerum notitia. Utrumque opus vulgarunt (mendose) Martene et Durand Vet. Mon. V. p. 1; emendatius Pertz l. c. 645—80. Nostri Lamberti dicunt etiam esse *Inventio et miracula s. Matthiae* in Act. SS. 24. Febr. III, 448—454. Migne CLIV, 1283—1298, ed. mendosa; MG. VIII, 226—234.

[1]) Hujus archiepiscopi epistolas cf. in Tengnagel Monumenta adv. schismaticos. De ipso archiepiscopo praeter vitas anonymas in MG. XI, 77—84; 97—103; Gruber Eberhard I von Salzburg, München 1873.

[1]) Cf. Hist. Lit. XIV, 596—600.

115. Plures narrant *monasteriorum* fata. Ita Hugo Candidus sive Whyte OSB. scripsit *historiam coenobii petroburgensis* usque ad a. 1177, quam edidit Jos. Sparke inter historiae anglicanae scriptores, Londini 1723. — Richardus OSB. in monasterio eliensi prior († ante a. 1195) continuavit *historiam* (1107—69) *monasterii eliensis*, a Thomall. 2 coeptam. Horum 1. continet in primis vitam s. Ethildritae reginae et abbatissae († 679), quae recepta est in Acta SS. 23. Jun. Papebrochii annotationibus illustrata; 2. prosequitur monasterii historiam ad a. 1107, quam in epitomen contractam servatis tamen auctoris verbis edidit G. Wharton Angliae s. I, 593—630; l. 2. exhibet quibusdam omissis Gale Hist. Britan. script. p. 485—523. Eam deinde continuarunt duo anonymi et Robertus Stewarde prior eliensis ad 1554, quam continuationem reperies apud Wharton p. 631—677. — Jocelinus[1]) de Brakelonda (Braclandus) OSB. monachus buriensis scripsit *chronicon* (1173—1202) coenobii buriensis, seu de rebus gestis Samsonis ab. monasterii s. Edmundi, cujus excerpta (1173—93) reperies in MG. SS. XXVII, 324-26; editum nunc primum curis Jo. Gage Rokewode, Londini 1840; et Thom. Arnold in Memorials of St. Edmunds abbey 1890. I, 209—336 inter Rer. brit. medii aevi SS. n. 96; anglice versum a. T. E. Tomlins in op. Monastic et social life in the XII century exemplified in the chronicles of J. of B. etc., ib. 1843 in 4. — Librum *de possessionibus s. Vedasti* (Saint-Vaast prope Atrebatum) compilavit Wimannus (Guimannus) OSB. ejusdem monachus († 1192), e quo illustratur hujus monasterii historia, et edidit Waitz in MG. SS. XIII, 710—15; prodiitque inscriptum cura van Drival *Cartulaire de l'ab. de SS. Vaast*, Atrebati 1875 in 8. — Hugo Francigena (fl. c. 1174) reliquit narrationem *de conversione Pontii de Larazio* et de exordio monasterii salvaniensis, cujus erat sodalis, apud Baluze Misc. III, 205—26. — Gualterus CSA. abbas arroasiensis († 1193) describit fundationem monasterii arroasiensis (1090-1180) in MG. XV, 2, 1117—25, quam ad a. 1200 continuavit Robertus abbas. Collegit quoque *vitam s. Monicae* ex confessionibus s. Augustini narratque translationem ejus reliquiarum Arroasiam, in Actis SS. 4. Maj. cum notis Papebrochii. — Theodoricus OSB. monachus et scholasticus epternacensis († 1192) *chronicon* coepit *epternacense*, aureum opus, ob monumenta antiquitatis, quae subinde exhibet, pro historicis etiam pretiosum[1]), sed tantum prosecutus est ad a. 726. Illud habes in MG. SS. XXIII, 38—64 cura L. Weiland. — Isingrim OSB. abbas ottenburanus, cui Otto frisingensis suum chronicon dicavit († 1180), scripsit *annales ottenburanos* majores ab a. 1121-68, minores ab a. 1145-57 (qui continuati fuere ad 1416). Eos edidit Pertz in MG. SS. XVII, 311-18. — Joannes Berardus OSB. scripsit *chronicon casauriense* seu historiam fundationis abbatiae s. Clementis casauriensis seu insulae Piscariae in Abrutia ulteriori ad mare adriaticum ll. 3 ab a. 866—1182, quod post alias editiones edidit Muratori inter Script. rer. it. II. 2, 775—920 insigni mole

[1]) Alius ab eo est Jocelinus de Furnesio O. Ci. aequalis (fl. 1185), cui debemus *Vitam s. Patricii* Hibernorum ap. (sec. V.), saepius editam etiam in Actis SS. 17. Mart. II, 540—80; in op. Colgan *Trias thaumaturga Hiberniae*, Lovanii 1647 p. 64—116; *vitam s. Hentigerni* glascuensis ep. in Pinkerton *Lives of the Scottish Saints* ed. a. W. M. Metcalfe, Londini 1889. II, 1—96; *vitam s. Waltheni* ab. O. Cist. († 1159 vel 1160) in Actis SS. 3. Aug. I, 248—77.

[1]) Wattenbach Deutschl. Geschichtsquellen II, V, § 18. Ipsius quoque bonus libellus *de libertate epternacensi propugnata*, reperitur in Martene Coll. IV, 453—67; et in MG. l. c. p. 64—72.

chartarum nondum editarum locupletatum; accedunt additamenta p. 925-1018.

116. Hagiographi fuere praeter tot alios, quos jam laudavimus, Galfredus[1]) (Gaufrid, Geoffroy, Gottfried) a patria Antisiodorensis cognominatus, in philosophia Abaelardi discipulus, qui potenti sermone s. Bernardi de conversione ad clericos commotus cum viginti collegis habitum O. Cist. in coenobio claraevallensi induit (1140). Intima s. doctoris familiaritate usus mox (1141) notarii apud ipsum munere fungebatur, ejusque erat missionum laborumque socius: qua occasione in conc. remensi composuit libellum complectentem patrum testimonia contra capitula Gilberti pictaviensis ep. (Porretani, Migne CLXXXIX, 595—618): testis quoque intererat morti sancti magistri sui, quam in ep. ad Eskilum archiep. lundensem narrat (a Baluzio edita Misc. V, 453). Electus dein est a. 1159 abbas ignacensis (Igny), postea (1162) claraevallensis, cui tamen muneri ob minus felicem successum post triennium renunciavit. Anno 1170 praefectus est monasterio Fossae novae prope Romam, inde (1176) translatus ad abbatiam Altacumbae (Haute-Combe in Sabandia). Oudinus eum vitam produxisse ad a. 1215 probare nititur; ab aliis decessisse dicitur 1180 vel non ante 1188. Ipse utpote s. Bernardi familiarissimus comes fide dignus erat, qui vitam illius a Guilelmo s. Theodorici inchoatam (cf. supra p. 105), ab Ernaldo (cf. p. 119) continuatam ad finem perduceret. Retractavit horum laborem adjecitque alios ll. (3—5), quam vitam edidit Mabillonius, inde Migne CLXXXV, 301—416, eaque passim cum operibus s. Bernardi prodiit. Collegit quoque s. doctoris epistolas (310). Praeter alia scripsit et *vitam s. Petri O. Ci.* archiep. tarentasiensis († 1175), in actis SS. 8. Maji II, 323—45; ep. *de transubstantiatione aquae mixtae vino* in sanguinem Christi, apud Baronium ad a. 1188 n. 28; *de gestis in conc. remensi 1148* adversus Gilbertum, ib. ad a. 1148 et Migne CLXXXV, 587—96. Quaedam non prodierunt, ut l. contra Petrum Abaelardum; ll. 6 *commentariorum* in cantica et *sermones* XIX in Apocalypsin[1]) etc. — Geraldus (Gerardus) Itherii prior grandmontensis († 19. Apr. 1197) scripsit *vitam s. Stephani* muretensis diaconi et confessoris, qui ordinem grandmontensem in nemore agri Lemovicini Monte Moreto instituit circa a. 1076. Exstat cum Bollandi notis in actis SS. 8. Febr. II, 205—12 et ex integriori cod. apud Martene t. 6. monum. p. 1046—1134; Migne CCIV, 1005—1046. — Stephanus de Fulgeriis (de Fougeres) capellanus Henrici II. regis Angliae, episcopus rhedonensis († 1178), scripsit *vitam s. Firmati,* fratris Guilelmi regis († 1090), quam habes in actis SS. 24. Apr. III, 334-42 annotationibus illustratam; et *b. Vitalis* ab. saviniacensis († c. 1120) ex testimoniis aequalium et discipulorum sancti collectam, in anal. bolland. 1882 I, 357-90. — Senatus (f. Servatus) Bravonius[2]) OSB. prior in monasterio wigorniensi, scripsit *vitam s. Oswaldi* episcopi wigorniensis et archiepiscopi eboracensis († 992), quam edidit J. Raine in The historians of the Church of York 1886. II, 60—97. — Plures vitas composuit Guilelmus de Ramsey (Rameseganus) OSB. abbas coenobii d. Guthlaci in Croylandia († 1180, secundum alios post a. 1204): ita par-

[1]) Alius ab eo est Galfridus, pariter O. Ci. in monasterio finchalensi, qui vitam s. Godrici eremitae a Reginaldo conscriptam (cf. p. 49) in compendium redegit, quod reperies in Actis SS. 21. Maj. V, 70—85.

[1]) Cf. Streber KL². V, 932; Hist. litér. de la France XIV, 430—551; Hüffer Der h. Bernhard, Monasterii 1886. I, 27 ss.

[2]) Alius a Florentino Bravonio, de quo cf. supra p. 38.

tim soluta oratione partim hexametro *vitam et passionem s. Waldevi* comitis apud Michel Chroniques Anglo-Normandes, Rotomagi 1837. II, 99—142; J. A. Giles Vitae quorundam Anglo-saxonum, Londini 1854.

117. Alexandro atrebatensi abbati monasterii aquicinctinensi (Auchin) OSB. (1166—74) tribuitur *vita s. Goswini* aquicinctinensis abbatis († 1166) praedecessoris, clarissimi eo tempore disciplinae religiosae restauratoris, ed. a Rich. Gibboni, Duaci 1620 in 8. — *Vitam s. Mechtildis* monialis in Diessen et postea abbatissae in Edelstetten († 1160) narrat Engelhardus abbas O. Cist. in Austria, et resignata hac dignitate sodalis in Lanckhaim (Langheim) dioecesis bambergensis, quam reperies in Canisii antiquis lect. III², 327—50 et cum commentario praevio et notis Henschenii in actis SS. mensis Maji VII, 442—57. — Theobaldus episcopus eugubinus (1163—1171) narrat *vitam s. Ubaldi* praedecessoris sui (1128—1160), quam habes in Act. SS. 16. Maj. et jam prius prodierat, Perusii 1623 et Pistorii 1647; italice prodiit, Gubbio 1894. — Joannes (III) episcopus segniensis (1138—78 vel 1179) narrat[1]) *vitam s. Berardi* ep. Marsorum († 1130), cujus erat discipulus. Ea reperitur apud Ughelli It. sacrae I, 893—901; in Act. SS. ad 3. Nov. II, p. 1 pag. 128—35. — Amandi ep. vigiliensis (Bisseglia, fl. 1177) *Inventio ss. Mauri*, Pantaleonis et Sergii MM. sub Trajano legitur in Actis SS. 27. Jul. VI, 359—372.

118. Reiner (Rainer, Rayner) OSB. monasterii Laurentiani Leodii coenobita excellenti ac pereleganti ingenio praeditus, ut omnia ejus opera stilo erudito, terso et qui vix seculi sui sit, perscripta testantur[1]), scripsit praeter alia *de abbatibus et monachis illustribus* monasterii s. Laurentii (ab a. 1027—1158) libellos 3, quorum in secundo de suis laboribus refert: etiam scriptum: de ineptiis cujusdam idiotae ll. 3, quod opus anonymus continuavit ab a. 1180 ad a. 1342, Arnoldus de Borchout magister leodiensis et postea canonicus s. Materni († 1450) ad a. 1404, in quo referuntur breviter monasterii fata (in MG. SS. XX, 593—612); *in novem antenatalitias antiphonas* ab O exordientes commentatio; *flos eremi* seu de vita s. Tiebaldi monachi et eremitae ll. 2; *vita Everacli* leodiensis ep. 45. († 971), apud Pez Thes. IV, 3, 153—166; *vita s. Wolbodonis* ep. leodiensis († 1021), etiam in actis SS. Maj. II, 857—62; in Mabillonii actis SS. OSB. sec. VI. I, 176—85 etc.; *vita Reginardi* ep. leodiensis 50. († 1037); *Vita s. Mariae Capadocis* ll. 2; *lacrymarum* libelli tres; *de profectu mortis ll. 2,* etc., quae edidit primum Pez in thes. anecd. IV, 3, 23 ss.; historica Arndt in MG. SS. XX, 559—620; Migne (omnia) CCIV, 15-212. Decesisse dicitur parum ante a. 1192. — Sat utile compendium historiae literariae stilo eleganti et forma dialogi compilavit Conradus OSB. hirsaugiensis, cui nomen dedit *Didascalon*. Primus illud edidit Schepps inscriptum Dialogus super auctores

[1]) Alius a Joanne monacho OSB. bertiniano, qui ll. 2 narrat *vitam b. Bernardi Poenitentis* Audomaropoli in Belgio († 1182) juxta a se visa vel fideliter ab aliis cognita in Act. SS. 19. Apr. II, 675—697. Forte is Joannes non est alius a Joanne abbate, qui monasterio bertiniano postea praefuit ab 1187—1230. Ab his iterum alius est Joannes O. Cist. coenobii de Alta Silva in Lotharingia, de cujus opusculo seu fabella inscripta *Dolopathos* sive de rege et septem sapientibus accurate disserit Hermann Oesterley in edit. hujus opusculi Straßburg 1873.

[1]) Ita Pez, qui ejus opera publicae luci dedit, in praef. thes. anecd. t. IV p. XVII. Cf. Ziegelbauer § 15; Potthast p. 961: Hist. lit. XIV, 420—426. Ab hoc Reiner alius, de quo supra egimus (p. 200), distingui debet, quamvis plures eum cum illo confundant.

sive didascalon, einè Literaturgeschichte aus dem 12. Jahrh., Wirceburgi 1889, in quo non solum agit de auctoribus christianis antiquis, sed et de plurimis gentilibus[1]). Plura alia scripsit sub nomine Peregrini, fuit enim philosophus, rhetor, musicus et poeta insignis. „Quidquid autem Conradus iste scripsit, censet Trithemius de script. eccl. c. 384, Tullianam resonat eloquentiam". Ea videntur mansisse inedita, periisse vel aliis fuisse tributa auctoribus. Ex ejus *Speculo virginum* exhibet Dreves kath. Ztschr. XXV (1901) 546-554 *Epithalamicum* Christi virginum alternantium, quo illud absolvitur.

[1]) Cf. accuratum conspectum Katholik 1888. II, 401—17 auctore Stölzle.

IV. Theologia practica.

119. Inter romanos pontifices eminet Alexander III, de quo jam supra p. 162 egimus. Hunc excepit postera jam die (1. Sept. 1181) Humbaldus seu Ubaldus episcopus Ostiensis Lucius III dictus, vir aetate gravis, sed exploratae in rebus gerendis industriae, patria lucensis. Romanorum violentias fugiens Veronam venit, ubi praesente Friderico Barbarossa imp. synodum habuit, in quo celebre edidit decretum adversos omnes sui temporis haereticos, Catharos praesertim, Patarenos, Humiliatos seu Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josephistas et Arnoldistas. Novam cogitavit sacram expeditionem pro juvando regno hierosolymitano, sed interim decessit pontifex Veronae 25. Nov. 1185. *Epistolas* et decreta (352) etc. habes in Migne CCI, 1071—1376 cf. Jaffé II, 431—492; 766. — Praetermissis Urbano III. (25. Nov. 1185—20. Oct. 1187), cujus *epistolas* et privilegia (147) habes in Migne CCII, 1331—1532, et Gregorio VIII, qui patria Beneventanus antea erat O. Cist., professor juris canonici[1]), forte Bononiae, sed mox obiit 17. Dec. 1187 die a sua electione 57 et cujus *epistolas* (27) etc. cf. in Migne CCII, 1537—1564, Clemens III. (19. Dec. 1187—28. Mart. 1191) demum Romanos semper erga praedecessores rebelles ad obedientiam revocavit. Tertium bellum sacrum indixit ad recuperandam urbem hierosolymitanam a Saladino a. 1187 captam. Hujus *epistolas* et privilegia (161) leguntur in Migne t. CCIV, 1275-1478 et *decreta* ex Mansi coll. conc. XXII, 549 ss. ib. p. 1477—1506. — Ejus in locum electus est Hyacinthus Ursinus cardinalis annos jam 65 ordinis diaconorum, qui Coelestinus III. (30. Mart. 1191) est dictus. Etsi autem esset senex a. 85, annos fere septem tenuit cathedram pontificiam († 8. Jan. 1198). Hujus supersunt *epistolae* et privilegia (311) apud Migne CCVI, 867—1240, et *decreta* 70, ib. 1247—1262.

120. In illustrando vel perficiendo Gratiani decreto (pag. 153) viri insigniter docti occupati fuere. Omnes praecellit Rufinus natione forte Gallus vel Germanus, ut opinatur Schulte, cujus tamen argumenta rem non evincunt. Magister erat decretorum Bononiae, et forte episcopus assisiensis, qui interfuit synodo lateranensi III. a. 1179 atque vixisse conjicitur ad a. 1192. Circa a. 1165 elaboravit *summam* in Gratiani decretum a posteris multum laudatam[1]) et saepe citatam ob pleni-

[1]) Glossas reliquit in universum decretum, quae a posteris canonistis allegantur.

[1]) Schulte Gesch. der Quellen und Lit. des can. Rechtes I, 121—30 fuse de ea disserit, et p. 223 scribit: Die um

tudinem et soliditatem, primum a Schulte editam, quae tamen ed. est imperfecta[1]), accuratissime vero a Singer, Paderborn 1902. — Simon de Bisiniano Gratiani forte discipulus *Summam* in decretum composuit (1174—79), quae ideo magni fuit usus practici, quod diligenter et copiose utatur decretalibus post editum decretum promulgatis (c. 80) ad illustrandas vel reformandas quaestiones de jure canonico. Ea tamen mansit inedita. — Joannes hispanus *Summam* sat completam, accuratam et utilem, in qua et recentiorum decretalium rationem habet, elaborasse c. a. 1186 dicitur. — Laborans in castro Pantormae prope Florentiam natus, Parisiis magisterii gradu adepto, Galliam, Germaniam, Italiam Siciliamque peragraverat, et ob utriusque juris peritiam cardinalis diaconus 1173 ab Alexandro III. creatus et in variis adhibitus est legationibus († c. a. 1189). Porro ipse decretum nisus est perficere et complere additis decretalibus Innocentii II., Eugenii III. et Alexandri III., omnibus novo magisque systematico ordine dispositis. Absolvit suum codicem compilationis, fructum studiorum laborumque 20 annorum a. 1182: verum in eo parum fuit felix, oblivioni enim datus fuit mansitque ineditus[1]). — Joannes Faventinus (civis, ut videtur, et) episcopus, addictissimus partibus Friderici I. imp., ipsum ad bellum sacrum comitatus in expeditione bellica obiit (1190). *Summam* scripsit (ineditam) super decretum compilatam ex Rufini (cf. pag. 208) et Stephani (de quo cf. infra) Summis. Praeterea scripsit *glossas* in decretum, quae prodierunt cum eo primum Parisiis 1505. Magna erat ejus auctoritas et usus penes veteres canonistas, hinc et summus canonista dicitur[2]). — Gratiani magistri juris canonici Bononiae, ut videtur, postea cardinalis (1178—97) *glossae* in decretum saepe penes veteres recurrunt, quare et ipse hic mentionem meret. In

---

1165 vollendete Summa des R., welche durch Umfang, Rücksicht auf Quellen und geltende Uebung, Behandlung im juristischen Sinne und Darstellung der allgemeinen Lehren einen großen Fortschritt aufweist und zu den bedeutendsten Schriften des 12. Jahrh. gehört, zugleich sehr selbständig ist etc. Cf. etiam Tanon Rufin et Huguccio étude de littérature in Nouvelle Revue hist. de droit françois et étranger ser. III. t. 13.

[1]) Haec tamen editio gravi censurae subjicitur a Singer, qui accuratissime et diligentissime disserit de hac summa et fragmenta pretiosa ob accurationem criticam praebet in Archiv für kath. Kirchenrecht 1873 t. 69 p. 369—468; et 1891 t. 73 p. 3—125, ubi ex. gr. p. 4 censet: Die bekannte Flüchtigkeit und Ungenauigkeit Schulte's wie der Mangel des kritischen Verständnisses bieten die Erklärung dafür, wenn als Resultat dieses an sich schon sehr bedenklichen Arbeitsplanes uns heute in confuser Weise (theils aus den auf Grund des Rufin'schen Werkes verfaßten Plagiaten und Excerpten, theils aus den Handschriften der ersten Summa Rufini) ein bunt zusammengewürfelter, überdies auch noch durch unzählige Lesefehler und Mißgriffe des kritiklosen Herausgebers entstellter, schwer verständlicher Text vorliegt. Wer die Summe Rufins benutzen will, wird vor allem den Text derselben nach den Handschriften des Originalwerkes, bezw. nach den Auszügen und Berichten rectificiren müssen, welche Tanon und ich geliefert haben und die im nächsten Beitrage ihren Abschluß finden sollen.

[1]) Cf. Schulte die Gesch. der Quellen u. Literatur des can. Rechtes 1, 148, quem cf. et de sequentibus. Scherer KL.[2] VII, 1282; Zaccaria diss. de inedita can. coll. quam card Laborans composuit in Gallandi sylloge II, 765-800 Moguntiae 1790. Alia quatuor scripta inedita memorat Eggs Purpura docta I, 91.

[2]) Schulte l. c. Unter Benutzung der älteren Summen und Glossen fertigte er einen umfassenden Apparat an; ihm darf das Prädikat voller Selbständigkeit zugesprochen werden. Zugleich wird seine Glosse viel ausführlicher und hat durch die Einleitungen und summae den Charakter der förmlichen Apparatus begründet. Sie ist im größten Umfange von den spätern benutzt worden und hiedurch von großem Einfluß auf die Literatur. Scherer KL.[2] VII, 1282.

illis autem juris civilis rationem habet. — Bazianus (Bassianus, Baxianus) Bononiensis, primum juris civilis, dein canonici professor, demum canonicus, glossator insignis († 22. Febr. 1197), in universum decretum *glossas* scripsit pleniores[1]) praedecessoribus suis, rationemque habet etiam decretalium Alexandri III.

121. Robertus Flamesburiensis, ut videtur Anglus, poenitentiarius in monasterio parisiensi s. Victoris, reliquit methodo casuistica *Poenitentiale ll. 10,* cujus l. 2., in quo agit de jure matrimoniali, et brevis tr. *de usuris* editus est a Schulte inscriptus *Summa de matrimonio et de usuris*[2]), Giessen 1868 in 4. Tuetur autem Robertus in rebus civilibus supremam moralitatis normam esse ipsam legem civilem. Alia manserunt inedita, ut etiam commentarius in l. Machabaeorum. — Bartholomaeus episcopus exonionensis (Excester 1160—1184) auctor[3]) est (praeter alia inedita) *l. poenitentialis,* cujus excerpta dedit Jac. Petit ad poenitentiale Theodori Cant. I, 331-340. — Robertus Paululus, alius a Roberto Pullo, familiaris episcopi ambianensis, auctor fertur ll. 3 *de caeremoniis, sacramentis et officiis ecclesiasticis,* qui in t. 3. op. Hugonis Victorini, Rotomagi 1648, et Migne patrol. CLXXVII, 381-456 reperiuntur, opus non sine pretio, in quo disserit de sacramentis et sacrificio missae, de breviario et anno liturgico[1]). — Joannes Beleth (dubium num Anglus an Gallus) gymnasii parisiensis olim insignis theologus, in divinis Scripturis eruditus et in seculari philosophia sufficienter doctus, ingenio promptus, sermone scholasticus, inter doctores sui temporis non ignobilis, scribendo et disputando nomen suum ad posteritatis notitiam cum gloria deduxit[2]). Scripsit *Rationale divinorum officiorum,* Antverpiae 1553 cur. Cornelio Laurimanno, et saepe alibi cum Rationali Durandi; Migne CCII, 13—166, in quo agit[3]) de sacris locis, temporibus, personis et rebus, de officio chori et altaris, nec non de anno ecclesiastico[4]). — Hujus aetatis videtur esse auctor libelli de canone mystici libaminis ejusque ordinibus, in Migne CLXXVII, 455—470, qui Richardi de Wedinghausen O. Praem. esse conjicitur. In eo fusius disserit de signi crucis virtute deque numeri ternarii significatione[5]). — Guichardus O. Ci. ab-

[1]) Cf. Schulte pag. 154 ss. et 222; Er hat unter Berücksichtigung der Vorarbeiten in voller Selbständigkeit einen Apparat zum Dekret gemacht, der durch seinen Charakter einen großartigen Fortschritt bekundet. Mit solider civilistischer Bildung ausgerüstet, behandelt er den Stoff ganz juristisch. Was aber seiner Arbeit einen ganz besonderen Werth verleiht ist die umfassende Berücksichtigung des neueren Decretalenrechts, das er recht eigentlich in die Glosse eingeführt hat. Diese Eigenschaften, verbunden mit der Vollständigkeit, machen erklärlich, daß er von entscheidendem Einflusse geworden ist.

[2]) Cf. Schulte l. c. p. 208.

[3]) Cf. Hist. lit. XIV, 334—337.

[1]) Cf. Thalhofer p. 86; Franz die Messe im d. MA. p. 440.

[2]) Ita Trithemius c. 415.

[3]) Thalhofer l. c. p. 87: In gedrängter Kürze, einfach und natürlich, nicht ohne gute Kenntnis der historischen Entwicklung aller in die Liturgik einschlägigen Materien, gibt Beleth nicht bloß eine kurze, sondern, wie wir unbedenklich hinzusetzen, auch eine gute explicatio divinorum officiorum, welcher den Titel Rationale erst Laurimann im Hinblick auf das .... Rationale des Durandus beigelegt zu haben scheint. Cf. Franz op. cit. p. 443 s. Ut tamen legimus apud Feret I, 131 textus editus haud parum differt a manuscriptis, quorum non pauca asservantur in bibliotheca nationali parisiensi. Cf. Hist. lit. XIV, 218—222.

[4]) Cf. Paul Meyer Notice sur trois legendiers francais attribues à J. Belette, Parisiis 1899, diss. accurata. Cur autem haec tria calendaria J. Belethi nomen praeferant, cum non sint ipsius, non liquet.

[5]) Cf. Franz l. c. p. 418 ss.

bas pontiniacensis, dein archiepiscopus lugdunensis († c. 1180), aliquamdiu legatus apostolicus per Gallias promulgavit *Statuta* ecclesiae lugdunensis et ordinationem officii ejus, quae edidit Martene de ant. Ecclesiae rit. III, 623—649. Cf. Hist. lit. XIV, 179-183.

122. Auctoribus *asceticis* praeter tot alios, quos jam laudavimus, accenseri possunt Hugo de Folieto (Fouilloi) Can. reg., abbas (1149) s. Dionysii Rotomagi († 1174), juxta aliquos cardinalis ab Innocentio creatus[1]), cujus aliquot ll. prostant inter opera Hugonis a s. Victore t. CLXXVI et CLXXVII, ex. gr. *de duodecim claustri abusibus,* qui sunt: Praelatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia in altari; *de claustro animae* (Migne CLXXVI 1017—1182); *de Medicina animae* (ib. 1183—1202); *de bestiis et aliis rebus ll. IV* (ib. CLXXVI, 9—176), quorum duo posteriores ab anonymis videntur compilati; *de nuptiis ll. II; de perpetua b. M. virginitate; de vanitate mundi ll. IV, de arca* mystice et moraliter ll. IV etc. — Guigo II. O. Carth., de quo cf. supra p. 59 a. — Adamus O. Praem. natione Scotus, nobilibus parentibus ortus, Candidae casae ecclesiae cathedralis in Scotia (Witherne) ordini Praem. quondam unitae abbas et episcopus (c. 1186), Anglicus cognominatus et magistri titulo honoratus, potioribus auctoribus mysticis medii aevi adnumeratur[2]). Plura ejus exstant scripta, apud sodales magno in pretio habita. Ea prodierunt cura Giselberti (Ghyselbrecht) Antverpiae 1659 in f. cum auctoris vita, Migne CXCVIII, 9—872. Inter haec sunt *sermones* (47), praesertim (14) de ordine, habitu et professione can. O. Praem. (praeter plurimos deperditos); *de tripartito tabernaculo* Moysis olim in re, Christi in fide Ecclesiae, et Spiritus s. in secreta puritate Ecclesiae; *de triplici genere contemplationis,* quam scil. Deus in se ipso incomprehensibilis, quam terribilis in reprobis, quam dulcis et suavis in electis; *Soliloquia* de instructione animae, a Pez reperta et edita Anecdot. thes. I. p. 2, 335—372, et cum vindiciis criticis a Georgio in Spiritu literario nobertino p. 40—78. W. de Gray Birch edidit *Sermones* fr. Adae O. Praem. Thwenthy-eight Discourses of A. Scotus of Whithorn, London 1902. — Ab hoc distingui debet Adamus a s. Victore can. reg. natione ut videtur Brito († 18. Jul. 1192), qui recentiori aetate innotuit ut poëta plane insignis liturgicus ob compositas prosas et sequentias, cura L. Gautier in *Oeuvres poetiques* d'Adam de s. V. editas (42) Parisiis 1858 t. 2; 1881; 1894; in Migne CXCVI, 1421-1534. Suis hymnis se prodit sagacem ascetam mysticum et theologum egregium[1]). Reliquit praeterea *Summam* Britonis dictam, in qua explicat verba difficilia s. Scripturae; illustrat prologos s. Hieronymi in s. Scripturam etc.

---

[1]) Cf. Hist. lit. XIII, 492—507.

[2]) Schmid KL². 1, 214: Adam ist in seinen Schriften beredt, herzlich, eindringlich; überall leuchtet seine tiefsinnige Frömmigkeit hervor; in der allegorischen und moralischen Auslegung der hl. Schrift ist er ein Muster, und mit Recht wird er in Anbetracht dessen zu den bedeutenderen Ascetikern des Mittelalters gerechnet.

[1]) Cf. Kienle OSB. in KL. XI², 163 ss.; P. Lejay Les traités attribués à A. de S. Vict. in Revue d'Hist. et de Lit. rel. IV, 101—166; L. Gautier La poésie au moyen âge 1890 diss. IV. un poéte au XIIe siècle; Baumgartner IV, 442-446, a quo dicitur: neben Hildebert von Tours der gewandteste Formkünstler mittelalterlicher Hymnik, eine echte Sängernatur, wie es nur je eine gab, dem gleichsam jedes Wort zu Reim und Melodie ward; Dreves Ad. v. St. Victor Stimmen aus Maria Laach XXIX (1885) 278—295; 416—441 etc.

123. Petrus[1]) OSB. monasterii cellensis (unde Cellensis est cognominatus) in suburbio trecensi abbas, inde ab a. 1162 s. Remigii remensis, denique episcopus factus est carnotensis (1180 vel 1181), Joannis de Sarisberia amici sui successor († 17. Febr. 1187). Vir erat religiosus ac timens Deum, homo bonus et testimonium habens a bonis, vita et literatura conspicuus. Reliquit praeter *sermones* (96) plurimas *epistolas* (177), in quibus elucet eximia pietas cum eruditione haud vulgari conjuncta, honestas morum, animi candor et sinceritas, amicitia non fucata, zelus prudens, maturum judicium, vividum ingenium. Tantae autem auctoritatis fuit apud Alexandrum III., ut Sirmondi ep. 56 hujus pontificis ad Petrum nostrum datas edere potuerit, Parisiis 1613 in 8; l. *de panibus* ad Joannem Sarisberiensem; *mosaici tabernaculi mysticae et moralis expositionis ll. 2; l. de conscientia; de disciplina claustrali* etc., quae prodierunt cura Ambr. Janivier, Parisiis 1671, excepto ultimo, quod edidit D'Achery Spicil. I, 452 ed. 2; Migne CCII, 405—1146. — Gaufridi can. reg. apud s. Barbaram in Neustria subprioris exstant ep. 51 in Migne CCV, 827-88. — Ruperti OSB. ab. tegernseensis (1156; † 22. Maj. 1186) ep. 23 in Pez thes. anecd. V, 2, 4—11. — Insignis plane vir erat Henricus nobilibus natus parentibus, qui juvenis ingressus est monasterium claravallense (1156). Jam post quadrienninm electus est abbas Altaecumbae in Sabaudia, dein 1176 abbas claravallensis. Adhibitus fuit ab Alexandro III ejusque successoribus in negotiis ecclesiasticis summi momenti et legationibus per Gallias, Angliam, Germaniam. Archiepiscopatum recusavit tolosanum. Invitatus ad concilium lateranense III. (1179) creatus est ab Alexandro III cardinalis et episcopus ostiensis. Parum abfuit quin et in pontificem eligeretur. Bellum sacrum praedicavit multosque in Germania nobiles, imo et Fridericum imp. movit, ut hunc in finem cruce signarentur. Obiit[1]) meritis plenus 1. Jan. 1189. Scripsit l. *de peregrinante civitate Dei,* cujus tantum fragmenta tria supersunt prolixiora Migne CCIV, 251-402. Ejusdem *epistolas* habes ib. p. 213—253. — L. Henrici Monogalli OSB. coenobii Mariae lacensis (fl. exeunte sec. XII) *de ortu caritatis* exhibet P. Richter in diss. Die Schriftsteller der Benediktinerabtei Maria-Laach in Westdeutsche Zeitschr. für Gesch. und Kunst XVII (1898) 41 ss. — Exeunte hoc seculo occurrit nobis Wernher de Elmendorf capellanus, qui concinnavit carmen didacticum *de virtutibus* seu quandam Ethicam ex dictis philosophorum fere gentilium, quo in labore usus est Philosophia morali de honesto et utili, quae occurrit inter opera Hildeberti cenomanensis (cf. supra p. 19), sed est Guilelmi de Conchis (ef. p. 105). Prolixa specimina exhibet Haupt Zeitschr. f. d. Alterthum IV, 284—317. De auctore cf. ibidem Schoenbach XXXIV (1890), 55—75; Vogt Gesch. der mittelhochdeutschen Lit. § 48; Michael Zeitschr. f. k. Theol. XXVIII (1904), 425—428.

[1]) Alius ab eo est Petrus O. Ci. abbas (1162—79) igniacensis, dein octavus claraevallensis († 1186), cujus *epistolas* edidit Tissier in bibl. cist. III, 264 ss. Cf. de nostro Henr. Jos. Gillet de Petro Cell. diss. Nancy 1881 in 8; Ziegelbauer § 13; Schrödl KL². X, 1897; Hist. lit. XIV, 236—268.

[1]) Cf. Braunmüller KL. V, 1701—1703; Hist. lit. XIV, 451—462.

IV.

Theologi annorum 1201—1225.

I. Theologia scholastica et polemica.

124. Hac aetate ad corpus seu summam quandam theologiam redegerunt dogmaticam nonnulli[1]), quorum potiores hi videntur esse: Alanus ab Insulis (de Ryssel, Lille), Galloflander, ob doctrinae praestantiam et eruditionem „doctor *universalis*“ imo et „*Magnus*“-salutatus. De ejus vita nihil certi scimus; sat dubium quoque est, num revera fuerit O. Cist., s. Bernardi discipulus, episcopus antisiodorensis[2]). Probabiliter natus est prioribus sec. XII. decenniis, forte circa a. 1114; obiit vero 16. Jul. 1202 vel 1203. Ejus opera, quorum textus non satis est emundatus, prodierunt cura Car. de Visch Antverpiae 1654, quibus supplementa adjecit in sua bibliotheca script. O. Cist. ib. 1656, et Migne t. CCX. Non tamen de omnium genuinitate constat, cum plures eadem fere aetate floruerint auctores sub Alani nomine[1]). Potiora

[1]) *Summam theologiae* mscr. reliquit Guido (Wido) de Pareto (Pare) O. Cist. praepositus generalis, dein cardinalis († 1202). — S. Joannes de Matha Falcone in Provincia ortus, parisiensis academiae theologus doctor erat et professor (*eminens* cognominatus), utriusque juris peritissimus, albigensium oppugnator, ordinis ss. Trinitatis cum s. Felice Valesio institutor, Innocentii III. praeceptor, pontificius ad dalmatas legatus a latere, sanctimonia, doctrina, miraculis spectatissimus († 17. Dec. 1213). Commentarios in magistrum sententiarum universam theologiam complexos scripsisse fertur, si fides biographis sui ordinis contra silentium omnium bibliographorum veterum et recentiorum, etiam accuratorum. Cf. Genér theol. dogmatico-schol. I, 143.

[2]) Cf. de his controversiis biographicis praeter nomenclatores veteres Hauréau op. cit. I, 325 ss.; Hautcoeur Revue de sciences eccl. 1897. II, 328 et Braun ib. II, 333—350.

[1]) Ita Alanus de Podio O. Cist. sec. XII. scriptor, cujus praeter alia est *Summa de fide catholica ll. 4*, quorum 1. est in primis contra Albigenses, 2. contra Waldenses; 3. contra Judaeos; 4. contra paganos seu contra Mahommedanos. Ea reperitur inter opera Alani nostri, cui ea a Visch aliisque, etiam a Baumgartner op. infra cit., asserta fuit (Migne CCX, 305—430); cura Jac. Massoni, Parisiis 1612 in 8. Cf. Ravaisson Rapport sur les biblioth. de l'Ouest de la France, Parisiis 1841, p. 157. Non desunt tamen qui hanc Summam nostro tribuant Alano eumque etiam de Podio dictum fuisse affirment, adeo ut Alanus de Podio non alius sit a nostro. — Alanus flandrensis O. Cist. episcopus antisiodorensis (1152),

opera quae ipsi tribuuntur sunt: Compendiosa *in Cantica Canticorum* ad laudem Deiparae V. M. *elucidatio* tam praestans, ut Maracci in sua bibliotheca Mariana Alanum illustrioribus scriptoribus, qui de b. Maria V. scripserint, adnumeret. — Summa *de arte praedicatoria,* in qua suggeruntur conceptus ad formandas conciones in omni fere argumento morali. — *Liber sententiarum* ac dictorum memorabilium concionatoribus praesertim destinatus, cui adjecit *dicta alia,* quae communiter *mirabilia* nuncupantur, sed forte melius memorabilia dici possent. — *Liber poenitentialis* sive methodus digne administrandi et suscipiendi sacramentum poenitentiae: qui tamen num Alani sit sat est dubium. Scripsit quidem teste Trithemio *de poenitentia* ll. 4 ad Bituricenses, qui tamen non amplius reperiuntur et ab hoc l. diversi sunt. — *De sex alis Cherubin,* in quo l. succincte agit de compunctione, confessione, satisfactione, dilectione Dei et proximi etc. — *De arte* (*articulis*) *catholicae fidei ll. 5,* quorum 1. agit de una omnium causa i. e. de uno eodemque trino Deo; 2. de mundi, angeli et hominis creatione et arbitrii libertate; 3. de Filio Dei incarnato pro homine redimendo; 4. de sacramentis Ecclesiae; 5. de resurrectione mortuorum: quorum dogmatum necessariam veritatem et consecutionem solis rationibus naturalibus in modum artis demonstrare satagit[1]), »ut qui prophetiae et Evangelio acquiescere contemnunt, humanis saltem rationibus inducantur (in prol.)«. Non desunt qui de ejus op. genuinitate dubitent. — Aliam theologiae veluti epitomen exhibet in suis *theologicis regulis* (125) seu Maximis theologicis vel regulis coelestis juris, quae etiam inscribuntur, ut distinguantur a *Doctrinali minori* seu de parabolis, *Doctrinale altum,* Coloniae 1505 etc. Sunt eae breves sententiae per modum axiomatum forma subinde paradoxa enunciatae, quibus brevem subjicit exposi-

---

resignato episcopatu a. 1167 in monasterium claraevallense se recepit († 14. Okt. 1182). Hunc plures confundunt cum nostro. Praeter aliquot (5) *epistolas* scripsit et *vitam s. Bernardi* (Migne CLXXXV, 469 ss.). Cf. Biogr. nat. de Belg. I, 154: Hist. lit. XIV, 154—162. — De Alano anglico canonista cf. infra. — Alanus OSB. in monasterio cantuariensi, ante suum in ordinem ingressum canonicus beneventanus, abbas tewkesberiensis († 1201 vel 1202) scripsit libellum *de vita s. Thomae cantuariensis,* qui tamen complectitur tantum a. 1163—70. Ejus scripta, quae extant, edidit Giles Londini 1846; libellum cit. idem inter patres eccl. anglic., ib. 1845. I, 316 et Robertson in Materials for the history of Th. Becket, Londini 1876 II, 299; Migne CXC, 1475 ss. Sed non desunt, qui conjiciant hunc eundem esse cum Alano nostro. Cf. Alberdingk Thijm allg. d. Biogr. I, 170. — Alanus Beuclif sive Belloclivus, Anglus, Parisiis erat lector publicus c. a. 1230, a Matthaeo Parisio inter eruditissimos suae aetatis celebratus, Jo. Lelando c. 235 s. Scripturae lucidus interpres. Cf. de his et aliis Alanis Stamminger KL². 1, 393 ss. — Alterius Alani de Aspera insula (prope Avenionem) mentio occurrit in quodam codice capituli oxomensis, cui tribuitur liber *Apocalypsis* (cujusdam revelationis) moralizatus „et sic est finis XVI. l. Reductorii Moralis, in quo moralizantur omnes figurae bibliae per D. Al. de Aspera Ins., qui fuit magister in artibus, quod quidem opus Avenione fuit factum, Parisiis vero correctum et tabulatum (a. 1274)". Cf. Franc. Plaine in Polybiblion 1885. I, 174.

[1]) Hinc dicitur a Scheeben n. 1048 in streng logischer Form abgefaßte, positiv-speculative Apologetik, eine mathematisch, aber auch sehr kurz gehaltene Ableitung der einzelnen Glaubenswahrheiten aus höheren Principien. Cf. et Hertling KL. I, 396: Das Werk stellt sich als eine Summe dar, welche weit kürzer, aber auch systematischer als die Sentenzen des P. Lombardus, die Ergebnisse der vorausgegangenen Forschung und Speculation zusammenfaßt. Es war bisher üblich, in Darstellungen der mittelalterlichen Philosophie, zumeist aus ihm die Charakteristik des Alanus zu schöpfen. Verum Hauréau Hist. de la philosophie schol., Parisiis 1872, I, 502, censet librum hunc tribuendum esse Nicolao ambianensi aequali Alani nostri.

tionem. Eas edidit primum Mingarelli in Anecdotorum fasciculo Romae 1756 pag. 171 ss. — Liber *in distinctionibus dictionum* (seu rerum) theologicalium, s. l. typogr. et a. (Argentorati 1476), specimen lexici alphabetico ordine dispositi vocum, quae in s. Scriptura et theologia occurrunt, praebet. Nititur in eo »theologicorum verborum significationes distinguere, metaphorarum rationes assignare, occultas troporum positiones in lucem reducere, ut liberior ad s. paginam pandatur introitus.« — Alanus insignis quoque erat poëta, ut probat prolixum et eruditissimum ejus carmen didacticum *Anticlaudianus*[1]) sive de officio viri boni et perfecti ll. 9, quod saepius post primam ed. Basileae 1536 prodiit, saepe sine auctoris nomine, magnique factum est medio aevo; *de planctu naturae* prosa et carmine contra sodomiae crimen. Distinguitur autem auctor noster ab aliis scriptoribus sui aevi methodo systematica et fere mathematica, qua nititur ex fidei articulis tamquam ex axiomatis alias conclusiones philosophicas et theologicas eruere et ad systema revocare. Duces sequitur in suis deductionibus s. Anselmum et Abaelardum. In operibus poëticis praelusisse dicitur poetae celeberrimo Dante.

125. *Sententiarum ll. V* collegit Petrus Pictaviensis[2]) dignus et fidus Petri Lombardi discipulus, parisiensis magister a. 36 et post Petrum Manducatorem (cf. supra p. 183) academiae cancellarius († 1205). Eos edidit Hugo Mathoud, Parisiis 1655 (Migne CCXI, 789—1280) notatis mendis, quae incurrit nimis inhaerens magistro suo, ex. gr. Spiritum s. esse caritatem animae inhaerentem, et praeter eum nullum reperiri habitum infusum etc. Eum acriter, sed immerito impugnavit Gualterus prior s. Victoris parisiensis (cf. p. 95). Reliquit alia opera mscr., quaedam etiam in s. Scripturam, *sermones*[1]), et primus *glossas* in opus magistri sui, quae differunt ab opere edito. — Robertus de Corceon (Chorcon, Curson, Curtonus) Anglus, theologus parisiensis celeber, cardinalis (1211), Innocentii III. et Honorii III. per Galliam ad urgendam terrae sanctae recuperationem et contra Albigenses bellum legatus († 1218 in Palaestina), concinnavit *Summam theologicam*, quam Oudin II, 1715 praelo dignissimam censet. Ex illius summae tr. *de poenitentia* excerpsit ediditque Petit quaedam capita post poenitentiale Theo-

---

[1]) Hertling l. e.: Im Gegensatz zu einer Satyre Claudians, worin die Laster sich verschwören, um durch Rufinus ihr Werkzeug die Tugend aus der Welt zu vertreiben, schildert A. wie die Natur, nachdem Gott eine völlig reine Seele geschaffen, im Verein mit allen Tugenden einen vollkommenen Menschen ausgestaltet etc. Ceterum de operibus Alani cf. praeprimis Baeumker Handschriftliches zu den Werken des Alanus, 1894; Baumgartner die Philosophie des A. de Insulis, Münster 1897; Gesch. der Weltl. IV, 387—391.

[2]) Ab hoc distingui debent alii duo ejusdem nominis et ejusdem fere aetatis. Petrus pictaviensis, discipulus et secretarius Petri venerabilis, qui eum magni faciebat. Postea fuit magnus prior cluniacensis. Censetur unus ex melioribus poetis latinis posterioribus († 1160). Ejus *poemata* prodierunt in bibliotheca cluniacensi et Migne t. CLXXXIX. — Alter fuit can. reg. s. Aug. s. Victoris, distinctus a Petro Cantore, de quo p. 165, auctor l. *de poenitentia* seu de confessione, ex quo loca quaedam vulgavit Jac. Petit ad calcem Poenitentialis Theodori archiep. cant. p. 341 s., Parisiis 1679. Hic nostro aetate posterior exstitit. Cf. Feret I, 68—72; prae primis Hauréau III, 259—72. *Epitomen historiae biblicae* ab eo elaboratam introductionis instar praemisit suis operibus chronologicis Ulricus Zwingli, reformatoris nepos, Turigii 1591. Cf. Hist. Littér., Parisiis 1824 XVI, 485 s. 488. Esser KL. IX, 1935.

[1]) Ratione horum sermonum scribit de eo Hauréau III, 75: En somme Pierre de P. est un des bons prédicateurs du XIIe siècle. Son grand mérite est de toujours être grave, sans être jamais pédant.

d o r i cantuarensis, Parisiis 1679. Georgius Lefebure edidit le traité *de usura* cum versione et introductione, Lille 1902. Tribuuntur ipsi praeterea lecturae solemnes, l. de salvatione Origenis etc. — Male audit S i m o n canonicus tornacensis etiam de T o r n a c o dictus, magister philosophiae et theologiae in academia parisiensi, qui tot admiratores habuit quot auditores; sed contempta evangelicae doctrinae humilitate plures in Mosen et Christum effutiisse blasphemias fertur, dum scil. suo Aristoteli superbus et arrogans nimium inhaereret. Hinc divina ultione tactus, ut narratur, omni scientia privatus est ac mugitus humanae locutionis loco deinceps edidit (fl. c. 1216). Praeter alia composuit *Summam theologiae* seu institutiones in sacram paginam, ex qua Hauréau [1]) fragmenta exhibet. Ejus *expositio symboli s. Athanasii* prodiit demum in bibl. casinensis Florilegio Romae 1880. IV, 322—46. — Guilelmus P r a e p o s i t i v u s Lombardus, ecclesiae parisiensis cancellarius (1206-1209), insignis theologus, quem s. Thomas saepe laudat, concinnavit *Summam theologicam scholasticam* ex dictis patrum, idem forte opus cum postillis sententiarum ipsi tributis († c. 1217). — Contra Waldenses seu Catharos l. *antihaeresin* scripsit E b e r h a r d u s Flandrensis, Betuniae oriundus, quam edidit Gretserus cum aliis Ingolstadii 1616 (et inter ejus opp. t. XII); in bibl. PP. lugd. t. XXIV. Magis tamen ipse innotuit suis scriptis, quae ad literas humaniores, graecas praesertim, spectant, unde G r a e c i s t a fuit cognominatus, a quo tamen alii eum distinguunt [1]).

[2]) Op. cit. III, 250—259. Cf. etiam Hist. de la philosophie schol. Parisiis 1880, p. 2 t. 1 p. 58 ss. qui nil reprehensione dignum in ejus doctrina philosophica reperit: Feret I, 205 s.

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belg. VI, 747 ss. Alius ab eo est E b e r h a r d de Gandersheim, qui primus dicitur fuisse, qui lingua germanica opus conscriberet historicum (1216) scil. *Reimchronik von Gandersheim*, forma satis rudi neque magni pretii historici. Post alias edit. in MG. hist. deutsche Chroniken II, 397—429 cur. L. Weiland. Cf. Potthast 389.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

126. Neminem hoc aevo reperimus, qui scriptis circa s. Scripturam innotuerit [1]), unum si excipias, qui tamen haud immerito male audiit: ingentes enim motus et turbas suis scriptis ex-

[1]) Plura opera mscr. in s. Scripturam reliquit G u i l e l m u s L e y c e s t r i u s (al. Montanus, de Montibus) CSA. Lincolniensis c. 1217, inter quae Concordantiae bibliorum; de tropis Scripturarum; expositiones evangeliorum et epistolarum etc. Cf. Fabricius III, 142. — P e t r u s de C o r b o l i o Parisiis theologiam docuit, ubi inter discipulos suos habuit Lotharium Anagnium, qui postea fuit pontifex sub nomine Innocentii III. Ex parisiensi b. Mariae canonico et designato cameracensi episcopo archiepiscopus senonensis (c. a. 1200; † 1222) totum apostolum i. e. omnes Ap. Pauli epistolas „exposuit subtiliter et copiose, appositis ss. patrum sententiis locis singulis convenientibus," teste Henrico gandavensi c. 33. Circumferuntur etiam in variis Galliae bibliothecis commentarii ejus in Psalterium, si non sunt ejus praedecessoris in sede senonensi et cognati M i c h a e l d e C o r b o l i o, cui tribuuntur pariter commentarii in Psalmos. — A l e x a n d e r N e c k a m can. r. s. Aug. patria Hartfordiensis (n. 1175) academiam parisiensem accessit, ubi ingenii prodigium fuisse dicitur. Philosophus eximius, eruditionis profundae theologus, rhetor ac poëta suo tempore insignis, quo in auctorum lectione nullus perspicacior aut elegantior, circa a. 1180 legebat jam publice Parisiis cum applausu: quam ob rem auditorium

citavit. Est is Joachim O. Cist. abbas in monasterio Curatium in Calabria atque fundator florensis monasterii institutorque congregationis florensis, unde et ipse dictus est de Floris. A multis habitus est sanctus et propheta, hinc plurimi ejus vitam scripserunt, ejusque vaticinia collegerunt et exposuerunt. Natus est in oppido Celico prope Consentinum (Cosenza) c. a. 1130, juxta alios nonnisi 1145. Visitavit peregrinus loca sancta in terra Palaestinae. Vitae rigore et visionum fama multorum in se oculos contraxit et vel apud rom. pontifices in honore fuit. Abbatiali dignitate dimissa (ante a. 1192) in solitudinem secessit atque horridis in locis cum aliquot sociis, faventibus romano pontifice et imperatore, monasterium rigidioris observantiae condidit s. Joannis in Flore, unde mox alia monasteria et clari Ecclesiae praesules prodierunt. Obiit[1]) 20. Mart. 1202 in odore sanctitatis patratis, ut ferunt, etiam miraculis. Hinc de eo agitur in Actis SS. 29. Maj. VII, 94—124.

127. Plurima reliquit scripta: Divini vatis abbatis Joachim I. *Concordiae N. et V. T.,* ubi de quinque sigillis ll. 5, Venetiis 1519 in 4. — *In Apocalypsim* expositio de statu universae reipublicae christianae, de ecclesiae carnalis reformatione cum *psalterio decem chordarum ll. 3,* ib. 1527. In hoc psalterio agit de summa Trinitate ejusque distinctione, de numero psalmorum et eorum arcanis et mysticis sensibus; de psalmodia: de modo et usu psallendi simul et psallentium. — Vaticinia sive prophetiae circa apostolicos viros, Venetiis 1527 in 4; 1584; 1589 cum praefatione et annotationibus Paschalini Regishelmi; 1600 cum annotationibus Hier. Joannini; 1639; Coloniae 1570 cum explicatione Pauli Scaligeri etc. Explanationi in Apocalypsin praemiserat (librum) Introductorium, quo fusius retractato composuit *Enchiridion in Apocalypsim.* — Scriptum *super Isaiam* et super nonnulla capitula Nahum, Habacuc, Zachariae et Malachiae cum plurimis internis et mysticis ss. literarum intellectibus, et de oneribus prophetarum et de oneribus provinciarum, ib. 1517; Coloniae 1577. — Interpretatio *in Jeremiam prophetam* ad Henricum VI. imp. Venetiis 1519; 1525; Coloniae 1577, ubi inter alia praedicit, „ecclesiam carnalem, quae nova Babylon nuncupatur, fore triplici percutiendam flagello: temporalium scil. amissione ab Alemannorum imperio; secundo haeresi et praecipue a Patarenis, de quorum secta erat mysticus antichristus: tertio gladio ab infidelibus et praesertim Mohammedanis: qui tres simul insurgent contra fornicariam, ut eam

---

ejus tanta discipulorum frequentia redundabat, ut omnes capere non posset. Anno circiter 1186 reversus in Angliam scholam dunastapliensem rexit. Factus est postea canonicus reg. s. Aug. excestrensis, imo et electus abbas (1213; † 1215; secundum alios 1217 vel 1227). Innumera inedita reliquit, inter quae plura ad s. Scripturam spectant, ut expositionem super cantica canticorum, in psalmos, Proverbia, super Ecclesiasten, super quatuor Evangelia; corrogationes Promethei, quo in op. etiam de singulis libris incipiens a Genesi ponit aliquas dictiones, quarum accentus aut significatio observari debet; Elucidarium Bibliothecae i. e. s. Scripturae, quod continet explicationem locorum difficilium ejusdem; l. *de naturis rerum* specimen encyclopaediae realis prodiit ed. Wright Londini 1863, in quo agit de coelo et astris, de aere et volucribus, de mari, ejus incolis, de terra etc. Cf. Oudin III, 4—8; Fabricius I, 62—64; Féret I, 268—76. — Adamus Barchingensis OSB. Shirbornensis sive Clarofontanus in Anglia, praeter alia (rhytmica) scripsit c. a. 1217 breves postillas super V. et N. T.

[1]) Cf. Lucas O. Ci. Joachimi scriba et familiaris, postea archiepiscopus consentinus (1204; † 1224), qui dedit synopsim virtutum b. Joachimi ed. ab Ughello It. s. IX², 205; in actis SS. 29. Maj. VII, 93, ubi Papebrochius plurimum collaudat etiam a doctrina Joachimum ejusque vaticinia accurate expendit; Tiraboschi IV. l. 2 c. 1 § 6 ss.

penitus prosternant, et tandem a Christo sponso renovetur ut aquilae juventus sua«. — *In Danielem,* Venetiis 1517; 1519; 1525 in 4; Colonine 1577. Haec tamen tria posteriora opera supposita vel saltem dubia sunt. — Alia ejusdem opera sunt inedita, ut Concordia evangeliorum, contra Judaeos[1]) etc. In l. (deperdito) contra Petrum Lombardum *de unitate* seu essentia *Trinitatis,* hujus doctrinam, secundum quam Pater et Filius et Spiritus s. quaedam summa res est, quae neque sit generans, neque genita, neque procedens, non intellexit utpote in subtilibus fidei dogmatibus rudis, imo eam censet haereticam, quod inducat quaternitatem: ipse vero illustrat unitatem trium personarum ex unitate plurium hominum morali, qua sunt cor unum et anima una. Haec ejus opinio examini subjecta fuit in conc. lateranensi IV. et damnata, quin tamen ipse vel ejus institutio reprobaretur: nam in sua Concordia V. et N. T. judicio romanae Ecclesiae libros omnes subjecerat professus „se abjicere quod ipsa abjicit, et suscipere quod suscipit ipsa: credens firmiter non detecturam fidem ejus usque ad consummationem seculi«. Majores turbas excitavit suis visionibus et explicationibus apocalypticis, quibus novum statum seu oeconomiam Spiritus s. praesagiebat, quas mira aviditate amplectebantur et praeter auctoris intentionem male interpretabantur sic dicti spirituales et fraticelli ex Franciscanorum familia duce Gerardo de Borgo s. Donnino O. S. Franc. Hic in lucem dedit (Parisiis 1254) *Introductorium in Evangelium aeternum,* seu introductionem quandam in tria praecipua Joachimi scripta de concordia, apocalypsi et psalterio, quae ipsi sunt libri inspirati et canonici, Evangelium aeternum Evangelio Christi substituendum[1]). Quam ob rem ab ordinis superioribus citatus, ad perpetuos carceres damnatus est ejusque liber ab Alexandro IV. reprobatus, non vero Joachimi scripta, etsi et ea a Florentio ep. acconitano ad sedem apostolicam fuerint delata et examini subjecta. Cum vero Florentius factus esset archiepiscopus arelatensis (1262), ipse Joachimi scripta in concilio provinciali a se habito prohibuit.

128. S. Martinus legionensis insignis coenobii s. Isidori can. reg.

---

[1]) Cf. de libris editis et ineditis, genuinis et spuriis Jo. Chrys. Huck in diss. Ubertin von Casale und s. Ideenkreis, Friburgi i. B. 1903 p. 70—107.

[1]) Während nach Joachim das Evangelium aeternum des dritten Zeitalters nicht eine Schrift, sondern im Gegensatz zum „Buchstaben“ das geistliche und höhere Verständnis der hl. Schrift, zumal des Evangeliums Christi war, so sind für Gerard jene drei Schriften das Ev. aeternum und Joachim ist ihm der Evangelist der dritten Zeit. Es bestand also nach ihm die hl. Schrift aus drei Theilen, dem A. T., dem N. T. und dem Ev. aeternum Joachims: diesem letzten müsse mit dem J. 1269 das Ev. Christi weichen wie das A. T. dem N. Mit der Verkündigung des durch Joachim geschriebenen Evangeliums sei der h. Franz von Assisi und sein Orden betraut. Letzterer sei der von Joachim gefeierte Orden der geistlichen Männer, welchem die dritte Zeit eine so hervorragende Rolle zugewiesen. Mit dem J. 1260 beginne die Fülle des letzten Zeitalters und dann müsse die Predigt des Evangeliums Christi, die Kirche und ihre Sakramente aufhören. Ehrle KL². VI, 1471—80, qui accurate de Joachimo disserit et literaturam copiosam de eo exhibet; eruditissime vero Denifle Archiv I, 49—143; Feret II. l. 3 c. 1; Rousselot Joachim de Flore, Jean de Parme et la doctrine de l'Evangile éternel, Parisiis 1867; P. Fournier Jo. de Fiore. Ses doctrines, seu influence, in Revue des qq. hist. LXVII (1900), 457-505; qui in Revue d'Hist. et de littér. relig. IV (1899) 37—66 nititur eidem Joachimo asserere l. *de vera philosophia;* Deutsch, Realenc. IX³, 227—232.

[2]) Cf. historia et acta in hac causa primum edita a Denifle in Archiv I, 49—142; errores 31 a magistris parisiensibus ex Introductorio etc. excerpti apud eundem in Chartular. paris. I, 272 ss.

O. S. Aug., sanctitate praeclarus[1]) doctrinaque ut ferunt non acquisita sed infusa mirabilis († 11. Febr. 1203), praeter *sermones* subinde admodum prolixos scripsit expositionem *in ep. s. Jacobi; in 1. ep. b. Petri Ap.; in ep. 1. b. Joannis;* et *l. Apocalypsis,* Hispalis 1782 t. 2 (Migne t. CCVIII. CCIX.) In suis scriptis libenter J. Christi divinitatem tot synagogae patrum factis antiquitus praesignatam adversus judaicas expostulationes argumentis hinc inde petitis statuit et firmat; operibus ss. Gregorii et Isidori saepe utitur. — Petri de Riga cantoris et canonici remensis († 1209) celebris est in historia literaria *Aurora* i. e. libri biblici historico allegoricoque sensu carmine redditi, hexametro alii eoque rythmico, ut canticum canticorum, lamentationes Jeremiae, l. Job et actus apostolorum; ceteri elegiaco[2]). Vocavit autem opus suum *Auroram,* quia „sicut aurora terminum nocti imponit principiumque diei adesse: sic et libellus iste tenebras umbrarum et veteris legis obscuritates discutiens veritatis fulgore et allegoriarum scintillulis micantibus totus refulgeat etc.", ut ipse scribit in praef. Quot autem ll. rythmice ipse expresserit, non satis constat. Initio tantum de exponenda Genesi cogitavit, sed saltem ad l. Ruth usque pervenit. Opus tamen nunquam typis fuit expressum, librum Esther tantum in suis adversariis edidit G. Barthius l. 31 c. 15, Francofurti 1624. Ejus quoque esse dicitur *Passio s. Agnetis* (metrice), Parisiis 1895.

[1]) Cf. ejus vitam scriptam a Luca diacono legionensi, postea tudensi episcopo (1239—49) praemissam ejusdem opp. apud Migne CCVIII 9—24; Nic. Antonius in bibl. vet. Hisp. l. 7 c. 6 n. 107 ss.

[2]) Cf. Fabricius V, 262 ss.

129. Specimen *criticae biblicae* dedit Nicolaus Maniacoria diaconus (non tamen cardinalis), qui floruit ineunte hoc seculo, in suo *Suffraganeo biblico,* qui ineditus (sed non integer) asservatur inter codd. bibliothecae venetae s. Marci, cujus praefationem edidit Denifle Archiv IV, 270 ss. In ea auctor praecipue sollicitus est de aliquibus ss. librorum V. T. locis ad veram lectionem redigendis agitque sub initium de modis, quibus solent Scripturarum exemplaria depravari.

III. Historia ecclesiastica.

130. Plura reperiuntur pro more chronica edita atque inedita. Hisce praetermissis typis prodiit *chronologia* ab o. c. usque ad 1211 b. Roberti Antissiodorensis, cognomine Malchotii, O. Praem. et prioris monasterii s. Mariani, († 1212), viri egregie literati nec sine judicio critico, quam Hugo[1]) ejus sodalis († 1228) continuavit ad a. 1223, Parisiis 1608; Trecis 1608 in 4; cura Nic. Camusati ib. 1668; in MG. XXVI, 219—87 cura H. Holder-Egger, qui auctorem valde laudat. — Multum vulgatum et usu adhibitum fuit Gilberti, probabiliter Romani, *chronicon pontificum* et imperatorum romanorum usque ad Honorium III. et Fridericum II., quod reperies in MG. XXIV, 117—41 coll. XXII, 359—66, ubi reperitur ampliatum cum quinque continuationibus ad a. 1291. — Nicolaus Ambianensis n. 1147 canonicus *chronicon* ll. VIII ab origine m. ad a. 1203 fere ex aliis verbo tenus compilavit, cujus excerpta exhibent MG. VI, 473 s. — Ibidem XXVI, 216—18 pariter

[1]) Pagius in sua Critica Baronii ad a. 1177 n. 15. opus ipsum Hugoni vindicat. Cf. Potthast p. 976.

excerpta habentur ex (minus accurata) *chronographia* seu l. historiarum (1127-99) Guidonis Cantoris s. Stephani catalaunensis seu de Bazochiis († 1203); ex ejus epistolis (36) excerpta exhibet Wattenbach in N. Archiv der Gesellsch. f. ä. d. Geschichte XVI (1891) 69—113. — Bernardus Iterius OSB. monachus et armarius s. Martialis lemovicensis († 1225) *chronicon* ab o. c. 1000; et *annales* brevissimos composuit ab a. 1000—1224 ed. ab H. Duplès-Agier in *Chronique de S. Martial de Limoges* p. 28-120 cum eorum continuatione p. 120-29. Sequitur ad a. 1195 Ademarum cabannensem et Gaufredum coenob.; usque ad a. 1297 illud continuarunt Stephanus de Salviniec et Helias de Brolio.

131. Res *Angliae*[1]) descripserunt Rogerus (Rogerius) de Hoveden in Anglia, unus ex Henrici II. († 1189) domesticis, in *Annalibus rerum anglicarum* ab a. 731—1201, qui laudantur a fide et diligentia, ed. inter scriptores post Bedam praecipuos cura Henrici Savilii Londini 1596 p. 230-471; Francofurti 1601; ed. Will. Stubbs Londini 1868—71 t. 4 inter rer. brit. medii aevi SS. n. 51; anglice interprete H. T. Riley cum annotationibus, Londini 1853 t. 2 in 8; excerpta habes in MG. XXVII, 133—83. — Guilelmus Parvus (Little, Petyt, Short) Can. reg. s. Aug. neubrigensis (seu novoburgensis, Newborough) n. Bridlingtonae in Anglia († 1208), accurate in *ll. 5 de rebus anglicis* sui temporis agit[1]) non sine judicio critico et sagaci, stilo claro et sobrio ab a. 1066, et diligentius ab a. 1135, quo se natum testatur, ad a. 1198, quos, aliis edit. omissis, ediderunt Hearne, Oxonii 1719 t. 3 in 8. cum tribus ejusdem *homiliis;* ed. rara; Hamilton, Londini 1856 t. 2; Howlet ib. 1884 in Chronicles; cum continuatione ab a. 1202—1298 ib. II, 503—583; Excerpta in MG. XXVII, 221—48. Reliquit etiam commentarium (ineditum) in Cantica canticorum. — Silvester Giraldus de Barri Cambrensis nobilibus parentibus n. a. 1147, discipulus fuit Petri Comestoris. Vir erat ingenio clarus et literis, vel in negotiis gravibus deditus studiis, canonicus et archidiaconus 1176, vicarius episcopatus menevensis (S. Davids) in Anglia, demum episcopus est electus (1199): sed brevi post sedi suae resignavit (1203; † 10. Nov. 1223). Multa reliquit scripta, quorum plura prodierunt in Anglia sacra ed. Henrico Warthono t. II., sed longe plenius inter rerum britannicarum medii aevi scriptores ed. Brewer et Dimock, Londini 1860—91 t. 8: ita de rebus a se gestis sive *de Gestis Giraldi* ll. 3, opus lectu jucundum; *de libris a se scriptis* catalogus; *de vita et certaminibus Galfridi* archiep. eboracensis († 1212); *vitae episcoporum lincolnensium; de vitis sex episcoporum Angliae coaetaneorum* scil. Thomae cantuariensis et Henrici wintonensis; Bartholomaei exoniensis et Rogerii wigorniensis, Baldewini O. Cist. et Hugonis lincolniensis[2]) O. Carth. († 1200);

[1]) De rebus *Galliae* scripsit Rigordus (Rigotus) medicus regius, postea monachus s. Dionysii, in l. *Gesta Philippi II* Augusti regis Francorum (1179—1208) cont. ad a. 1215 a Guilelmo Brito. Praeter alias ed. edidit illa H. Franc. Delaborde in Oeuvres de Rigord et de Guillaume le Breton († p. 1226) I (1882), 1—167. Cf. Potthast p. 973. Operis *Courte chronique* des rois de France prodiit tantum fragmentum cur. Delaborde in Bibliothèque de l'Ecole des chartes XLV, 600—604.

[1]) Cf. Boehmer Realenc. XIII³, 753.

[2]) Hujus vitam descripsit c. 1215 etiam Adamus OSB. monachus lincolniensis, abbas eyneshamensis, cujus excerpta reperies in MG. XXVII, 316—23; nonnihil abbreviatam in bibl. asc. Pezii X, 3—389; Migne CLIII, 937—1116; integram ed. J. F. Dimock, Londini 1864 (inter rer. brit. medii aevi SS. n. 37).

de jure et statu menovensis ecclesiae dialogus seu distinctiones VII; *vita s. Davidis* ep. menevensis († c. 544) ex Ricemarcho ep. menevensi, qui eam c. a. 1085 composuerat; *vita Hugonis Nonant* ep. coventrensis et lichfeldensis; *vita s. Ethelberti* a. 793 occisi orientalium saxonum regis in actis SS. ad d. 20. Maj.; *de instructione principis ll. 3; Itinerarium Cambriae* sive de legatione Baldewini cantuariensis archiep. a. 1188 ll. 2; *descriptionis Cambriae ll. 2; expugnatio Hiberniae* sive historia vaticinalis (1172—79); *ll. de invectionibus 6; topographia Hiberniae ll. 3,* sive de avibus, de aliis mirabilibus et de habitatoribus; contra quos scripsit Stephanus Vitus *apologiam* pro Hibernia adversus Cambri calumnias sive fabularum et famosorum libellorum Silv. Giraldi Cambriensis sub vocabulis Topographiae etc. refutatio, quam primum edidit Matthaeus Kelly, Dublini 1849. Multa manserunt msc. ut *Gemma ecclesiastica*, cujus prior p. de sacramentis magis necessariis agit; posterior de clericali honestate et continentia, opus prolixum integrum theologiae pastoralis et disciplinae ecclesiasticae corpus continens; retractationes, *speculum Ecclesiae* dist. 4, symbolum electorum; de monasticis ordinibus et ecclesiasticis religionibus, in quo l. sicut et in aliis suis scriptis monachos indisciplinatos insectatur[1]) etc. Horum fere omnium excerpta reperies in Mon. G. XXVII, 399—421. Exhibet auctor se nimis credulum, hinc ejus scripta complectuntur fabulas, sunt tamen pretiosa propter notitias haud paucas, quas frustra alibi quaeres.

132. Gervasius OSB. Doroborn ensis sive Cantuariensis n. ut videtur c. 1140 habitum religiosum induit 16. Febr. 1163. Propriis manibus s. Thomam M. ab impiis occisum sepulturae dedit. In suo monasterio diu functus est munere custodis et archivarii, hinc in documentis admodum versatus idoneus fuit qui in gravibus negotiis monasterii jura tueretur[1]). Collegit *acta* ad ecclesiam et sedem cantuariensem spectantia ab a. 1185—1200, quibus magnae vigebant turbae, quae prodierunt inter *epistolas cantuarienses* ed. W. Stubbs 1865 in Chronicorum Richardi I. t. 2; descripsit *actus pontificum* cantuariensis ecclesiae seu vitas archiepiscoporum ab Augustino usque ad Hubertum († 1205); *Chronica rerum* (major) de tempore regum Angliae ab a. 1107—99; chronica (minor) sive gesta regum Britanniae 1107—1207; *de archiepiscopis et episcopis mundi; mappa mundi;* qui ll. prodierunt cum l. *de combustione* (1174) et reparatione cantuarensis ecclesiae et aliis inter decem scriptores, quos Rogerus Twisdenus edendos curavit Londini 1652; in primis vero plenius et melius cura Stubbs inter scriptores historiae britannicae sub inscriptione The historiques works of Gervase of C. 1879. 1880 t. 2. Quaedam ex ejus operibus excerpta, quae Germaniam respiciunt, exhibent MG. XXVII, 294—315; quae Galliam Bouquet (Delisle) Script. rerum gall. XIII, 120—42; XVII, 660—79. — Radulphus[2]) de Diceto ma-

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. d. k. Kirche in Irl. I, 480 ss.; Schrödl KL². V, 604—7; Potthast 528 s.

[1]) Cf. Braumüller KL². V, 482.

[2]) Alius a Radulpho O. Ci. Coggeshalensi abbate (1207), qui in terram sanctam profectus scripsit quae vidit et audivit. Ejus *chronicon Terrae sanctae* seu l. de expugnatione terrae sanctae editus est a Martene in collect. ampl. V, 543; *chronicon anglicanum* a. 1066—1223 ib. 801—871, ex quo excerpta leguntur in MG. XXVII, 344—58; utrumque ediderunt Duncin inter ejusdem *opera* Noviomagi 1852 in 4; Stevenson inter rer. brit. medii aevi script. n. 66, Londini 1875. Prioris tamen op. genuinitas non est adeo certa. Resignavit dignitatem abbatialem decessitque 1228. Cf. Potthast p. 949. — Alius est Radulphus Bocking O. Praed. Cicestrensis, cujus est *vita s. Richardi*

gister parisiensis post peragratas plures Europae academias archidiaconus mondinensis et a. 1183 decanus s. Pauli londinensis († c. 1202 vel 1203), praeter historiam compendiosam *de regibus Britonum* usque ad sec. VII; *de regibus Anglorum* ab a. 872 usque ad a. 1170, elaboravit *abbreviationes chronicorum* ab a. 589—1147; *imagines historiarum,* op. praecedentis continuationem ad a. 1202; *seriem causae* inter Henricum regem et Thomam archiep. cantuariensem; *rom. pontificum catalogum* ad a. 1178 (in MG. XXVII, 268—89); *de synodis Ecclesiae* ab a. 321—1179; *historiam sedis cantuariensis* seu annales archiep. cantuariensium (Wharton II, 677—93); indiculum *de successione archiep. cantuariensium* et a quibus apostolicis pallia susceperunt seu excerpta ex historia de praesulibus Angliae (Wharton I, 87-89); *de viris illustribus* quo tempore scripserint: quibus in operibus usque ad a. 1120 multum utitur scriptis Bedae et Guilelmi Malmesburiensis; quae vero ab a. 1120—1199 habet, iisdem verbis passim refert in abbreviationibus chronicorum et in imaginibus. Nova videtur historia archiepiscoporum cantuariensium. Horum opera aliqua edidit Twysdenus, sed mendose admodum, inter scriptores rer. angl., alia Wharton in Anglia sacra; opera historica Will. Stubbs Londini 1876 t. 2 in rer. brit. medii aevi Script. n. 68. ed. egregia; excerpta leguntur in MG. XXVII, 249—93. — Galfredus (Gaufridus, Godefridus), sacrista de Coddingham in Scotia scripsit *de statu ecclesiae dunelmensis* (Durham) continuans historiam ab alio coeptam ab a. 1114—1214, in Wharton Anglia sacra I, 718—31; subjuncta p. 732 Roberti de Graystanes OSB. theologiae lectoris, electi (1333, sed a rom. pontifice non confirmati) episcopi dunelmensis, continuatione usque ad a. 1333, et p. 756-84 Guilelmi de Chambre continuatione usque ad a. 1559; plenius ed. a James Raine in op. *Historiae dunelmensis scriptores tres,* Newcastle 1839 in 8.

133. Vincentius Kadlubko (Kadlubek, Cadlucus) natus est c. 1160 Karwowii ducatus sendomiriensis. Ex praeposito sendomiriensi electus est episcopus cracoviensis 1208. Ipse inter capituli canonicos recepit s. Hyacinthum. Munere pastorali se abdicavit a. 1218 factusque est monachus cisterciensis in coenobio andreovicensi († 8. Mart. 1223). Ob virtutum splendorem 9. Apr. 1764 relatus est inter beatos[1]). Hic suasu Casimiri Justi principis Poloniae composuit *Chronicam* Polonorum sive historiam polonicam, sive de gestis Polonorum ll. 4, quorum tres priores dialogi more scripti sunt et regni origines et progressum perstringunt usque ad a. 1174; l. 4. Vincentius gesta et negotia polonica inde narrare persequitur usque ad a. 1202. Prodiit opus (mendose) Dobromili 1612 in 8; et cum Jo. Dlugossi seu Longini historia polonica 1712 in f. onustum commentariis superfluis; cura comitis Przeździecki 1862, ed. non accurata; interpolata est ea, quam curavit Mulkowski, Cracoviae 1864; melior ea quam ediderunt inter Monumenta Poloniae t. II. Maciejowski et Bielowsky. Abundat haec historia,

conf. et ep. cicestrensis († 1251), ex qua excerpta habes in Mon. G. XXVIII, 255; integra legitur in Actis SS. I, 282—318. — Operi supra laudato *Chronicon terrae sanctae* adde aliud auctoris coaevi Thietmari magistri *Iter ad terram sanctam,* quod ob suum momentum nostra aetate prodiit curantibus Tobler St. Gallen und Bern 1851; Laurent, Hamburg 1857. Cf. Roehricht BGP. p. 41 s. Hic Thietmar alius est a celebriori Thietmaro ep. merseburgensi († 1. Dec. 1018), de quo egimus I, 950 ss.

[1]) Cf. Zeissberg V. Kadlubek Arch. der W. Akad. XLII, 1—211, Wien 1870; Bielowski Mon. Pol. hist. II, 191—453; Potthast p. 1096, qui copiosam literaturam de auctore ejusque opere exhibet.

saltem ubi agit de remotioribus gentis polonae temporibus, fabellis[1]). — Gislebertus cancellarius comitis hanoniensis, praepositus s. Germani montensis († c. 1224), conscripsit utile et accuratum praesertim circa posteriorum annorum gesta, quorum ipse testis et pars fuit, *chronicon hanoniense* 1086-1195 (omissis vetustioribus ed.) in MG. XXI, 481—601; et seorsim 1869 ed. a W. Arndt[2]); recentissime magna accuratione L. Vander-Kindere, Bruxellis 1904. — Excerpta annalium ratisbonensium (1—1201) continuatore (ab a. 1174-1202) Hugone de Lerchenfelt canonico ratisbonensi († c. 1216) exhibet Wattenbach in MG. XVII, 577—590; aliqua etiam antea Boehmer Fontes III, 488—95. — Quaedam habes in Henrici de Antwerpia prioris tr. *de captione urbis Brandenburg* (MG. XXV, 482—484) de hujus urbis episcopatu et ecclesia cathedrali. — Werrico OSB. abbati lobiensi (1181-1204) tribuit Heller *Vitam Alberti* episcopi leodiensis († 24. Nov. 1192), quam ipse primus edidit in MG. XXV, 135—68, et quae forte non est nisi fragmentum operis majoris. Alia recensio prodierat jam auctario illustrata studio Aub. Miraei, Antverpiae 1612 n 8.

134. Conradus natione Germanus, monachus claraevallensis, hortante suo abbate Garnerio scripsit *historiam exordii ordinis* et vitam virorum illustrium[1]). Quem in finem invisit ordinis monasteria per Galliam et Germaniam. Eberbaci substitit ibique electus est jam provectae aetatis in abbatem a. 1221, sed et eodem a. est defunctus. Opus quod intitulatur modo *de initiis O. Cist.*, modo *Initium O. Cist.*, modo *Exordium magnum* seu majus (ut distinguatur ab Exordio parvo auctoris anonymi) complectitur a. 40 estque compilatio factorum et legendarum visionumque virorum ordinis illustrium, quae absque judicio critico pie credulus collegerat ad legentium aedificationem et in sex distribuerat II. Stilus est durus, notae chronologicae desunt: non tamen caret pretio: fontis et exemplaris instar erat pro operibus geminis. Prodiit primum (sed ut dicunt in initio nonnihil a textu originali immutatum) sub inscriptione: *Exordia s. ord. Cist.*, alterum (i. e. parvum) a s. Roberto, s. Alberico, s. Stephano[2])

[1]) *Breve* (et non magni momenti) *chronicon* veterum Austriae marchionum et ducum Conradi I. de Wizzenberg abbatis mellicensis, ut fertur († 1203), scil. a Leopoldo I. ad Leopoldum VI. edidit H. Pez t. I, 290-94 script. rerum austriac., Lipsiae 1721; cum prolixis commentariis A. de Meiller: Ueber das Breve chronicon Austriae mellicense, Denkschriften der Wiener Akad. t. XVIII; in MG. SS. XXIV, 69—71.

[2]) Cf. Arthur Hantke Die Chronik des Gislebert von Mons, Lipsiae 1871; Fr. Wachter Der Einfluß der nationalen und klerikalen Stellung O. v. Mons auf s. Geschichtsschreibung diss., Halae 1879; Wattenbach allg. d. Biogr. IX, 203; Potthast pag. 531.

[1]) Cf. F. W. E. Roth hist. Jahrb. der Görres-Gesellsch. 1886, VII, 221-26 valde accurate de eo disserentem cum assignatione literaturae.

[2]) Stephanus cognomento Harding, natione Anglus primus ingressus est monasterium molesmense: sed arctioris disciplinae desiderio cum Roberto aliisque sodalibus Cistercium se contulit ibique initia posuerunt celeberrimi illius monasterii (1098). Anno 1109 constitutus est abbas, cui dignitati renunciavit 1133 († 28. Mart. 1134). Ipse recepit 1112 s. Bernardum cum 30 sociis; ipse condidit *chartam caritatis*, quae novi ordinis constitutiones a. 30 continet librumque usuum seu rituum O. Cist. Exordium vero parvum non est ipsius. Cf. Busse II § 1043. Ipse descripsit integram s. Scripturam in suorum utilitatem t. 4 in f. Cum vero in dissonantia exemplaria incideret, illo, quod ceteris plenius repererat, est usus. Ob hanc tamen dissonantiam turbatus consulit Judaeos peritos, qui suis codd. consultis illas partes, propter quas turbabatur, non repererunt. Hinc illas ut superfluas sollicite abrasit, ut ipse narrat in ep., quam prius edidit Mabillon in opp. s. Bernardi, Chronol. s. Bernardi p. XI. Ipsum illud exemplar adhuc re-

ante quingentos annos; alterum vero ante quadringentos a. ab anonymo claraevallensi conscripta et nunc primum typis excusa, edita et recollecta per D. Franc. Ign. de Ibery ab. fiteriensem, Pampelonae 1621 ed. rara, in qua opus tribuitur Helinando Montis frigidi († 1227, de quo infra); illud recudit satis correcte Tissier in bibl. vet. script. cist. I, 13-246; Migne CXXXV, 996—1198. Demum prodiit gallice *Le petit et le grand exorde de la Citeaux* contenant les origines du monastère et de l'ordre de ce nom avec de nombreuses légendes sur la vie admirable des anciens moines de Clairvaux, Soligni la Trappe 1885 in 8. Ex eo derivatus est l. *Exordia s. ord. Cist.*, Rixhemii 1871. — Hugo Kerkestedes sive Kirkostallensis, monachus fontanensis O. Cist. in Anglia, scripsit circa a. 1220 *de origine Fontani monasterii* et historiam rerum a Bernardinis sive cisterciensibus in Anglia gestarum ad Joannem ab. fontanum, cujus chronici fragmenta exstant in MG. XXVII, 13—15. — Jacobus monachus O. Cist. Majoris Monasterii (Marmoutier), qui obiit circa a. 1210, videtur esse auctor *Narrationis de commendatione turonicae provinciae* et de nominibus et actis episcoporum civitatis turonicae, similiter et de nominibus et operibus abbatum Majoris Monasterii et de destructione et reaedificatione ejusdem ecclesiae et quare dicatur Majus Monasterium, quam edidit ad calcem Gregorii turon. historiae francorum Laurentius Bochelius Parisiis 1610; et Salmon in Recueil de chroniques de Tourraine Parisiis 1854 p. 292—317. — Peregrinus O. Ci. septimus abbas monasterii b. Mariae de Fontanis albis (Fontaines les Blanches) dioecesis turonensis († 1211) collegit *historiam possessionum et praelatorum* (1127—1200) illius abbatiae editam a D'Achery Spicil. II², 573-81; et absque auctoris nomine a Salmon sub titulo *Historia monasterii b. M. de Fontanis albis* in Recueil de chroniques de Touraine 1854 p. 257—91. — Gerardus ex monacho richenburgensi stederburgensium monialium in dioecesi hildesheimensi praepositus (1163—1209), collegit *annales stederburgenses* ab a. 1100—1195, quos Pertz post alias editiones admodum mendosas accurate recudit in MG. XVI, 197—231. — *Historia monasterii viconiensis*[1]) *O. Praem.*, quam anonymus coeperat ab a. 1119—1157, continuavit ad a. 1202 Nicolaus illius prior, qui subsequentium septem abbatum gesta testis oculatus viderat, et Nicolaus de Montigny sodalis, postea (1308) abbas Castelli Dei s. Martini in dioecesi tornacensi ad a. 1301, quam publicarunt Hugo in s. antiq. monum. II, 191—221; Heller in MG. XXIV, 291—313.

135. Eccardus OSB. in monasterio sangallensi decanus, ut distinguatur ab aliis, Minimus, vel ultimus, vel quintus dictus, scripsit c. a. 1214 *vitam Notkeri Balbuli* († 912), quae caret pretio, cum inscite diversos inter se confundat Notkeros. Eam (interpolatam) exhibet Canisius in Antiq. lect. III², 552—576; notis illustratam Papebrochius in actis SS. 6. Apr. I, 579—96. — Theodoricus OSB. abbas (sed cujus monasterii ignotum) scripsit *vitam s. Hildegardis* de Alemanniae abbatissae coenobii in monte s. Roberti prope Bingiam († 1179) ll. 3, quae prodiit cum sanctae epistolis, Coloniae 1568 in 4; in Act. SS. 17. Sept. V, 679-97; Migne CXCVII, 91—130. — Thomas de Radolio

peritur in bibliotheca civitatis divionensis. Cf. Denifle Archiv für Lit. u. Kunstgesch. IV, 266 ss.; J. B. Dalgairus Life of S. St. Harding, edited by J. H. Newman, Londini 1898; Hist. lit. XI, 213—236.

[1]) Goovaerts Ecrivains ... de l'ordre de Prém. I, 601.

(Reuil) O. Cist. concinnavit *vitam s. Petri* (Monoculi) ab. claraevallensis († 1186), Migne CCIX, 1007—36; et in Actis SS. 29. Oct. XIII, 68—84. — Alexander prior monasterii gemmiticensis (Jumièges dioecesis rotomagensis OSB. (1180), dein a. 1198 abbas († 1213) in *l. miraculorum* ss. Pauli ap., Clari et Cyriaci horum reliquiarum narrat inventionem (1185) et miracula, quae ea occasione contigerunt quaeque acceperat a testibus fide dignis vel quorum ipse fuerat testis, in Anal. boll. XII (1893), 389—408. Disserit quoque in ep. (Migne CCV, 919—922) *de appellatione Filii hominis.* — Galfrido dunelmensi monacho (1210) debemus *vitam s. Bartholomaei* monachi et farnensis anachoretae († 1193), quae forte eadem est cum illa, quae incomplete edita reperitur in actis SS. 24. Jun. IV, 833—41; in The historical Works of Simeon of Durham, Londini 1882 Append. (Rer. brit. medii aevi SS. n. 75). — Rufinus canonicus ecclesiae duodecim apostolorum placentinae, qui se magistrum appellat, a. 1212 scripsit latine *vitam s. Raymundi Palmarii conf.* († 1200), quam non a manu primaeva, sed ex versione italica a. 1525 in latinum sermonem iterum conversam exhibent Acta SS. 28. Jul. VI, 645—57. — Joannis canonici urbevetani († 1215) *vita s. Petri Parentii M.* († 1199) prodiit Urbeveteri 1662 et in Actis SS. 21. Maj. V, 86—99.

136. De s. Martino meruit praesertim Guibertus (Wibertus) OSB. in monasterio gemblacensi. Natus est Guibertus c. a. 1118. Commoratus est aliquamdiu Turone in s. Martini monasterio, tantaque devotione in hunc s. praesulem exarsit, ut Martinus voluerit cognominari. Inde revocatus, in abbatem est electus florinensem (p. a. 1186), et jam senex a. 1194 in abbatem gemblacensem. Ferunt eum obiisse a. 1208. Verum H. Delehaye S. J., qui accurate hujus abbatis gesta et scripta illustravit (in Revue des qq. histor. XLVI, 5—90 et Anal. boll. VII, 1888, 265-70) mortis diem ignorari fatetur. Cum s. Hildegarde, apud quam diu commoratus est, commercium habuit epistolare. Ipsius ad eum *epistolas* habes in Migne t. CXCVII, alias ib. CCXI, 1287-1312; plures recenter editas in catal. codd. hagiogr. bibl. r. bruxell. p. I. t. I. p. 484—582; Bruxellis 1886. *Vita s. Martini* rythmica usque ad taedium prolixa nondum integra prodiit: segmenta exhibet Pitra in Anal. sacris VIII, 564-591, qui eodem t. plures ejusdem exhibet epistolas. Scripsit praeterea prolixam *de s. Martino* ep., cujus pars prior est specimen historiae literariae de s. Martino. Eam integram primum edidit Delehaye cum praevio commentario; partis alterius epitomen tantum exhibet, quia auctor nonnisi trita repetit et longa affert e Sulp. Severo excerpta in Anal. boll. VII (1888), 265—302. Pitra in suis Anal. VIII, 582—600 alia duo edidit Guiberti *de laudibus s. Martinitur.* opuscula cum narratiuncula duplici de b. Martini miraculo ad ipsum missa. Quatuor ejusdem *epistolas* de cultu s. Martini apud Turonenses habes in Anal. boll. III (1884), 217-257. Ibidem VII, 302—320 alterius Guiberti gemblacensis, nostri aequalis, *carmina VIII* de eodem sancto reperies. Noster Guibertus descripsit etiam *combustionem* monasterii gemblacensis (1185 vel 1186), quam neque integram neque juxta textum originalem edidit Pertz in MG. VIII, 563 s., et inde Migne CLX, 657—662. Aliis verbis exstat etiam in Guiberti ep. *ad Idam* abbatissam Montis s. Roberti, quam ediderunt socii Bollandiani in catal. hag. supra cit. I, 557—561. — Etiam Paganus Gastinaldi (Péain Gatineau) canonicus turonensis (fl. ineunte sec. XIII) ingens concinnavit carmen vers. 10295 in s. Martini tur. honorem, quod demum integrum edidit Werner Söderhjelm in op. *Leben und Wunderthaten des hl. Martin*, Alt-

französisches Gedicht aus dem Anfang des 13. Jahrh. cum docta introductione, Tübingen 1896.

137. Petrus Sarnensis vel Cernajensis a monasterio vallis Sarnaji seu Cernaji (aux Vaux de Cernay) cognominatus, O. Cist., scripsit testis occulatus historiam *de factis et triumphis memorabilioribus* nobilis viri Simonis comitis de Monteforti sive historiam (accuratam et fidelem) Albigensium et sacri belli in eos a. 1209 suscepti duce et principe Simone a Monteforti, quam Innocentio III. dicavit. Eam primum edidit Nic. Camusat Trecis 1615, et aliis ed. omissis Tissier in bibl. cist. VII, 1—72; Migne CCXIII, 543-712 juxta du Chesne; gallice ab Arn. Sorbin versa prodiit Parisiis 1569; latine et gallice 1617; a Guizot Collect. XIV, 1—344 cum documentis etc. — Neque praetermittendus videtur s. Guilelmus can. reg. s. Aug. abbas s. Thomae de Paracleto in Dania seu abbas ebelholtensis, natione Gallus, cujus vel aliorum ad ipsum supersunt ep. 122 ll. 2, e quibus 28 spectant causam matrimonialem Philippi Augusti regis et Ingeburgae. Edidit illas Fr. Suhm apud Langebek Script. rer. danic. 1786. VI, 2—79; Migne CCIX, 637—728. Missus fuit Guilelmus e domo parisiensi s. Genovefae cum tribus sociis ad reformandos canonicos regulares augustinienses in insula Eskil Daniae 1165; inde translata fuit domus religiosa Ebenholtium, quam sanctissime rexit a. 38, decessitque venerandus senex a. aetatis 98 fama sanctitatis[1]) 6. Apr. 1203. Inter sanctos relatus est 21. Jan. 1221.

[1]) Vitam ab anonymo conscriptam Actis SS. inseruerunt notis illustratam Henschenius et Papebrochius Apr. I, 625-645; Migne patrol. CCIX, 593—636. Cf. Perger KL. XII, 1603—1606.

IV. Theologia practica.

138. Primum locum dabimus magno pontifici Innocentio III., qui innumeris epistolis decretalibus de omnis generis casibus jus canonicum vere aluit et locupletavit. Natus est Joannes Lotharius (hoc ei ante pontificatum nomen), quo juxta Weiss[1]) nullus a Christi temporibus ad nostra usque majoribus naturae dotibus praeditus vel illustrior exstitit, in civitate Anagni ex comitum Segni familia a 1161. Romae, Bononiae et Parisiis studiis operam dedit. A Clemente III. avunculo suo juvenis creatus est cardinalis diaconus et in negotiis ecclesiasticis adhibitus: a quibus tamen sub Coelestino III. remotus fuit. Hoc pontifice vix defuncto 8. Jan. 1198. eodem mox die unanimi suffragio in pontificem fuit electus. Nolumus ejus gesta fusius describere, spectant enim haec ad historiam ecclesiasticam[1]). In hoc tamen omnes conspirant, ejus pontificatum, quod splendorem externum et auctoritatem in res publicas spectat, omnium fuisse illustrissimum. Non diu post habitum conc. universale lateranense IV. decessit 16. Jun. 1216 a. aetatis 56. Non tantum fuit pontifex vere summus, sed et vir probe doctus atque literatus suaeque doctrinae reliquit testimonia pretiosa. In primis laude dignissimae sunt

[1]) Apol. des Christenth. t. 2 diss. 11.

[1]) Cf. gesta Innocentii III. a coaevo scriptore concinnata Tolosae primum edita 1635. sed minus emendate; in Muratori thes. It. III, 486 etc.; Migne 214, XV-CCXXVIII; Hurter Gesch. d. Papstes Innocenz III u. s. Zeitgenossen, Hamburg-Gotha 1841—43 t. 4 ed. 4; Brischar KL². VI, 726—36.

innumerae ejusdem *epistolae*, quibus magna pars juris canonici illustratur, quas ll. 11 edidit Baluzius Parisiis 1682 t. 2 in f., quibus Feudrix de Bréquigny et La Porte du Theil anecdotas adjecerunt in coll. *Diplomata, chartae, epistolae* et alia documenta ad res francicas spectantia etc., pars altera t. I., Parisiis 1791; et subinde alii alias, ut Delisle Bibl. de l'Ecole de chartes XXXIV (1873), 377 ss.; Pitra Anal. noviss. spicil. solesm. I, 486 ss. Huc spectat etiam *Registrum Innocentii III.* super negotio imperii. Integri ep. ll. scil. IV. XVII—XIX videntur periisse. — Alia Innocentii III. scripta sunt: *De contemptu mundi* sive de miseria conditionis humanae, primum ipsius opus, quod miram morum ingeniorumque humanorum scientiam prodit. Prodiit s. l. et a. (Coloniae 1473). *Sermones*[1]) de tempore (29), de festis et sanctis (43), de diversis (7); *dialogus* inter Deum et peccatorem (ed. a Mai in Spicilegio rom. VI, 562); *de sacro altaris mysterio ll. 6,* quod opus saepissime editum Fr. de Hurter germanice reddidit, Schaffusiae 1845; est enim unus ex melioribus libris liturgicis medii aevi[2]). Libellus *de eleemosyna; de quadripartita specie nuptiarum,* ed. a Trombellio cum aliis opusculis, Bononiae 1755. Dubiis accensetur commentarius *in septem psalmos poenitentiales* etc. Opera collecta habes in Migne patrol. t. CCXIV—CCXVII.

139. Innocentii III. *decretales* trium priorum annorum pontificatus ipsius collegit Rainer diaconus, monachus pomposianus OSB., et distribuit sub tit. 41 et in cc. 119: quam collectionem edidit Baluzius t. I. et Migne CCXVI, 1173-1272. — Ex auctoritate ejusdem pontificis collegit Petrus Collivacinus Beneventanus, subdiaconus et notarius ipsius, demum cardinalis (1205), decretales ab a. 1198-1209, quas distribuit in ll. 5, singulos ll. in titulos et hos in capita. Ea dicitur *compilatio tertia,* ut distinguatur a prima et secunda, de quibus mox. Pontifex eam transmisit universitati bononiensi „ut eisdem absque quolibet dubitationis scrupulo uti possitis, cum opus fuerit, tam in judiciis quam in scholis", ut scribit in literis a. 1210 ad universos magistros et scholares illius academiae. Prodiit illustrata in Ant. Augustini antiquis coll. decret., Ilerdae 1576 p. 124 ss.; Parisiis 1609 p. 226 ss.; Friedberg Quinque compilationes antiquae, Lipsiae 1882 p. 105 ss. etc. Eum tanti fecit pontifex, ut illum in ep. eidem collectioni praefixa vocaret Salomonem sui temporis. Ceterum tres comparent cardinales sub Innocentio III. nomine Petri, noster qui etiam dicitur fuisse cardinalis (et falso episcopus sabinensis et obiisse 21. Sept. 1221). — Petrus de Mora (Mora, Moranus), pariter Beneventanus, amalphitanus diaconus, deinde presbyter cardinalis, qui legatione sicula et gallica obita aliisque gestis clarus obiit a. 1206 (juxta alios 1213 vel 1216). Jam vero hujus gesta alii tribuunt Petro Collivacino, et hujus munera et collectionem decretalium Petro Morano. Ita ex. gr. Eggs Purp. docta l. 1 § 59; Moroni in Indice del Dizionario di erudizione V, 222, qui forte ut conciliet scriptores, collectionem decretalium tribuit Petro Morano, operis absolutionem nostro Petro. — Tertius cardinalis fuit Petrus patria Duacenus, quem Cardella in Memorie storiche de Cardinali, Novaes Storia de Pontefici, Eubel, Gams episcopum Sabinae fuisse statuunt et obiisse 1221; alii vero negant. — *Primam compilationem* per modum sup-

[1]) Brischar l. c. Die Predigten sind im Geschmacke jener Zeit gehalten. Es zeigt sich darin eine Vorliebe für die Anthithesen und die Zahlenmystik, sowie eine mystische und allegorische Deutung der hl. Schrift.

[2]) Cf. Thalhofer p. 88; Franz die Messe p. 453–457.

plementi decreti composuit s. Bernardus Papiensis, qui Bononiae studiis operam dederat, in patria praepositus, episcopus faventinus et a. 1198. unanimi suffragio electus in episcopum papiensem († 18. Sept. 1213). Pandectas et codicem justinianeum sequens eam distribuit in ll. 5, quos dividit in titulos (152) et capita (912). Librorum argumentum breviter comprehenditur hoc hexametro „Judex, judicium, clerus, connubia, crimen“: in eamque recepit decreta a Gratiano transmissa et ep. decretales posteriores Alexandri III., Lucii III., Urbani III., Gregorii VIII. et Clementis III: hinc eam vocavit *Breviarium extravagantium* (scil. extra decreti corpus). Recepta ea fuit, quia satis idonea, ab universitate bononiensi et glossis illustrata plurimorum, qui ut distinguerentur ab interpretibus Decreti (Gratiani) *decretistis* dictis, *decretalistae* vocabantur. Reperitur eadem apud Ant. Augustinum l. c. Ilerdae 1576 p. 7 ss.; Parisiis 1609 p. 1 ss.; Friedberg l. c. p. 1—65. I. A. de Riegger coepit novam ed.: *Bernardi . . . breviarium extravagantium* cum Gregorii IX. PP. decr. coll. ad harmoniam revocatum p. 1., Friburgi 1778., quae tamen ad finem non fuit perducta. Summam inde confecit (1191—98), quam edidit sub inscriptione *Summa decretalium* Laspeyres, Ratisbonae 1860. Ea est primum et utile compendium juris canonici compilationi suae accommodatum, quod in scholis invaluit, quoadusque praevaluit summa Ostiensis. Jam antea composuerat summam *de matrimonio et de electione,* quam reperies in op. cit. Laspeyres p. 287—323; *glossas* in suam compilationem; *casus* (quorum aliquos edidit Laspeyres). *Vitam s. Lanfranci* ep. ticinensis (papiensis) sui praedecessoris († 1194) habes in actis SS. 23. Jun. IV, 620—30. Commentarii in Ecclesiasticum et in canticum canticorum prodiisse non videntur[1]).

— Alius ab eo est Bernardus archidiaconus Compostellanus, ut ab alio juniore distingueretur, antiquus cognominatus, juris canonici professor quondam bononiensis, e decretalibus Innocentii III. priorum decem annorum elaboravit compilationem, quae *romana* subinde dici solet. Ex ea aliqua impressa dicuntur in A. Augustini opp. IV, 600—608. Scholia quoque scripsit[1]) in *secundam collectionem* Jo. Wallensis; lecturam auream *supra 1. l. decretalium,* s. l. 1516 cum apostillis Antonii de Crevent ab. s. Leonardi de Ferrariis. Accedit huic ed. *Breviarium* juris canonici. — *Casus* super decretales ll. 5, Argentorati 1498, forte idem opus cum illo, quod prodiit inscriptum *Super decretalium ll. 5,* Norimbergae 1493. — Apparatus in decretales (ineditus) etc. — Praeter hos compilationem c. a. 1201—1202 concinnavit Gilbertus Anglus, de cujus vita fere nil scimus, ll. 5 cc. 163, quibus dein alia adjecit, et c. a. 1204—5 retractavit atque in cc. 257 distribuit, eamque ipse glossis illustravit. — Hunc secutus est alius Anglus, Alanus magister, cujus compilatio complectitur 5 ll. et cc. 290, quorum pleraque ex Innocentio III. derivata sunt; apparatum insuper condidit ad compilationem primam: sed neutra compilatio in usum est recepta vel typis prodiit. —

---

[1]) Cf. Schulte Geschichte der Quellen etc. I § 40. Ab aliquibus cognominatus est Circa vel Balbo, sed immerito, ut ostendit Sarti in egregio suo de claris archigymnasii bononiensis professoribus I, 302.

[2]) Cf. Nic. Antonius bibl. vet. hisp. II. l. 8 c. 3 n. 80, qui ex Ant. Augustino refert ejus compilationem romanis minus fuisse acceptam, qui propterea „ab Innocentio (III) impetrarunt, ut pontificia auctoritate aliqua collectio ederetur. Cui rei Petrus Beneventanus, notarius, praefectus est a. 12. ejusdem pontificis. Haec cum *tertia* collectio (apud Friedberg ep. cit. p. 105—134) audiat, ut praecedens Bernardi: aut hanc prorsus abolitam aut utramque in unam fuisse coactam, editoris tantum nomine mutato, existimare debemus“.

Tertius est Joannes wallensis seu galensis pariter Anglus juxta alios Volaterranus, qui jus canonicum tradidit secundum compilationem *primam*, quam et glossis illustravit; in *tertiam* apparatum concinnavit, novamque ex Gilberti et Alani collectionibus confecit compilationem (intra a. 1210—1215), in quam recepit decretales editas inter compilationem primam et tertiam, praesertim decretales Clementis III. et Coelestini III. et plures omissas a Bernardo papiensi, hinc dicta est compilatio *secunda* eamque glossis illustravit. Ea recepta fuit ab universitate bononiensi. Prodiit in Ant. Augustini et Friedberg op. cit. p. 66—105.

140. Inter commentatores seu glossatores decreti[1]) praecipuum hac epocha locum occupat Huguccio (Hugutio, Hugo) Pisanus, Bononiae juris canonici interpres, Innocentii III. magister, qui pontifex factus eum magni fecit, demum episcopus ferrariensis († 1190—1210). Composuit *summam* copiosam in Gratiani decretum, quam tamen ad finem non perduxit. Joannes de Deo adjecit causas IV scil. XXIII—XXVI. Ea posteri plurimum usi sunt: sed propter suam prolixitatem typis non fuit excusa. Ejus expositionem *in symbolum apostolicum* vulgavit Trombelli inter vet. PP. opuscula II, 2, 205 ss. — *Summam* decretalium pariter ineditam reliquit Damasus Bohemus (secundum Diplovataccium Hungarus) juris canonici interpres bononiensis c. 1210—15, quae tamen magna ex parte verbotenus expressa est ad summam Bernardi Papiensis, paucis tantum de suo additis; *quaestiones* 278 plerumque secundum titulos compilationis *primae* sec. XIII. haud raro adhibitas; summam *de ordine judiciario*, claram, succinctam, methodicam, hinc magni meriti, quam edidit Ag. Wunderlich in Anecdotis, quae processum civilem spectant, Gottingae 1841; *Brocarda* seu regulae canonicae (125), quas ipse primus collegit ex juris canonici fontibus, Antverpiae 1566; Coloniae 1568 etc., retractatae et auctae a Bartholomaeo brixiensi Lugduni 1519; inter tractat. juris t. XVIII, Venetiis 1584. — Fere simile quid praestitit Paulus Hungarus in suis *Notabilibus*, quae et regulas complectuntur secundum ordinem titulorum a scriptoribus adhibitas. — Benencasa[1]) Senensis, juris canonici Bononiae magister († 1206), collegit *casus decretorum*, quos Bartholomaeus Brixiensis retractatos edidit, Basileae 1489, quae

---

[1]) Cf. Schulte die Compilationen Gilberts und Alanus, 1870.

[2]) Cf. Schulte qui l. c. pag. 156 ss. fuse de ea disserit, et inter alia scribit: Die Summa selbst ist das umfassendste Werk, das über das Dekret in dieser ganzen Periode erschienen ist, wird auch dem Umfange nach von wenig späteren übertroffen. Sie enthält zunächst eine Verarbeitung fast aller vorhandenen Schriften und Glossen ... Huguccio ist ein selbständiger Forscher und verhält sich bei jeder Gelegenheit andern gegenüber kritisch; er ist sich dieser Selbständigkeit so sehr bewußt, daß er nicht blos häufig sehr scharfe Urtheile fällt, sondern unzählige Mal seine eigene Ansicht hervorhebt und fast ungebührlich betont ... Sie enthält ziemlich Alles, was aus der allgemein zugänglichen Literatur als werthvoll erscheint, bietet eine erschöpfende Erklärung des Dekrets, so weit die Methode einer Zeit diese ermöglicht, deren geschichtlicher Sinn wenig ausgebildet war, bewahrt die volle Originalität und Frische ... Huguccios Werk ist unstreitig die bedeutendste canonistische Leistung des XII. Jahrh.; die Folgezeit brauchte nur daraus zu schöpfen, es war wenig mehr hinzuzuthun.

[1]) Alius videtur a Benincasa canonico pisano, qui descripsit *vitam s. Rainerii* solitarii pisani († 1160), quam habes in Actis SS. 17. Jun. IV, 423–66; et a Benicasa de Benicasis pseudoepiscopo pisano (1167–70), quem propterea Alexander III. Malincasa ironice apellavit.

editio recepta est in ed. decreti a. 1505. — Glossae in decretum seu decretales apud veteres recurrunt Melendi, quondam Bononiae magistri, qui dein (1204) Vicetiam transiit, aliorumque quos Schulte l. c. recenset, sed de quibus nihil certi constat: quare illos praetermittimus[1]). — Apparatum completum in decretum collegit Laurentius natione Hispanus, Bononiae juris canonici magister. Rationem habet decretalium, quae in tribus aliis compilationibus continentur atque plura illustrat ex jure romano. Magno usui fuit posteris ejusque glossae passim allegatae et receptae fuere: mansit tamen ineditus.

141. De re *liturgica* praeter Innocentium III. egit Sicardus (Sighardus), qui aliquamdiu Moguntiae degit, forte et docuit, et a. 1185 episcopus cremonensis est electus et gravibus in negotiis in Oriente versatus († 1215). Composuit *Mitrale* sive de officiis ecclesiasticis summam ll. 9, quae primum prodiit in Migne patrol. t. CCXIII, 13-436, Mitrale dicta, quia mitra juxta ipsum significat Ecclesiam. Agit in ea prolixius de locis, de personis et vestibus liturgicis, de missa et horis canonicis, de anno ecclesiastico; libenter sectatur allegorias et tropologiam[2]) omnia copiose testimoniis s. Scripturae illustrare nititur, scriptis utitur Amalarii, Belethi, Honorii Augustodunensis. — Compilavit stilo simplici et succincto *chronicon* ab o. c. usque ad 1213, quod primum (sed non satis accurate) Muratori, omissis quae nativitatem Christi praecedunt, edidit inter ital. rer. scriptores VII, 533—626; Migne l. cit. 441—540. Major ejus chronica periit. *Acta s. Homoboni* cremonensis civis, cujus canonizationem ab Innocentio III. impetravit. Tribuitur ei et *Summa canonum*, in qua nova methodo jus canonicum disponit et tradit, quae tamen imitatores non invenit[1]). — Odericus canonicus ecclesiae senensis († 24. Jan. 1225) descripsit ordinem officiorum ecclesiae senensis, quem Trombelli edidit, illustravit annotationibus vindicavitque, Bononiae 1766 in 4. — Adamus de Courlaudon b. Mariae laudunensis decanus c. 1190 O. Cist, († c. 1225) composuit *Ordinarium ecclesiae* sive ordinem divini officii in ecclesia laudunensi, quod inscriptum *Ritus ecclesiae laudunensis redivivi* prolixis observationibus antiquitatis universae illustrati cura Ant. Belloti prodiit Parisiis 1662 t. 2 in f. Ejus variae quaestionum in s. Scripturam solutiones t. 3 manserunt ineditae.

142. Denique ex hac periodo mentione adhuc digni sunt: Absalon ex canonico s. Victoris parisiensi abbas springkirchbacensis CSA. in dioecesi trevirensi († 17. Sept. 1203), qui reliquit *sermones* (51), quos primum edidit ejus successor Daniel Schilling Coloniae 1534; Mediolani 1605; Migne CCXI, 13-294. — Stephanus patria Aurelianensis n. 1135 Carnoti severioribus disciplinis operam dederat. Institutum can. reg. secundum reformationem s. Evurtii Aureliani amplexus 1158,

[1]) De jure canonico secundum formam in romana curia frequentatam scripsit etiam Roffredus (Odofredus) Butiensis, patria Beneventanus. Bononiae professor c. 1215, in aula Friderici II. judex primarius, vir ingenii festivi, de quo cf. Fabricius VI, 416.

[2]) Cf. Thalhofer p. 87; Franz p. 448—453. De ejus chronico dicit Potthast p. 1014: Auffallend romanhaft, sonst guter Ton. Cf. Tiraboschi t. IV. l. 2 c. 6 § 3; Holder-Egger Einiges zur Quellenkritik der Chronik Sicards in N. A. der Ges f. ä. d. Geschichtsk. XXVI (1901) 469—555; quem cf. ib. XXIX, 1, 177-255 Über die verlorene größere Chronik Sicards v. C.

[1]) Schulte l. c. Man darf sie als den ersten Versuch charakterisieren nach dem Systeme des Dekrets ein freies Lehrbuch des kanonischen Rechts zu liefern.

abbas electus est sui monasterii et postea (1177) s. Genovefae parisiensis, quam abbatiam ex ruinis post latrocinia Normannorum Lutetiam obsidentium ab annis tercentis necdum ex toto reparatam in integrum restituit, ecclesiam aedificavit, praeter scholas exteriores, quae jam aderant, alias intra claustra pro sodalibus instituit, adeo ut alter celebris monasterii haberi possit conditor. Magni factus et a rege Galliae Philippo Augusto, quem in terram sanctam comitatus est a. 1190. Post biennium electus est episcopus tornacensis († 9. Sept. 1203). Haec ejus scripta[1]): *Epistolae* (286 cum supplemento 32), in quarum 5. censet baptismum immersione collatum cum verbis »in nomine Patris et Filii est Spiritus s.« omissis verbis »Ego te baptizo« valere, quod tamen baptisma Alexander III. invalidum postea pronunciavit l. 3. decr. tit. 42 c. 1. Merito etiam in suis conqueritur litteris de nimia theologorum sui temporis prurigine nimis subtiliter disputandi de rebus fidei. Epistolas edidit Masson (cum ep. Silvestri II.) Parisiis 1611; auctas, emendatas et notis illustratas Cl. du Molinet, ib. 1679 in 8. etc.; Migne CXI, 309—625. Elaboravit quoque *Summam in decretum Gratiani*, in quam plura derivat ex Paucapalea et Rolando: quae nostra demum aetate cura Schulte typis prodiit[2]) Giessen 1891. — Günther prius scholasticus, dein monachus O. Ci. in monasterio dioecesis basileensis, quod Parisiense (Pairis, Päris) dicitur, scriptor cultissimus, praeter egregiam *historiam captae* a latinis 1204 *Constantinopoleos* et carmen heroicum elegans (magni factum) *de rebus a Friderico Barbarossa imp.* in Italia ac praesertim cum urbe Ligurina i. e. Mediolano (1152-1160) *gestis*[1]), unde *Ligurinus* dictum ll. 10, disseruit stilo plane eleganti, ordine accuratissimo, magna judicii sagacitate et spiritus unctione[2]) *de oratione, jejunio et eleemosyna ll. 13*, Basileae 1507; Migne cum duobus praecedentibus CCXII, 95—476. Ejus historiam constantinopolitanam recepit Paulus de Riant inter Exuvias sacras ep. Genevae 1877 I, 57—126 et seorsim edidit 1875. — Demum de Gebeno O. Cist. in monasterio eberbacensi subpriore, dein et priore († forte c. 1222) cf. F. W. E. Roth die Schriftsteller der ehemaligen Benedictiner- und Cistercienserklöster Nassaus (12.—18. Jahrh. in hist. Jahrb. VII (1886) 220.

143. Praeter poetas, quos jam laudavimus, memorandus est Gonzalez (Gundissalvus, Gonsalvus) de Berceo, qui floruit ineunte hoc seculo, clero seculari non ordini religioso adscriptus. Reliquit *carmina* novem omnino bona et pia, quae prodierunt in Sanchesii Coleccion de poesias castellanas anteriores al siglo XV, Matriti 1780 t. II; et iterum in coll. auct. castell., quam curavit Em. Ribadenegra ab a. 1846—1881 t. LVI. Specimina quaedam germanice versa exhibet Clarus (W. Volk) in Darstell. der span. Literatur, Mainz 1846 I, 229 ss. — Prolixum (v. circa 15.000) carmen didacticum *de virtutibus* lingua germana condidit Thomassinus de Zirclaria (Zerclaire) canonicus aquilejensis c. a. 1215—1216, testimonium eruditionis

[1]) Cf. Molinet in notitia suae editioni praemissa; et Stephani ep. 208, ubi praesul eximius suae vitae rationem candide reddit.

[2]) Cf. de ea Schulte l. c. p. 133 ss.

[2]) Cf. copiosam literaturam apud Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen II, V § 5; Potthast pag. 565.

[3]) Cf. Michael Geschichte des deutschen Volkes III, 297-502; Stöckl KL. V, 1370; Baumgartner Gesch. der Weltlit. IV, 367 s., qui disserit de alio ejusdem carmine *Solymarius*, quo cruciatorum celebrat gesta et cujus fragmenta edidit Wattenbach in Archives de l'Orient latin I (1881), 551—561.

diffusae auctoris, qui illud ante a. 30. aetatis suae composuit, ut occurreret morum corruptioni sui temporis[1]).

[1]) Cf. Schoenbach Die Anfänge des deutschen Minnegesangs, Graz 1898 p. 34—78; allg. d. Biogr. XLV, 94. Ceterum ethicam mere naturalem concinnavit ex philosophis fere gentilibus circa a. 1225 Arnoldus Saxo auctor alioquin plane ignotus in p. 5 suae encyclopaediae.

V.

Theologi annorum 1226—1250.

I. Theologia scholastica et polemica.

144. Alexander de Ales (Hales) a monasterio cognominatus[1]), hinc et Alensis, Halensis, Halesius dictus, gloria est et sidus illustrissimum hujus periodi. Natione erat Anglus, professione O. S. Franc., forte primus ex Anglis, qui seraphicam regulam est amplexus a. 1222. Ob ingenii subtilitatem, eruditionis vastitatem doctrinaeque praestantiam tam a sodalibus quam ab exteris „Fons vitae, doctor doctorum, theologorum monarcha, *irrefragabilis*[2])“ salutatus est. Magister erat et archidiaconus parisiensis, imo et cancellarius ecclesiae parisiensis ante suum in ordinem s. Francisci ingressum, primusque ex hac familia academiam parisiensem illustravit, ubi forte s. Bonaventuram discipulum habuit, nam hic eum vocat[1]) „patrem et magistrum nostrum.“ Ipse coepit philosophiam aristotelicam excolere eamque reddere theologiae scholasticae ancillam. Ejus expositio *in Metaphysicae ll.* Aristotelis prodiit Venetiis 1572. Hortante Innocentio IV., ut fertur, *Summam theologiae* condidit, omnium totius medii aevi amplissimam, quam concinnavit ex prolixis suis commentariis (ineditis) in Magistri sententias: verum morte interveniente 15. Aug. 1245 eam non absolvit. Primam tantum partem complevit, non vero reliquas tres, ut liquet ex delineatione operis, quam ipse exhibet. Eam

[1]) Alius ab eo est Thomas Halensis, pariter Anglus, Alexandri nostri sodalis, theologus parisiensis et disputator acer, cui tribuuntur disputationes scholasticae, *de genealogia gloriosae V. Mariae* ex diversis sanctorum dictis compilatae. Floruit c. 1340.

[2]) Ex Alexandri IV. literis, quibus ministro fratrum O. Min. in Francia Summae Alexandri continuationem injungit, censetur fluxisse titulus doctoris irrefragabilis ipsi tributus. Sic enim post laudes hujus Summae prosequitur: „In qua sententiarum irrefragibilium ordinatae sunt acies ad obterendam veritatis pondere contentiosae pervicaciam falsitatis“. In app. Jo. a s. Antonio bibl. francisc. t. III. Sed cf. dubia, quae circa hanc bullam movet Sbaralea in Suppl. ad Script. trium ord. s. Franc. p. 17.

A Genér dicitur Alexander „theologus scholasticus famigeratissimus et fere nulli secundus“ Theol. dogm. schol. I, 145.

[1]) In 2 dist. 23 a. 2 q. 3. Non obstantibus tamen his verbis non desunt auctores graves, qui negent s. Bonaventuram fuisse auditorem Alexandri.

continuarunt ejus discipuli, in primis Guilelmus[1]) de Melitona (Militona), verum desunt illi et modo pars sacramenti poenitentiae et reliqua tria sacramenta. Prodiit Venetiis 1475, sed sub nomine Thomae alensis; Norimbergae 1482; 1502; Papiae 1489. 1490; Lugduni 1515. 1516 t. 4; Venetiis 1575. 1576 t. 4 in f. (m. 220). Ea est veluti fundamentum scholae franciscanae[2]), quam magni fecit s. Thomas, imo prae oculis habuisse dicitur in scribenda sua Summa: unde hoc sensu dici poterit discipulus Alexandri, non quod ejus fuerit auditor. — Alia Alexandro opera (fere inedita) tribuuntur, quorum tamen genuinitas non est super omne dubium posita. Ita *postillae* vel commentaria in universam s. Scripturam. Prodierunt sub ejus nomine *commentarius in Psalmos* Venetiis 1496 etc., qui tamen aliis in editionibus ut 1516, 1546 tribuitur Hugoni a s. Charo; commentarius *in Apocalysim* cum ejus vita et elogiis, quem ed. Jo. de la Haye, Parisiis 1647, ed. rara, de cujus tamen genuinitate dubitat Dupin. Commentarius *in IV ll. sententiarum* etiam *Clavis theologiae* dictus, Lugduni 1515 videtur suppositus. Dubia sunt *Destructorium vitiorum,* Norimbergae 1496; commentarius in Aristotelis *Metaphysicam,* Venetiis 1572 (qui est potius sodalis Alexandri de Alexandria) et in ll. 3 *de anima,* Oxonii 1481. Circa Summam *de virtutibus,* Parisiis 1509; Toleti 1530, ingens orta est inter eruditos controversia: nam a pluribus tribuitur cuidam ex suis discipulis, admodum probabiliter Guilelmo de Melitona supra laudato, qui in ea componenda usus est operibus s. Bonaventurae[1]). *Mariale magnum,* in quo propugnatur immaculata V. Mariae conceptio, quae tamen sententia minus bene cohaeret cum iis, quae ipse tradit p. 3. Summae. Neque mirum plura opuscula sub ejus nomine fuisse vulgata: sunt enim segmenta vel compendia disputationum suae Summae theologicae. *Expositio missae* ex Summae p. IV. derivata, satis plena et clara[2]),

[1]) Huic Guilelmo († 1260) tribuuntur commentaria in plures ll. s. Scripturae et in 4 sententiarum ll., quae prodiisse dicuntur una cum Summa Al. Halensis 1515. 1516. Cf. Sbaralea p. 324; Feret II, 385—387. Quodlibeta et quaestiones ejus asservantur msc. in bibl. patav. s. Antonii n. 152. Cf. Denifle Chartularium I, 329 annot. 1. Natione erat Anglus.

[2]) Scheeben Handb. der kath. Dogm. l. 1 n. 1051 laudatis ejus amplitudine, dispositionis sagacitate, sententiarum profunditate et sublimitate ita prosequitur: Wenn sie der Summa des hl. Thomas an Präcision und Rundung nachsteht, dann hat doch auch Thomas neben andern weitläufigen Commentaren zum Lombarden ohne Zweifel gerade sie im Auge gehabt, wenn er gegenüber den bisherigen ausführlichen Werken für die Fortgeschrittenen seine Summe als bündigeres Werk für die incipientes schreiben zu wollen erklärte. Jedenfalls ist und bleibt sie der Typus der echten Franziskanertheologie, da der hl. Bonaventura, der selbst keine Summa schrieb, sie eigentlich nicht weiter entwickelte, sondern nur in genialer Weise reproducirt und zusammengefasst hat; die spätere skotistische Theologie aber weit weniger positiv-, mass- und gehaltvoll war, und wegen ihres vorherrschend kritischen Charakters durch keine Summe repräsentirt worden ist, noch repräsentirt werden konnte". Ejus dein schema exhibet. Cf. Stöckl KL. I², 496—99. Petrus Reschinger O. Min. concinnavit ad eam *Clavem* seu Repertorium in Summam Alex. de Hales, Basileae 1502 in 4, Lugduni 1517 in f. Num vero Alexander praeter Summam composuerit commentarium in ll. sententiarum, an hic commentarius ei tributus sit idem ac ejus Summa, est controversum.

[1]) Cf. de hac controversia Jeiler in accurata disquisitione in Katholik 1879. I, 38—59, et in ed. opp. s. Bonaventurae I praef. LVIII, et t. V pr. XII s. qui ostendit eam non esse Alexandri, opus tamen scholae franciscanae antiquioris compositum ea intentione, ut Alexandri summa hac in parte incompleta compleretur. De operibus Alexandri cf. Sbaralea p. 13-20; Feret I, 311—24.

[2]) Cf. Franz Die hl. Messe p. 459-462, qui notat hanc expositionem esse potius

cujus epitome germanice prodiit in fasc. lit. Pastor bonus, Treviris 1896. — Hoc ei fuit positum epitaphium in ecclesia ordinis parisiensi:

Clauditur hoc saxo, famam sortitur abunde,
Gloria doctorum, decus et flos philosophorum,
Auctor scriptorum, vir Alexander, variorum.
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum;
Inclytus anglorum fuit archilevita, sed horum
Spretor cunctorum, frater collega Minorum
Factus egenorum, fuit doctor primus eorum.

145. Mentione praeterea digni sunt: Thomas can. reg. s. Aug. in canonia s. Victoris parisiensi[1]), a patria „Gallus" dictus, insignis plane theologus mysticus, abbas s. Andreae vercellensis, († 5. Dec. 1226, juxta alios 1246), qui commentaria brevia et plana seu Extractiones scripsit super l. *de coelesti* seu angelica *hierarchia* Dionysii Areopagitae prius a se latinitate donatum; *de ecclesiastica hierarchia; de divinis nominibus, de mystica theologia* (etiam in Eckii ed. Theologiae mysticae Augustae 1519); in ep. *ad Timotheum*, quae cum commentariis aliorum prodierunt Coloniae 1536; Argentorati 1502; commentarium hierarchice exponens (prolixum) secundum sensum allegoricum *cantica canticorum* ll. 12, quod est summa totius theologiae mysticae, ed. a Pez in thes. noviss. anecd. t. II p. I, 501—690, Migne CCVI, 17—862. Prodierat jam Parisiis 1521; Romae 1655 sub nomine Scoti. — Joannes[2]) de Rupella (La Rochelle) O. Min., dignissimus Alexandri discipulus, unus ex primis sodalibus O. Min., qui magister parisiensis fuerit creatus, „excellenter doctus et maximus inventus praedicator, religiositate, scientia et discretione clarissimus, maximus in theologia et philosophia magister" ab aliis dictus. Decessit eodem cum suo magistro anno (3. Febr. 1245). Plurima reliquit scripta, sed pleraque manserunt inedita, ut *postillae* in Matthaeum, Marcum et Lucam, in ep. Pauli et Apocalypsin, *Summa* de theologia, de vitiis, *sermones*. Nostra demum aetate prodiit celebris ejus Summa *de anima*, quaedam scil. psychologia, Prati 1882 cura Theoph. Dominichelli et Marcellini da Civezza. Ipse cum Alexandro hal. multum contulisse legitur, ut Elias minister generalis, qui suo munere non bene fungebatur, demum a. 1239 deponeretur.

146. Guilelmus (Guillermus) Alvernus, philosophus[1]) et theologus insignis, sagacis plane ingenii et vastae eruditionis, episcopus parisiensis hujus nominis III. (1228; † 30. Mart. 1249), gemma sacerdotum clerique decus, praesul magnae auctoritatis, qui plurima reliquit opera, non tamen methodo scholastica elaborata. Ea prodierunt Norimbergae 1496; Venetiis 1591 t. 2

Guil. de Melitone, qui Alexandri summam absolvit.

[1]) Cf. Zeck KL. XI, 1690.

[2]) S. Antoninus Chronicae p. III. Cf. Jeiler KL. VI². 1760; Sbaralea p. 458; Feret I, 324—31.

[1]) Cf. Noël Valois Guillaume d'Auvergne, Paris 1880, opus bonum; Baumgartner die Erkenntnißlehre des W. von Auvergne, qui satis rigide de ejus philosophia judicat; Feret I, 252-262; Schindele KL.² XII, 1586—1590. — Ceterum Guilelmus noster distingui debet a pluribus aliis viris eruditis, qui Guilelmi nomen cum Parisiensis cognomine gerebant. Ita a Guilelmo Antissiodorensi, de quo mox; ab alio Guilelmo de Seignelay antissiodorensi prius episcopo, dein parisiensi (1220—1223), qui a Vinc. bellovacensi libertatis ecclesiae defensor mirabilis laudatur, cui immerito tribuitur Summa *de divinis officiis* inedita; a Guilelmo Baufeti pariter ep. parisiensi de quo infra; a Guilelmo Parisiensi O. Praed., cujus alibi mentionem faciemus. Cf. Schrödl. KL. XII, 1612.

in f. ed. Dominico Trajano et plenius Aureliae 1674 t. 2 in f. ed. Barth. Ferronio. Ea constituunt quandam veluti Summam, quam ipse appellavit *Magisterium primum* sapientiale et divinale seu sapientialis et divinalis vel philosophia prima et theologica. Inter ea eminet opus grande *De Universo ll. VI*, in duas divisum pp., quarum prior agit de universo materiali (sed non exclusive), altera de universo spirituali in eaque tuetur Creatoris unitatem et veritatem providentiae. In *Rhetorica divina* saepius edita tradit modum orandi. — *De collatione beneficiorum.* — *De sacramentis in generali,* cui operi addere juverit tr. novum *de poenitentia* cum supplemento; *de Trinitate, de fide, de legibus, de virtutibus, de moribus, de vitiis et peccatis, de tentationibus et resistentiis, de meritis, de retributionibus sanctorum* (haec octo simul prodierunt Ulmae 1485; Norimbergae 1496 et Augustae s. a.), *de anima, de immortalitate animae*[1]). — *De claustro animae* deest in ed. aurel. (prodiit Parisiis 1507), ita et tr. *de passione Christi* (Hagenau 1448 in 4). Ipsius vero non sunt: *Sermones* (boni), sed Guil. Pernaldi O. Pr., de quo infra p. 302; 30 *Postilla* super epistolas et evangelia saepius edita, commentarius *in Evangelium s. Matthei,* qui s. Anselmi censetur. Plura ejusdem opera manserunt inedita, ut commentaria in Cantica cant., Ecclesiasten, Proverbia etc.; alia ipsi tributa sunt dubia. — Alius Guilelmus, Antissiodorensis scil., archidiaconus erat bellovacensis et theologus parisiensis nominatissimus. Ejus *Summa aurea* super 4 ll. sententiarum suo tempore a magistris legebatur ut nulla alia. Ea prodiit Parisiis 1500; s. a.; 1518; Venetiis 1591. Primus esse traditur, qui disputans de sacramentis usus sit *materiae* et *formae* vocabulis. Ejus Summa *de officiis divinis* (inedita) usus est Durandus in suo Rationali divinorum officiorum, et postea etiam Martène in suo op. de antiquis Ecclesiae ritibus. Decessit a. 1230—32.

147. His addatur Andreas Sunonis filius (Sunesön), cujus nunc temporis prodiit *Hexaemeron ll. 12* ed. Gertz Havniae 1892, quod est poëticum compendium totius theologiae[1]), in quo saepe juxta magistrum sententiarum versibus hexametris 8040 agit de creatione, trinitate, statu originali et lapsu protoparentum, de decalogo, de virtutibus et donis s. Spiritus, de pec-

---

[1]) Hujus compendium elaboravit Henricus de Coesfeldia O. Carth. westphalus († 1410), clarus suo tempore theologus mysticus, qui plura reliquit scripta exegetica, homiletica et ascetica (inedita). Compendium ab ipso elaboratum inter opera Guilelmi prodiit 1586.

[2]) Tr. *de immortalitate animae* nostra aetate edidit G. Bülow in Beiträge zur Gesch. des Mittelalters t. II, fasc. 3: *Des Dominikus Gundissalinus Schrift von der Unsterblichkeit der Seele* herausgeg. u. philosophisch-geschichtlich untersucht, Münster 1897. Hic Gundissalinus archidiaconus erat segobiensis tempore archiepiscopi Raymundi (1126—51) ibique cum Joanne hispalensi Judaeo, quondam medico, converso vertit praecipuos philosophos arabes, et potiora Aristotelis opera philosophica, compilavit quaedam opera, inter quae et l. de immortalitate, cujus initium et finis ipsius esse videntur, ipsum vero op. corpus alterius philosophi forte arabi. Jam vero ostendit Bülow tr. cit. Guilelmi nostri esse nonnisi retractationem illius operis eamque non satis solidam. Cf. Stölzle lit. Handw. 1897 p. 44; Baeumker Gundissalinus als philosophischer Schriftsteller, Münster 1899. G. tr. *de anima* ex parte edidit Löwenthal in Pseudo-Aristoteles über die Seele, Berlin 1891; *de divisione philosophiae* L. Baur, Münster 1903, cujus ed. opus est accuratum et diligens. Opusculum de unitate olim Boëthio tributum ei asseruit P. Correns in Beitr. zur Gesch. der Philos. des MA. I, 1 Berlin 1891. *De processione mundi* ediderat 1880 Menendez Pelayo in Hist. de los heterodoxos españoles t. 1.

[1]) Cf. Perger SJ. KL. XI², 990; Katholik 1894, I, 24—40 qui accurate dotes et naevos hujus poematis indicat; Nielsen Realenc. I³, 517.

catis, incarnatione et redemptione, de eschatologia. Erat autem poëta noster natione Danus n. c. 1160, qui theologiae Parisiis (a. 1182 ss.) operam dederat, forte et magistrum egit et ob sua merita summos assecutus est honores, nam consiliarius et cancellarius regis sui Knud VI. fuit et archiepiscopus ludunensis (1201) et legatus apostolicus. Strenue impugnavit sacerdotum concubinatum, promovit morum reformationem cleri populique institutionem. Insignis erat concionator et visitator assiduus. Muneri pastorali ob leprae morbum renunciavit 1223 decessitque eremita 24 Jun. 1228.

148. Plures sunt, quorum opera typis non fuerint vulgata. Ita Gaufridus pictaviensis, quem Gregorius IX. Ludovico Galliae regi admodum commendat[1]) ep. 6. Maj. 1231, cujus exstat *Summa theologica*. — Richardus Wiltonus O. SS. Trin. Anglus, oxoniensis, parisiensis et cantabrigiensis doctor, ab Innocentio III. archiepiscopus armacanus dictus (sed non comparet in serie episc. a Gams, Eubel etc. exhibita), et a Gregorio IX. cardinalis creatus (sed apud Eggs, Eubel etc. non reperitur; † 21. Dec. 1239), scripsit in ll. sententiarum, contra haereticos sui seculi ll. 5, de auxiliis divinae gratiae ll. 4, de immortalitate animae, quodlibetorum ll. 3, commentaria in Genesim et Jeremiam. — Richardus cornubiensis O. S. Franc. Anglus, de quo tamen contraria enunciantur judicia. Hic »legit cursorie sententias Parisiis, ubi magnus et admirabilis philosophus judicatus est«. Ita Thomas de Eccleston (in monum. francisc. I, 39). Aliter de illo judicat Rogerus Baco: »Famosissimus apud stultam multitudinem, sed apud sapientes fuit insanus et reprobatus Parisiis propter errores, quos invenerat et pervulgaverat, cum solemniter legebat Sententias ibidem[1]), priusquam legeret sententias Oxonii ab a. Domini 1250.« — Guilelmus Shirwodus (Sherwood) ex archidiacono dunelmensi cancellarius lincolniensis ecclesiae († 1249, secundum alios post a. 1267), eminentissimus literaturae vir, commentatus est ll. sententiarum digessitque distinctiones theologicas ordine alphabetico[2]). — Rolandus O. Praed. Cremonensis inter primos instituti et scholae O. Praed. sodales numerandus, primusque ex sodalibus licentiatus parisiensis honore donatus († 1250), concinnavit notabilem Summam de theologia ac philosophia[3]). — Richardus Fitsacre O. Praed. Anglus, Oxonii theologiae magister († 1248), reliquit commentaria in ll. sententiarum, quaestionum variarum volumen et aliud quodlibetarum, necnon commentaria in s. Scripturae ll. aliquot. — Joanni Aegidii Anglo, medico quondam Philippi II. Franciae regis, postea O. Praed. (1228), tribuuntur praeter alia commentaria in magistrum sententiarum[4]). — Denique Michael cognomento Scotus, forte a patria, juxta plures Dunelmensis, Oxonii, Parisiis, Toleti studiis operam dedit. Philosophiae praesertim et disciplinis naturalibus incubuit, ut haud parum inter philosophos sec. XIII. innotuerit ac propterea in aula Friderici II. circa 1232 versatus sit. Averrois et Aristotelis opera latine vertit, non quidem ex fonte originali, sed ex versione arabica, hinc et ipsius versio arabico veluti colore est tincta. Ea contulit, ut Aristotelis opera jam magis per Occidentis scholas innotescerent. Ex ipsius operibus vix aliquid videtur typis publicatum[5]).

[1]) Cf. Denifle Chartul. paris. I, 146.

[1]) Cf. Denifle in chartul. univ. paris. doc. 189. I, 218 annot.
[2]) Cf. Oudin III, 116; Feret II, 198 ss.
[3]) Cf. Quetif Scriptores O. Praed. I, 125 ss.
[4]) Cf. plura de eo apud Quetif I, 100 ss.
[5]) Cf. Stöckl KL. VIII², 1492; Jourdain Recherches critiques sur l'âge et l'origine

Fertur fere centenarium obiisse a. 1291.

149. Adversus Ecclesiae hostes pugnarunt[1]): Guilelmus ex Judaeo Christianus et diaconus bituricensis, qui scripsit *contra Judaeos* c. a. 1230 aliaque opuscula, ut de eucharistia, allegorias de principio et fine cujuslibet libri V. ac N. Testamenti. Horum aliqua edidit Jac. Homey in supplemento patrum[2]), p. 442 ss. Parisiis 1686. — Praeprimis vero Moneta Cremonensis, artium magister, in tota Lombardia famosus, qui praeter intentionem a fr. Reginaldo Bononiae concionante paucis verbis ita captus est, ut mox ab eodem peteret recipi in ordinem s. Dominici, qui tunc divulgari coepit (c. a. 1220). Vir erat sanctitate conspicuus, doctrina sacra politissimus, magni consilii, fidei pugil egregius, qui theologiam in pluribus Lombardiae coenobiis diu utiliterque docuit († 1235). Concinnavit *Summam contra Catharos et Waldenses,* quam edidit atque annotationibus illustravit Th. Aug. Ricchinius, Romae 1743 in f., cui praemisit *de vita et scriptis* P. Monetae discussionem diligentem ac de Catharis et Waldensibus commentarium justum, opus insigne. — Lucas patria Legionensis, Hispanus, ex canonico regulari coenobii s. Isidori legionensis et diacono tudensi episcopus tudensis († 1249) vir ardenti ingenio, qui Romam, Constantinopolim, Cyprum ipsumque caput sanctitatis Hierosolymam praesens lustraverat; sed audito haereticorum conatu, in patriam repedavit, ut increbrescenti malo se opponeret scripsitque *de altera vita fideique controversiis* adversus Albigensium errores ll. 3, opus bonum, quod edidit cum prolegomenis Jo. Marianae Gretser Ingolstadii 1612; inter ejus opera t. XII; in bibliothecis patrum parisiensi t. IV; coloniensi t. XIII; lugdunensi XXV. Interpolavit multum continuavitque stilo magis gravi quam nitido *chronicon* ab o. c. ad a. 1236, quod coeperat et deduxerat s. Isidorus hisp. ad a. 631; s. Ildephonsus ad a. 672; Julianus Toletanus ad a. 680, Francofurti 1608 cura A. Schott in Hispania illustrata IV, 11—117. *S. Isidori hisp. vita et miracula* et historia translationis in Act. SS. 4. Apr. cum notis Henschenii et inter opera s. Isidori II, 452 ed. Arevalo, qui tamen haec duo posteriora opera tribuit cuidam canonico legionensi anonymo[1]); etiam in Migne LXXXII, 19—56 et LXXXI, 945—968. Hujus segmentum est *Vita s. Martini* legionensis, de qua supra egimus p. 229 annot.

150. Cum *Graecis* in causa fidei disputavit Haymo O. Min. cum sodali Rodulpho et cum Hugone et Petro de Sezana (in Gallia) O. Praed., qui a papa nuncii missi fuerant ad imperatorem et patriarcham Graecorum a. 1234, cujus disputationis relatio habetur apud Quetif I, 911-27, et in anna-

---

des traductions latines d'Aristote, ed. novae p. 124; Wüstenfeld die Übersetzungen arabischer Werke in das lateinische seit dem 11. Jahrh. p. 99.

[1]) Petrus canonicus et archidiaconus londinensis scripsit c. a. 1230 dialogorum Petri et Simonis ll. 3 de reparatione lapsi sive *de Messiae adventu* contra Judaeos; Pantheologon theologiae ll. 52 seu lexicon theologicum pluresque alios ll. (ineditos). — Contra Albingenses ll. 3 scripsisse dicitur Conradus Uracensis O. Ci., abbas monasterii Villers in Brabantia, dein claraevallensis a. 1215, imo abbas generalis (1217), vir spectatissimae virtutis, quem Honorius III. cardinalem et episcopum portuensem creavit. Saepe a romanis pontificibus legatus missus fuit apostolicus varias in regiones. Post Honorii III. mortem ipsi oblatus fuit pontificatus, quem modeste recusavit. Laboribus curisque confectus obiit 29. vel 30. Sept. 1227. Cf. Braunmüller KL. VII², 961; Eggs Purp. doct. I § LXIX.

[2]) Cf. Histoire littér. de France XVII, 72—77.

[1]) Cf. de Luca Nic. Antonius biblioth. vet. hisp. l. VIII c. 3 n. 1 ss. Florez Hisp. s. XXII p. 108 n. 19—47.

libus Min. ad 1233 n. 15 ss. Porro Haymo natione Anglus erat, a loco patrio de Feversham (Faversham) cognominatus. Parisiis studia absolvit ibique ord. Min. est ingressus atque theologiae professor institutus. In ss. literarum et pietatis studio ita profecit, ut ob virtutum merita »Speculum honestatis« nuncuparetur, et in Aristotele ita erat versatus, ut a Lelando c. 266 inter aristotelicos dicatur »aristotelissimus«. Ob virtutem, prudentiam et singularem in rebus gerendis dexteritatem electus est in ordinis ministrum generalem. A Gregorio IX. cum aliis designatus est, qui breviarum romanum corrigerent: cujus correctionis fructus est Breviarum ea pene forma, qua nunc illo utimur, illisque rubricis illustratum, quae (auctae tamen) adhuc sunt in usu († 1244). Scripsit etiam super magistrum sententiarum: *de caeremoniis missae*, Salmanticae 1511; et in fine l. *Familiaris clericorum*, Venetiis 1561.

II. Disciplinae ad ss. Scripturam spectantes.

151. Stephanus Langton (Longodunus) haud ignobili prosapia prognatus theologiam Parisiis docuit factusque est illius academiae cancellarius[1]). Ab Innocentio III. suo quondam condiscipulo et amico Romam accitus est ob suam eruditionem, doctrinam et virtutum splendorem et dictus cardinalis. Cum dissidia orta essent circa electionem archiepiscopi cantuarensis, pontifex motu proprio Stephanum nostrum designavit praesulem illius sedis eumque a. 1207 consecravit: regem vero nolentem eum acceptare interdicti censura ad acceptationem coëgit. Nonnisi a. 1213 sedem suam Stephanus adire potuit. Anno 1222 synodum nationalem tenuit pro restauranda disciplina ecclesiastica et claustrali, in qua conditi canones 49 (Wilkins Conc. Brit. t. I.). Decessit 6. Jul. 1228. Quanti fieret liquet ex ep. 170. Honorii III. ad eum 16. Jan. 1224, in qua scribit: »Qui inter ceteros per orbem scientia praeditos eminenti literatura et profundioris praerogativa doctrinae corruscas.« Multa scripsit, ut commentaria et tropologias sive moralia in totum

[1]) Quosdam nominemus, quorum labores in s. Scripturam manserunt inediti. Robertus Bacon (Bacun) O. Praed. fuit unus ex primis, qui Oxonii, ubi regens in theologia erat, huic ordini se addixerint. Pluribus adhuc annis magna nominis fama docuit in hac academia († 1248) relictis glossis in plures s. Scripturae libros etc. Cf. Quetif 1, 118. Scripsit *vitam s. Edmundi* archiep. cantuariensis († 1240), cujus erat discipulus, deinde et familiaris, quam exhibet Wallace Life of s. Edmund, Londini 1893. — Multa reliquit Thomas Wright Anglus O. ss. Trin. in academia parisiensi theologiae doctor, ab Innocentio IV. a. 1244 creatus cardinalis et archiepiscopus tuamensis in Hibernia († 1. Nov. 1249), scil. in Psalmos ll. 9. in ep. ad Hebr. ll. 9; in Magistrum Sent. ll. 9; de incarnatione Christi contra Hebraeos etc. — Guericus de s. Quintino Gallus, qui jam aetate maturus ac emeritus in parisiensi facultate philosophiae professor, facultatis etiam medicae doctor, ordinem s. Dom. amplexatus est 1225 et ad magisterii gradum promotus diu gymnasium ordinis ib. rexit, aliquamdiu etiam apud suos Bononiae s. literas publice interpretatus est († c. 1245). Scripsit commentaria in Proverbia, cantica in l. Sapientiae, Ecclesiasticum (in hos duos ll. nonnihil dubia), postillas super epistolas Pauli. Cf. Quetif 1, 113. — Gaufredus de Blevello (Blavello, vernacule Blevex, Bleves, Blaviaus) O. Praed. Burgundus, ut videtur, senonensis, parisiensis magister et ss. literarum interpres, censor designatus cum aliis librorum thalmudicorum, qui deferebantur tamquam doctrinas pestiferas continentes, Innocentio IV., dum Lugduni degeret, capellanus et ab eo in familiam adscitus († 16. Jul. 1250), reliquit postillas in psalmos et omnes s. Pauli epistolas. Cf. Quetif 1, 127.

fere V. et N. T.; Concordiam utriusque T. ll. 8; Summam theologicam etc. (omnia inedita), sed hic propterea memorandus, quod ipse probabiliter sit auctor distributionis s. Scripturae in capita, quae communi consensu recepta modo adhuc retinetur in ejusdem editionibus[1]). Ejus tr. *de translatione s. Thomae ap.* habes in Migne P. L. CXC, 407—424.

152. S. Antonius O. Min. natione Lusitanus n. 15. Aug. 1195, communiter Patavinus cognominatus, quia Patavii finivit 13. Jun. 1231 vitam sanctissimam[2]), composuit *concordantias morales* in s. Biblia ll. 5, specimen concordantiae realis, praedicatoribus ad virtutes commendandas et vitia condemnanda utilissimas, Romae 1624 cura L. Wadding; *expositionem mysticam* in aliquot cujusque l. V. T. loca; reliquit etiam *sermones* (seu potius sermonum delineationes) plurimos, inter quos *sermones dominicales* in evangelia totius anni et de tempore, Venetiis 1574 t. 2; *super evangeliis quadragesimae*, Bononiae 1649; *sermones* dominicales et in solemnitatibus ex cod. sec. XIII. cura B. M. Locatelli Patavii 1895 ss.; expositio seu sermones (278) *in Psalmos*, Bononiae 1757 t. 2 cur. Azzoguidi. Opera ejus una cum illis s. Francisci cura de la Haye prodierunt Parisiis 1641; Lugduni 1653 in f., qua tamen in ed. sermones dominicales et de tempore dicuntur nimis interpolati; sermones vero quadregesimales et de sanctis suppositi; Pedeponti 1739 t. 2 in f.; Ant. Pagi ed. sermones genuinos *de sanctis et diveris,* 1684; Josa sermones *in laudem gloriosae V. M.,* Patavii 1885. — Commentario Thomae vercellensis in Cantica canticorum supra laudato (p. 261) breves notas adjecit (simul cum eo Parisiis 1521 editas) Joannes Algrinus (Halgrin Halgrain) cum cognomento de Abbatisvilla, doctor theologus parisiensis, qui Canticum cant. exposuit paraphrasi subtili ut colloquium inter bb. Virginem et Verbum incarnatum infantem. Ob doctrinam celebre sibi per Galliam fecit nomen. Hinc factus est ambianensis ecclesiae decanus, archiepiscopus dein bisuntinus et a Gregorio IX., qui eum Parisiis in magisterio scholarum noverat, creatus cardinalis et episcopus sabinensis, statimque legatus est missus in Hispaniam, unde s. Raymundum de Pennafort Romam adduxit, et in Lusitaniam ad cruciatam, ut vocant, adversus Saracenos praedicandam[1]): inde ad Fridericum II., quem ad pacis compositiones amicas induxit († 3. Sept. 1238; secundum Gams 1233; juxta alios 1237). Reliquit praeterea *sermones* in psalterium, in evangelia et epistolas totius anni, de quibus Henricus gandavensis in l. de script. eccles. c. 38: »Lectiones evangelicas et apostolicas breviter exposuit: post haec sermones valde prolixos tot inductis Scripturarum ss. testimoniis, quot vix possint memoriae commendari:« qui prodiisse dicuntur a Vigouroux Parisiis 1521. Ad 700 sermones composuit *in Psalmos,* Parisiis 1523 in 8; Brixiae 1600 in 8. — Philippus de Grève cancellarius erat parisiensis (1218), jurium suorum tenax

[1]) Cf. Otto Schmid Über verschiedene Eintheil. der hl. Schrift, insbesondere über die Kapiteleinth. St. Langtons im 13. Jahrh. Graz 1892; Berger De l'histoire de la Vulgate en France p. 11; Hefele V § 644. 650.

[2]) Cf. Heim der hl. Antonius von P. sein Leben und seine Verehrung, Kempten 1896. Cf. alios biographos apud Potthast p. 1173 ss.; Lempp in Ztschr. für Kirchengesch. (ed. Brieger) XI (1890), 177-211; 503—538; XII, 414—451; XIII, 1—46, cum grano satis tamen legendus. Bona eiusdem vita est, quam scripsit Em. Azevedo SJ., Bononiae 1790 ed. 2; Venetiis 1818 ed. 4. Cf. et Legenda authentica ipsius vitae in Mon. Portug. SS. I, 116 ss., recusa a P. Hilaire inter s. Antonii opera, Parisiis 1890.

[1]) Cf. Eggs Purpurae doctae I, 148.

ardens, zelosus defensor, hinc acer ordinum mendicantium adversarius, quos nolebat admittere magistros in universitatis gremium. Quam ob rem graves cum illis ortae sunt controversiae, ipseque ab Honorio III. Romam fuit citatus (1219 et forte etiam 1222) atque reprehensus. Stetit etiam contra unanimem collegarum sententiam pro permittenda beneficiorum pluratate[1]). Ipsius sermonibus libenter utebantur concionatores ejus temporis. Reliquit alia opera, inter quae et Summam theologiae, ineditam tamen († 25. Dec. 1236). — Petrus rhemensis, s. Scripturae Parisiis interpres, unus ex primis, qui ibidem O. Praed. sunt ingressi, postea episcopus agennensis (1245; † 29. Jan. 1247; secundum alios 1240—42), utiles reliquit glossas in totam s. Scripturam, quarum forte aliquae inter commentarios Petri Cantoris vel inter postillas (in duodecim prophetas minores) editae sunt sub nomine Hugonis a s. Caro, de quo infra. — Alexander de Villa Dei (Villadeus) O. Min. patria Dolensis, poeta leonini carminis haud infimus, concinnavit in commodum eorum, qui s. Scripturae summam memoriae mandare nituntur, brevissimum ejusdem compendiolum 212 versibus hexametris constans, quod prodiit in editione s. Scripturae Bevilaquae Venetiis 1498; 1511, illudque recepit in sua Biblia maxima Fr. de la Haye t. 1, Parisiis 1660. Magis tamen innotuit Alexander ob suum *Doctrinale puerorum* grammaticam scil. juxta Priscianum versibus leoninis compositam, quae usque ad sec. XVI. in scholis fuit adhibita, ideoque saepissime edita, forte jam Moguntiae 1462; certe Venetiis 1473. Obiisse legitur Alexander c. 1240 relictis aliis operibus ineditis.

[1]) Cf. Feret I, 232—38; Oudin III, 120—26.

III. Historia ecclesiastica.

153. Ingens *chronicon* nullo fere delectu majorique labore quam judicio compilavit Helinandus (Helmandus, Helmundus, Elimandus etc.) origine Flander. O. Ci. in monasterio Montis frigidi (Froidmont), in quo prioris munus videtur obiisse († post a. 1221; secundum aliquos 1227 vel p. 1229). Versatissimus erat in poetis antiquis et patrum scriptis, hinc abunde utitur eorum quavis in materia dictis. Libellis 84 complectitur res gestas ab o. c. usque ad a. 1204: sed ita dissipatum est et dispersum hoc opus, ut forte nusquam totum reperiatur. Prodiit tantum ultima pars (636—1204) in biblioth. pp. cist. et Migne CCXII, 771-1082. Sequitur in primis Sigebertum, quem tamen ampliat et continuat: eoque libenter utuntur historici posteri, ut Vincentius bellovacensis, Albericus, s. Antoninus, auctor magni chronici belgici aliique juniores. Reliquit[1]) *sermones 28*; de cognitione sui; de bono regiminis principis; de reparatione lapsi (novitii a vocatione sua), quos libellos exscripsit et asservavit nobis Vincentius bellovacensis. *SS. Gereonis, Victoris, Cassii et Florentii* Thebaeorum martyrum *passio,* in actis SS. 10. Oct. V, 36-42); commentarium *in Apocalypsim* (ineditum). — Burchardus patria Biberacensis n. circa medium seculi XII.

[1]) Braunmüller KL². V, 1746: In den 28 von ihm vorhandenen Reden ist eine erstaunliche Gelehrsamkeit mit tiefer Auffassung und religiösem Ernste verbunden. Cf. plura de Helinando apud Oudin III, 19—23; Delisle La chronique de Helinand in Notices et documents publ. pour la Soc. de l'hist. de France Parisiis 1884.

ingressus est a. 1207 canoniam Schussenried (Sorethum) O. Praem. et electus jam a. 1209 in praepositum; inde vocatus 1215 ut praeesset canoniae urspergensi († 11. Jan. 1230; juxta alios jam 1226). Compilavit absque debita accuratione et subinde non sine partium studio *chronicon urspergense* dictum (1126—1229), in quo multum utitur chronicis Ekkehardi, Ottonis frisingensis, monumentis Welforum anonymi weingartensis, quae fere exscribit, opere cujusdam Joannis cremonensis, ut videtur, deperdito, aliisque fontibus italis: accuratior est posterior pars. Prodiit in MG. SS. XXIII, 333-80—83; et seorsim inter scriptores rerum Germ. 1874 cura O. Abel et L. Weiland[1]). Prodierat jam antea in edit. Ekkehardi uraugiensis, Augustae V. 1515 etc. Ex hoc chronico derivata est *Historia Friderici imp.* magni, hujus nominis primi, ducis Suevorum et parentelae suae, Ulmae 1790 in 4.

154. *Caesarius* O. Cist. in monasterio heisterbacensi[1]), patria Coloniensis n. 1180, magistrum novitiorum egit atque priorem, tantique factus est a suis abbatibus, ut eum socium habere voluerint in suis visitationibus pastoralibus († 25. Sept. c. a. 1240). Reliquit plura scripta ad fidelium aedificationem, in quibus est pie credulus. Ea olim multum lectitabantur, atque pretiosa sunt, stilo enim nitido et sincero, alieno a quavis fraude multa refert, quae ad illustrandam historiam moresque illius temporis noscendos haud parum conducunt. Potiora haec videntur: *Vita*[2]) *et miracula s. Engelberti* archiep. coloniensis († 1225) ll. 3 (insignis biographia), quae emendatior prodiit inscripta *Vindex libertatis ecclesiasticae et martyr s. Engelbertus,* Coloniae 1633 notis et auctario ab Aeg. Gelenio illustrata; et cura Boehmer (omisso l. 3. miraculorum) inter fontes rerum germanicarum II, 294—329; *Catalogus archiepiscoporum coloniensium,* quem continuavit ab a. 1167—

---

[1]) Wattenbach l. c. II, V § 19: Soweit ist nun Burchard fast nur Compilator, er hat den Stoff, obgleich er selbst höhere Anforderungen an einen Historiker stellt, durchaus nicht beherrscht und verarbeitet; auch fehlt es hier nicht an Fehlern und Irrthümern ... Mit den letzten Jahren Heinrichs VI. beginnt nun das eigene Werk Burchards; von hier an berichtet er ganz selbständig als ein vortrefflich unterrichteter Zeitgenosse, der durch vielfache Verbindungen sich von allen Seiten zuverlässige Nachrichten verschafft hat. Seine eigene Gesinnung, seine Auffassuug der Begebenheiten verschweigt er nicht; er ist durch und durch staufisch gesinnt, und spricht über die päpstliche Politik die bittersten Urtheile aus. Cf. Lindner Neues Archiv der Gesellsch. für ältere deutsche Geschichtskunde 1890. XVI, 115—34; Potthast p. 178; Michael Gesch. des d. Volkes III, 368 ss. De variis ed. cf. Goovaerts Ecrivains ... de l'O. de Premontré I, 509-512. Ceterum cf. et Schütz commentario critico p. 131 et Gretser in suo op. posthumo rerum variarum l. II. c. 10. p. 244—61 a Stengelio Ingolstadii 1628 edito, qui acri censura hoc chronicon perstringunt. Olim tribuebatur Conrado a Lichtenau († 1240 cf. Georgius in Spir. lit. norbert. diss. crit. p. 357-376, qui data opera illud ei asserere nititur). Hinc in Indice ll. prohib. olim legebatur: „Lichtenau(a) Conrad Ursperg. Chronicon ed. Argentorati 1609, quae non permittitur nisi ablatis duabus epistolis, paralipomenis et postillis eidem ed. insertis decr. 16. Mart. 1621", cum haec haereticorum sint: quae omissa fuere in ed. Indicis recentissima.

[1]) Alius a Caesario OSB. de Milendunk abbate (1212-1217) prumensi, qui dein secessit in monasterium heisterbacense O. Ci., ubi conscripsit *registrum bonorum* suae abbatiae, quod ob suum pretium a Leibnitio et Hontheim fuit editum, demum emendatum ab H. Beyer, Urkundenbuch der mittelrhein. Territorien I, 142—201. Cf. Ziegelbauer Hist. OSB. III. § 15.

[2]) Kessel KL² 2, 1658: Dieselbe zeichnet sich durch gründliche Auffassung, treffliche Sprache und schwungvolle Darstellung aus ... Sie ist eine der besten mittelalterlichen Biographien. Cardauns allgem. deutsche Biogr. 3, 683 illam dicit ein kleines Kunstwerk.

1230: integrum edidit Cardauns in MG. SS. XXIV, 332-62; cf. et Böhmer l. c. II, 271—82. *Dialogus miraculorum* (copiosissimus) *ll. 12*, saepius editus[1]) sub inscriptione *Illustrium miraculorum et historiarum memorabilium ll. 12*, Coloniae s. l. et a. (c. 1475); 1481; 1591 etc.; 1851 cura Jos. Strange; Confluentiae 1857. Hujus op. veluti continuatio sunt: *Diversarum visionum seu miraculorum ll. 8*. Opus integrum non amplius habetur. L. 1. p. 1. reperit recenter Marx ediditque in Mittheilungen aus dem Gebiete der kirchl. Archäologie u. Geschichte der Diöcese Trier p. 81 ss., et inde Kaufmann in suo docto op. Cäsarius von Heisterbach, Coloniae 1862 ed. 2 p. 163-196; et praesertim Meister die Fragmente der ll. VIII miraculorum des C. v. H., Freiburg 1901 cum prolegomenis egregiis[2]) de auctoris scriptis. *Homiliae* sive fasciculus moralitatum, ib. 1615. Homiliae sunt graves, produnt eruditionem patristicam et familiarem usum s. Scripturae, quam libenter sensu allegorico adhibet[3]). Plura auctoris nostri opera manserunt inedita, ut tractatus exegetici in varios s. Scripturae locos, commentarius in Ecclesiasticum, dialogus adversus haereticos sui temporis et errores eorum, de abbatibus prumiensibus, vita s. Elisabethae etc. Ipse Caesarius elenchum operum suorum (36) exhibet in ep. ad D. Petrum priorem, quam reperies apud Hartzheim bibl. colon. p. 43 s.

155. Rogerius de Wendover (Windefora) monachus s. Albani, prior cellae de Bellovisu (Beauvoir) in territorio lincolniensi († 1237), scripsit *chronicon* ab o. c. usque ad a. 1234, seu l. qui dicitur *flores historiarum*, ed. a Coxe Londini 1841—44 t. 5 in 8. omissis iis, quae praecedunt a. 449; ab a. 1154 Hewlett ib. 1886—89 t. 3 inter rer. brit. medii aevi SS. n. 84; anglice interprete Giles, ib. 1849; excerpta exhibent MG. XXVIII, 3-73. — Prolixum *chronicon* ab o. c. ad a. 1241 concinnavit in usum practicum Albericus O. Ci. in monasterio Trium fontium (Trois-Fontaines), quod non caret pretio ob excerpta ex operibus jam deperditis, expressis auctorum nominibus, computationes chronologicas, genealogias familiarum nobilium Galliae et Germaniae[1]) etc. Prodiit in accessionibus historicis Leibnitii t. II. (ab a. 900—1241), Lipsiae 1698 et accuratissime cura Scheffer-Boichorst in MG. XXIII, 631—950, ubi dicitur a canonico reg. s. Aug. Novimonasterii hojensis (Neu-Moustier apud Huy) interpolatum. — Richardus (Ryccardus) de s. Germano, regis Siciliae notarius seu secretarius († c. 1244), scripsit *chronicon* satis amplum ab a. 1180—1243, quod luce publica donavit Ferd. Ughelli in Italia sacra III, 953, ed. novae t. X; Muratori Script. rer. it. VII, 962 etc.; curante Pertz in MG. XIX, 321—84; et *epistola* ejusdem ad monachos casinenses ib. 384-386; seorsim Hannoverae 1864. Aliam hujus chronicae recensionem vetustiorem monachis, ut videtur, destinatam reperit A. Gaudenzi, quae tantum complectitur a 1208—1226, sed copiosior est, quia plura complectitur documenta, eamque edidit cum chronicis posteribus ex ed. Pertzii, Neapolii 1888.

---

[1]) Kessel ibid. 1659: Cäsarius schildert in diesem ... Werke seine Zeit in ihrer bunten Manigfaltigkeit mit allem was sie an Traurigem und Fröhlichem, Verwerflichem und Ehrwürdigem, Niedrigem und Hohem, Ablebendem und Hoffnungsgrünem besessen hat. Cf. Schüz p. 115.

[2]) Cf. notas quasdam in hoc Caesarii opus in Anal. boll. XXI (1902) 45—52.

[3]) Cf. Unkel, Annalen des historischen Vereins für den Niederrhein fasc. 34 p. 1-67.

[1]) Cf. Wilmanns, Über die Chronik Alberichs im Archiv der Gesellsch. für ältere deutsche Geschichtsk. X, 174-276; ct. alios auctores apud Potthast p. 29, secundum quem obiit post 1252; juxta Chevalier 1241; Wattenbach Bd. 2 V. § 21.

156. Jacobus de Vitry (de Vitriaco) cognominatus, quia, ut videtur, ibidem est natus, can. reg. s. Aug., Parisiis studiis operam dedit. Hortatu Innocentii III fideles ad bellum sacrum invitavit et contra Albigenses et contra Saracenos magno fructu, ut canonici acconitae (Accon) eum sibi elegerint in episcopum (1217). Cura vere pastorali sollicitus erat de Christianis, pueris praesertim, e saracenorum captivitate redimendis. Frustra confugit in Occidentem auxilii petendi gratia ad juvandam rem Christianorum in Palaestina fere perditam. Post multas preces demum a rom. pontifice impetravit, ut renunciare ei liceret sedi suae. Rediit in patriam: sed cum amicus suus Hugo cardinalis ostiensis in pontificem fuisset electus sub nomine Gregorii IX., Romam venit et ab eo creatus est cardinalis et episcopus tusculanus (1227; † 30. Apr. vel 1. Maj. 1241; secundum alios 1240 vel 1244). Erat insignis concionator, et interpres s. Scripturae, qui teste Stephano de Borbon „adeo totam Franciam commovit, quod non putat memoria aliquem ante vel post sic movisse.“ Ejusque scripta magni aestimantur pro accuratiori notitia rerum et morum sui temporis. Inter ea eminent *Libri 3 historiae orientalis et occidentalis*, ex quibus duo priores prodierunt Duaci 1597 in 8; tertium dedit Gretser de s. cruce in mantissa ad t. 3., Ratisbonae 1734; aliam hujus l. editionem (valde dubiam, num sit Jacobi) inscriptam *Narratio patriarchae hierosolymitani* coram summo pontifice de statu terrae sanctae, exhibet Martene Anecd. III, 268—287; Giles Londini 1846; primum et tertium reperies etiam in gestis Dei per Francos Bongarsii t. I. L. 1. incipit a defectione Mahometis et desinit in coronatione Joannis Brennensis 1210; l. 2 tractat res occidentales ab a. 1229—40 et statum Ecclesiae, singillatim diversos ordines religiosos depingit, in primis ord. Minorum laudat; l. 3. nonnihil dubius, quia est levis compilatio ex Richardo de s. Germano et Oliverio, ad obsessam captamque Damiatam a. 1218. perducitur. Epistola ad Honorium III. *de calamitatibus terrae sanctae* a. 1119 in D'Achery Spicilegio III, 590 ed. novae; ep. aliae quatuor ad eundem pontificem apud Martene Anecd. III, 287-306; hae et aliae valde pretiosae ed. sunt cum apparatu critico a Röhricht in Ztschr. f. KG. XIV (1893) 97—118; XV, 568—587; XVI, 72—113. — *Sermones* de tempore, Antverpiae 1575; specimina *sermonum vulgarium* ed. Pitra in Anal. noviss. II, 344—461, in quibus copiosissime utitur exemplis, parabolis, fabellis et cum homines omnium conditionum et classium instituere in suo vitae statu nititur, utilia sunt pro cognoscenda illius temporis cultura. — Duos *sermones* ad fratres minores recentissime edidit Hilarinus Felder Romae 1903, in quorum altero antiquissimum habetur testimonium pro s. Francisci As. stigmatibus. — Pretiosa est *Vita b. Mariae ogniacensis* († 1213) ll. 2, quam ipse optime noverat et cujus consiliis regebatur, in actis SS. 23. Jun. IV, 636—66 cum Henschenii et Papebrochii notis[1]).

157. Huic subjicimus Thomam Oliverium (Oliverus, Olivarius) probabiliter Westphalum, qui a. 1202 Coloniae magister et scholasticus majoris ecclesiae fuit. Aliquamdiu Parisiis degit (1207) atque de promovendo bello sacro adversus Albigenses sollicitus fuit. Post reditum Coloniam ingenti fructu

---

[1]) Cf. Matzner de Jac. vitriacensis crucis praedicatoris vita et rebus gestis, Monasterii 1863 et in KL² VI, 1176—78; Feret I, 238—49; Potthast p. 633; Röhricht, Gesch. des Königreichs Jerusalem, Innsbruck 1898 p. 718 ss.; et bibl. geogr. P. p. 48 ss.; Böhmer Realenc. 8³, 562-565. De b. Maria ogniacensi cf. Fleury hist. eccl. l. 77 § 3. Ad hujus vitam supplementum adjecit Nicolaus can. reg. coenobii cantipratani, quod pariter reperitur in actis SS. l. c. p. 666—76.

fideles ad bellum sacrum Leodii et in regionibus adjacentibus accendit; cum Brunone archiepiscopo coloniensi interfuit conc. lateranensi IV. In Orientem cum cruciatis est profectus, ubi magno ardore, sollicitudine, imo et sagacitate militari illis auxilio fuit. Post infelicem belli exitum in Europam rediit. Cum Fridericus imp. cogitaret de ineunda nova expeditione bellica in terram sacram, Oliverius iterum studio infatigabili illam promovere nisus est. Interim electus est in episcopum paderbornensem et confirmatus ab Honorio III., qui eum mox (1225) cardinalem et episcopum sabinensem dixit, quo tamen honore diu ei frui non licuit, decessit[1]) enim probabiliter jam a. 1227. Historiographus erat plane insignis, quo merito Westphaliae gloriari licet. Opera ejus collecta prodierunt diligenti cura Hoogeweg: Die Schriften des Kölner Domscholasters, späteren Bischofs von Paderborn und Kardinalbisch. von S. Sabina O., Tübingen 1894 (in der Bibl. des lit. Vereins in Stuttgart 202). Inter ea sunt *Descriptio terrae sanctae,* ib. p. 1—24; Historia *de ortu Jerusalem* et ejus variis eventibus ab o. c. usque ad ejus per Titum expugnationem, cui subjicit brevem imperatorum romanorum, dein germanorum seriem, p. 25-79. Hanc excipit *Historia regum terrae sanctae* jam uberior, p. 81-158. Praecipuum vero opus est *Historia Damiatana* p. 159—280, in qua accurate hujus urbis expugnationem, in qua ipse magnam habuit partem, narrat. Sequuntur duae graves *epistolae* (p. 296—314), quarum una est ad Al Kamil Sultanum, in qua religionem opponit christianam Islamo, Christum Mohammedi, ipsum tamen Sultanum collaudat ob suam in captivos christianos humanitatem; altera est ad sapientes et mathematicos Aegypti, in qua V. T. in novo adimpletionem ostendit.

158. Historiam ecclesiasticam singularium nationum vel ecclesiarum scripserunt praeter Lucam tudensem, de quo egimus supra (p. 268), Rodericus Simonis vulgo Ximenes Navarrus, qui Parisiis studiis operam dedit in eisque admodum profecit, hinc summos adeptus est in patria honores, nam factus est abbas Vallisoleti, episcopus oximensis, dein burgensis, demum (1208) archiepiscopus toletanus. Interfuit concilio lateranensi IV., in quo sermonem habuit. Alphonsum IX. Castiliae regem induxit, ut Palentiae academiam institueret, quae dein Salmanticam (1249) fuit translata. Redux ex itinere romano suffocatus obiit in Rhodano flumine prope Lugdunum 10. Jun. 1247, secundum Nic. Antonium 1245. Scripsit[1]) *Chronicam Hispaniae* ab origine prima ad a. 1243, seu de rebus Hispaniae, Granatae 1545 in f. ed. rara, sed mendosa; melior est ed. Andreae Schotti in *Hispaniae illustratae* II, 25—148, quacum simul prodiit ejus *historia Ostrogothorum* (453—555), Hunnorum et Vandalorum (ad a. 585), Suevorum, Arabum ab exordio et origine Mahumetis (570-1150) et Romanorum ad a. u. c. 708., cui fabulosa intulit; *Historia s. Ferdinandi III.* regis Castiliae ab a. 1217—52 in actis SS. 30. Maj. — *Chronicae regiae coloniensis* auctorum anonymorum continuationem ab a. 1162—1237 tribuit Trithemius cuidam Godefrido OSB. in

[1]) Cf. Junckmann, Ol. Scholastikus, B. von Paderborn in Kath. Zeitschrift Münster 1851 p. 99—129; 205—30; praeprimis Hoogeweg in doctis proleg. op. cit.; allgem. deutsche Biogr. XXIV, 305—8; Potthast p. 876; Wocker KL. IX², 824; Michael Gesch. des deutschen Volkes III, 364—369, qui de historia Damiatana ait: Sie ist für die Kenntniß dieses Krieges eine Quelle allerersten Ranges, an Klarheit und Zuverlässigkeit wohl von keiner andern übertroffen.

[1]) Cf. Nic. Antonius in bibl. hisp. vet. II. l. 8. c. 2 n. 20 ss., qui n. 47 eum dicit „gravissimum ante alios atque integrum rerum hispanicarum usque ad aetatem suam scriptorem".

monasterio s. Pantaleonis coloniensi[1]), quae prodiit inter Scriptores rerum germ. t. 1, 239—303. ed. Frehero Francofurti 1600; ed. Struve Argentinae 1717 I, 335—404; cf. etiam Script. rerum Germ. in usum scholarum, Hannover 1880. — B. Gerlacus (Jerloch) O. Praem. (n. 1165) monasterii milovicensis (Mühlhausen) in dioecesi pragensi abbas (7. Maj. 1228) continuavit *annales Vincentii pragensis* (cf. supra p. 134) ab a. 1167—1198, quorum partem jam ediderat Dobner in monumentis hist. Boh., I, 79—129, dein plenius Wattenbach in MG. SS. XVII, 683—710; inter fontes rer. austr. V, 140—192 sect. 2; Emler inter fontes rer. boh. II, 2, 1875. In iis fusius prosequitur historiam sui ordinis per Bohemiam: sunt vero fons historicus maximi momenti pro ultimo quadrante sec. XII. historiae bohemicae, imo in nonnullis locis, praecipue pro a. 1173—1192, fons unicus. — Cono de Estavayer a. 40 praepositus lausanensis optime de hac ecclesia meritus, diligenter collegit pretiosum *Chartulaire* du Chapitre de N. Dame de Lausanne (1228—42), quod edidit Gingins in Mém. de la Suisse Romande t. VI, 1851; Waitz in MG. SS. XXIV, 774-810 edidit ejus Monumenta historiae lausanensis, scil. *Gesta episcoporum lausanensium* ab a. 501-1240, ib. 793—810; *annales lausanenses* ab a. 592—1056, ib. 778—781. — Henricus de Lettis presbyter, praeclarus admodum historiographus, stilo simplici sincerum, accuratum, fide dignum concinnavit *chronicon Livoniae* ad a. 1227, in quo narrat etiam origines et propagationem religionis christianae hisce in regionibus[1]). Prodiit cura W. Arndt in MG. SS. 231—332; versum et illustratum ab E. Pabst, Reval 1867. — Hugo de Pierrepont episcopus leodiensis (1200-1229 scripsit *chronicam pontificum leodiensium* ad a. 1227, quam alius retracta) vit et continuavit ad a. 1239. Eam amissam dolemus, sed eam reconstruere ex vestigiis et derivationibus nisus est Fr. Franz in op. *Chronica pontificum leodiensium*, eine verlorene Quellenschrift des 13. Jahrh. nebst einer Probe der Wiederherstellung, Strassburg 1882. — *Chronicon placentinum* seu annales placentini guelfi ab a. 1012-1235 tribuuntur Joanni Co'd'agnello (Caputagni) notario urbis (1202-1232), dein cancellario, qui prodierunt cura Alf. Huillard-Bréholles, Parisiis 1856 in 4; in MG. XVIII, 403-457 cur. Pertz, et in Monum. hist. ad prov. parm. pertinentibus t. III., cum bonis annotationibus. Pretiosi censentur pro historia sec. XII. et XIII; hinc editi in usum scholarum, Hannoverae 1901 cur. Holder-Egger[2]). Fragmenta prolixa chronici ab o. c. — 1235 eidem auctori tributi edidit in N. Arch. d. Gesellsch. f. ä. d. Gesch. XVI (1891) 251—346; 475—509.

159. *Monasteriorum* historiam plures scripserunt[3]). Ita Gualterus (Galterus) O. Praem. praepositus marchtallensis († 29. Jan. 1213) in l. fundationis seu *annalibus ecclesiae marchtallensis,* quos Schoettle reperit edidit-que in Freiburger Diöcesan-Archiv 1869. IV, 147—209, dein Waitz in

[1]) Sed sat implexa videtur quaestio de auctoribus variarum continuationum op., quod etiam inscribitur *Annales maximi colonienses* quique exhibentur in Mon. Germ. SS. t. XVII. XXII. XXIV, nullo auctore nominato. Cf. Wattenbach II, V § 19; in primis de editionibus Potthast p. 239.

[1]) Cf. H. Hildebrand Die Chronik H's. von Lettland, Berolini 1867.

[2]) Cf. hujus diss. Über die hist. Werke des J. Codagnellus ib. p. 253—312; Bethmann ib. X, 339; Anschütz ib. XI, 231; Wattenbach Geschichtsq. II. V § 10.

[3]) De monasterio altahensi pauca quaedam habet ejus quondam abbas Poppo († 1229), quae edidit Braunmüller in Studien u. Mittheil. aus dem Benediktinerorden II (1881), 1, 100—108.

MG. SS. XXIV, 660—678 inscriptos *historia monasterii marchtelanensis* ab a. 992 ad a. 1229, quam continuavit lepide et festive H (forte Henricus) sodalis ad a. 1299, ib. 678—683. — Librum primae fundationis monasterii schirensis seu (pretiosum) *chronicon schirense* collegit magna ex parte monumentis innixum Conradus nobilis de Luppurg[1]) OSB. et abbas illius monasterii (Scheyern) ab a. 1206-25, cui tamen muneri renunciavit († 1245). Illud primus edidit Steph. Reitberger abbas monasterii Ingolstadii 1623; Argentorati 1716 in 4; melius Boehmer inter fontes rer. germ., III. 499-512 et Jaffé sed interpolatum ex autographo in MG. SS. XVII, 613—623; a p. 624—29 habes ejus *catalogos* (nudos exilesque, mendorum lacunarumque plenos) regum, pontificum, imperatorum ad a. 1190; p. 629—33 *annales schirenses* ab a. 1077—1226 pariter exiles. — Arnoldus[2]) de Quedlinburg (fl. medio sec. XIII) agit de fundatione monasterii Mildenfurthensis O. Praem. in Thuringia (in diss. B. Schmidt A. v. Quedlinburg und die ältesten Nachrichten zur Gesch. des reussischen Hauses, Jenae 1883 p. 66-82). — Conrado lauterbergensi sive Montis sereni (nunc Petersberg) prope Halam Saxoniae monacho O. Praem. tribuitur *chronicon Montis sereni* 1124—1225, quod primus edidit Joan. Maderus Helmstadii 1665 in 4, cum chronicis aliorum monasteriorum; in MG. SS. XXIII, 130—226 cur. E. Ehrenfeuchter, in quo utiliter et stilo grato non solum coenobii illius, sed et Marchionum Misniae gesta et aliae germanicae illorum temporum res exponuntur; etiam inscriptum: Incerti auctoris *chronica M. S.*, Halae 1856; Köhler Chronica Conradi presb. canonici M. S., in op. das Kloster des h. Petrus auf dem Lauterberge, Dresden 1857 in app. — Alius Conradus de Fabaria cognominatus OSB., quem tamen aliqui sec. XV. floruisse censent, continuavit stilo turgido, sed praedecessoribus suis melius *casus s. Galli*, quos coeperat Ratpertus († antea a. 890) et prosecutus est ad a. 883, Ekkohardus IV. ad a. 971; alii anonymi continuarunt ad a. 1203, ad a. 1232, quam historiam exhibet Goldastus inter scriptores rerum aleman., Arx in MG. SS. II, 59—183; G. Meyer v. Knonau Mittheil. für Vaterländ. Gesch. 1879. XVII.

160. B. Emo natione Friso, prius sacerdos plebanus, dein ingressus est cum fratre O. Praem. in florido Horto prope Werum (modo Wittewierum) in ditione groeningana, quod monasterium coeperat a. 1204. Primus abbas fuit vitae sanctimonia perinde quam scientia et scriptis conspicuus. Tanta alacritate cum fratre suo Addone studebat, ut, cum Parisiis et Oxonii studiis vacarent, hic in scribendo priorem noctis partem ante officii recitationem, ipse posteriorem partem insumeret. Abbas multa sategit sedulitate »ut armarium librorum in capitulo libris s. Scripturae impleret, hoc operis non solum in clericis, quos ad scribendum fervide incitabat et per se ipsum instruebat, verum etiam sedulitatem in femineo sexu ob-

---

[1]) Ab eo secernendus est alius Conradus in eodem monasterio, Conradi nostri aequalis, peritissimus scribendi artifex atque pictor in ornandis codicibus suo tempore celeber. Diu pro una eademque persona habebantur isti duo, sed Fr. Hect. comes Hundt (in diss. das Kloster Scheyern, s. ältesten Aufzeichnungen, s. Besitzungen in Abhandl. der k. b. Ak. der Wissensch. hist. Kl. IX Abt. 2, 205—340 München 1866) sagaciter eos secernendos ostendit. Cf. de utroque Braunmüller KL. VII², 958—60. Conrado, quem veteres bibliographi noverunt, *philosophi* nomen haesit; Riezler allg. d. Bi. XVI, 650.

[2]) Alius ab Arnoldo O. Praed., qui pro imperatore contra Innocentium IV. stetit in ep. confusa *de correctione Ecclesiae*, qui forte etiam est auctor l. anonymi *de Innocentio IV. antichristo*, ed. ab Ed. Winkelmann, Berolini 1865.

servans, sorores ad hoc habiles sollicite in scribendo informabat. Ipse vero interea legendo, corrigendo et utiliora notando, fere in omnibus libris armarii vestigia manus suae reliquit, nunquam otiosus exsistens« († 1237). Scripsit[1]) stilo duro utile *chronicon* coenobii werumensis seu Hortus floridi (ab a. 1204—37) notitiis plenum de Frisonum gente eorumque gestis alioquin minus notis. Ejus sodalis Menko abbas (ab a. 1243—1272 vel 1273) illud jejune continuavit ad a. 1273; anonymus ad a. 1280; alter ad a. 1297. Ediderunt illud primum (mendose) Ant. Matthaeus Analect. veteris aevi t. III, 1—163; II², 1—188; Ludov. Hugo inter s. Antiquitatis monum. notis illustratum I, 425—503; 504—566; optime cur. H. O. Feith et G. Acker Stratingh, Utrecht 1866; in MG. cur. Weiland XXIII, 464—572. Praeter opera inedita superest tr. *de anima* (apud Hugo op. cit. p. 496—503, epitome valde mendosa tr. Cassiodorii de anima (Migne LXX, 1279 s.). — Benignus congr. Vallis Umbrosae praepositus († 1236) hujus familiae religiosae historiam narrat, quae prodiisse dicitur 1500. Prolixum et utile ob monumenta in illud recepta, sed non satis elaboratum est *chronicon* andrensis monasterii s. Rotrudis in dioecesi Galliae tarvanensi ab a. 1024—1234 Guilelmi OSB. ejusdem abbatis (1208; † 1234), qui multum pro libertate sui monasterii laboravit. Exstat illud in D'Achery Spicilegio II², 781-841 et in MG. (omissis plerisque literis) XXIV, 684—773 ed. Heller. — Thomas de Merleberge (Marlborough) OSB. abbas eveshamensis (dioecesis Worcester † 1236) scripsit *chronicon evestamense* ab a. 1035—1213; quod coeperat a sec. VIII. Dominicus prior, alius vero continuavit ad a. 1236, et alius ad a. 1418, ex quo excerpta quaedam leguntur in MG. XXVII, 422—25; prodierat integrum cura Guil. Dunn Macray Londini 1863; seu inter rerum Brit. medii aevi SS. n. 29. — Wilbrandus (Willebrandus) canonicus oldenburgensis, dein episcopus ultrajectinus († 27. Jul. 1334), descripsit *Itinerarium* terrae sanctae (a. 1211) quod non caret pretio et aliquoties prodiit, ut in Leonis Allatii Symmictis, Coloniae A. 1653. p. 122—52; Laurent Peregrinatores medii aevi quatuor Lipsiae 1864; 1873 p. 162—90; latine et germanice cum auctoris biographia ed. J. C. M. Laurent, Hamburgi 1859.

161. Magnus hac periodo vir sanctus et celeberrimae multiformisque familiae religiosae per orbem diffusae institutor, s. Franciscus Assisii a. 1182 est ortus. Omnibus mundi bonis valedicens illuxit mirum in modum ut perfectae paupertatis, abnegationis et profundae humilitatis exemplar innumerosque verbis et exemplo post se traxit atque ita ordinis Minorum exstitit auctor: quibus et regulas ad assequendam fovendamque perfectionem religiosam atque paupertatem profitendam praescripsit. Sed et feminas ad agendam poenitentiam congregavit, imo viris et feminis in seculo degentibus sanctioris vitae normam indixit, unde sic dicti tertii ordinis est pater. Praeter triplicem regulam reliquit aliquot libellos asceticos, instructiones, poëmata, quae a pietate et linguae patriae nitore plurimum commendantur. Ea saepius prodierunt, etiam nostra aetate in bibl. franc. ascetica medii aevi. Quaracchi 1904 t. 1. Obiit hic sanctus vere popularis 4. Oct. 1226. Quare mirum esse non debet, tantum virum, medii aevi patriarcham, magnorum ascetarum Orientis aemulatorem, reformationis non spuriae sed vere religiosae initiatorem, patrem sobolis spiritualis, quae multiplicata est

[1]) Cf. Georgius in Spirit. liter. Norb. p. 211; Wattenbach II., V, 18; Feret I, 359—63; Michael III, 362 ss.

velut arena in littore maris, nactum esse plures biographos. Primus vel ex primis fuit Thomas de Celano s. Francisci discipulus et comes. Hic missus fuit a. 1221 in Germaniam, ubi plurium electus est conventuum custos (1223). Post reditum jussus est (1229) a Gregorio IX. conscribere vitam s. Francisci, quae dicta est *Legenda prima*[1]). Eam habes in Act. SS. 4. Oct. II, 683 ss. Sed cum in ea multa desiderarentur, jussit Crescentius minister generalis in capitulo 1244, ut sodales quae memoria digna de s. Francisco scirent, referrent. Has notitias, inter quas eminebant ea, quae referebant tres sancti nostri discipuli admodum familiares Leo, Angelus et Rufinus (qui auctores censentur celeberrimae *Legendae trium sociorum*, de qua nostra aetate magna orta est controversia literaria) tradidit Crescentius nostro auctori, ut priorem legendam retractaret et augeret: hinc prodiit altera vita vel Legenda inscripta Memoriale in desiderio animae *de gestis et verbis s. Francisci*, quam primum edidit Rinaldi Romae 1806 ed. rara; Amoni (cum priori et aliis vitis) ib. 1880. Jussu Joannis de Parma ministri generalis adjecit alteram p., et post aliquot annos tertiam, quae agit de Sancti *miraculis*, quae demum a. 1898 reperta edita legitur in Analectis boll. XVIII (1899), 81—176. Cum vero Thomas aliter scriberet de famoso Elia gravium turbarum in ordine vix nato auctore in priori legenda, plane aliter in secunda, unde foveri possent ejusmodi turbae, capitulum ordinis generale Narbone a. 1260 habitum s. Bonaventuram rogavit, ut novam quasi authenticam concinnaret s. Patris vitam. Quod cum praestitisset, plurimum utens laboribus Thomae, praecepit generale capitulum „quod omnes Legendae de b. Francisco olim factae deleantur et ubi inveniri poterunt extra ordinem, ipsas fratres studeant amovere, cum illa Legenda, quae facta est per generalem (Bonaventuram) sit compilata, prout ipse habuit ab ore illorum, qui cum b. Francisco quasi semper fuerunt et cuncta certitudinaliter sciverint et probata ibi sint posita diligenter (apud Rinaldi Seraphici viri s. Fr. A. Vitae duae auctore b. Th. de C. p. XI).“ Hinc duplex Thomae vita rara est facta atque rarissime prodiit[1]). Nostro Thomae tribuitur pulcherrima Sequentia *Dies irae*. Cf. Studi religiosi II (1902) fasc. 3 p. 269 s.

162. „Alia autem omnia, legimus in cod. 4354 bibliothecae vaticanae exeuntis sec. XIV f. 112, quae ad dicti b. P. (Francisci) hystoriam pertinent, dictavit et cantavit et fecit frater Julianus Alamannus, quondam conventualis in Spira, lector parisiensis, qui ob vite sue merita inter famosos et praecipue sanctitatis fratres est in registris ordinis annotatus . . . Idem Julianus fecit et cantavit totam ystoriam b. Antonii quondam fratris nostri. Etiam responsoria et antiphonas quam plures de b. Dominico „ad petitionem fratrum O. Praed., sed praeventus morte ystoriam de b. Dominico non complevit“. Scil. Julianus (intra a. 1232—1235) plenam *vitam* b. Francisci et b. Antonii nobili stilo

[1]) Vitam hanc rythmice expressit Lamprechtus de Ratisbona Min. (fl. 1250), quam ex unico cod. demum edidit Car. Weinhold inscriptam Lamprecht v. Regensburg *Sanct Francisken Leben* . . . nebst Glossar, Paderbonae 1880. Eodem in po. habes epitomen et specimina prolixi carminis mystici (ultra v. 4000) *Tochter Syon* ejusdem Lamprechti. Cf. Michael Gesch. des deutschen V. III, 149—150.

[1]) Cf. Jeiler KL. XI², 1668-1670; Ehrle C. cit. in proxima annot. Theol. Revue II (1903), 469 ss.; Evers Realenc. XV², 594—598. *Legendam trium sociorum* habes in Act. SS. l. c. pag. 723 ss.; in ed. Amoni supra laudata; cum magna diligentia in op. Marcellino da Civezza e Teofilo Dominichelli dei Min. La Leggenda di S. Fr. scritta da tre suoi Compagni publicata la prima volta nella sua integrità, Roma 1889.

et pulchra melodia composuit, ut alius antiquus scriptor (Jordanus de Giano) refert, erat enim insignis poëta liturgicus et musicus plane excellens. Vitam per fragmenta inseruerunt Bollandistae suo commentario praevio ad acta s. Francisci 4. Oct. II, 548 ss., integram ex pluribus codicibus in Anal. boll. XXI (1902), 160—202. Obiisse colligitur Julianus[1]) ante a. 1239. — Aliam sancti nostri *vitam* scripsit c. a. 1246 Joannes de Ceparano notarius apostolicus et forte postea O. Min., quem aliqui cum Thoma de Celano confundunt. Hanc nonnulli (plane praepostere) eandem esse censent cum compilatione absque judicio critico facta et pretio destituta, quam sub titulo *Speculi vitae s. Francisci et sociorum ejus* edidit Philippus Bosquierius recognitam et notis marginalibus illustratam, Coloniae 1623, et alibi: sed Jeiler[2]) hoc in argumento censor peritus illam ineditam esse affirmat, imo necdum integram repertam.

163. Aequalis s. Francisci fuit s. Dominicus natus Calaruegae in dioecesi uxamensi Hispaniae a. 1170 († 1221), qui ex archidiacono uxamensi factus est alter vitae religiosae reformator et auctor nobilissimae familiae coenobiticae, quae ad nostra usque tempora doctrina Ecclesiam Dei illustravit atque pro tuenda fide catholica scriptis et operibus intrepida stetit. Hujus patriarchae de Ecclesia adeo bene meriti vitam nobis narrat b. Jordanus Teutonicus seu Saxo immediatus ejus dignusque in supremo ordinis regimine successor (a. 1222), totius religionis speculum et virtutum exemplar, sub quo ordo maxime fuit merito et numero dilatatus: nam mille et amplius manu sua fertur ad ordinem recepisse. Ipse ordinis constitutionem feliciter absolvit, indita forma organica et vitali. Sub eo sodales ad legendum Parisiis primo licentiati fuerunt et duas scholas habuerunt. Cum transisset mare ad visitandam terram sanctam, in regressu irruente tempestate defunctus est[1]) prope gurgitem Sataliae 13. Febr. 1236. Scripsit stilo candido *de initiis ord. FF. Praed.*, qui libellus prodiit cum Ant. Maffei notis Romae 1587 in 4; et in Quetif Script. I, 22 ss.; 93 ss. et 99; in actis SS. 4. Aug. I., 545—559; *ep. 54* ad b. Dianam et alias pias feminas missas[2]), quae omnia recentissime edidit J. J. Berthier: *B. Jordani de Saxonia* alterius Praedicatorum magistri *ad res O. Praed. spectantia,* Friburgi Helv. 1891. Reliquit etiam *postillam* super Apocalypsim et Lucam (ineditam) et alia.

164. Leo Sibrandus O. Praem. abbas VI. monasterii Horti b. Mariae V. (Mariengarde, Mariengarten), vir admodum pius, cui de canonicis optimis literis imbuendis fuit ingens sollicitudo († 21. Aug. 1238), descripsit *vitam s. Siardi* praedecessoris sui (1194—1230), et *vitam s. Federici Hallemi* (de Hallum) ejusdem fundatoris et primi abbatis († 1173) in Act. SS. ad 7. Mart., utraque edita ab Aem. W. Wybrands

[1]) Cf. J. E. Weis Julian von Speier, München, 1900, juxta quem Julianus obiit nonnisi a. 1285; Hilarin Felder O. M. Cap. Die liturgischen Reimofficien auf die hh. Franciscus und Antonius gedichtet und komponirt von Fr. J. v. Sp. Freiburg u. der Schw., qui et cantus exhibet; et de controversia hinc oborta Anal. boll. XIX (1900), 321-340; XXI (1902), 148-160; iterum Hilarin de Lucerna in Fr. Julien de Sp. et la légende anonyme de S. François Examen critique, Paris 1900.

[2]) KL. IV², 1813, quod jam ante ipsum testantur Ehrle Zeitschr. f. k. Theol. VII, 391; Denifle Arch. I, 148.

[1]) Cf. Gerardus de Fracheto Vitae fratrum OP. l. 3; Quetif I, 93—100; Acta SS. ad 13. Febr. II, 724—39. Quetif p. 110 laudat B. Bartholomaeum Tridentinum O. Pr. (p. 1244) ex cujus *epilogo vitae sanctorum* (inedito) nonnulla derivata sunt in Acta SS. ut ex. gr. t. 1. Febr. 669—75 exhibetur *breviculum vitae s. Antonii patavini.* Cf. de eo Theol. Qtlschr. LXIII (Tübingen 1881), 465 ss.

[2]) De ejus ep. accurate disserit C. Bayonne Lettres du B. Jourdain de Saxe.

in Gestis abbatum Horti s. Mariae p. 1-75 et 147-179, Leuwarden 1879. Gesta ipsius Sibrandi ejusque successorum ad a. 1252 cf. in MG. SS. XXIII, 573-608 ed. Weiland, et in *Chronica abbatum Horti Mariani* apud Hugo s. antiq. Monum. II, 1725. — Goswinus de Bossuto O. Ci. monachus et cantor villariensis in Brabantia scripsit *vitam s. Arnulphi* conversi († 1228), quem adhuc noverat. Exstat ea in actis SS. 30. Jun. V, 608—31 annotationibus Papebrochii illustrata. — Dionysius (Potthast p. 1356: Petrus) O. Ci. Caroli Loci monachus circa a. 1230 composuit compendium *vitae s. Guilelmi* bituricensis archiepiscopi et quondam illius monasterii abbatis († 1209), quam exhibent acta SS. ad 10. Jan. I, 628—36, integram Analecta Boll. 1884. III, 274—325. — *Vita b. Humilianae* a Vito Cortonensi O. Min. provinciae Romaniae scripta (1248; † 1250) legitur cum supplemento notisque in Act. SS. 19. Maji IV, 386—401. — Alberius scripsit circa a. 1230 jussu Petri neapolitani episcopi *vitam s. Aspreni* sive Asprenatis primi, ut ajunt, temporibus apostolicis episcopi, quam legere licet in Ughelli Italia sacra VI^2, 19-25. — Bertrandus O. Ci. pontigniacensis scripsit circa a. 1247 jubente abbate suo Joanne *de vita et miraculis s. Edmundi* archiepiscopi cantuariensis († 1240), quae exstat apud Martene thes. anecd. III, 1775-1826, Wallace Life of s. Edmund etc., Londini 1893. — Adelbertus OSB. prior s. Udalrici Augustae († 1235) scripsit *de vita et miraculis s. Simperti* ep. augustani duodecimi († 809), quem l. edidit Pez in thes. anecd. II, 3, 355; *Vitam s. Udalrici ep.* rythmice lingua patria, quam edidit Schmeller in St. U. Leben, München 1844. — Conradus de Marburg vir doctus et vitae purae, ardens fidei catholicae propugnator et adversarius pravitatis haereticae acerrimus: hinc in odium fidei ex insidiis occisus (1233), praeclaram *de vita et obitu Elisabeth,* cujus erat confessarius et consiliarius rigidus, reliquit epistolam[1]) ad Gregorium IX., apud Kuchenbecker Analecta Hassiaca, Marburgi 1735 IX, 108—147; Wyss Hessisches Urkundenbuch Abth. 1 Lipsiae 1879.

[1]) Cf. Michael II, 209 ss.

IV. Theologia practica.

165. Sicut praecedentis periodi initium illustravit Innocentius III., ita et hanc Honorius III., qui antea Cencius (Cincio) Sabellus dicebatur et biduo post mortem Innocentii III. in successorem fuit electus 18. Jul. 1216 magno populi romani plausu. Praetermittimus ejus gesta et labores praesertim pro restaurando bello sacro in tutelam terrae sanctae[1]), rationem hic tantum habemus ejus scriptorum († 18. Mart. 1227). Cum sedente Clemente III. Ecclesiae romanae aerario praeesset omniumque redituum curam sibi haberet commissam, eorum catalogum ex antiquioribus commentariis conscribere est aggressus, eumque absolvit sub Coelestino III. a. 1192 inscripsitque librum *de censibus Ecclesiae romanae,* quem edidit Muratori in Antiq. It. V, 851—908, qui l. magni est momenti pro historia ditionis pontificae. Prodiit iterum Parisiis 1889 ss. in Bibliothèque des écoles franç. d'Athène et de Rome 2. ser. VI. (1902 fasc. 3.) cura Pauli Fabre annotationibus prolixis

[1]) Cf. Clausen Papst Honorius III., Bonn 1895.

oneratus[1]). Subjecit etiam catalogum romanorum pontificum et imperatorum seu *chronicam romanorum pontificum* et de persecutionibus eorundem ad Coelestinum III. (1101), quam seorsim edidit L. Weiland in Pertzii Archiv 1874. XII, 60—77 et ex parte Waitz in MG. SS. XXIV, 102—7. *Ordo romanus* de consuetudinibus et observantiis, presbyterio vel scholari, et aliis Ecclesiae romanae in praecipuis solemnitatibus. Hunc vulgavit Mabillon in Museo it., ut ordinem XII., Parisiis 1689 t. II, 167-220; Migne LXXVIII, 1063 ss. Huc vero spectat propter plurimas *epistolas* decretales, quas compilari fecit eamque compilationem, *quintam* dictam, Bononiam Tancredo celebri juris canonici magistro transmisit per apostolica scripta mandans „quatenus eis solemniter publicatis absque ullo scrupulo dubitationis utaris et ab aliis recipi facias tam in judiciis quam in scholis.“ Ejus *epistolas* et scripta per varias collectiones sparsa demum collegit t. 5 Horoy[2]) *Medii aevi bibl. patristica*, ser. I, Parisiis 1879—83 (quorum 5. est admodum rarus), in qua collectione reperiuntur plures *sermones* per anni circulum et de sanctis, *vita Gregorii VII.*; compilatio, cujus mentionem fecimus, secundum ed. originalem Cironii, Tolosae 1645, quam iterum excudi fecit Jos. Ant. de Riegger Vindobonae 1761; Friedberg Quinque compilat. p. 151—186. *Regesta* Honorii P. III. cura Pressutti prodierunt Romae 1888-95 t. 2 in f. ed. multis mendis infecta; Potthast Reg. rom. pont. Berolini 1871 I, 468—479; II, 2056—2099; 2135 s. Editio itala ejusdem Pressutti ib. 1884 vol. 1 suppressa fuit ob ejus naevos[1]). *Epistolas* selectas (342) ex registro edidit C. Rodenberg in MG. hist. ep. sec. XIII Berolini 1883 p. 1—260. Ei quoque tribuendus est alius *ordo romanus*. Qualiter romanus imperator debeat coronari, qui differt ab eo, qui legitur in ordine romano supra citato. Eum edidit primum Mai in Spicil. rom. VI, 228 ss.

166. Mortuum Honorium III. sequenti mox die (19. Mart. 1227) secutus est Gregorius IX., Hugolinus antea dictus, Ananignus, comes signinus, Innocentii III. nepos, episcopus prius ostiensis (21. Aug. 1241), cujus maxima sunt de jure canonico merita[2]): jussit enim s. Raymundum de Pennafort, de quo in sequenti epocha erit sermo, Decretales epistolas romanorum pontificum colligere atque in unum veluti corpus compingere. Ipse inter sanctos retulit Franciscum Ass., Dominicum, Antonium Patavinum, Elisabetham Ludovici Thuringorum dynastae viduam etc.; approbavit ordinem s. Mariae de Mercede pro redimendis captivis, scripsit ad Germanum CP. patriarcham, qui pro ineunda unione cum sede apostolica cum ipso agere coeperat: verum negotiationes fructu caruerunt. Quam plurimas reliquit *epistolas*, privilegia etc., quae collecta edidit Pamelius Antverpiae 1572; epistolas

[1]) Hujus l. veluti introductio est ejusdem auctoris Étude sur le L. Censuum de l'église Romaine, Paris 1892, de quo cf. Kirsch hist. Jahrb. XIV (1893) 837 ss. Hoc quoque tempore compositum fuit *Provinciale romanum vetus* sive Ecclesiae universae provinciarum notitia, quod tribuitur Albino scholari et reperitur in Cenni Monumenta dominationis pontificiae II p. XIV; Migne LXXXVIII, 457—76; ab aliis asseritur nostro Cencio, cujus forte est et l. censuum genuinus *de redditibus* omnium provinciarum et ecclesiarum, apud Cenni ib. XXXVI-LIV, qui prorsus alius est ab eo, quem in textu laudavimus.

[2]) Cf. Zeitschr. f. k. Theol. 1879, III, 809.

[1]) Cf. Zeitschr. für k. Theol. 1885 p. 146—55; hist. Jahrbuch 1897, XVIII, 637 ss.

[2]) Cf. *Vita Gregorii IX* ab ejus camerario forte Joanne de Ferentino veraciter composita (cf. de ea Jac. Marx die Vita Gr. IX quellenkritisch untersucht Berlin 1889) apud Muratori Rer. et SS. III, I, 577—587; Balan Storia di Gregorio IX, Modena 1872—1873 t. 3; Felten Papst Gregor IX., Freiburg 1886.

las 485 selectas ex registro C. Rodenberg in MG. ep. rom. pont. 1883 p. 261—728, quibus alias 8 adjecit ib. p. 731—739. Lucianus Auvray coepit edere Les Registres de Gregoire IX. Recueil des bulles de ce pape publiées ou analysées, Paris 1890 ss., ad a. 1899 fasc. 6. Cf. interim Potthast Regesta rom. pont. I, 680—939; II, 2099—2110; 2136. Aliquot epistolarum (18), quae respiciunt schisma leodiense a. 1238, sive textum sive summam exhibet Kirsch in Röm. Qtlschr. III (1889), 177—203.

167. In *jure canonico* illustrando versati sunt ex Italis Lanfrancus, primus vel unus ex primis, qui jus utrumque canonicum et civile tradebat, magister et canonicus s. Mariae ad Rhenum cremensis († 27. Febr. 1229), cujus *glossae* multae in tres primas decretalium compilationes supersunt[1]). — Tancredus, qui celebrioribus canonistis sec. XIII. est accensendus, natus est Bononiae c. a. 1185. Discipulus erat in jure canonico Joannis Galensis et Laurentii Hispani, in jure civili Azzonis famigeratissimi jurisconsulti illius temporis († 1200). Magister dein factus est decretorum, canonicus, imo ab Honorio electus archidiaconus bononiensis, cujus magna erat dignitas et auctoritas: erat enim cancellarius major studii generalis bononiensis. Magna fruebatur auctoritate apud Honorium III. et Gregorium IX., quorum non paucae literae ipsi sunt inscriptae[2]). In dirimendis controversiis invocatum fuit ejus consilium et opera: ipse designatus qui cum Thoma priore s. Mariae ad Rhenum et Palmerio priore Campaniae inquireret in vitam, mores et miracula Dominici fundatoris O. Praed. pro ejusdem canonizatione. Obiisse videtur circa 1235. Composuit *Summam* de sponsalibus et matrimonio egregiam, plenam, accuratam, quae tamen mansit inedita; *ordinem judiciarium,* tr. completum, cui posteri, qui de hoc argumento scripserunt, innituntur, et qui versus fuit in linguas germanicam et gallicam. Prodiit Lugduni 1515. 1547; Argentorati 1545; Coloniae 1564, quae tamen ed. non exhibent ipsum textum genuinum, quem sincerum dedit Bergmann in op. Pillii, Tancredi, Gratiae[1]) ll. *de judiciorum ordine,* Göttingae 1842 in 4. p. 87—316. *Apparatus* in I. II. et III. compilationem, in quas recepit glossas praecedentium canonistarum cum eorum siglis: habebantur autem instar glossae ordinariae usque ad editionem decretalium Gregorii IX. *Provinciale* (ineditum), in quo exhibet dioecesium indicem secundum varias provincias[2]). — Goffredus tranensis studiis operam dedit Bononiae ibique et cathedram rexit. Gregorius IX. eum capellanum et auditorem contradictarum constituit; Innocentius IV. in concilio lugdunensi cardinalem subdiaconum 1245. Obiit tamen eodem hoc anno. *Glossas* scripsit in decretales Gregorii IX., et *Summam* super rubri-

[1]) Cf. de hoc et sequentibus Sarti de cl. archigymnasii bon. pofess. I², 386 ss.

[2]) Nic. Antonius in bibl. vet. hisp. II. l. 8. c. 3 n. 81 tribuit ei collectionem (quintam) Honorii III., de qua supra egimus.

[1]) De hoc Gratia aretino, cujus reperiuntur *glossae* etiam in II. compilationem, nihil certi scimus. Videtur fuisse magister decretalium, sed non idem cum archidiacono bononiensi et episcopo parmensi († 1236), quem maximi fecerunt Innocentius III. et Honorius III., qui eum ejusque successores in archidiaconatu cancellarios constituit academiae bononiensi. Huic tribuit Tiraboschi t. IV. l. 2 c. 5 n. 12 l. *de ordine judicii.*

[2]) Cf. Fantuzzi Notizie degli Scritt. Bolognesi VII, 77—87; Schulte l. c. p. 199—205. Alius est a Tancredo de Corneto legum magistro, auctore obscuro, cujus exstat *Summula compendiosa* juris civilis et canonici inedita non magni momenti. Floruit hic exeunte sec. XIII. Propter identitatem nominis ortus videtur error, Tancredum nostrum Corneti esse natum. Cf. de nostro etiam Sarti I, 651—61.

cis decretalium, Basileae 1487; Venetiis 1491. 1502. 1564; Lugduni 1519; Patavii 1667, compendium scil. valde utile et copiosum juris canonici, multum in praelectionibus et a scriptoribus adhibitum[1]) posterioribus. — Guilelmus Naso (fl. 1227) magister bononiensis scripsit *lecturam* et *distinctiones* in decretales Gregorii IX., quarum usus et vestigia reperiuntur apud posteriores canonistas. — Roffredus Epiphanii (de Epiphanio, Epiphanides) Beneventanus, Bononiae studio juris vacaverat, magisterio functus est Fretii (1215), dein operam praebuit Friderico II. Defuncta uxore sacros suscepit ordines factusque est clericus camerae pontificiae sub Gregorio IX. († p. a. 1243). Reliquit libellos de jure canonico, in quibus agit 1. de electionibus et postulationibus; 2. de juribus episcopalibus, metropoliticis et archidiaconalibus; 3. super sponsalibus et matrimoniis et impedimentis eorum; 4. super decimis; 5. super juribus patronatus; 6. super spoliationibus, de parochis eorumque juribus etc.; 7. super accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus; 8. de excommunicationibus, quando dicantur injustae vel nullae; 9. de judicibus et arbitris eligendis; 10. de appellationibus; 11. de exsecutione rei judicatae; 12. super gratia petenda, quae non in figura judicii petenti conceditur. Sed ex his duodecim pp., quas promiserat, septem tantum elaboravit, quae Summam quandam juris canonici forte minus bene dispositam, sed sane utilem constituunt, in qua conscribenda et praecedentium et aequalium virorum doctorum labores consuluerat[1]), Spirae 1502; Lugduni 1538 etc.

168. Neque solum Italia insignes protulit canonistas. Ex germanis magnum sibi nomen fecit Joannes Semeca (Zemeke) a patria Teutonicus vulgo dictus[2]), praepositus s. Stephani hal-

[1]) Schulte II, 89: In gewisser Beziehung kann er sein Werk neu und unversucht nennen, indem er ein eigentliches Lehrbuch des canonischen Rechts im System der Dekretalen liefert. Die möglichste Kürze trotz einer auf das Detail eingehenden reichlichen Casuistik, eine klare und überall verständliche Sprache, unbedingte Entschiedenheit in Lösung der Controversen sind unbestreitbare Eigenschaften desselben. Die Literatur ist in höchst geschickter Weise benutzt ... Man darf sagen, daß das Buch eine unendlich geschickte Compilation aus den vorhandenen Schriften ist. Im großen Umfang ist das römische Recht behandelt etc. Cf. Sarti I, 419 s.

[1]) Cf. Schulte II, 75 ss. Laudari praeterea possunt: Joannes de Petesella Hispanus, patria Compostellanus, magister bononiensis a. 1223, cujus *Summam* (manuscriptam) super titulis decretalium (Gregorii IX.) Schulte l. c. p. 81 plurimum laudat a magna eruditione et peritia in utroque jure, a judicio critico et sagaci, ab accuratione et sensu practico, ab expositionis vivacitate et concisione: ea tamen minus in usu videtur fuisse, imo fere oblivioni data. — Hugo de Miromari (Miramors) montispessulanae ecclesiae archidiaconus et in jure canonico magister, dein O. Carthus., cujus flores juris canonici, commentarius in Apocalypsin et alia ascetica manserunt inedita († 1242). Cf. Oudin III, 50. — Thomas Capuanus ab Honorio III. cardinalis s. Sabinae creatus, in legationibus a Gregorio IX. adhibitus, patriarcha quoque hierosolymitanus († 1239), cujus est *dictator* multas bullas pontificum ... alias epistolas cum publico tum privato nomine scriptas continens, apud Hahn collect. monumentorum I, 279—385, opus miscellum seria et jocosa, prosas et rythmos continens. Cf. Fabricius VI, 542.

[2]) Alius ab illustri Joanne a Wildeshausen, qui a s. Dominico ipso vestem religiosam accepit, dein prior provincialis praefuit provinciae hungaricae (1228), et electus est episcopus bosniensis (1232) a Gregorio IX. Anno 1237 abdicandi facultatem obtinuit et ad suos rediit; 1241 electus est in praepositum generalem ordinis, cui prudentissime praefuit ad mortem usque 4. Nov. 1252. Cf. Quetif I. 111; Dankó KL². VI, 1768; Prother Röm. Qtlschr. IX (1895) 139-170. De alio Joanne, qui pariter subinde Teutonicus cognominatur, O. Pr. patria friburgensi († 1314) infra loquemur. Cf. de

berstadiensis († 1245 vel 1246), qui Bononiae studio juris operam dederat, illudque etiam professus erat. Hic quoque *apparatum* ad decretum Gratiani (ante a. 1215) scripsit, qui instar ejusdem glossae ordinariae habitus et cum eodem passim fuit impressus (Romae 1582; Lugduni 1584; Parisiis 1612 etc.), quo continuum praebet, sed concisum, decreti commentarium, meliora ex prioribus auctoribus seligit, varias eorum sententias breviter proponit et componit. Communi usu receptus et probatus fuit a posteris. Scripsit et apparatum subinde copiosiorem in compilationem quartam adhibito etiam pro opportunitate jure romano ad jus canonicum illustrandum. Ob suam in jure peritiam dictus est „Lux decretorum, dux doctorum, via morum“. — Anglus natione erat Richardus, hinc dictus Anglicus, ob rerum inopiam „Pauper“ cognominatus, qui studuit docuitque Bononiae et post reditum in patriam factus est decanus salisburiensis (1205), episcopus cicestrensis (1214), post triennium salisburiensis, demum durhamensis (1228; † 1237). Hic descripsit pariter *ordinem judiciarium* (Halle 1852 ed. Witte), reliquit distinctiones super decretis, quae scil. systematice exhibent argumentum decreti adductis locis, in quibus de eadem re fit mentio, glossas sat copiosas in compilationem primam, quibus Tancredus in suo apparatu utitur; casus decretalium, scil. compilationis primae. — Vincentius natione Hispanus, qui Bononiae juri canonico operam dederat illudque etiam professus est, dein factus episcopus ut videtur caesaraugustanus (Saragossa 1239; † 15. Febr. 1244). Ipse composuit apparatum ad decretales Gregorii IX., necnon reliquit glossas in primas quatuor antiquarum decretalium compilationes quorum laborum vestigia reperiuntur apud posteros glossatores, praesertim Tancredum.

169. *Speculum Ecclesiae,* in quo sermo est de sacramentis, disciplina et ritibus (in bibl. PP. parisiensi t. V., coloniensi t. XXIII., et lugdunensi t. XXV.) composuit s. Eadmundus (Edmundus) Divitius (Rich) Oxonii et Parisiis institutus, clarus in utraque academia magister, qui ex canonico et thesaurario salisburiensi electus est archiepiscopus cantuariensis 2. Apr. 1234, dignissimus s. Thomae successor. Apostolico enim zelo curavit reformationem cleri tam secularis quam regularis editis egregiis constitutionibus synodalibus praesertim de liturgia et disciplina, quas praeter alios ediderunt Johnson in Collection of English Canons t. II; Wilkins in concil. Brit. et Hib. I, 625; intrepide stetit pro juribus et libertate ecclesiastica adversus Henrici III. aviditatem et usurpationes. Ne tot abusibus cooperaretur, in Galliam secessit ibique sanctissime decessit 16. Nov. 1240, moxque (1246) ab Innocentio IV. relatus est inter sanctos[1]). — Guilelmus Peraldus (Peraltus, Perault, de Petra alta etc.) O. Praed. n. Petraltae (Perault), Lugdunensis saepe dictus: quia conventus lugdunensis alumnus. Etsi sat ignotus, si spectes ejus vitae adjuncta, maxime innotuit insigni prorsus opere Summa aurea *de virtutibus et vitiis*[2]), quae saepissime

---

nostro plura apud Sarti p. 403 ss.; Schulte l. c. p. 172 ss., et Zeitschrift für Kirchenrecht 1881. XVI, 107—132; Michael III, 257—260. Non desunt quid ei tribuant *Gesta episcoporum Halberstadiensium* (781-1229) in MG. XXIII, 73—123.

[1]) Cf. in primis Wallace Life of St. Edmund of Canterbury London 1893; Pohle KL². IV, 127; Feret I, 285—93; Chamillard Vie de S. E., Antissiodori 1763; Jaspar Notice biographique etc. Insulis 1872.

[2]) De quo ita Weiss in sua Apol. IV, 906 (ed. 1): Unerschöpfliche Schatzkammer eines Predigers und Asceten. Gerson meint, wenn alle Werke in Rauch aufgingen und es bliebe dieses übrig, so wäre der Verlust zu ertragen. Geiler hat

prodiit, novies saltem sec. XV., Coloniae 1479; 1618, 1629; Venetiis 1492; 1497; Romae 1557; Lugduni 1668 t. 2 in 1 v. in 4. etc., cujus *Summarium,* a Jac. de Voragine, ut ferunt, adornatum, prodiit Basileae 1497. *De fide et legibus* s. l. et a. (Augustae V. 1469), qui tamen l., judice Quetif, videtur esse potius Guilelmi III. parisiensis ep. *Sermones* vero de tempore et de sanctis, qui prodierunt sub hujus nomine Parisiis 1494; Coloniae 1629; 1632 etc. nostri sunt. *Ita et de eruditione* (seu de institutione) *religiosorum,* Parisiis 1512; Lovanii 1575; Lugduni 1585; Inglostadii 1591, Bibl. max. lugd. XXV, 567—653; accedit tr. *de horis canonicis rite persolvendis* et de aliis spiritualibus religiosorum hominum exercitamentis, seu etiam inscriptum *Speculum religiosorum* seu institutionum vitae spiritualis ll. VI universa, quae ad absolutam religionis formam spectant, exactissime comprehendentes, quod prodiit sub falso nomine Humberti O. Praed. quinti magistri generalis; *de eruditione principum* vel etiam de regimine principum, quod passim s. Thomae tribuebatur, ut in ed. romana 1570; neque adeo certum est, num Peraldi sit. Hoc opusculum celeber praesul moguntinus Em. de Ketteler († 1877) usui nobilitatis germanicae adaptavit ediditque germanice inscriptum *Die Pflichten des Adels.* Eine Stimme aus den Tagen des h. Thomas v. A., Moguntiae 1868. Quamvis cognominatus fuerit Lugdunensis, tamen neque archiepiscopus neque episcopus auxiliaris lugdunensis fuit, ut plures erronee referunt[1]). Quando obierit non constat. Alii dicunt ante a. 1260 vel 1270; alii ejus vitam protrahunt ad a. 1275. — B. Gervasii O. Praem. Angli, abbatis generalis (XIV.) ord. (1205), dein sagiensis episcopi (1220; † 28. Sept. 1228) exstant ultra *130 epistolae* ad viros illustres sui temporis sanctis monitis et salutaribus documentis refertae[1]), quas edidit sodalis Norbertus Callieu Valencenis 1663 in 4; ed. Lud. Car. Hugo in monum. s. antiq. t. 1. Dicitur reliquisse etiam commentarios *in Psalmos* et *prophetas minores.* Interfuerat sub Innocentio III. concilio lateranensi, summe carus fuit Honorio III., qui ejus opera usus est in arduis negotiis, eumque pluribus auxit gratiis, imo et in episcopum ordinavit. Inter belli sacri praecones erat celeber. — Opuscula aliqua admodum pia reliquit B. Hermann Joseph[2]) O. Praem. ab innocentiae vita, candidissimis moribus atque a sua filiali in b. Virginem devotione fidelibus carissimus († p. a. 1230, forte c. 1241), quae edidit Ign. van Spilbeeck, Namurci 1899.

170. Demum nominandus est Joannes de Garlandia (Gallandia) dictus a loco, in quo Parisiis scholas aperuit. Angliam matrem, nutricem Galliam habuit. Tolosae (1229—1232), dein Parisiis grammaticae et philosophiae egit magistrum (fl. 1245). Plura composuit opera[3]) ad grammaticam

einen großen Theil s. Gedanken aus Perault.

[1]) Cf. Quetif I, 131—36; de Rubeis in diss. de gestis et scriptis s. Thomae diss. 22; Jeiler KL². IX, 1798.

[1]) Albertanus de Albertanis jurisperitus, civis brixiensis, plures moralium instructionum libros compilavit ex effatis s. Scripturae, dictis veterum scriptorum ecclesiasticorum et etiam profanorum ad utilitatem suorum civium ceterorumque legentium (fl. 1246) ut *de amore Dei et proximi* deque forma vitae honestae: *de consolatione et consilio,* instructionem *de loquendo et tacendo,* quae italice versa prodierunt cura Bast. de Rossi, Florentiae 1610. Cf. Tiraboschi t. IV. l. 2 c. 2 n. 35; Mazzuchelli Scrittori Ital. I. p. 1. art. Albertano.

[2]) Cf. plura de eo in Actis SS. 7. Apr. I, 679 ss.; Fr. Kaulen Legende von dem s. Herm. Joseph, Mainz 1880; F. Timmermanns Vie du b. Herman-Joseph Lille-Paris 1900; Govaerts Ecrivains de l'Ordre de Prém. 1, 380—384.

[3]) Cf. Streber KL. VI, 1676 s.; Hauréau Notice sur les oeuvres authentiques ou supposées de Jean. de G. in Notices et

spectantia, ex quibus nostra aetate adhuc editus fuit ejus *Dictionarius*, Parisiis 1857; in Jahrb. für romanische und engl. Literatur VI Lipsiae 1865 p. 142 ss., alia *de musica* ecclesiastica (apud Coussemaker Script. de musica medii aevi, Parisiis 1864 t. 1), *Poenitentiarium* (rythmicum) pro confitentibus, Parisiis s. a.; Coloniae 1491 et alibi, Norimbergae 1508 cum versione germanica; *Morale scholarium*, satira versibus leoninis composita, in qua virtutem et vitium, urbanitatem et rusticitatem sibi opponit: *de mysteriis Ecclesiae* carmen, in quo symbolicam aedificii ecclesiastici et cultus christiani exponit, ed. a Fr. G. Otto Comment. crit. in codd. bibl. giessensis, Gissae 1842 p. 131 ss.; carmen historicum *de triumphis Ecclesiae* ab exitu Israel de Aegypto usque ad gesta s. Ludovici regis adversus Saracenos ed. a Wright, Londini 1856.

---

extraits de manuscr. de la Bibl. nat. XXVII (Parisiis 1879) 2, 1 ss.

VI.

Theologi annorum 1251—1275.

I. Theologia dogmatica.

171. Jam ad gloriosissimam theologiae scholasticae periodum accedimus, in qua fulserunt duo illustrissima illius luminaria, s. Thomas Aquinas, doctor „angelicus," et s. Bonaventura doctor „seraphicus". Quo autem notiores sunt, eo paucioribus contentis esse licet. Ex illustri in regno Siciliae comitum Aquini gente originem duxit Thomas[1]) patremque habuit Landulphum Aquini comitem. Natus est vel sub initium a. 1225, juxta alios 1226 vel 1227 in arce Rocca secca et quinquennis juxta morem magnatum ejus regni monachis casinensibus, quibus tum praeerat Landulphus ejus patruus, traditus est pietate et primis literis informandus. Decennis Neapolim mittitur, ut in academia tunc condita literas humaniores atque philosophiam addisceret, ibidemque a. 1243 ordinem s. Dominici est ingressus. Victis heroica constantia parentum et consanguineorum blanditiis, seductionibus, minis atque iniquis consiliis per fenestram arcis, in qua per annum veluti captivus detinebatur, a sorore dimissus atque ita libertatem nactus, Romam abiit atque a v. Joanne Teutonico ordinis magistro Parisios primum, mox Coloniam sub Alberto Magno erudiendus fuit ductus. Cum vero Albertus ad legendas sententias Parisios destinaretur, Thomas juvenis cum eo illuc est profectus. Finito cursu ambo, magister et discipulus, Coloniam reversi sunt, ibidemque Thomas sub Alberto juxta leges ordinis de iis, qui e studiis generalibus revertebantur, philosophiam, Scripturam s., sententias coepit interpretari ac legere. Anno 1251—52 illum Parisiis reperimus, ubi baccalaureus lectionem sententiarum est aggressus magno auditorum plausu et fructu. Magisterii tamen gradum ob turbas, quae inter academicos et religiosos excitabantur, assequi non potuit. Hinc in Italiam ad

[1]) Ex innumeris, qui de s. Thoma ejusque operibus scripserunt cf. prae primis Quetif I, 271—348; Werner Thomas von Aquin, in quo opere praegrandi agit etiam de ejus systemate et thomismi prosequitur historiam; de Rubeis in diss. infra citandis; Touron Vie de S. Th., Parisiis 1737; Acta SS. ad 7. Mart.; Feret II. 443—86; Michael a s. Jos. IV, 398—426; Mausbach KL. XI², 1626—1661; Willmann Gesch. des Idealismus II, 442-514.

Alexandrum IV. se contulit, atque cum Alberto et Bonaventura causam religiosorum egregie egit contra Guilelmum de Sancto Amore[1]): quare adversus hunc causa dicta est. Apologiam suam inscriptam *Contra impugnantes Dei cultum et religionem* tunc scripsit atque publici juris fecit. Pacatis tandem rebus Parisiis una cum s. Bonaventura laurea donatus (1257) quaestiones *de veritate* proposuit. Quadragesimae tempore a. 1259 conciones habuit Parisiis. Ad capitulum generale Valencenas vocatus cum Alberto M., Petro de Tarantasia aliisque magistris parisiensibus delegatus fuit ad rectam studiorum institutionem ordinandam, qui simul eas posuerunt leges, quas universus ordo tum amplexatus est[1]). Anno 1260 vel 1261 in Italiam reversus primum Romam novum scriptum super primum sententiarum l. legit a se compositum, quod tamen periit: deinceps in illis, in quibus summi pontifices degebant civitatibus, Urbe veteri, Anagniae, Viterbii, Perusii, et ipse eos secutus munere magistri s. palatii fungens commoratus est, scholam theologicam ubique apud sodales regens et nova in rem Ecclesiae condens et edens opera. Clemente IV. die 5. Febr. 1265 electo, consilium de edenda Summa theologica concepit duoque priora volumina ad a. 1269 perfecit, non tamen propterea ab aliis operibus scribendis vacans. Interfuit 1269 capitulo ordinis generali alteraque vice scholae sodalium Parisiis institutus est regens: interim praeter alia Summae p. secundam absolvit i. e. secundam secundae. In Italiam rediit post biennium atque Romae docuit. Tantum vero reliquerat sui desiderium Parisiis, ut universitatis rector ad patres ordinis in comitiis Florentiae 1272 congregatos literas amantissimas urgentissimasque dederit, quibus Aquinatem sibi reddi Parisiosque remitti instabat enixius: nam sua lucida et aperta doctrina, propter modum docendi compendiosum, apertum et facilem omnium auditorum captivaverat animos. Verum vicit Carolus utriusque Siciliae rex, qui illum petierat, ut postquam archiepiscopatum sibi oblatum, imo jam conscripto diplomate decretum, recusaverat, scholas saltem illustraret. Neapolim veniens (1272) triumphantis instar exceptus est ab omnibus regni ordinibus, qui sibi gratulabantur theologorum principem

[1]) Guilelmus dictus de Sancto Amore ab oppido, unde oriundus erat in Burgundia Sequana, canonicus bellovacensis, doctor parisiensis, nationis gallicanae et universitatis rector, ordinibus mendicantibus summopere infensus, neque laboribus, neque sumptibus pepercit, quo illorum magisterium in universitate praepediret. Scripsit a. 1255 contra eos *De periculis novissimorum temporum*, quem l. Alexander IV. damnavit et igni tradidit (1256) ob errores contra auctoritatem pontificiam et episcopalem et ob probra et injurias adversus ordines illos contentas. Ipse Guilelmus in exsilium fuit pulsus et munere docendi privatus. In exsilio scripsit l. *de Antichristo et ejus ministris*, adventu, signis . . . et s. Scriptura, quem frustra misit ad Clementem IV. Prodiit in vet. coll. ampl. collectione ed. Martene sub nomine Nic. Oresmi, sed juxta Denifle I, 412 a. est Guilelmi. Prodierunt ejus opera praesertim contra ordines mendicantes, Constantiae (Parisiis ed. Cortesio) 1632 in 4; sed editio prohibita fuit sub poena mortis; hinc admodum rara est. Continentur ea etiam quaestiones duae *de quantitate eleemosynae* et *de valido mendicante; Casus et articuli*, super quibus accusatus fuit magister G. . . . cum responsionibus ad singula. Opus vero: *Collectiones catholicae et canonicae Scripturae* ad defensionem ecclesiasticae hierarchiae et ad instructionem simplicium fidelium Christi contra pericula imminentia Ecclesiae generali per hypocrytas pseudopraedicantes et penetrantes domos et otiosos curiosos et gyrovagos: forte est alterius, ut notat Denifle chart. univ. paris I, 459 a. etsi ipsius stilum et dicendi modum omnino redoleat. Obiit 1272. Cf. de eo passim Feret II, p. 1 l. 2 c. 1 s. et p. 2 l. 2 c. 2. Baeumker KL. XII 1580—1586; Perrod Études sur la vie et sur les oeuvres de G. de St. A. Lons le Saunier 1902.

[1]) Ea statuta exhibet Denifle in chart. univ. paris. I, 385.

nunc possidere: ibidemque tertiam summae partem tantum ad q. 90. de poenitentia perduxit imperfectam eam relinquens: neque enim a festo s. Nicolai 6. Dec. 1273, ut ultra scriberet, persuaderi potuit. Convocato a Gregorio X. concilio lugdunensi a. 1274 vocatus et ipse iter arripuit mense Januario. Attigit castrum Magentiae (Maenza) dioecesis terracinensis invisurus cognatos, ibique incidit in morbum, quo invalescente petiit deferri ad monasterium Fossaenovae O. Cist. non procul distans, ubi fere per mensem aegrotans mortem sibi instare praevidit, munitusque sacramentis placidissime et piissime obdormivit[1]) in osculo Domini 7. Mart. 1274. Inter sanctos relatus fuit 1323 a Joanne XXII., qui hac occasione declaravit: „Ipse (s. Thomas) plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii doctores, in cujus libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae.“ Doctoris *angelici* nomen est adeptus, eidemque auctoritate s. Pii V. a. 1567 confirmatum; demum a. 1880 a Leone XIII. coelestis patronus scholarum omnium catholicarum est declaratus et institutus[2]).

172. Innumera reliquit opera, ut vere mirum sit, quomodo illa concipere et scribere potuerit, cum tantum 48 vel ad summum 50 aetatis annos numeraverit, idque eo magis mirandum, cum vix sit disciplina theologica, quam scriptis suis non illustraverit: sagacissimus enim erat philosophus, profundissimus scholasticus, invictus polemicus, solidissimus moralista, cordatus et sagax exegeta, jurium Ecclesiae strenuus vindex[1]), in operibus patrum versatissimus. Doctrina ejus excellit eruditionis vastitate, idearum nobilitate, speculationis securitate, probationis soliditate, expositionis methodo, dispositionis concinnitate, declarationis nitore. Numerantur ejus opera c. 60 genuina, alia 70 ei tributa sunt vel dubia vel supposita: ea seorsim saepissime prodiere, septies saltem collecta, scil. Romae studio Vincentii Justiniani et Thomae Manriquez 1570. 1571 t. 18, cum indicibus, quae ed. maximi aestimatur; Venetiis 1594—98 ad romanam expressa; Coloniae (Antverpiae alii dicunt) 1612 t. 18, cujus t. 18. spuria quaedam opuscula complectitur; Parisiis 1636-41 cur. Jo. Nicolai, Cosma Morelles etc. t. 23; Venetiis 1745 t. 28 in 4 cura B. M. de Rubeis, quae complectitur tantum scripta theologica, sed pretiosa est ob diss. criticas (30) et admonitiones praevias, in quibus operum genuinitatem tuetur, doctrinam s. Thomae illustrat atque vindicat (cf. ed. 2. Nomencl. III, 13); Parmae 1852—73 t. 25 in 4; Parisiis 1871—1882 t. 34 in 4., quae duae ed. non adeo sunt criticae et satis mendosae. Demum nova coepta est auspiciis Leonis XIII., qui

[1]) Cf. illustrissimum encomium ab universitate artistarum parisiensi ei exhibitum in literis ad capitulum generale ff. Praedicatorum datis, quibus ejus corpus et aliquos ejusdem ll. philosophicos 2. Maj. 1274 expetiit, apud Denifle Chartularii paris. I, 504 n. 447.

[2]) „Doctor communis“ dicebatur jam sec. XIV. De ejus auctoritate cf. Kleutgen Theol. der Vorz. Bd. 4 p. 2 disp. 1 c. 6 § 2; Theol. dogm. Comp. a nobis edit. t. 1 n. 139. Decreta autem vel statuta ordinis pro tuenda, commendanda, urgenda doctrina doctoris angelici in sodalium scholis cf. apud Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1880. 18, 311 ss.; 395 ss., ubi et aliorum decreta pro s. Thomae doctrina habes.

[1]) Schulte l. c. II, 28 annot.: Obwohl er keine eigentlichen canonistischen Werke verfaßt hat, ist er durch seinen Einfluß auf die gesammte Wissenschaft des späteren Mittelalters auch für das kanonische Recht von einer unermeßlichen Bedeutung. Das Studium seiner Schriften ist für jeden Punkt des canonischen Rechts, der in irgend welchem Zusammenhange mit der Theologie steht, unentbehrlich zur Erkenntniß der inneren Entwickelung. Dasselbe gilt für die Erkenntniß der Rechtsanschauungen überhaupt.

impensissima sollicitudine promovere sategit studium doctrinae s. Thomae, Romae 1882 ss., cujus prodiere jam (1897) t. 9 in f.

173. Opera tantum potiora indicabimus: *Commentaria* in primis reliquit in pleraque Aristotelis opera, quem non solum fideliter exponit, sed et plurimum illustrat, expolit, limat, perficit, ab erroribus purgat ac propemodum christianum reddit, scil. ejus philosophiam ita expolit et perficit, ut jam theologiae christianae, scholasticae praesertim, ancillari possit. Cum vero ejus versio, qualis tunc erat in usu, imperfecta valde, imo corrupta esset, nova translatio ut fieret (probabiliter a Guil. de Moerbecka) curavit[1]), quae scil. sententiae Aristotelis clarius contineret veritatem. Haec commentaria priores quinque t. ed. rom. complent; adjectus est t. 4. liber *de ente et essentia* (a. 1253), unum ex primis sancti nostri opusculis. — T. 6. et 7. continetur scriptum *in 4 ll. sententiarum* P. Lombardi, Moguntiae 1469; Parisiis cura Jo. Nicolai 1659 in f. etc., quod composuit adhuc juvenis (intra a. 1253-1256): hinc nil mirum, si in posterioribus operibus opiniones quasdam (sed paucas) retractaverit, emendaverit, melius exposuerit etc. — T. 8. continentur quaestiones, quae *disputatae* dici solent[1]), scil. de potentia Dei (5), de malo (16), de spiritualibus creaturis, de anima, de unione verbi, de virtutibus in communi, de veritate (29), Romae 1476; Coloniae 1499; 1500; 1508; Lugduni 1569; Parisiis 1883 etc. T. 9. exhibet *Summam catholicae fidei* contra gentiles, quam fertur composuisse (intra 1261—1264) hortante s. Raymundo de Pennafort, (cum commentariis Fr. Ferrariensis O. Pr. generalis magistri); Venetiis 1476. 1480; 1524; Coloniae 1497. 1499 etc., opus praestantissimum et plane aureum[2]), cujus optimam editionem ex

[1]) Guilemus hic natus est in oppido Flandriae Meerbeke ordinemque s. Dominici est ingressus. Linguas addidicit graecam et arabicam. Hinc a capitulo generali missus est cum aliis in Graeciam, et postea a Gregorio X. adhibitus in conc. lugdunensi 1274. Exinde factus est (1278) archiepiscopus corinthius. Sollicitus fuit de reducendis graecis ad Ecclesiae unitatem vertendisque libris graecis veterum philosophorum in latinum († 1286). Cf. de eo Quetif I, 388—391. Ejus versiones, quia verbales, etiam nostra aetate aestimantur atque iterum editae fuerunt: imo subinde textum originalem amissum supplent. Ita tria Procli opera habentur tantum in ejus versione, in ed. scil. operum Procli quam curavit Cousin Parisiis 1820; 1864. Cf. Lauchert Allg. d. Biogr. XLIII, 226.

[1]) Scheeben Handb. der kath. Dogm. l. 1 n. 1056: Eine reiche Sammlung von eingehenden Monographien (63 qq. in 400 Artikeln) über die wichtigsten Gegenstände aus dem Gesammtgebiet der Theologie, in welchen Thomas die Entwicklung der einzelnen Fragen freier und allseitiger als in seinen andern Werken gibt. Sie bilden daher den Schlüssel zum Verständnisse aller seiner Werke, indem sie am besten in seine Anschauungs-, Ausdrucks- und Behandlungsweise einführen.

[2]) De hac summa, ita Scheeben l. c.: In keinem menschlichen Werke von so geringem Umfange ist eine solche Fülle von Ideen niedergelegt. Prima forte scholia et commentationes in eam scripsit Godefridus de Fontibus (des Fontaines) Henrici gandavensis discipulus, cancellarius ecclesiae et universitatis parisiensis, canonicus itidem parisiensis, leodiensis et coloniensis, „doctor venerandus et eloquentissimus“ salutatus. Ea primum edidit Uccelli in appendice ed. supra laudatae: in nonnullis, sed minoris momenti, a s. doctore dissentit. Reliquit etiam quodlibeta ingeniosa et laudata, quae complectuntur qq. 257 et mscr. asservantur in bibliotheca nationali parisiensi; commentaria in ll. sententiarum; tr. de divinis officiis, ex quo nonnulla profert Flaccus Illyricus in suo catalogo testium veritatis. Vitam produxisse creditur ad a. 1306. In controversia universitatis cum ordinibus mendicantibus contra hos stetit. Cf. Feret III, 215—220; Lajard Hist. littér. de la France XXI, 547 ss.; Stöckl KL. V², 933; in primis M. de Wulf in op. numismate aureo donato, La vie, les oeuvres et l'influence de Godefr. de Fontaines, 1903.

codice autographo, qui in bibliotheca vaticana asservatur, curavit Petrus Ant. Uccelli de s. Thoma meritissimus, Romae 1878. *Quaestiones quodlibetales* duodecim, Coloniae 1471; 1485 etc.; Parisiis 1660 cum scripto altero in 4 ll. sententiarum cura Jo. Nicolai. — T. 10-12 continetur *Summa theologica* in tres pp. distributa (una cum commentariis Th. de Vio Cajetani). Hoc est praecipuum s. Thomae opus, sub quovis respectu praestans, quod prae ceteris nomen ejus reddidit immortale[1]). Illud tamen non absolvit, sed substitit in sacramento poenitentiae. Seorsim innumeris vicibus prodiit: recentiori aetate apud Migne t. 3 in 4; Parisiis 1846; Vivès Parisiis in 4. et 12; Faucher 1887—1889 t. 5; Veronae apud Fiaccadori, ed. nitida; Luxemburgi cum notis (non magnae utilitatis) Nicolai, Sylvii, Billuart et C. J. Drioux 1880 t. 8; Romae 1886 t. 6 in 8; Taurini 1894 t. 6. — Ad Summam complendam adjectum fuit Supplementum, quod complectitur ea, quae deerant de sacramento poenitentiae, et reliqua sacramenta necnon et eschatalogiam, ad verbum collectum ex commentario in ll. sententiarum. Quo tempore et quo auctore id factum sit, non satis constat. Nonnisi sec. 15. auctore forte Henrico de Gorrichen id videtur contigisse. — T. 10. adjecta sunt *in l. b. Dionysii de divinis nominibus expositio* (Argentinae 1502); *de praescientia et praedestinatione divina tr.*, qui tamen negatur esse s. doctoris. — T. 13—16 habes expositionem *in Job*, *in psalmos* (num vero haec expositio sit ipsius s. Thomae, an juxta ejus sermones a Reginaldo vel alio concinnata, est dubium); *in cantica canticorum*, quae incipit: *Sonet vox tua*, potest esse s. Thomae; altera, quae ejus nomen prae se fert et incipit: *Salomon inspiratus*, videtur esse Haymonis halberstadiensis (I[3], 822). *Commentaria* in Isaiam prophetam, in Jeremiam, in Threnos Jeremiae, in evangelia Matthaei (defectiva ex ejus ore a Petro de Andria[1]) collecta); et Joannis in priora 5 cc.; (in reliqua ab aliis reportata, ab ipso correcta); *Catenam*[2]) vel continuum commentarium in evangelia ex sententiis ss. patrum (plus quam 80) miro artificio connexam, hinc *auream* dictam (inter catenas latinas ea est praecipua), Romae 1470; 1476; Antverpiae 1569; 1678 in f.; Parisiis 1667 cura Jo. Nicolai etc.; expositionem *in omnes d. Pauli ap. epistolas* (Lugduni 1689 etc.), quae inter opera

[1]) De ejus ad Summam Alexandri halensis relatione ita post Scheeben (cf. supra p. 201 a.) censet Ehrle, Stimmen aus Maria Laach 1880. I. 285: Selbständiger ist die Stellung, welche der h. Thomas dem Alexander v. H. gegenüber einhält. Er nimmt zwar auch dessen ganzes Wissen in sich auf, aber setzt genau an dem Punkte, bis zu welchem Hales die systematische Gliederung und speculative Durchdringung des theologischen Materials gefördert hatte, mit seiner überlegenen Geisteskraft an, um die speculativen Wissenschaften sowohl die theologische als die philosophische, auf eine ungeahnte Höhe zu erheben. Wenn man also auch die Summe des Alexander als ein würdiges Vorbild der Summe des englischen Lehrers bezeichnen darf, so übertrifft doch letztere eben dieses ihr Vorbild nicht nur durch eine in manchen Lehrpunkten gesundere Doctrin, durch vollständigere Zusammenfassung d. theologischen Stoffes, sondern besonders durch grössere Bestimmtheit und Klarheit in der philosophischen Verarbeitung und Darstellung, sowie durch eine vollendetere Abrundung des theologischen Systems etc.

[1]) Hic Petrus de Andria, apulus, s. Thomae sodalis et auditor, alia quoque ex lectionibus s. Thomae collegit. Magnae fuit auctoritatis apud suos. A Clemente V. promotus fuit ad sedem aequensem (1306), quam circiter decennium rexisse fertur. Cf. Quetif I, 532.

[2]) Ejus *epitome* a Franc. Haraeo concinnata et scholiis illustrata prodiit Antverpiae 1625 in 8. Ab hoc s. Thomae opere invaluit mos similes compilationes in s. Scripturam catenas appellare.

exegetica doctoris angelici eminet[1]): exhibet enim se in eo interpretem argumenti dogmatici sagacem, diligentem, indefessum, qui ne voculam quidem praeterit: interdum tamen divisionibus et subdivisionibus textus lectorem obruit, ut commentarius aliquoties textu obscurior reddatur. Erasmus de ea scribit: „Meo animo nullus est recentium theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia reliquaque bonarum literarum supellex contingeret, qui iis, quae per hanc tempestatem dabantur, tam dextre sit usus[1]);" et vel protestantes hanc expositionem laudant. — T. 16. continentur quoque s. doctoris *sermones* Romae 1571; Parisiis 1578 etc., Oeniponte 1874. Plures reperit Uccelli, quos habes in ed. paris. Vivès t. XXXII, et Raulx d. Th. Aq. Sermones et opuscula concionatoria, Barri-Ducis et Parisiis 1881, sed omnium eorum genuinitas est dubia. Denique t. 17. complectitur *opuscula* 73 (sane etiam dubia vel spuria), quorum plura sunt plane egregia et aurea. Praecipua forte sunt: *Contra errores Graecorum* pro Urbano IV., qui de procuranda unione cum graecis erat sollicitus; *Compendium theologiae* ad fr. Reginaldum, quo revelationis capita revocat ad fidem, spem, caritatem. Absolvit tantum p. 1. de fide; p. altera de spe, in qua commentatur orationem dominicam, pertingit tantum ad petitionem secundam, ibique desinit, Paderbornae 1863; Taurini 1891; Wirceburgi 1896 cum versione germanica cur. Abert; *Declaratio quorundam articulorum* contra Graecos, Armenos et Saracenos; *expositio* super symbolum apostolorum (inter SS. PP. opuscula selecta VI, 164-254, Oeniponte 1869; 1887), orationis dominicae (ib. II, 88—148, 1868; 1879); super salutatione angelica (ib. XXXIV, 320—331, 1877); *de differentia divini verbi et humani; contra pestiferam doctrinam* retrahentium homines a religionis ingressu; *contra impugnantes Dei cultum* et religionem; *de perfectione vitae spiritualis,* haec tria contra Guil. de Sancto-Amore et Giral-

[1]) Sed prae oculis habeantur, quae in admonit. praevia n. 2 notat de Rubeis: „1. Integram ep. ad Romanos ac priora saltem 10 cc. ep. 1 ad Corinthios commentario illustravit Aquinas, quem proprio stilo scripsit (ex quo tamen, ut mox refert, pars a 7, 10 ad c. 11. periit). 2. In ipsam forte integram ad Corinthios primam ep. ac 10 priora cc. ep. ad Hebraeos editae proprio stilo ipsius Romae commentationes fuerunt . . . 3. Quae supersunt in ceteras ep. Pauli ex ore Thomae dictantis e suggestu postillas excepit fr. Reginaldus easdemque novis curis expendit ipse Aquinas, correxit approbavitque." Porro Reginaldus de Priverno (da Piperno, quod municipium est in Campania regni Siciliae) a s. Thoma electus fuit in arbitrum conscientiae et socium (circa a. 1260). Comes exinde s. doctori adhaesit individuus, arcanorum omnium conscius. Diu noctuque illi adstabat, tum ut illius curam gereret utpote sui quoad corporis necessaria negligentioris, tum ut data occasione vocatus etiam nocte mox lecto surgens amanuensem se promptum exhiberet. Sub eo Neapoli lectorem theologiae egit, quod munus a sancti morte continuavit. Dulcissimo huic et amantissimo s. doctoris socio plura ejusdem debentur opera, in primis *theol giae compendium* ipsi inscriptum. Quaedam vero Reginaldus ex ore Thomae publice docentis reportavit, ut ajunt, vel in ipsa schola audita scribens vel memoria tenacissima praeditus postea in museo. Haec sunt: Postilla *super Joannem,* Parisiis 1520 in f.; *super epistolas s Pauli* exceptis ad Romanos, 1. ad Corinthios et ad Hebraeos usque ad c. 11., quas s. Thomas proprio pugno exaravit; *super tres nocturnos Psalterii;* lectura super orimum *de anima,* quae prodierunt inter ppera s. Thomae. Cf. Quetif I, 382.

[1]) In adnot. in Rom. 1. Cf. Cornely Introd. Gener. diss. 3 c. 4. § 142. 248; Katholik 1862 I, 342—358 der h. Thomas als Exeget. Lenfant O. Pr. theologium biblicam s. Thomae t. 6 exhibet, quorum tres de V. T. prodierunt Parisiis 1657. (Cf. Nomencl. II², 498).

dum de Abbatis Villa[1]); *de regimine principum,* usque ad l. 2 c. 4 censetur genuinum, reliqua sunt Ptolomaei lucensis; *de eruditione principum* est suppositum, probabiliter Guil. Peraldi, de quo supra p. 303; *de regimine Judaeorum. — De forma absolutionis; de aeternitate mundi* contra murmurantes; quaestiones super l. Boëthii *de Trinitate* etc. Venetiis 1490; 1498; 1587; 1596; *de unitate intellectus* adversus Averroistas, qui animam quandam universalem per omnes diffusam fingebant[2]), Parisiis 1634 etc. Ejusdem p. III. reperit Uccelli a. 1876. Opuscula 49 prodierunt Mediolani 1488; insigniora 28 Duaci 1609 t. 2 in 8; theologica et moralia novo ordine distributa, Parisiis 1656; selecta, ib. 1881 t. 3 in 8; città di Castello 1886 t. 3; Ratisbonae 1879 t. 2; inedita cum notis criticis, Leodii 1842 ed. Ferrari, inter quae tr. *de adventu et statu et vita antichristi*[1]) etc. Edidit Uccelli sub nomine s. Thomae quaestionem ineditam Del Bello, Neapoli 1869, sed ea componitur ex lectione V. et VI commentarii s. Thomae in l. Dionysii de divinis nominibus. Cf. hac occasione ortam controversiam literariam in Zeitschr. f. k. Theol. IX (1885), 241-280.

174. Aliud splendidissimum theologiae scholasticae lumen est s. Bonaventura, in baptismo Joannes, a cognomento paterno Fidantius (Fidanza), a patria a Balneoregio (Bagnorea) in Etruria vocatus, natus 1221 parentibus piis sed pauperibus. A mortis periculo intercessione s. Francisci liberatus, Bonaventura (a graecis[2]) in conc. lugdunensi Eutychius) est dictus, et quia a matre Deo fuit dicatus, ordi-

[1]) Hic Giraldus de Abbatis Villa, de cujus vita et fatis parum scimus, archidiaconus fuit cameracensis († 1273) et praeter scripta adversus mendicantes, quibus respondendum censuit s. Thomas, reliquit postillas quasdam et prologum in universam s. Scripturam, quodlibeta etc., omnia inedita. Cf. Feret II, 249-55.

[2]) In cod. in bibl. monac. asservato (ms. lat. 8001 fol. 29) inscribitur tr. fr. Thomae contra mag. Sigerum (Sugerum), cujus est opus *de anima* et q. determinata, in quo non admisit multiplicationem intellectuum. Porro hic Sigerus dicitur de Brabantia et floruit altero sec. 13. dimidio. Ex ejus operibus videntur derivati plures ex erroribus (13) a Stephano ep. parisiensi 10. Dec. 1270 et ex 219 erroribus 7. Mart. 1277 damnatis (cf. Denifle Chartul. paris. I, 486 n. 432 et p. 543 ss. n. 473); et ipse cum Bernero Nivella de crimine haeresis probabiliter et vehementer fuit suspectus, hinc ab inquisitore fidei juridice citatus. Videntur tamen se satis purgasse vel ab erroribus resipuisse, cum in communione Ecclesiae obierint et multos codd. Sorbonnae, cujus erant socii et magistri, legarint. Cf. Quetif I, 375; praeprimis Baeumker, qui edidit ejus *Impossibilia* Münster 1898, Zur Lebensgesch. des Suger von Br. in Archiv f. Gesch. der Phil. XIII, 1, 73—80; et Mandonet Siger de Br. et l'averroisme au XIIIe siècle. Étude critique et documents inedits, (quinque scripta) Friburgi in Helv. 1899. Obiit interfectus ab amanuensi f. 1283/84. Feret II, 256—63.

[1]) Strenue pro s. Thoma stetit Robertus Oxfordius (fl. c. a. 1292), de quo Lelandus c. 299: „R. Ottanfordus vir Praed. ord. tanta cum eruditionis tum ingenii felicitate praeditus erat, ut sive de disciplina aristotelica seu de ss. literis quaestio esset, copiose, graviter, docte potuerit disserere. Creditur autem hanc virtutem e fontibus Thomae Aq., cujus synchronus fuit, hausisse. Illud constat Robertum tam sancte in ejus verba jurasse, ut in Aegidium rom. augustinianae sectae professorem Aquinatis dogmata subinde impugnantem scripserit. Praeterea Henricum gandavensem simili de causa mille telis confodere, quem admodum ex edito l. apparet, non dubitavit". Scripsit etiam contra Jacobum viterbiensem et quosdam sorbonicos. Cf. Quetif I, 431.

[2]) Ab his etiam dictus est Εὐσταθής Eustathius, quod dein aliqui mutarunt in Eustachium, quia in omni disputatione, quam Lugduni cum graecis habuerat, cum doctrinae veritatem ac disciplinae gravitatem perpetua constantia servasset". Ita in ejus vita praemissa ed. op. Romae 1588—96 p. 4—5.

nem s. Francisci est ingressus a. aetatis 17 (1238). Parisios missus (1242 vel 1243) triennio studiis operam dedit, ut videtur (neque enim est certum) sub Alexandro Halensi (cf. p. 257), qui de eo dixisse fertur: »Ecce verus Israelita, in quo Adamus non videtur peccasse«. Annos natus 24 baccalaureus coepit interpretari magistrum sententiarum sodalibus successitque in cathedra Joanni de Parma in ministrum generalem ordinis a. 1247 electo, in ipsa universitate exponens eundem magistrum et ss. literas ab a. 1248-55, quo anno suspensae fuere praelectiones ob conflictum inter auctoritatem civilem et sedem apostolicam. Doctoris lauream consecutus est a. 1257, cum jam esset minister generalis ordinis; unanimi enim suffragio electus fuerat a. 1257, eique muneri renunciavit paucis hebdomadis ante mortem. Ejus ministerium cessit in summum ordinis commodum, incrementum et reformationem, adeo ut velut alter ejusdem institutor a suis habeatur. Promulgavit constitutiones hactenus in capitulis generalibus editas dictas *statuta narbonensia,* quae veluti fundamentalia sunt pro ordine. A Clemente IV, dictus est 12. Nov. 1265 archiepiscopus eboracensis in Anglia: sed prae humilitate non quievit, donec pontifex electionem revocaret. Ipse auctor fuit, ut salutatio Virginis sic dicta »Angelus Domini« in fidelium usum induceretur. Defuncto Clemente IV, (1268) cum cardinales de successore per biennium et ultra non convenirent, prudentia et consilio suo viam ineundae concordiae invenit, et ita demum electus fuit Gregorius X. (1. Sept. 1271), qui eum 3. Jun. 1273 cardinalem et episcopum albanensem creavit. Nuncius illum reperit, cum pro more post prandium ex consueta humilitate cum ceteris fratribus lavabat tergebatque culinae utensilia. Mox praecepit ei pontifex, ut ad se in Italiam veniret, quo ejus consilio uteretur pro futuro concilio oecumenico Lugduni habendo, et ipse revera praecipuas habuit partes in omnibus negotiis, quae illius praeparationem et unionem cum graecis ineundam, negotium illius concilii gravissimum, attingebant, ejusque prudentiae, diligentiae et labori felix synodi exitus est tribuendus. In sessione 3. ultimum habuit sermonem: laboribus curisque exhaustus ad praemia aeterna transiit intra 14. et 15. Jul. 1274. Omnes, qui synodo aderant, magno luctu mortem ejus prosecuti sunt, ejusque funeri interfuere circa 500 episcopi et archiepiscopi cum summo pontifice, imperatoribus Germanorum et Graecorum per proceres, Jacobo Angliae rege omnibusque cardinalibus: quare ejus funere a memoria hominum gloriosius non legitur. Pontifex in sess. 5. ejus merita coram patribus extulit, omnibusque sacerdotibus sacrum pro ejus anima celebrandum indixit. Conditum fuit sacrum ejus corpus in ecclesia sodalium Lugduni: a rabidis calvinistis illud flammis in publica platea a. 1562 fuit traditum vixque caput eorum furori ereptum. Sixtus IV. a. 1482 eum sanctis accensuit et Sixtus V. Ecclesiae doctorem declaravit 14. Mart. 1587, qua occasione eloquenti encomio ejus sanctitatem prosequitur et doctrinam. Abstinemus ab afferendis aliorum encomiis: omnes enim in eo laudant virtutum splendorem, vitae sanctitatem, conversationis affabilitatem. Sufficiant nobis pauca, quae legimus in actis concilii lugdunensis. Relata enim ejus morte ita prosequitur illorum scriptor[1]): »Fuit homo eminentis scientiae et eloquentiae, vir quidem sanctitate praecipuus, vita, commiseratione ac moribus excellentissimis decoratus, benignus, affabilis, pius et misericors, virtutibus plenus, Deo et hominibus dilectus . . , Frater Petrus ostiensis episcopus (qui postea fuit papa dictus Innocentius V.) celebravit missam et prae-

[1]) Labbe act. concil. 24, 67 ed. ven. 1780.

dicavit proposito themate: *Doleo super te, frater mi Jonatha* (2. Reg. 1, 26). Multae lacrimae et gemitus ibi fuerunt: hanc ei gratiam concesserat Dominus, quod quicunque eum videbant, ipsius amore incontinenti capiebantur ex corde.« A s. Thoma, quocum amicitiae vinculo erat junctus, distinguitur eo discrimine, quod aptissime designatur ipso titulo, quo honoratur et ab illo discernitur. Dicitur enim ille doctor *angelicus* propter speculationis sublimitatem, expositionis luciditatem, vitae et doctrinae puritatem seu virginitatem, intellectus praedominium: S. Bonaventura vero salutatur doctor *seraphicus* (prius doctor „devotus,« a Gersonio „cherubicus«), quia dum catholicae fidei veritatem illustrat erroresque profligat „piae fidelium mentes, ut Sixtus V. constitut. citata declarat, ad Dei amorem et coelestis patriae desiderium admirabiliter inflammantur. Fuit enim in s. Bonaventura id praecipuum et singulare, ut non solum argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia praestaret, sed divina quadam animos permovendi vi exelleret: sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat et intimos animi recessus illabatur ac denique seraphicis quibusdam aculeis cor compungat et mira devotionis dulcedine perfundat, quam sane gratiam in ejus ore et calamo diffusam admirans praedecsssor noster Sixtus IV. P. illud dicere non dubitavit, Spiritum s. in eo locutum videri[1]).« Trithemius de Scr. eccl. c. 4: „Omnes sui temporis doctores utilitate operum facile praecellit, si spiritum divini amoris et christianae devotionis in eo loquentem attendas. Profundus est, non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; flammantia, non inflantia verba proferens; unde et securius legitur, facilius ab amante intelligitur, frequentatur dulcius et fructuosius retinetur.« Prae ceteris vero eum effert Gerson, qui in ep. ad quendam religiosum O. Min. a 1426 scribit: „Inflammat affectum et erudit intellectum, reducit et unit ad Deum per amorem excitationum: dum alii multi divaricant et dispergunt intellectum per praecisiones, prioritates et posterioritates et signa et contingentia, cum tamen unum sit necessarium.«

175. Mirum pariter est sicut in s. Thoma, doctorem seraphicum, qui occupatissimam degit vitam in regendo et visitando suo ordine, otium nactum esse conscribendo tot tamque mira opera et opuscula. Ea prodierunt saepe seorsim et iteratis vicibus collectim[1]), scil. primum Argentorati 1495 t. 4 in f.; dein sub auspiciis Sixti V. Romae 1588—99 t. 7 in f., quibus continentur scripta 94; ed. splendida, recusa Moguntiae 1609; Lugduni 1668; aliter disposita Venetiis 1751 t. XIII, ed. ut dicitur a Jeiler depravata diatriba historico-chronologico-critica (hypercritica): contra quam scripsit doctissimus Bonelli egregium Prodromum ad omnia opera s. Bonaventurae, Bassani 1767

[1]) Plura de ipso cf. in Waddingi annalibus ab a. 1221-74; in actis SS. 14. Julii; Jeiler KL². II, 1017-1027: Katholik 1874. II, 8—23; Sbaralea in Supplem. p. 141—72, qui accurate recenset etiam eos, qui opera s. Bonaventurae illustrarunt etc.; cf. de his etiam prolegomena ed. recentissimae t. I. p. LXIV ss. Henricus O. Min. aliquamdiu lector Turici in Helvetia, forte idem cum Henrico Göckelmann de Isny, confessario et consiliario Rudolphi I. imp., episcopo basileensi (1275—86) et demum archiep. moguntino († 1288), epitomen concinnavit op. s. Bonaventurae in ll. sententiarum. — Richardus Roux (quem alii Rufum appellant, alii a Rich. Rufo distinguunt) O. Min. Anglus (fl. c. 1270) auctor est (mscr.) compilationis 4 ll. s. Bonaventurae. Cf. Feret II, 392. Alios, qui opera doctoris seraphici illustrarint, infra pro opportunitate recensebimus.

[1]) Cf. de his edit. praef. gener. ed. novae pag. IV ss.

(cf. Nomencl. III², 104). Cogitavit is quoque de curanda nova editione accurata et absoluta, sed aetate et laboribus praepeditus opus immensum exsequi non potuit: ejus loco dedit *Supplementum* operum omnium s. Bonaventurae, Tridenti 1772—74 t. 3 in f. (pretiosum), quo 45 ejusdem scripta hactenus inedita typis mandavit. Novam (sed infelicem) ed. curavit Peltier Parisiis 1864—71 t. 15 (cf. Nomencl. III², 1306). Demum Fidelis a Fanna cum Ant. M. de Vicetia post ingentes labores et sudores, scrutatis ad 400 Europae bibliothecis, se accinxit ad novam editionem tanto doctore condignam. Non potuit quidem illam videre morte praereptus (1881): sed strenue cooperantibus sodalibus sub ductu Ign. Jeiler prodiit illa ad Aquas claras (Quaracchi) ab a. 1882 t. IX ea accuratione, ut haec editio melioribus editionibus operum ss. patrum aequiparari possit, cum ad omnes regulas sanae criticae sit exacta.

176. Potiora opera s. doctoris sunt: *Commentarius* in 4 ll. sententiarum, Venetiis 1573. 1580; 1611; Romae 1569 etc. opus praegrande (t. 4 in f.) et praecipuum, in quo plerumque presse assectatur Alexandrum hal. sed et praecellit (cf. supra p. 257), et accuratione atque concisione expositionis eminet. — Huic subjicimus aureos duos libellos *Breviloquium* theologicae veritatis, et *Itinerarium mentis* ad Deum[1]); quorum nitida est editio, quam curavit Hefele, Tubingae 1861 ed. 3; prius testimoniis parallelis ex aliis s. doctoris operibus illustratum edidit Antonius M. a Vicetia, Friburgi 1881 ed. 2. in 4; utrumque cum l. de reductione artium, Quaracchi 1890. — *Quaestiones disputatae* (hactenus ignotae) de scientia Christi, de mysterio ss. Trinitatis, de perfectione evangelica (in t. 5. ed. novae). — In s. Scripturam plura reliquit commentaria, in quibus magis ad practicum quam ad scientificum illius usum attendit: hinc minus presse quam s. Thomas literam secutus in tropologicas applicationes et allegoricas accommodationes facile excurrit. Quapropter medio aevo magni aestimabantur et concionatoribus usui erant. Huc spectant ejus commentaria (certo genuina) in *Ecclesiasten,* in *l. Sapientiae,* in *Evangelia* s. Lucae et s. Joannis[1]), in quod scripsit etiam *collationes* seu sermones in locos selectos. — *Commentarius in Apocalypsim* ipsi tributus in opp. supplemento Tridenti 1773 est spurius. — *De reductione artium ad theologiam* seu de illuminationibus; *Centiloquium,* Argentorati 1495; Parisiis 1510, quod est specimen libri sententiarum seu collectio sagax testimoniorum patrum de universa fere theologia videtur suppositum; *declaratio terminorum theologiae.* — Collationes *in Hexaemeron* ab ejus discipulus literis consignatae; collationes *de septem donis Spiritus s.;* sermones selecti (4) de rebus theologicis, inter quos eminent: *De ss. corpore Christi* et *Christus unus omnium magister* (in ed. nova t. V.). — Magni aestimantur opuscula ascetica seu mystica. Praecipua sunt: *De triplici via* alias incendium amoris, cujus opusculi pre-

[1]) De iis ita censet Scheeben l. 1 n. 1052: Es (Breviloquium) ist ein wahres Juwelenkästlein, welches mit jedem Worte eine große Frage lösend und die Entwicklung des theologischen Wissens auf den obersten Grundsätzen des Glaubens in der gedrängtesten und anschaulichsten Weise darstellend, recht eigentlich die Quintessenz der damaligen Theologie enthält. Während das Breviloquium Alles von Gott aus betrachtet, verfährt das Itinerarium mentis ad Deum umgekehrt, indem es Alles auf Gott zurückführt und so die verschiedenen Wege und Stufen der Erkenntniß Gottes (ähnlich wie Richard von St. Viktor im Benjamin major) entwickelt.

[1]) *Commentarium in Joannem* genuinum primus edidit Bonelli in suo Supplemento. Ille qui invenitur in ed. vaticana aliisque manifeste spurius est.

tium juxta editores recentissimos vix satis aestimari potest, cum totam theologiam mysticam in nucleo comprehendat et jure alterum quoddam Breviloquium, theologiae non scholasticae, sed mysticae vocari possit. — *Soliloquium* per modum cujusdam dialogi, in quo anima devota, veritatis aeternae discipula, meditando interrogat et homo interior mentaliter loquendo respondet (ita in prol. n. 4).« — *Lignum vitae,* quod complectitur pias meditationes de vita et passione Christi[1]). — *De perfectione vitae* ad sorores. — *De sex alis Seraphim*, quod opusculum supponit non tantum doctrinam consummatam, sed etiam longioris regiminis experientiam valde maturam; utinam illud diurna nocturnaque manu versaretur a subditis atque praelatis. Quisquis ad ipsum sese exegerit cum sancto sanctus erit. Alterum opusculum inscriptum *de sex alis Cherubim* est suppositum. — *Vitis mystica* sive tr. de passione Domini, s. Bernardo alias suppositum, ab aliis interpolatum. Ex hoc opusculo desumptae sunt lectiones Breviarii 2. Nocturni in festis ss. Cordis Jesu et ss. plagarum D. N. J. Christ. — Plura opuscula scripsit pro defensione ordinis praesertim contra Guil. a s. Amore (cf. supra p. 309 a.), ut Quaestio *de paupertate* — *Apologia pauperum* prolixa — De ejus *Legenda s. Francisci* stilo plane mirabili conscripta jam supra egimus. Ex ea delerivata est *legenda minor* distributa in septem titulos, quarum singuli habent novem letiones, quae durante Octava festi s. Francisci in officio divino recitandae erant. — Plurima autem opuscula (forte ultra centum) ei fuere supposita vel ex ejus operibus genuinis compilata, vel saltem dubia sunt, ut *Centiloquium, Stimulus amoris, Speculum disciplinae* ad novitios, quod videtur esse Bernardi a Bessa, de quo infra; *Speculum conscientiae* seu speculum animae; *Expositio missae.* — Certo spuria sunt: Confessionale, de septem itineribus aeternitatis, stimulus amoris, biblia pauperum, diaeta salutis, speculum b. M. V.; theologia mystica, de modo confitendi et de puritate conscientiae, quod est Matthaei a Cracovia († 1410); de septem gradibus contemplationis, Pharetra etc. Opuscula saepe prodierunt et seorsim et collectim, (theologica) Venetiis 1572 t. 2 in f.; Lugduni 1647; (ascetica) Monasterii 1881; decem Quaracchi 1896 in 16. Ibidem prodierunt etiam *De humanae cognitionis ratione* anecdota quaedam seraphici doctoris s. Bonaventurae et nonnullorum ipsius discipulorum (card. Matthaei ab Aquasparta, Jo. Pecchami, Eustachii, Rocherii Anglici, Rich. a Mediavilla), ib. 1883. Adjecta est diss., qua genuina s. Bonaventurae doctrina luculenter vindicatur ab erroneis ontologistarum assertionibus, et ostenditur, principia s. doctoris optime convenire cum doctrina angelici doctoris. Scripsit et l. Ign. Jeiler *S. Bonaventurae principia de concursu Dei generali* ad actiones causarum secundarum collecta et s. Thomae doctrina confirmata 1897. — Reliquit s. doctor plurimos etiam *sermones*, erat enim concionator praeclarissimus, qui coram omnis generis personis, coram rom. pontifice, cardinalibus et episcopis, academiis et familiis religiosis, doctis et indoctis praeconis apostolici munus obivit fructu et pausu laetissimo. Prodierunt saepe, sed plurimi sub ejus nomine editi sunt supposititi. Ita ex 398, quos exhibet ed. vaticana a. 1596 t. III., editores recentiores agnoverunt tantum 53 genuinos. Eorum tamen loco sedulitate sua indefessa alios multos repererunt genuinos. Ex codicibus 65 a se expensis editionis suae t. IX. inserere potuerunt 475, quorum alii (53) manu ipsa s. Bonaventurae summatim sunt conscripti, alii ab ejus auditoribus literis consignati, aliis sunt ser-

[1]) Prodiit hujus opusc. versio germanica Friburgi 1888 ed. 2.

monum schemata. Praemittunt editores t. IX. *Artem concionandi,* quod opusculum utile s. doctori asserunt.

177. Hannibaldus de Hannibaldis (Hambaldus, corrupte Hamraldus) de Molaria ex illustri et antiqua gente Romae natus, adolescens O. Praed. est ingressus. Praeclaro ingenio praeditus studiorum causa Parisios mittitur, ad gradus promovetur, publice sententias legit, s. Thomae, quem ut magistrum venerabatur, ut videtur, familiaris et in cathedra successor (1257—60). In patriam reversus ita doctrina et pietate inclaruit, ut ab Urbano IV. cardinalis a. 1261 vel 1262 crearetur. Ad graviora deinceps Ecclesiae negotia admotus fuit († 1272). Scripsit *commentarium in 4 ll. sententiarum,* quod primum s. Thomae fuit tributum et hinc inter ejusdem opera comparet: est propemodum compendium commentarii genuini doctoris angelici, hujusque summam theologicam respicit et doctrinam Petri de Tarantasia prae oculis habet, Basileae 1492; Parisiis 1560. 1660 etc. Laudantur etiam ejus *quodlibeta* (inedita). — In eundem magistrum scripsit Thomas Dochingus (Dokingam, cor. Bockingam) O. Min. natione Anglus, patria Norfolcensis, Oxonii post diuturnos labores creatus doctor et publicus professor. Praedecessorem in eo munere habuit Joannem Gualensem, cui neque doctrinae neque virtutum meritis erat inferior. Prodiit ejus opus Parisiis 1505. Plurima ejusdem commentaria in Deuteronomium, Job, Isaiam, Lucam, in omnes Pauli ep., in apocalypsim, quaestiones ordinariae aliaque manserunt inedita[1]). Claruit circa a. 1270.

178. Robertus Grosseteste (Greathead, Capito a capitis magnitudine) stupendae eruditionis in omni scientiae genere, aemulus Alberti M. et Rogerii Bacon aequalium suorum, natus est parentibus pauperibus in Angliae oppido Stradbrook agri suffolciensis circa a. 1175. Amicorum subsidiis adjutus studiis operam dedit Oxonii et Parisiis: quibus absolutis Oxonium rediit (1200) ibique doctor creatus mox constituitur rector scholarum et vicecancellarius. Pluribus beneficiis pro abusu tunc vigente cumulatus, conscientiae stimulis territus, omnibus se abdicavit frustra reclamantibus cognatis et familiaribus contentus unica praebenda cathedralis lincolniensis. Post mortem s. Hugonis electus est 1225 in episcopum lincolniensem atque mox intrepida energia abusus et perversas consuetudines in sua dioecesi evellere

---

[1]) Quosdam adhuc nominemus, quorum labores manserunt inediti. In magistrum sententiarum scripserunt Thomas abbas Sandalins O. Ci. Scotus (c. a. 1257), cujus sunt etiam quaestiones controversae. — Eduardus de Kaneresburgo O. SS. Trin. Anglus doctrina et pietate conspicuus († 4. Maj. 1257). — Benedictus Tamacedus (Taracredus, Tomacredus, Tomacellus) OP. Perusinus. — Guilelmus Varro (de Varra, de Waria, Verus, de Osna etc.) O. Min. Anglus, „doctor fundatus" cognominatus et ut fertur Scoti magister (fl. c. 1267). — Joannes Pungensasinum (Poinlane) O. Praed. magister parisiensis (fl. 1251). — Petrus Swaningtonus (Svanendunus) O. Carm. Anglus, cujus eliam sunt quodlibeta 47; quaestiones ordinariae et lectiones Scripturarum. Floruit c. a. 1270. — Richardus Castriconensis O. Praed. Anglus, qui eodem tempore floruit. — Robertus Waldock O. SS. Trin. Scotus ex episcopo sidoniensi in Syria ab Urbano IV. cardinalis renunciatus († 1272). — Hugo O. Praed. Metensis. — Romanus de Roma O. Praed. ex illustrissima Ursinorum gente natus, s. Thomae in schola parisiensi successor, quum is secunda vice scholam rexerat († 1273). — Quibus adde Eduardum Ledred O. SS. Trin. professorem oxoniensem († 1265). — Petrus de Collemedio (in Abrutiis) sacras literas Parisiis est professus factusque archiepiscopus rotomagensis, ab Innocentio IV cardinalis (1244) et in legationibus praesertim ad Fridericum II. saepe adhibitus fuit. Reliquisse dicitur Summam theologiae († 25. Maj. 1253). Cf. Eggs Purp. d. § 79.

est nisus. In prima sua visitatione pastorali septem abbates et quatuor priores ob neglectum munus deposuit: hinc magnae excitatae immorigerorum in eum turbae, qui et veneno ipsi insidiati sunt: quo hausto mortem vix evasit. Prima vice causam adversus suos canonicos apud Innocentium IV. evicit: hinc majori adhuc zelo visitationes instituit: sed iterum accusatus apud rom. pontificem, praevalentibus suis adversariis „tristis et vacuus" Avenione in patriam rediit, sed propterea non destitit ab urgenda sui gregis reformatione. Quin imo Innocentio IV. audacter restitit, cum is exigeret canonicatum pro nepote suo in ecclesia lincolniensi. „Ego ex debito obedientiae et fidelitatis, quo teneor, scripsit ipse ad pontificem, . . . filialiter et obedienter non obedio, contradico et rebello [1]." Hinc gloriosus factus est apud protestantes, qui ipsum pro veritatis teste et protestantismi praecursore jactant: sed immerito: fuit enim probe catholicus, primatum romani pontificis sincere agnovit, sed reformationis contra ubusus zelo nimis abreptus, reverentiae debitae est oblitus. Negari nequit eum multa praestitisse pro vindicandis libertate et juribus ecclesiae suae, pro reformatione morum, suoque exemplo aliis praeluxisse: simul vero erat vir literatissimus, qui de omnis disciplinae argumentis scripsit, non solum de rebus theologicis et philosophicis, sed et de physica, astronomia, magia et vel de agricultura. S. Scripturam mirum in modum callebat, ut omnes ejus scripta testantur; linguarum graecae et hebraicae erat gnarus, hinc aliqua e graeco vertit, ut *Testamentum XII patriarcharum* (sane spurium), Augustae V. 1483; Parisiis 1549 in 12. etc., Suidam, imo forte etiam epistolas s. Ignatii M. Commentatus est Aristetelis et Boëthii opera, necnon Dionysium Areopagitam, Argentorati 1502 (inter Areopagitae opera), quem in finem versionem latinam ex omnibus simul collatis consarcinavit. Adversus Judaeos disputavit *de cessatione legalium,* cujus fragmenta vulgavit Londini 1652. 1658. Bruno Ryves; plenius ea leges in Edg. Brown fascic. rerum expetendarum et fugiendarum II, 244 ss. Ejus *epistolas* (131) magni momenti pro historia sui temporis collegit ediditque Luard [1] praemissa accurata biographia inter rerum

[1]) Verum M. Ch. Jourdain dubitat de veritate eorum, quae auctori nostro hac in re imputantur, in op.: Doutes sur l'authenticité de quelques écrits contre la cour de Rome attribués a R. Grosse-Tête, in Comptes-rendus de l'Académie des Inscriptions, Parisiis 1868 p. 13—27, ubi inter alia scribit: „Un point demeure constant, c'est que les écrits contre la cour de Rome attribués a R. Grosse-Tête aussi bien que les faits correspondants racontés dans l'Historia major et dans l'Historia minor sunt en contradiction manifeste avec les opinions qui se font jour à chaque page de la correspondance authentique de l'évêque de Lincoln. La critique est donc en droit de rejeter ces écrits commes apocryphes, ces faits comme controuvés, dût l'autorité des deux ouvrages de Mathieu Paris en souffrir quelque peu". Genuinitatem tamen tuetur Felten op. infra cit. Den schlechten Ruf, scribit Michael Zeitschrift für kath. Theol. 1889. XIII 722 occasione recensionis hujus op., beziehungsweise, die Gunst, deren er sich zum Theil in der akatholischen Geschichtsschreibung erfreut, verdankt der ehemalige Kanzler an der Universität Oxford dem zeitgenössischen Verfasser der sogenannten Chronica major, dem Mönche Matthäus Paris. Kein Buch hat so viel zu der falschen Auffassung des Charakters Grossetestes beigetragen, wie diese Chronik.

[1]) His addendae sunt *epistolae* (246) ejus familiaris Adami de Marisco O. Min. Angli. Bathensis, quondam s. Antonii Patavini condiscipuli, ob insignem scientiam „Doctoris illustrati" (secundum Genaér „illustris") encomio donati, oxoniensis academiae theologi literati († c. 1258), quas edidit Brewer in Monum. franciscanis 1858. (I, 77—489). Tribuuntur ei plura opera inedita, ut commentarium in ep. ad Hebraeos; lectura in Genesim, in cantica canticorum etc. Cf. Jeiler KL. VIII, 867.

britannic. medii aevi SS. Londini n. 25 1861 p. 1—444. Innumera autem (sermones, dissertationes, dicta etc.) mscr. asservantur in collegio ss. Trinitatis cantabrigiensi. Decessit 9 (secundum alios 10) Oct. 1253 non sine sanctitatis fama, adeo ut iteratis vicibus cogitatum fuerit de instituenda canonizationis causa. Magnae erat auctoritatis apud romanum pontificem, regem Angliae aliosque viros sua aetate illustres. En qua reverentia de eo loquantur aliquot cardinales apud Matthaeum Parisiensem ad a. 1253: „Catholicus est, imo sanctissimus, nobis religiosior, nobis et sanctior, excellentior et excellentioris vitae, ita ut non credatur inter omnes praelatos majorem, imo nec parem habere. Novit hoc gallicani et anglicani cleri universitas: nostra non praevaleret contradictio . . . Magnus enim habetur philosophus, latinis et graecis literis ad plenum eruditus, zelator justitiae, lector in theologiae scholis, praedicator in populo; castitatis amator, persecutor simonialium[1])".

179. Alius polyhistor hujus temporis est Vincentius, a loco originis, ut videtur, Bellovacensis dictus, O. Praed., qui Lutetiae Parisiorum studiis operam navavit et unus ex primis fuit, qui illi ordini se addixerit. Helluo erat librorum, ideoque nullis dignitatibus honorari voluit, ut totum se illis legendis excerpendisque traderet: quod tamen non ita praestitit, ut etiam a concionando cessaret. Dum in Regalis montis monasterio (Royaumont), quod s. Ludovicus rex magnificentia plane regia construxerat et frequentius invisebat, degeret lectorisque munere pro religiosis O. Cist. fungeretur, ab ipso rege advocabatur, ut et sibi esset lector et ita in familiam regis fuit adscriptus: cui rex liberaliter subsidia praebebat ad libros suo rogatu componendos († c. 1264). Omnia ejus opera spirant pietatem, testantur ejus humilitatem, disciplinae observationem, morum integritatem inter aulicos incorruptam, religionis zelum, fratrum amorem, studium salutis animarum ardentissimum. Inter ea praecipuum locum tenet et multorum instar est ejus *Speculum majus*, encyclopaedia ingens totius eruditionis medii aevi, in qua sedulitate plane stupenda ad 450 scriptores et circa bis mille opera, quorum multa jam periere, laudat atque ex eorum dictis suum contexuit opus, ex suo ingenio pauca addens, hinc ait illud esse „ipsorum auctoritate, meum autem sola partium ordinatione[1])." Prodiit illud quadripartitum in 4 grandiora volumina divisum, quorum primum inscribitur *Speculum naturale*, quod ll. 32 praemissa disp. de Deo et angelis universam historiam naturalem juxta ordinem opificii sex dierum pro statu scientiae illius temporis complectitur; alterum *doctrinale*, quo ll. 17 lineamenta omnium disciplinarum a grammatica usque ad theologiam tradit; tertium *morale*, in quo 3 ll. agit de passionibus, legibus, gratia, virtutibus et vitiis; et

[1]) Cf. Oudin III, 136—53; Pegge Life of Grosseteste, Londini 1871; Felten R. Gr. B. von Lincoln, Friburgi 1887; Stevenson Rob. Grosseteste . . . a contribution of the religions, political and intellectual hystory of 13 century, London 1893; Pohle KL². V, 1292—99; Wharton, qui in Anglia sacra II, 343 exhibet ep. decani et capituli ecclesiae s. Pauli lond. ad Clementem V. de canonizando R. Grosthed, et *Vitam* metricam auctore Richardo monacho Bardeniensi OSB. (fl. 1504) II, 325—341.

[1]) Cf. Boutaric Examen des sources du Speculum historiale de V. de Beauvais, Parisiis 1863 opus praemio donatum; Vincent de B. et la connaissance de l'antiquité classiques au 13. siècle Paris 1875; idem in Revue des qq. histor. XVI, 1—53 et seorsim Parisiis 1875; Baumgartner Gesch. der Weltliteratur IV 1. 2 c. 19; Kappes KL. V², 973—978; Feret II, 401—21; de editionibus op. etc. Potthast p. 1095.

quartum *historiale*[1]) i. e. historia ab o. c. ad a. 1244 ll. 31 (ab anonymo continuata ad ad. 1494), cura Jo. Mentelin Argentorati 1473 t. 4 in f.; 1474 s. l. t. 4 in f.; Nürembergae 1483 in f. cura H. Lichtenstein; 1494; 1591; Duaci 1624 t. 4 in f. (editio bona) studio Benedictinorum collegii vedastini. Hoc speculum fuit jam olim gallice versum, in epitome contractum, ut ex. gr. a s. Antonino in summa historica. Ex eodem ipse auctor epitomen confecit inscriptum *Memoriale temporum*, quod reperitur in ejus Speculo naturali cc. 22—106 (in MG. XXIV, 154—67). Singulae partes saepe quoque prodierunt: ita Speculi moralis ed. s. l. typographi nomine et a. (ut videtur Coloniae 1470) rarissima est (m. 600), sed alibi etiam prodiit. Cum autem in Speculo morali potissima pars Summae s. Thomae scil. 1. 2. et 2. 2 fere integra, varie tamen mutilata, sed iisdem plane verbis, legatur: enata est controversia, uter ab altero acceperit, num Vincentius a s. Thoma, an hic ab illo. Echard. in diss. s. Thomae Summa suo auctori vindicata Parisiis 1708 s. doctorem a plagii suspicione penitus absolvit, imo ostendit: 1. Vincentium tria tantum specula, naturale scil., doctrinale et historiale edidisse, nec de quarto speculo morali illis addendo unquam cogitasse; 2. Speculum morale farraginem esse ex variis auctoribus (s. Thoma, Petro de Tarantasia, Rich. de Mediavilla, Steph. de Borbone) qualitercunque concinnatam; 3. Speculum morale opus esse sec. XIV. nec nisi inter a. 1310—25 a falsario editum et Bellovacensi nostro suppositum. Non tamen propterea illud contemnendum censet, imo tribus reliquis speculis cum literatis gravius censet et verbi Dei praeconibus utilissimum ratione scil. operum, ex quibus compilatum est. — Alia Vincentii opera sunt: *De eruditione filiorum regalium*, l. utilis magna diligentia concinnatus ex testimoniis s. Scripturae (267), ss. patrum (357) et scriptorum ethnicoruu et mohammedanorum (239); germanice Francofurti 1819; *Liber gratiae* seu potius de mysterio redemptionis; et *l. laudum Virginis gloriosae*[1]); *l. consolatorius* ad regem Franciae pro morte filii sui, quae prodierunt Basileae 1481; alia manserunt inedita[2]).

180. Rainerus Sacconus (Sacco, Sacconi) Placentiae in Gallia Togata natus, Waldensium prius antistes multa reipublicae christianae damna per Aemiliam intulerat, tandem in se reversus orthodoxaque Christi fide totis viribus totoque animo suscepta, ordini Praedicatorum se addixit, atque mox haereticis, quorum falsum antea tam vehementer tutatus fuerat dogma, bellum indixit, et censor fidei per Lombardiam constitutus eos viva voce, scriptis et etiam suppliciis est insecutus[3]). Pro defensione fidei subire exsilium non timuit († 1259). Scripsit eruditam *summam de Catharis et Leonistis* sive pauperibus de Lugduno[4]), Parisiis

[1]) Ex hoc sicut et ex chronico Girardi de Fracheto compilavit Adamus claromontensis clericus episcopi (fl. 1272) *Hl res historiarum* ab o. c. 1268, cum continuatione ad a. 1270; cujus excerpta habes apud Bouquet Recueil XXI, 76—79 et in MG. SS. XXVI, 591 s.

[1]) In Virginis laudes admodum effusus est Gonzalvus de Berceo poeta illustris hispanus presbyter, qui floruisse creditur intra 1198—1269, cujus poemata exhibet Sanchez Coleccion de poesias castellanas anteriores al siglo XV Madrid 1679—1790 t. 2; de Ochea Paris 1842. Fuse et erudite de nostro auctore disserit atque carminum specimina exhibet Jos. Boubée in Etudes XCIX, 512—537. Cf. supra p. 254.

[2]) Cf. Quetif I, 212—240. De Memoriali cf. Waitz in Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde III, 49—76.

[3]) Cf. Schrod KL. X², 1450.

[4]) Guilelmus de Podio Laurentii (Pui Lorent), capellanus Raymundi VII., scripsit stilo simplici, sed barbaro, *chronicon* super historia negotii Francorum

1548; et a Martene in thes. anecd. V, 1759. Ea fuit admodum divulgata additionibusque aucta pro varietate regionum. Editio ita interpolata et multis aucta prodiit inscripta *l. contra Waldenses,* curante Gretser, Ingolstadii 1614 in 4., qui l. hac forma non est ipsius Sacconi; prodiit et in bibliothecis patrum parisiensi t. 4; coloniensi t. 13; lugdunensi t. 25. — Huic addimus sodalem Guilelmum Pelhisso (Pelisson, Pelissus) Tolosanum, unum ex iis, qui ordinem adhuc in incunabilis et recens institutum ingressi sunt, quique ab Albigensibus haereticis gravissimas pro fide sustinuere persecutiones, sed et strenue pro religione et intrepide decertarunt. Celebriorum inquisitorum in partibus tolosanis eo in munere obeundo socius fuit († 6. Jan. 1268 stilo veteri, novo 1269). Plura inquisitionis acta complectitur suo *chronico* 1229—37, quod edidit Molinier in sua thesi *De fratre G. Pelisso* veterrimo inquisitionis historico, Lutetiae Parisiorum 1880 in 8. coll. Revue des qq. hist. XXIX (29), 675 s. Novum textum exhibet Douais in Les sources de l'histoire de l'inquisition dans le midi de la France aux 13. et 14. siècles, ib. 1881. — Guilelmus Tripolitanus, a loco nativitatis ut videtur ita dictus, O. Praed. in terrae sanctae regionibus Evangelii praeco et operarius, qui magnam Saracenorum et Turcarum turbam ad Christi fidem adduxit, scripsit *de statu Saracenorum* et de Mahomete pseudopropheta eorum, et eorum lege et fide ad Theobaldum archidiaconum leodiensem, qui postmodum electus est in romanum pontificem nomine Gregorii X. Fragmentum hujus scripti exhibet Du Chesne Script. rerum Franciae t. V.

181. Nominari hic potest auctor graecus, qui unioni cum latinis ineundae favebat: scil. Nicephorus Blemmida (Blemmydes), vir in disciplinis philosophicis admodum versatus[1]), monachus, aliquoties candidatus sedis patriarchalis CP., quam tamen dignitatem recusavit († 1272). Ejus opera prodierunt Lipsiae 1784; ad nos spectant duae diss., in quibus stat pro formula „Spiritus s. a Patre per Filium procedit", nunquam vero probat additionem filioque: in patrol. gr. Migne CXLII, 533 ss. Eas interpolatas esse jactant Graeci. *Commentaria* in plures psalmos, ib. 1321—1622. Ejus *curriculum vitae,* ab ipso compositum, et *carmina* accurate primum edidit A. Heisenberg Lipsiae 1896.

---

sive bellorum adversus Albingenses ab a. 1099—1271, quod editum est minus accurate a Guil. Catello in historia comitum tolosanorum, Tolosae 1623, append.; ab Andrea du Chesne Script. hist. Franc. V, append. I, 666—705; excerpta habes in MG. SS. XXVI, 596—602; gallice a Car. Lagarde, Beziers 1864 in 12.

[1]) Cf. Card. Hergenroether KL². II, 919. — Bonacursius O. Praed. bononiensis graeca lingua optime et accurate comparata diu in orientalibus partibus degit (c. hb a. 1230—75) et Graecis schismaticis ad Ecclesiae romanae concordiam adducendis impigre totus incubuit. Hinc collegit thesaurum fidei (ineditum), in quo dogmata tractat controversa de processione Spiritus s. etiam a Filio, de purgatorio, de paradiso, quod scil. animae justorum perfecte purgatae mox in coelum admittantur; de inferno quod peccatores in peccato mortali decedentes mox in illum descendant, de pane azymo, de primatu Petri, de polygamia successiva. Cf. Quetif I, 156.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

182. Praeter s. Thomam, qui merito et hic est laudandus, alio gloriatur ordo Praedicatorum, qui in studiis biblicis haud incelebre nomen est consecutus. Hugo de S. Caro (de Saint Cher) a loco natali Viennae Allobrogum ita appellatus, etiam dictus a s. Theuderio (falso de s. Theodorico), quia et hoc nomen loci ejus natalis, Parisios juvenis venit emensisque philosophiae ac theologiae studiis in sacra facultate baccalaureus est admissus, tum et juri utrique operam dedit, quod et publice docuit. Ordinem s. Dominici est ingressus 22. Febr. 1225, et vix tyrocinio emenso a. 1227, quia ad regimen erat aptissimus, Franciae provincialis est dictus. Post triennium officio solutus unus ex primis fuit, qui super libros sententiarum publice legit, expletisque conditionibus licentiatus, tum etiam laureatus est. Hinc ab Henrico gandavensi de script. eccl. c. 40 dicitur primus, qui ex illo ordine cathedram theologiae magistralem meruit ascendere. Ipse quoque unus ex ultimis fuit, qui usi sint „materia super l. sententiarum, quam fecit magister Petrus Manducator[1]).“ Iterum regimini admotus est dumque leodienses sodales visitaret, ab episcopo in consilium cum aliis adscitus est, quibuscum novum festum Corporis Christi probavit multumque promovit. Post abdicationem s. Raymundi integro anno generalem ordinis egit vicarium. Innocentius IV. eum primum ex Dominicanorum ordine cardinalem dixit 28. Maj. 1244, eoque ut viro industrio et intrepido in gravioribus Ecclesiae negotiis usus est; hinc magnam partem habuit in conc. lugdunensi. Operam suam contulit in reformanda Carmelitarum regula, in examine sic dicti „Evangelii aeterni (cf. p. 257)“, in dijudicandis controversiis, quas contra ordines mendicantes suscitavit Guilelmus a Sancto Amore (cf. p. 309). Obiit apud Urbem veterem 19. Mart. 1263 (stilo veteri 1262, juxta Eubel 1264) sepultusque fuit praesente Urbano IV. cum universo cardinalium collegio numerosoque omnium in aula romana praelatorum praesentium coetu. Inter ejus opera eminet *S. Biblia recognita et emendata* i. e. a scriptorum vitiis expurgata, additis ad marginem variis lectionibus codd. mscr. hebraeorum, graecorum et veterum latinorum aetate Caroli M. scriptorum. Hoc opus collaborantibus sane sodalibus et de die in diem perficientibus ita accuratum, ita numeris omnibus absolutum, tanta sapientia concinnatum agnoscit R. Simon, ut quale est typis edi ac sub prelo sudare e re Ecclesiae esse fateatur, imo et dolendum addat, quod correctores romani, qui biblia vulgata ediderunt, illud von viderint alioquin utilissimum illis futurum. Asservatur modo adhuc Parisiis originale ejusdem exemplar. Haec vero Sanjacobeorum sodalium (ita cognominati a conventus nomine) correctio[1]) viris eruditis sec. XIII. ita arrisit, ut variantes saltem lectiones marginales multi sibi describendos curarint hincque depromptum est celebre correctorium sorbonicum, et a capitulo generali ordinis parisiensi 1256 mandatum „quod fratres innitantur illi correctioni“. Et revera Albertus M., s. Thomas etc. in citandis Scripturis sequuntur hanc textus recensionem. — Aliud opus magnae utilitatis est ejus *sacrorum bibliorum*

[1]) Cf. Denifle chartularium univ. paris. I, 158 annot. 1.

[1]) Cf. quaedam ex eo edita a Denifle Archiv 4, 546—52.

concordantiae (verbales), quas ipse primus omnium concinnavit coadjuvantibus, ut ferunt, quingentis sodalibus. Quem in finem textum divisit in capita (quam tamen divisionem alii Steph. Langton vindicant cf. p. 269), et capita in septem segmenta alphabeti literis designata. Hae concordantiae gradatim majorem nactae sunt perfectionem additis etiam particulis et vocibus indeclinabilibus. In iis perficiendis strenuam operam impenderunt duo sodales angli, Joannes de Derlington († 1284) Henrico III. regi Angliae a confessionibus et consiliis, archiepiscopus dublinensis, et Richardus de Stevenesby: hinc dictae *concordantiae s. Jacobi* a conventu, ubi fuere concinnatae, vel *anglicanae* ab auctoribus, vel *maximae* comparate scil. ad priores: quia non tantum indicata loca, sed descripta leguntur commata integra. De posterioribus auctoribus suis locis redibit sermo[1]). — *Postillae* (piae, solidae, breves) in universa biblia juxta quadruplicem sensum literalem, allegoricum, moralem, anagogicum, saepissime editae, ut Venetiis 1487 t. 6; 1600 t. 5; Basileae 1487. 1489 etc.; Coloniae 1621; Lugduni 1645. 1669 cum auctoris vita; commentarii *in psalmos*, qui tamen olim Alexandro hal. tributi fuere, ut supra diximus p. 260. Opera ejus in Scripturam collecta prodierunt Venetiis 1754 t. 8 (m. 100). *Sermones* super epistolas et evangelia de tempore, Argentorati 1476; *de tempore et sanctis*, Zwolle 1479 in 4; commentarius *in 4 ll. sententiarum* (ineditus); *speculum Ecclesiae* una cum speculo sacerdotum volentium celebrare missam, in quo agitur concise de intentionis discussione, generali contritione et pura confessione, Parisiis 1480; Romae 1498; Lugduni 1554, et saepissime alibi sub inscriptione *Expositio missae*, s. l. et a. (c. 1480 et 1485 Norimbergae). Sub ejus nomine prodiit etiam s. l., a. (c. 1480) et n. typographi: *De defectibus in missa occurrentibus.*

183. Robertus de Sorbonio a loco natali dictus, insignis concionator, primum cameracensis, deinde s. Mariae parisiensis canonicus et Ludovici regis sacellanus (n. 1201 † 15. Aug. 1274), fundator est[1]) collegii postea adeo celebris ab ipso Sorbonna dicti. Ipse scripsit (utiles lectuque dignas) *glossas* divinorum librorum, quas Tournemine, quia sagacem produnt interpretem, edidit cum Menochii commentario Parisiis 1719; Venetiis 1722; *de conscientia, de confessione et iter Paradisi* triplex sermo, ut videtur ad studiosos, in bibl. pp. paris. t. 5. lugdunensi t. 25. Opusculum *de matrimonio* edidit Hauréau in Notices et Extraits de quelques manuscrits de la Bibliothèque nationale, Parisiis 1890 pag. 180 ss. Dictus est a posteris „doctor devotus, devotissimus“[2]).

[1]) Cf. interim Kaulen KL². II, 637 ss.; VI, 385; Fabricius I, 382 s.; Quetif I, 203 ss.; Feret I, 349—57.

[1]) Fundationem fusius narrat Feret II, 1 ss.; de Roberto cf. ib. p. 203—13; Michael a s. Joseph Bibliogr. crit. IV, 73.

[2]) Distinctiones super Psalterium (ineditas) reliquit Odo (Eudes) de Chateauroux, de Castro Rodulphi, Castillonaeus, ex cancellario parisiensi monachus in Grandi silva O. Cist. et ex abbate Ursicampi in dioecesi noviomensi episcopus cardinalis tusculanus (1244), legationibus in Angliam et Galliam clarus († 1273). Reliquit et Summam quaestionum theologicarum et moralium. Cf. Feref I, 217. — Thomae Eboracensis O. Min. praelectoris inter Franciscanos in academia oxoniensi († 1260) commemoratur commentarius in Ecclesiasten. Ejus esse putant nonnulli *Institutiones Ethicae* Thomae Angli, quae prodierunt Londini 1660 in 12. — Guilelmus de Altono (Southampton) OP. Anglus fl. c. 1265 et reliquit commentaria vel postillas in plures ll. V. T., quos cf. apud Quetif 1, 244. — B. Bartholomaeus de Bregantiis (Bragantiis, quod gentile castrum et municipium erat) antiqua nobilique familia apud Vicetinos ortus, non minus vitae sanctitate et eruditione cla-

ruit, inter primos s. Dominici sectatores, magister, ut ferunt, s. palatii, fuit episcopus (c. a. 1250) nimosiensis in Cypro insula; inde translatus a. 1256 ad ecclesiam vicetinam. Sed Ezzelini tyranni offensionem incurrens in exsilium fuit pulsus, qua occasione Alexander IV. eum nuncium in Angliam pro fidei negotiis misit. Defuncto Ezzelino 1260 Vicetiam rediit, tantaque civium gratulatione exceptus est, ut ab iisdem civitatis princeps constitueretur († 1270). Reliquit plura inedita, inter quae postillas et glossas in aliquot libros V. et N. T., scholia seu glossemata in ll. Dionysii vulgo crediti Areopagitae, de utroque jure etc. Cf. Quetif I, 254—59.

III. Historia ecclesiastica.

184. Chronica[1]) haud pauca iterum recensere licet. Albertus monasterii b. Mariae in suburbio stadensi (Bremensis dioeceseos) OSB. monachus et abbas (1232—40), cum ferre non posset sodalium socordiam, qui religionis observantiam negligebant, transiit ad fratres O. Min. Compilavit ipse rudi modo ex Ekkehardo, Beda, Adamo bremensi, Helmoldo, Gilberto etc. chronicon magnum seu *annales*[2]) ab o. c. ad a. 1256, quos deinde ipse vel alius continuavit ad a. 1265, alius ad a. 1324. Complectuntur quidem hi annales etiam legendas, ob inopiam tamen aliorum monumentorum non carent omni pretio. Prodierunt integri cura Reineccii Helmstadii 1587, sed scholiis pravis deturpati; Wittembergae 1608; et aliis ed. omissis optime ab a. 1165 ed. Lappenberg in MG. SS. XVI, 271—379; cont. 411—19; germanice interprete Fr. Wachter, Lipsiae 1890; 1896 ed. altera inter Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit t. 72. — Carmina etiam prolixa composuit, quae ad nos non spectant. — Joannes de Tayster OSB. in monasterio s. Edmundi dioecesis norwicensis reliquit *annales,* quos edidit Benj. Thorpe in ed. Florentii wigorniensis, Londini 1849 t. 2, hinc errori locum praebuit, ut hoc opus Joannis nostri vulgo continuatio Florentii vocaretur; excerpta (ab a. 1083-1165) exhibet F. Liebermann in MG. SS. XXVIII, 584—91; ex ejusdem continuatione auctore Joanne de Everisdene (ab a. 1267-94) ib. 591—97; et ex continuatione cujusdam anonymi (ab. 1296—1300), ib. 597 s. — Joannes de Wallingfordus OSB. (alius ab eo, qui magister de Cella est dictus et ex priore Wallingfordiae factus est abbas XXII. s. Albani dioecesis londinensis † 1214) in monasterio s. Albani († 1258) concinnavit *brevia chronica* ab a. 446—1026, quae continuavit, nam in MG. SS. XXVIII, 505-11 exhibentur aliqua ex a. 1201—58. Aliqua ab a. 449-1035 dedit Gale hist. brit. SS. 15. p. 525—559; anglice versa sunt a Jo. Stevenson in Church historians of Engl. Londini 1854. t. III. — Ibidem pariter exhibentur p. 527—47 quaedam ex Arnaldi civis londinensis, filii Thedmari, chronica ab a. 1127—1274. — Thomas Sprottus (Spottus) Norwicensis OSB. Cantuariae scripsit *chronicam* ab o. c., quam alii videntur continuasse ad a. 1395, quae cum aliis prodiit cura Th. Hearne Oxonii 1719 in 8. Reliquit etiam (ineditam) histo-

[1]) Radulphus de Linham (Lyneham) natione Anglus, illustris sec. XIII. mathematicus, circa a. 1257 auctor fuit *calendarii ecclesiastici*, quod partim prosa partim versibus scripsit. Reperitur inter opera v. Bedae, cui olim tributum fuit. Cf. Migne XC, 727 ss.

[2]) Cf. Lappenberg Archiv 6, 326—63; Wattenbach II, V, § 19; Eckhard vita Alberti stad., Goslarii 1726 in 4. Schütz Commentarius crit. de scriptis et scriptoribus hist. p. 52 ss., qui putat inepta quaedam et falsa a quodam interpolatore illis fuisse assuta.

riam cantuariensem, et abbatum sui coenobii vitam et res gestas. — Ex chronico ab o. c. ad a. 1272 Girardi de Avernia canonici claromontensis, quod tamen nimia siccitate arescit, judice Bouquet, prooemium dederunt Martene thes. anecd. I, 1182 et Bouquet Rec. XXI, 213-19, qui etiam exhibet annos 1228—88 (ad quem a. ab anonymo fuit continuatum), et fragmenta in MG. SS. XXVI, 593-95 cura Holder-Egger. — Ibidem p. 196—98 reperies fragmenta (sicut et passim apud Bouquet Recueil) *Chronici pontiniacensis* ab o. c. ad a. 1273, quod nonnulli, aliis refragantibus, tribuunt Guilelmo Godello monacho s. Martialis lemovicensis OSB., et ab anonymo ad a. 1320 continuatum fuit. — In l. inscripto *Missivbuch* recenter reperto Alberti Behaim de Hager, Bohemi dicti, sed nativitate Bavari, causidici quondam in romana curia sub Innocentio III. et Honorio III., decani capituli passaviensis, legati pontificii a Gregorio IX. in Germaniam missi cum amplissimis facultatibus (1239—53) contra Fridericum II. († 1260), reperiuntur plurima monumenta et acta magni momenti pro historia et controversiis illius temporis illustrandis. Edidit[1]) illum C. Höfler in op. Friedrich II. p. 394—413; plenius in Bibliothek des liter. Vereins, Stuttgart 1847 t. XVI. p. 2 pag. 3—153.

185. Etiam *singularum nationum*[2]) habemus chronica. Ita historiam Angliae narrat Matthaeus Paris (Parisius, sic cognominatus a familia, non a patria, Parisiensis) OSB. in monasterio s. Albani, patria Anglus, magni factus ab Henrico III. rege et Innocentio IV. Hujus pontificis jussu holmensis monasterii in Norwegia, et coenobiorum in norvicensi dioecesi monachos in regulari observatia disciplinae claudicantes reformavit. Praefuit celebri sui monasterii scriptorio. Erat enim, teste Pitseo, poeta elegans, orator facundus, dialecticus acutus, philosophus subtilis, mathematicus non contemnendus, artium liberalium peritus, historicus percelebris et theologus solidus et quod caput omnium est, morum integritate purus, vitae innocentia clarus, simplex, candidus. In ejus scriptis immensos labores et incredibilem sedulitatem videre est, quibus etiam accedit ingenium et judicium († 1259): alii tamen, et merito quidem, haud parum hisce encomiis ipsiusque laboribus detrahunt, nam multa aliunde descripsit, praesertim usque ad a. 1235 ex Rogeri de Wendovera (de Wendovre, de Windefora) ejusdem monasterii sodalis et historiographi regii († 6. Maj. 1236) *floribus historiarum*[1]) ab a. 304—1234, qui

[1]) Cf. Literaturam apud Potthast p. 31; in primis Lerchenfeld Alb. Behaim, München 1874; Ratzinger hist. pol. Bl. 84, 565—81; 637—56; 832—46; 85, 105—16; 195—314; qui nova et accuratoria studia doctis communicat ibid. 1897 t. 119 p. 81—100; 259—72; et in Forschungen zur baierischen Gesch. Kempten 1897.

[2]) Exstat carmen Rogerii canonici varadiensis miserabile *super destructione regni hungarici* (per Mongolos), apud Endlicher Mon. Arpad. p. 255-296. Porro Rogerius natione erat Italus et inciderat in Mongolorum captivitatem. Postea factus est archiepiscopus spalatensis (1249-1266).

[1]) Ab hoc opere distingui debent *Flores historiarum*, qui tribui solebant cuidam Matthaeo westmonasteriensi. Verum Luard, qui illos edidit t. 3 Londini 1890 ab o. c. ad 1326, ostendit auctorem hunc esse fictitium, illosque esse a variis auctoribus compilatos, qui ad a. 1066 Matth. Parisii sequuntur chronicam magnam et post hujus mortem opus illud continuarunt. Saepe jam ante prodierat Londini 1567 curante Parker valde mendose et cum interpolationibus; 1570 longe melius; Francofurti 1601, additum est chronicon ex chronicis ab initio mundi usque ad a. 1118 deductum auctore Florentio Wigorniensi, cui accedit continuatio usque ad a. 1141; excerpta prostant in MG. SS. XXVIII, 462—504; anglice versum a C. D. Yonge, Londini 1852 t. 2

prodierunt cur. Coxe Londini 1841-49 t. 5; Henry G. Hewlett ib. 1886—89 t. 3 (inter rer. brit. SS. medii aevi n. 84), et Excerpta in MG. SS. XXVIII, 20—73 ed. Liebermann. Ab a. 1235 ipse narrat undique collectis notitiis, documentis, epistolis, narratiunculis atque ita concinnavit chronica majora seu historiam majorem, cui adjecit l. *additamentorum*, qui integer non amplius habetur. Saepe ea prodiit: ed. prioribus omissis integra cura Luard Londini 1872—1883 t. 7; gallice interprete Huillard-Bréholles, Parisiis 1840. 1841 t. 9; fragmenta germanice interpretibus G. Grandaur et Wattenbach, Lipsiae 1890. Continuavit illam Guilelmus Rishanger OSB. monasterii s. Albani, chronographus sive chronicator (ut ipse se dixit, † p. 1312) ab a. 1259—1306, quae continuatio prodiit in *Chronica monasterii s. Albani* ed. ab Henr. Th. Riley, Londini 1865 inter rer. brit. med. aevi SS. n. 28 p. 1—230. Historiam majorem Parisius in multis et ferme ubique contraxit, non pauca dispunxit, in eorumque loco alia non pauca scitu digna apposuit, quae epitome propterea dicta est *Historia minor* (1067—1253) vel etiam historia Anglorum, quam continuavit discipulus ad a. 1265. Prodiit cura Frid. Madden, Londini 1866-69 t. 3 (inter SS. rer. brit. n. 44); excerpta dedit Liebermann l. c. p. 390-434. Sed *Abbreviatio chronicorum Angliae* ab a. 1000—1255, quae saepe non differt ab historia Anglorum mox relata, apud Madden III, 159—348, ipsi abjudicatur. *De gestis abbatum albanensium*, Londini 1867—1869 t. 3; *vitae duorum Offarum* Merciorum regum (patris et filii fundatorum monasterii s. Albani a. 793) et 23 abbatum s. Albani, in ed. historiae majoris cur. Wats, Londini 1640 et 1684 p. 960—988. Luard tamen hoc opus Parisio abjudicat. Fragmentum *vitae s. Stephani* († 1228) archiepiscopi cantuariensis exhibet Liebermann anglonormannische Geschichtsquellen p. 318-329. Alia perierunt. Excerpta ex opp. editis habes in MG. XXVIII, 107-443 ed. Liebermann, qui ib. p. 74—107 fusius de nostro disserit auctore. Ejus historia aestimatur ob documentorum copiam, unde vel Baronius eam aureum commentarium vocat; stilus est comptus et latinus, ut ratione stili inter meliores scriptores numerari possit, sed propterea a multis super meritum attollitur, quod in romanos pontifices atque ordines mendicantes fuerit iniquior, adeo ut nonnullis dubium moverit, num ejus scripta, recentius edita, non fuerint ab aliquibus corrupta vel interpolata: hinc non adeo in omnibus est fide dignus[1]).

186. Hermannus OSB. in monasterio altaicensi, in quo fuerat jam a pueritia bene institutus, ecclesiae custos et ob rerum peritiam a suo abbate in gravibus negotiis ad curiam pontificiam et aulam caesaream missus, in diplomatibus bene versatus, opera

in 8., opus quod olim multum fuit lectitatum et excerptum ob factorum et legendarum undique collatarum copiam. Cf. Potthast pag. 450. 778. 974. 981.

[1]) Cf. Michael SJ. Zeitschr. für kath. Theol. 1889. XIII, 722. Der englische Mönch war ein geschworener Feind der Bettelorden; seine Berichte über die Päpste zeugen von krankhafter Verbitterung gegen den päpstlichen Stuhl. Esser KL. IX, 1518: Als Geschichtsquelle ist M. Paris durchaus unzuverlässig: seine Abneigung gegen alles, was ihm nicht zusagte, verleitete ihn zu rücksichtslosem Urtheil über geistliche und weltliche Auctoritäten, wobei er statt verbürgter Thatsachen oft genug grundlose Verdächtigungen, ja offenbar erfundene Geschichten erzählt. Vgl. Lingard History of England, London 1837. III, 160 note. Prolixe de Parisii operibus disserit Schüz in suo comment. crit. p. 326—49, aliorumque virorum eruditorum ut Baronii, Bellarmini, Possevini, Sollerii, Cuperii, Stiltingi, Mabillonii graves censuras refert et cum pluribus ejus opera fuisse

plura historica composuit. Unanimi sodalium suffragio electus est 27. Oct. 1242 in abbatem et a. 31 suo monasterio magna solertia, prudentia et commodo praefuit. Apud pontifices, episcopos, principes ob animi dotes et bene gesta magnae fuit auctoritatis. Annis et laboribus attritus munere se abdicavit 12. Martii 1273, decessitque vir optimae memoriae 31. Jul. 1275. Inter ejus opera, quorum non omnia sunt edita, sunt *Auctarium Ekkehardi, Annales ducum Bavariae, Catalogus abbatum altahensium, catalogi monachorum altah., de advocatis altahensibus, de institutione monasterii altah.* (741-1271), *de rebus suis gestis* (1247—73), *annales* Hermanni ab. ab 1137 usque ad a. 1273, quos alii continuarunt et auxerunt: juxta aliquos Henricus Stero (Steoro) ejus capellanus, postea abbas mettensis (ad a. 1300) et Albinus ipsius in dignitate abbatiali successor: quod tamen a recentioribus criticis negatur. Hi annales[1]) sunt magni momenti pro historia Bavariae, Austriae et Bohemiae. Haec tria opera post alias editiones optime prodierunt in MG. XVII, 351—427 cura Jaffé cum continuatione ab a. 1273—1301; bene etiam apud Boehmer Fontes II, 486—525 (ab a. 1152—1273); germanice interprete L. Weiland inter Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit IX. fasc. 52 Berolini 1871; 1898 ed. 2.

187. Ut ad ecclesias particulares veniamus, statum tristem ecclesiae moguntinae expedita describit oratione sed et acerba Christianus, (ab aliis Conradus dictus), quem aliqui putarunt esse Christianum II. archiepiscopum moguntinum (1249, qui resignavit jam a. 1251; † 1253), sed probabilius est Christianus episcopus lithuanus, quondam auxiliaris archiepiscopi moguntini, patria Thüringius[1]), in *Chronico moguntino,* etiam inscripto *liber de calamitate* ecclesiae moguntinae (1142-51), Basileae 1502. 1525. 1537; 1555; 1569 etc.; inter SS. moguntiac. rerum t. II, 101-30 ed. Serrario; inter fontes ed. Boehmer II, 253—71; in bibl. rerum Germ. III, 678—99; ed. Reimer in MG. SS. XXV, 236—48. — Conradus de Kastel canonicus eichstetensis additiones adjecit (1195—1255) libro pontificali Gundecari († 1075), quas habes cum hoc libro in MG. VII, 242—53. — Henricus clericus s. Eucharii recenset *gesta Henrici* archiepiscopi trevirensis et Theodorici ab. s. Eucharii (1259—1272 in MG. XXIV, 414—53 cum additamentis ab a. 1261—86 ed. Waitz). — Aegidius O. Cist. Aureae vallis (Orval) monachus[2]) in ducatu luxemburgensi additionibus auxit amplissimis, sed non satis elaboratis et criticis, nimis credulus Harigerii et Anselmi opus, *gesta* scil. *pontificum leodiensium* ab a. 1048—1251, (cf. supra I[3], 960) quae et continuavit. Ea reperies praemissa ejusdem vita inter script. leod. t. II, p. 1—270 ed. Chapeauville, qui tamen textum effrenata turbasse licentia dicitur, Leodii 1613 in 4; plene et accurate in MG. ed. J. Heller XXV, 1—129, quibus subjiciuntur gesta abbreviata, notitiis novis aucta p. 129—135, quae Weiland suspicatur ipsius quoque esse. In iisdem MG. II, 454-598 habetur (cum praefatione) *Chronicon Poloniae* ad a. 1272, cujus prio-

---

interpolata et corrupta ab adversariis Ecclesiae catholicae conjicit.

[1]) Cf. Potthast p. 589; Wichert die Annalen H's von N. A. eine quellenkrit. Untersuchung im N. Arch. f. ä. d. Gesch. I, 369-394; Michael Ztsch. f. kath. Theol. XXVI (1902) 525—528; Braunmüller H. Abtv. N. A. in Verhandl. des hist. Vereines für Niederbaiern XIX (1875), 287—328; Alt H. v. N. A. Metten 1876; KL. V, 1885-1887.

[1]) Cf. Will hist. Jahrb. II, 355—87; Potthast p. 221 s.

[2]) Cf. Biogr. nat. de Belg. VII, 759; Wattenbach II, V, § 18.

rem p. ad r. 1253 plures tribuunt Boguphalo (Boguchwal) episcopo posnaniensi († 9. Febr. 1253), aliis tamen refragantibus, si sermo sit de illo in ea forma, qua nunc exstat[1]): alteram Godyslaw Baszko (Baczko) custodi posnaniensi († p. a. 1284). — Thomas Spalatensis[2]), canonicus archidiaconus, dein archiepiscopus electus a. 1243, quo tamen munere mox (1244) se abdicavit († 1268), composuit *historiam pontificum salonitanorum et spalatensium,* quae exstat inter rerum dalmat. scriptores I, 311—70; III, 532—635 ed. Jo. Lucio, qui eam annotationibus illustravit, Amstelodami 1666; inde derivarunt D. G. Petrus Dolfin, Dom. Angeloni Barbiani, et D. Jos. Cadorin Notizie di Salona antica città della Dalmazia etc., Venetiis 1843 in 8. — Matthaeus Spinelli di Giovenazzo, quod oppidum littorale est in territorio bariensi, concinnavit lingua patria *chronicon* rerum in Italia gestarum ab a. 1247—68, quod articulatim discerptum exstat apud Jo. Ant. Summonte historiae neapolitanae t. II l. 3, una vero serie latino sermone edidit D. Papebrochius in Propylaeo ad acta SS. Maji II, 40, dein Jo. B. Carusius in bibl. hist. regni Siciliae II, 1055, et Muratori SS. rer. it. VII, 1089. — Pro historia ecclesiae rothomagensis plura reperiuntur in *Regestro visitationum* archiepiscopi rothomagensis (Rothomagi 1852) scil. Odonis Rigaldi (corrupte Reginaldi) O. Min., qui fuit Alexandri hal. discipulus, s. theologiae magister, egregius concionator magnaeque in primis prudentiae. Postquam multis annis theologiae lectorem egit, expostulatus est ad illam sedem a. 1248 et ab ipso Innocentio IV. Lugduni consecratus. Socius datus est a Gregorio X. s. Bonaventurae, ut praecipua conc. lugdunensis negotia conficeret († 2. Jul. 1275; juxta alios 5. Maj. 1276). Strenue rexit visitavitque ecclesiam sibi concreditam regula vivendi seu morum et forma praesulum dictus. Multa tenuit concilia provincialia, quorum acta passim reperiuntur inter rothomagensis ecclesiae concilia et synodalia decreta edita a Pommeraye, Rothomagi 1677; inter concilia rothomagensis provinciae collecta a Bessin ib. 1717; in Regestro visitationum, Rouen 1582. Reliquit[1]) praeterea commentaria in 4 ll. sententiarum, in 4 ll. Moysis, postillas in Psalterium et Evangelia (inedita) etc. Acta suae visitationis et velut per dies gestorum diarium literis consignaverat, quae demum nostra aetate luci data sunt a Theod. Bonnin. Immerito Eggs eum cardinalibus ab Innocentio IV. creatis accenset Purp. doctae l. 1 § 84. — Richerius OSB. († 1267) collegit *gesta ecclesiae senonensis* ad a. 1264, quae in MG. habes XXV, 249-345. Ab aliis inscribitur *historia abbatiae* vel chronicon monasterii senonensis in ditione tullensi (720—1264) ll. 5, quam typis (sed pluribus omissis) jam dederat D'Achery in Spicil. t. III, 271—445 vel II, 603—55 ed. 2., (gallice ed. J. Cayon Nancy 1842). Ejus stilus quidem est rudis, sed veritatis amans videtur: pro temporibus remotioribus sine pretio est

188. Thomas de Eccleston O. Min. Anglus scholas diu frequentavit oxonienses, et a doctrina nomen sibi fecit. Ordinis amore diligenter inquisivit in vitam, mores, regulam sui fundatoris, et in ordinis initium, incrementum, progressum, et accurate omnia scriptis mandavit, maximo quae a sodalibus gesta fuerant in Anglia, postquam ibidem sedem fixerant (ad a.

[1]) Cf. Krüger Die Polenchronik des Boguchwal, Göttingae 1874; Warmsk Die grosspol. Chronik, Cracoviae 1879. Wattenbach II. V § 12; Potthast p. 1316.

[2]) Cf. Franc. Carrara Biografia di Tommaso archidiacono di Spalato in fol. lit. La favilla, Tergesti IX, 115—19.

[1]) Cf. Feret II, 303—314.

1258), opusque inscripsit *De adventu Minorum in Angliam,* quod prodiit cura J. Brewer in Rolls Series: Monumenta franciscana, Londini 1858, I, 5—72; II, 7—28; ib. 1882 cura R. Howlett; in analectis franciscanis, Quaracchi 1885. I, 217-75, cujus excerpta habes in MG. SS. XXVIII, 560—69. — Jordanus di Giano (de Jano) O. Min. simile quid praestitit pro Germania, in quam fuit missus cum sodalibus duce Caesario spirensi a. 1221. Primus erat guardianus moguntinus ac custos Thuringiae. Collegit[1]) gesta sui temporis per fratres minores missionemque eorundem in Germania, cujus pars ab a. 1207-1238 tantum prodiit optime inter Analecta franciscana I, 1-19, Quaracchi 1885; germanice interprete G. Voigt introductione, annotationibus erroribus plenis onerata, inscripta *Die Denkwürdigkeiten* des Min. Jordan von Giano in Abhandl. der philologisch-hist. Klasse der sächsischen Gesellsch. der Wissensch. t. V, Lipsiae 1870.

189. Ad *historiam missionum* spectant scripta, quae reliquit Joannes de Plano Carpini (di Piano di Carpine) in districtu perusino O. Min., homo, ut scribit Salimbene in suo Chron., et spiritualis et literatus, et magnus prolocutor et in multis expertus. Hic enim, cum minister provinciae Coloniae exsisteret, a Gregorio IX. jussus est praedicare crucem adversus Tartaros: ad quos deinde ab Innocentio IV. legatus missus (1245) nullis nec laboribus fractus, nec aerummis territus viam aperuit sodalibus inter barbaras et efferatas gentes illas christianae fidei veritatem nunciandi. Factus deinde archiepiscopus antibarensis obiit 1. Aug. 1252. Scripsit de factis Tartarorum et aliis mirabilibus mundi, secundum quod oculis suis vidit, quibus nonnulla adjecit ejus in itinere socius Benedictus Polonus ejusdem ord., quae habes in Recueil de voyages et de mémoires publié par la Societè de Géographie, Paris 1839 IV, 603—779. Hujus itineris summam exhibet et Ph. H. Külb, Gesch. der Missionsreisen nach der Mongolei während des 13. u. 14. Jahrh., Regensburg 1860 I, 1-129 — Descriptionis nitore et observationis sagacitate Joannem superat Guilelmus Ruysbrokius (de Rubruquis) O. Min., qui cum Bartholomaeo Cremonensi in extremas Orientis plagas missus, in suo classico Itinerario Orientis[1]) multa refert antea ignota. Illud gallice prodiit *Relation du voyage fait l'an 1253 en Tartarie,* Parisiis 1634 et in Histoire générale des voyages, ib. 1747. VII, 263—307; in Recueil de voyages et de mémoires, ed. a d'Avezac, Parisiis 1839. IV, 213 s., cujus forte excerptum est *Relatio de Tartaris,* quam Fleury inseruit suae hist. eccl. t. XVII.

190. Constantinus Medices OP. episcopus urbevetanus ab Alexandro IV. ad imperatorem Theodorum missus, ut cum eo et patriarcha CP. de concilianda ecclesia graeca cum romana ageret

[1]) Cf. Jeiler KL². VI, 1825; Denifle Arch. I, 630—40. Affine est *chronicon parvum* O. Fratr. Min., quod reperitur in iisdem analectis francisc. I, 279-91. Illud Wadding tribuere solet Baldawino (Balduino) de Brandenburch (Brunswick), et est quaedam retractatio relationis Jordani, in qua agitur de initiis conventuum O. Min. per Germaniam ad a. 1239, additis nonnullis factis ex posterioribus annis ad a. usque 1280. Fuse de hoc chronico disserit Denifle Archiv I, 630 ss. illudque Balduino abjudicat.

[1]) Cf. de utroque Michael Gesch. des d. V. III, 399, qui de eo inter alia scribit: Es ist eine mustergiltige Leistung, deren hoher Wert durch urteilsfähige Forscher wie Alexander von Humboldt und Frhrn. v. Richthofen unter Ausdrücken staunender Bewunderung anerkannt worden ist. Rubruck gibt eine geographische Beschreibung aller Orte, die er besucht hat. De Joanne cf. Liverani Fra Giovanni da Pian di Carpine nel contado di Magione, viaggiatore e Descrittore di Tartaria e Mongolia nel sec. XIII, Perugia 1876.

(† 1258), scripsit *Legendam b. Dominici* primi fundatoris O. FF. Praed., quam annotationibus illustratam exhibet Quetif I, 25—37. — Gerardus de Fracheto O. Praed. Gallus, Aquitanus de castro Luceti (Chaluz), vestem s. Dominici induit 1225. Praedicator erat facundus et foecundus, qui lemovicensi coenobio a. 12 praefuit et profuit, et universae provinciae annis octo. Plenus dierum et bonis operibus in senectute bona migravit ad Dominum[1]) 4. Oct. 1271. Hic *vitas fratrum* stilo candido et simplici ll. 5 scripsit de mandato Humberti magistri generalis, in quo l. suae religionis viventem imaginem legentibus reliquit. Opus pretiosum pro historia ordinis, cujus l. 1. est introductionis instar; 2. additamenta (sed non magni momenti) exhibet ad tres legendas s. fundatoris, quae tunc circumferebantur; 3. continet biographiam b. Jordani Saxo secundi praepositi generalis (cf. supra p. 291): 4. narrat vitas piorum sodalium; 5. refert de pia eorum morte non omissa relatione de vita et morte quorundam sodalium minus pia. Prodiit Duaci 1619 in 4; Valentiae Aragonum 1657; hispane Palentiae 1885. Concinnavit et chronicon ordinis seu *historiam quinque magistrorum generalium* (1203-54), cujus recensionem aliquam exhibet Mamachi in Annalium O. Praed. t. 1. app. p. 306, et particula prodiit in Recueil des hist. des Gaules etc. XXIII, 179—82; utriusque vero operis editionem accuratam et splendidam curavit B. M. Reichert O. Pr. ad codd. msc. fidem recognitam notisque illustratam, Lovanii 1896 in 8. Ex ejus *chronico* ab initio mundi ad sua usque tempora (a. 1260) arido et jejuno excerpta leguntur in MG. SS. XXVI, 587—90. — Robertus de Swapham (Swaffham) OSB. Anglus († 1273) collegit *historiam et regestum privilegiorum coenobii burgensis* (Petroburgensis), qua continuavit historiam Hugonis Candidi (supra p. 201), quam Jos. Sparke inseruit collectioni script. anglic. t. 4., Londini 1723. — Henricus (Hinricus) de Osthoven O. Cist. prior et confessor sororum de Paradyso stilo narrat simplici sed vivaci *institutionem* (monasterii) *Paradysi* et humilem ingressum sororum, apud Seibertz[1]) Quellen der westphälischen Geschichte I, 4—13. — Petrus O. Cist. abbas claustri s. Mariae V. in Heinrichow in Silesia († 1269) composuit l. *fundationis* hujus claustri (1266-69), quem altero l. (1269-1310) auxit anonymus. Prodiit cura G. A. Stenzel, qui adjecit monumenta 64, Breslau 1854. — Guilelmi de Ryckel OSB. abbatis s. Trudonis in dioecesi leodiensi (1242-72) *Polyptyque et comptes* de l'abbaye de Saint Troud au milieu du XIIIe siècle prodiit cura Henr. Pyrenne, Gandavi 1896 in 8.

191. *Hagiologis*[2]) accenseri debet Thomas (ab aliis dictus Guilelmus vel Henricus vel Joannes vel Nicolaus) de Cantimprato (Chantimpré) vir certe

[1]) Cf. Feret II, 522—25; Arbellot Biographie des hommes illustres du Limousin, Limoges 1834; Thomas Wehofer Die Schrift von G. de Frachet Vitae Fr. OP. eine noch unbenützte Quelle zur Philosophiegesch. des 13. Jahrh. in Jahrb. f. Phil. u. spec. Theol., Paderborn XI (1897), 17—41.

[1]) Cf. etiam ejus Gesch. der Stiftung des Kl. Paradies bei Soest in Zeitschr. für vaterl. Gesch. und Altertumsk. Münster XVII (1856), 267—290.

[2]) Praetermittimus Thomae Pachomii narrationem *de vita* fratris sui Godefridi monachi in monasterio villariensi († 1262) O. Cist. quam habes in Anal. boll. XIV (1895) 263—268, cujus compendium habes in MG. XXV, 232. — Justinum ludimagistrum (fl. inter 1259—1264), cujus Epos *Lippiflorium* inscriptum, in quo celebrat gesta Bernardi equitis, qui conversus factus est monachus O. Cist., dein episcopus selburgensis (1218; † 1224), edidit G. Laubmann: H. Bernhard zu Lippe von Dr. P. Scheffer-Boichorst, Detmold 1872.

ob eximiam pietatem, ardentem animarum zelum et diligens studium in colligendis factis memorabilibus suae aetatis, quae rem spectarent ecclesiasticam apud omnes nomenclatores laudatissimus: quamvis in his narrandis nimis fuerit credulus. Natus est nobili genere in municipio Leuwis s. Petri prope Bruxellam 1201. Quinquennis Leodium fuit missus pietate et literis informandus, quo tempore Jacobum de Vitriaco (cf. p. 279) concionantem audivit eique intimo cordis affectu adhaesit. Anno 1216 vel 1217 ingressus est ordinem can. reg. s. Aug, in asceterio cantimpratensi, unde ei hoc cognomen adhaesit. Quindecim annis ea in professione transactis perfectiora aemulatus se ad novum Praedicatorum ordinem transtulit. Ut ad munia ordinis aptior evaderet, Coloniam est missus, ubi Albertum M. pluribus annis, minimum quatuor, audivit: majoris adhuc profectus causa Parisiis gymnasium frequentavit Sanjacobeum. Tum vero ad suos Lovanienses redux eorum lector est institutus. Animarum saluti promovendae totum se addixit variasque Teutoniae, Belgii, Galliae provincias peragravit. Obiit 15. Maji, sed quo anno non satis constat; variant scriptores inter annum 1263 et 1280. Compilavit magnum opus de natura rerum ll. 20, quod mansit ineditum; maximam tamen partem convasavit Vincentius bellovacensis; *Bonum universale* de proprietatibus apum, Daventriae ante a. 1478; Parisiis et alibi sine a.; curante Colvenerio Duaci 1597; 1605; 1627; in eo apum exemplum christianis prae oculis ponit; *Vita Christinae V.* Mirabilis dictae († 23. Jun. 1224) in actis SS. 24. Jul. V, 650—60; *Vita piae Lutgardis*[1]) V. O. Cist. († 16. Jun. 1246) ib. 16. Jun. III, 234—62 annotationibus illustrata; inter Wolters, Oeuvres X, 141-96; *supplementum* ad vitam b. Mariae d'Oignies a Jac. de Vitriaco (p. 280) scriptam in actis SS. 23. Jun. IV, 666—677; *vita b. Margaritae* iprensis ed. a Choquetio[1]) inter SS. Belgii O. Praed. p. 144—200.

192. Gaufridus de Bello-Loco (Beaulieu) O. Praed. Gallus, quem s. Ludovicus in moderatorem arbitrumque conscientiae selegit, a. 20 et amplius haesit piissimi regis lateri, in utraque expeditione transmarina eum est comitatus, vel in vinculis individuus ejus fuit comes, ac morienti ministravit sacramenta ejusque ultima excepit verba et suspiria (1270). Jussu Gregorii X. scripsit *vitam et sanctam conversationem piae mem. Ludovici IX.* quondam regis Francorum, quae prodiit cura Cl. Menardi Parisiis 1615. et recepta est a Du Chesne in suam script. hist. franc. collectionem V, 444-465 mendose; in Act. SS. 25. Aug. V, 541—58. Obiit circa a. 1274 vel 1275. — Ejus sodalis Guilelmus carnutensis[2]), regis capellanus, qui pariter regi morienti adstitit, vitae illi supplementi loco adjecit: *De vita et actibus* inclitae recordationis regis Francorum *Ludovici* et de miraculis, quae ad ejus sanctitatis declarationem contigerunt,

[1]) Hujus vitam narrat et Guilelmus Afflighemensis († 1297), cujus vestigia se reperisse putat Van Veerdeghem quem cf. in Bulletin de l'Acad. r. des sciences, Lettres et des Beaux Arts de Belg. 3. sér. XXXIV (1897) 1055—1086.

[1]) Hic in eodem op. dedit vitam auctoris nostri. Cf. de eo et Quetif I, 250-54; Touron Hist. des hommes ill. de l'ordre de s. Dom. t. I; Feret II, 503—11; P. Kirsch Des Th. von Chantimpré Buch der Wunder und denkwürdiger Vorbilder. Ein Beitrag zur Kulturgeschichte des 13. Jahrh. Gleiwitz 1875; Kaufmann Th. v. Ch., Köln 1899.

[2]) Alius Guilelmus de S. Pathus Margaritae reginae et s. Ludovici conjugis confessarius reliquit pariter *Vie de s. Louis*, quae prodiit una cum vita auctore Joinville Parisiis 1761, latine versa in Act. SS. 25. Aug. V, 571—672; recenter egregie edita a Fr. Delaborde. Cf. Leop. Delisle Journ. des Savants 1901 p. 228—239.

quae simul cum illa prodiit. — Richardus O. Cist. in monasterio Adwerd (Aldwerd) theologiae magister parisiensis († 1266), Anglus, praeter aliquot sodalium gesta scripsisse dicitur vitam s. Bonifatii (in Act. SS. 19. Febr. III, 152—155) magistri quondam parisiensis, qui ad scholas regendas munere scholastici Coloniam vocatus, dein (1231) ad regendam sedem lausaniensem a Gregorio IX. designatus fuit[1]). *Epistola,* in qua describitur martyrium b. Gerardi aliorumque ord. cist. monachorum, qui sancte et pie vixerunt, reperitur in Fasciculo sanctorum O. Cist. auctore Joan. Henriquez l. 2 dist. 35 c. 6. — Vincentius Kylciensis (Kielce) O. Praed. narrat *vitam s. Stanislai* cracoviensis ep. († 1079), quae prodiit secundum aliquos abbreviata cum Martini Galli chronicon cura J. Winc. Bandtkie, Varsaviae 1824 in 8. p. 319—80; Wojc. Ketrzynski in Mon. pol. hist. 1884. IV, 362-438. — B. Silvester canonicus prius auximitanus, dein sanctioris vitae desiderio eremita et fundator ord. de Monte Fano seu Silvestrinorum ab ipso dicti (n. 1177; † c. 1267), scripsit *vitam b. Bonfilii* ep. Fulginatis († p. 1115), in Actis SS. 27. Sept. VII, 519-27. — *Vitam s. Gratae V.* ut fertur Bergomi (fl. forte sec. IX.) narrat Pinamons Peregrinus Brembati O. Pr. a. fere 40 prior coenobii bergomensis, vir piissimus († 31. Jan. 1266), quam habes in Actis SS. 4. Sept. II, 241-51 cum Stiltingii commentario praevio. — *Vitam s. Placidi* eremitae fundatoris monasterii O. Cist. s. Spiritus prope Ocram aquilanae dioeceseos in Italia († 1248) describit ejus familiaris Paulus de Celano in Actis SS. 12. Jun. II, 609—16. — Joannes diaconus matritensis († 1275) scripsit *vitam s. Isidori* agricolae († 1130), quam invenies apud Jo. Tamajo Martyrologii t. 3 ad 15. Martii et in Actis SS. 15. Maj. III, 514—21; et a Jac. Bleda O. Praed. in linguam vernaculam conversam[1]), Matriti 1622 in 4.

[1]) Resignavit huic sedi rediitque in patriam suam (Brabantiam) atque in monasterium Cambre prope Bruxellam se recepit. Non est improbati eum ingressum esse O. Ci. obiitque c. a. 1260. Cf. de hoc dignissimo praesule, Kiekens SJ. S. Boniface de Bruxellis etuda hist. Bruxelles 1892; Rattinger Stimmen aus Maria Laach 50 (1896) I, 10—23; 139—157.

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. vet. hisp. II, l. 8. c. 6. n. 257 ss.

IV. Theologia practica.

193. Ex romanis pontificibus scientia maxime inclaruit Innocentius IV., de quo infra p. 365 plura dicemus. — Hunc excepit 12. Dec. 1254 Raynaldus cardinalis et episcopus ostiensis, qui voluit dici Alexander IV, cujus regesta recenset Potthast II, 1286—1473 et 2124—2129; eorumque partem exhibet Delisle Bibl. de l'Ecole des chart. t. XXXVIII. — Post ejus mortem (25. Maj. 1261) pontificatum consecutus est Urbanus IV., Augustae Trecarum in Gallia celtica patre sutore veteramentario natus. Cum esset patriarcha hierosolymitanus Jacobus Pantaleon nuncupatus, et forte de rebus terrae sanctae acturus Romam venisset, a cardinalibus inter se Viterbii dissidentibus praeter spem electus est pontifex. Ipse ss. corporis Christi festum solemne instituit. Regesta habes apud Potthast II, 1474-1541; 2129. 2138. Aliquot *epistolas* (23) edidit P. M. Baumgarten in Röm. Qltschr. III (1889), 45-56. W. Sievert quiibid. 1896 p. 451-505; XI, 127-61 ejus ante pontificatum vitam narrat. Les registres d'Urbain IV. ediderunt L. Dorez et J. Guiraud Pa-

risiis 1892. Obiit 2. Oct. 1264. — Urbanum IV. secutus est Clemens IV. (6. Febr. 1265 ad 19. Nov. 1268) antea Guido Grossus sive Fulcodius dictus (Foulquois), item Gallus, prius miles et in matrimonio vivens. Uxore defuncta sacros suscepit ordines atque gradatim ad altiora provectus munera factus est archiepiscopus narbonensis, creatus cardinalis ab Urbano IV., demum unanimi cardinalium suffragio electus est pontifex. Vir erat juris peritissimus, summae probitatis et tam a propinquis promovendis alienus, ut nulli horum permiserit in Urbem venire, et duae, quas ante sacerdotium susceperat, filiae nubere non potuerint ob dotis tenuitatem. Cum esset archiepiscopus plura edidit *statuta* synodalia, quae passim prostant in conciliorum collectionibus ad a. 1266. Regesta ejus reperies apud Potthast II, 1542—1649; 2103; eaque edere coepit Ed. Jordan 1893; *epistolas* 711 vulgavit[1]) Martene in Thes. Anecd. t. 2.

194. Inter eos, qui de jure canonico fuere solliciti, nominandus est prae primis Raymundus de Pennaforte, qui Decretales rom. pontificum collegit et in unum velut corpus juris canonici compegit. Natus est is sanctus in arce Pennafort in Catalonia ex regibus Aragonum ducens originem a. 1175. Adolescens 20 a. docuit jam philosophiam Barcinone: inde Bononiam profectus juri canonico dedit operam, et obtenta laurea aliquamdiu absque ullo stipendio rexit cathedram. Redux in patriam archidiaconus constitutus est ab episcopo barcinonensi (1219): mox tamen habitum induit s. Dominici (1222) utilemque posuit operam in convertendis Mauris. A Joanne de Abbatis villa cardinali legato in Hispaniam in socium est assumptus (1229) atque cum eo Romam venit, ubi familiarissimus et consiliarius secretus factus est Gregorio IX., capellanus et poenitentiarius tantaeque apud pontificem fuit auctoritatis, ut hic nonnisi adhibito ejus consilio graviores causas tractaret. „Cum autem papa vellet eum cogere ad recipiendum archiepiscopatum quendam in terra sua, tam constanter sancta quadam rebellione restitit, quod papa revocavit coactionem, quam coeperat, videns ejus tam contrariam voluntatem[1]).“ Obtenta licentia etsi cum difficultate ad propria recedendi a curia propter valetudinem laboribus vitaque aspera, quam ducebat, attritam, en a suis electus est in magistrum ordinis generalem (1238), cui electioni nonnisi sodalium precibus commotus acquievit. Fuit enim „vir maximae perfectionis, paupertatis et humilitatis et totius honestatis zelator maximus, et apponens curam maximam, ut in minimis rigor ordinis servaretur.“ Post regiminis biennium „sentiens sibi vires ad hujusmodi officium omnino deesse, tantum institit apud Bononiam in capitulo generali apud diffinitores, quod ejus cessionem receperunt. Super quo tanta turbatio orta est in capitulo et per ordinem diffusa, quod dedit occasionem statuendi postea, quod a diffinitoribus non acciperetur magistri cessio, nisi ex causis, ex quibus posset absolvi“ i. e. perpetuis. Secessit in conventum fratrum de Barchinolia, ubi vixit „in omni sanctitate, religionis speculum, exemplar virtutum, consolatio provinciae, zelator fidei propagandae inter Saracenos, magnae auctoritatis, consiliarius religionis“. Et revera s. Petro Nolasco viro nobili ac pio et Jacobo Aragonum regi auctor fuit in-

[1]) Vitam ejus olim narravit Claudius Clemens scil. in op. *Clemens IV.* eruditione, vitae sanctimonia, rerum gestarum gloria et pontificatu Maximus, Lugduni 1624 in 12: recentiori aetate J. Heidemann Papst Clemens IV. Eine Monographie. Das Vorleben des Papstes und s. Legationsregister, Münster 1903.

[1]) In antiquo chronico apud Quetif I, 106.

stituendi ordinem de Mercede redemptionis captivorum, cui etiam certas vivendi leges praescripsit. Supervixit piissimus senex usque ad 6. Jan. 1275 decessitque centenarius[1]). Inter sanctos relatus fuit a Clemente VIII. 30. Maj. 1601.

195. Celeber praesertim factus est, quod mandante Gregorio IX. a. 1230 intra quadriennium compilavit rom. pontificum decretales[2]), quae compilatio ab eodem pontifice fuit approbata, prioribus compilationibus substituta, declarata authentica et exinde innumeris vicibus prodiit in corpore juris canonici simpliciter sub inscriptione *Decretales* vel cum apposito *decretales Gregorii*. Numerantur ultra 40 ed. incunabulas; mentione sunt dignae: ed. Antverpiae 1570 cura Le Conte, qui adjecit „partes decisas“; Romae 1582 ed. authentica cura Fr. Penna et Sixti Fabri; Parisiis 1687 in f. cura Cl. Le Pelletier; Halae 1747 cura J. H. Böhmer; in primis Lipsiae 1839 in 4. cura Aem. L. Richter[3]). Distribuitur ea compilatio in ll. 5 juxta notissima verba: „Judex, judicium, clerus, connubia, crimen; titulos 185 et cc. 1961. — Non solum in jure canonico plurimum innotuit Raymundus, verum etiam in theologia morali seu in casuistica, quam si non initiavit, certe plurimum promovit magna Summa *de poenitentia et matrimonio*, Lovanii 1480 in f.; Coloniae 1595, Moguntiae 1618 etc., divisa in 4 ll., quorum 1. de peccatis adversus Deum; 2. de peccatis adversus proximum, 3. de ecclesiasticorum delictis, officiis et juribus et 4. de matrimonio tractat. Tanti ea facta est, ut mox (1250) Guilelmus rhedonensis (erronee Celdonensis) ejus sodalis *apparatum* sive glossam in eam concinnaverit, Romae 1603; Bononiae 1613; Avenione 1715, Veronae 1744 etc.; sed falso sub nomine Joannis de Friburgo[1]), qui quidem in sua *Summa confessorum* illam assectatur, pluribus tamen additis, adeo ut commentarii instar operis nostri haberi possit. Prodiit etiam cum commentariis Jo. Chappuis, Parisiis 1516; bene emendata ad veteres codd. studio H. Vinc. Laget sodalis (cf. Nomencl. II², 914) additis canonibus, quos Raymundus laudat, et observationibus auctam, quibus illam summam ad disciplinam tridentinam retractat, Lugduni 1718; Parisiis 1720 ed. melior; recusa et aucta Veronae 1744. *Summulam* suo tempore utilem sive compendium versibus hexametris Adam, Coloniensis

[1]) Cf. Quetif I, 106 ss. qui plures adducit, qui de eo scripserunt. Inter quos fuit sodalis Petrus Marsilii catalanus Jacobo II. Aragoniae in primis carus et a consiliis (fl. 1313). *Vitam s. Raymundi* ab ipso concinnatam primum edidit Franciscus Diago, Barcinone 1601; Nic. Antonius Bibl. hisp. vet. II. l. 8. c. 4; Acta SS. 23. Jan., praesertim in Monumentis O. Fr. Praed. t. VI. fasc. I *Raymundiana* seu documenta, quae pertinent ad vitam et scripta s. Raymundi, Romae 1898; VI (1901) fasc. 2.

[2]) Juxta Eggs Purp. doctae l. 1 § 56, Gregorius IX. prius Brancaleonis card. opera et adminiculo usus est in collectione hac adornanda. Fuit porro Leo Brancaleo patria Romanus, et ex canonico regulari congr. s. Fridani lucensis factus est cardinalis ab Innocentio III. et in Germaniam legatus missus sedis apostolicae, dein in Hungariam et Bulgariam, cujus regem coronavit. Decessit tamen antequam Raymundus opus aggrederetur, scil. a. 1228.

[3]) Cf. de ipso opere ejusque fontibus et editionibus Schulte 2, 6—25, qui p. 16

scripsit: Dieses Gesetzbuch ... ist ein ausschließliches, eine unbedingte Codification des in den päpstlichen Dekretalen enthaltenen Rechtsstoffes. Jede nach dem Dekret Gratians erlassene und in diese neue Sammlung nicht aufgenommene Dekretale, sowie die vor das Dekret fallende und in keiner von beiden Sammlungen enthaltene hat mit dem Erscheinen der Dekretalen Gregors ihre formelle Geltung verloren. Diese Geltung bezieht sich jedoch nur auf das jus commune etc. Cf. etiam pag. 408—413.

[1]) Cf. Quetif I, 130; Urbany C. SS. Red. in KL². II, 2037; Schulte II, 413.

ut videtur O. Praed., qui floruit intra 1255—1270, extraxit saepissime editam, cui in ed. pluribus alii atque alii adduntur commentarii[1]), Parisiis 1494; Coloniae 1498; 1502; Venetiis 1569. Ordinis constitutiones, quae prius confusae habebantur, ad meliorem redegit formam atque ita receptae fuere ab ordine in capitulis generalibus per modum inchoationis 1239; approbationis 1240 et tandem confirmationis 1241. Nostra aetate Schulte publicae luci dedit ejus instructionem *de dubiis conscientiae,* a pontifice probatam seu Dubitabilia cum responsionibus ad quaedam capita missa ad pontificem, in Abh. der k. böhm. Ges. der Wissenschaft 1868 p. 98 ss. Ibidem p. 102 ss. idem Schulte aliud ejusdem opus luci dedit, *Decretales* scil. in consiliis et confessionibus necessariae. Plura scripta manserunt inedita. Ipsi forte tribui potest *Directorium* ad usum inquisitorum Aragoniae, quod reperies in diss. Douais S. Raymond de P. et les hérétiques in le Moyen Age XII (1899) 305—325.

196. Inter eos vero, qui Raymundi compilationem illustrarunt, eminet Sinibaldus de Flisco (Fieschi) tanti olim factus, ut „pater et organum veritatis, canonistarum dominus et decreti splendor, juris et legum monarcha" salutaretur. Patria erat Genuensis, studio juris operam dedit Bononiae. In jure peritissimus, factus est ex canonico cathedralis ecclesiae parmensis ab Honorio III. auditor literarum contradictarum, episcopus Albengae et vicecancellarius ecclesiae romanae, a Gregorio IX., quem legatum quondam comitatus erat, cardinalis (23. Sept. 1227). Defuncto Coelestino IV. electus est in romanum pontificem 25. Jun. 1243 voluitque dici Innocentius IV. († 7. Dec. 1254). Sub ipso celebratum fuit[2]) concilium oecumenicum lugdunense I. a. 1245. Cum esset doctissimus, literarum studium impense quaqua versus promovit et vovit doctosque viros ad componenda excitavit opera. Ante adeptum pontificatum ipse scripserat Apparatum seu *commentaria in 5 ll. decretalium*, Argentorati 1477; Venetiis 1481; 1491; 1495; 1570; Lugduni 1525, commentarius omnium forte optimus[1]). *De exceptionibus* liber parvus minoris momenti, in thes. tract. juris t. III. p. 2, Venetiis 1584. Plurimas constitutiones (42) cum constitutione „Romana Ecclesia" in cc. 10 distributa promulgavit in conc. lugdunensi, aliasque (12) dein adjecit, quas insertas voluit sub titulis respectivis decretalium collectioni, quasdam etiam recepit Bonifatius in l. 6; collectae quoque prostant in supplemento II, 1071, quod Mansi adjecit suae conciliorum collectioni. Elié Berger collegit les registres d'Innocent IV., *Recueil des bulles* publiées ou analysées d'après les manuscrits originaux du Vatican et de la bibliothèque nationale, Parisiis 1881 ss. t. 3, editio accurata[2]); ep. 762

[1]) Cf. Schulte l. c. p. 427; Franz die Messe p. 482—486.

[2]) Vitam ejus scripsit Nicolaus Calvi (de Carbio, Curbio) O. Min., pontifici a confessionibus, episcopus postea assisinatensis († 1273), quam edidit Baluzius Miscellan. t. VII. p. 353-405, et ex eo Muratori Script. ital. t. 3. I, 592 ss. et recentissime in Archivo della r. soc. romana XXI (1898), 7—120. Cf. KL. VI², 736—743; Michael Zeitschr. XVIII (1894) 457—473.

[1]) Schulte l. c. II, 92: „Das Werk liefert einen umfangreichen Kommentar, dessen Haupteigenschaften in einer bisweilen bis zur Erschwerung des Verständnisses gehenden Präcision, einem unbedingten Beherrschen des Stoffes, der vollsten Unmittelbarkeit der Anschauung und einem äusserst praktischen Blicke bestehen. Man kann ihm in der That kaum einen zweiten Kommentar der Dekretalen als ganz ebenbürtig an die Seite stellen. Seine innere Bedeutung und das Ansehen seines Verfassers verschafften ihm eine volle und allgemeine Autorität etc. Cf. Sarti I, 422 de ipso et seqq.

[2]) Cf. Grisar Zeitschr. für k. Theol. 1885 p. 155—59; Potthast Regesta rom. PP. II, 943—1285; 2110—2124; 2137.

ad a. 1249 edidit Rodenberg in MG. ep. sec. XIII 1887. II, 1-568. — Bernardus Brigantius in oppido Vergantinas provinciae Gallaciae natus, Compostellanus dictus, quod Compostellae beneficio fruebatur, sed junior, ut discerneretur ab alio seniore, de quo supra egimus p. 248 (etiam de Monte mirato cognominatus), Innocentii IV. sacellanus, hujus hortatu concinnavit *Margaritam* seu amplum rerum indicem in ipsius commentarium, Parisiis 1516 in 4; *casus* seu notabilia super 5 ll. decretalium, quae constituere debuissent practicum seu prolixum commentarium, sed morte interveniente ultra tit. 6. l. 1. non est progressus (hinc ineditus). Primus quoque scripsit apparatum ad constitutiones Innocentii IV. (ineditum).

197. Alius celeber hujus periodi canonista est Henricus de Secusia (Susa, dioecesis taurinensis oppido) parentibus ut videtur humilioris conditionis natus, a nonnullis scriptoribus, sed posterioribus, cum apposito de Bartholomaeis designatus. Bononiae studiis operam dedit et utriusque juris doctor creatus jus canonicum docuit, forte Bononiae et in Anglia, certe Parisiis. Ab Henrico III. Angliae rege ad Innocentium IV. missus est. Ex sistaricensi (Sisteron) episcopo (1244) factus est archiepiscopus embredunensis (1250), demum (1261) ab Urbano IV. cardinalis et episcopus ostiensis, unde cognominatur episcopus ostiensis, vel simpliciter *Ostiensis* seu *Hostiensis*. Magna fuit ejus auctoritas apud Innocentium IV. hujusque successores († 25. Oct. 1271). Composuit *Lecturam* in decretales Gregorii IX., prolixam quidem, sed accuratam, Argentinae 1512 t. 2 in f.; Parisiis 1512; *Summam super titulis decretalium*, Romae (1470); 1473; 1477; Ratisbonae 1480; Venetiis [480; 1490; 1498; Lugduni 1568; Basileae 1573; Coloniae 1612 etc., quae ob ejus praestantiam dicta est *aurea*[1]). Stupendae enim erat eruditionis et peritiae in jure canonico, unde salutabatur „pater canonum, fons juris, monarcha juris, stella, lumen lucidissimum decretorum.“ Inde, scil. ex l. 5, derivatus est tr. *de poenitentia et remissionibus*, qui msc. saepe reperitur, sed nunquam seorsim videtur prodiisse, sicut nec ejus *lectura* in decretales[2]) Innocentii IV. Mitius hoc

---

[1]) Schulte l. c. p. 126: Die Summa . , . gehört zu den bedeutendsten Schriften der mittelalterlichen juristischen Literatur, leistet für die Dekretalen Gregor's IX. vollständig dasselbe, wie die des Huguccio für das Dekret, mit dem Unterschiede, daß Huguccio eine Interpretation der einzelnen Kapitel gibt, Hostiensis Summa der Behandlung des Gegenstandes nach der bloßen Folge des Titels gewidmet ist. Hostiensis beherrscht das Quellenmaterial des römischen wie kanonischen Rechts mit einer unbedingten vollen Kenntniß und zeigt sich bewandert in der ganzen Literatur. Liefert er auch, wie er selbst angibt, eine Verarbeitung der vorhandenen Glossen und Schriften, so darf seine Summa keineswegs als eine bloße Kompilation bezeichnet werden. Wir haben in ihr einmal ein einheitliches, gleichmäßig ausgeführtes Werk. Sodann nimmt dasselbe auf die Praxis und die Gewohnheiten eine stete Rücksicht und zeigt, daß sein Verfasser nicht nur eine große Erfahrung besaß, sondern ein offenes Auge für die Verhältnisse des Lebens hatte. Es enthält eine Fülle schätzbarer Notizen. Die Casuistik desselben überschreitet nirgends das richtige Mass. Auch hat er vollkommen recht eine Darstellung des utrumque jus zu geben. Die Summa ist für das römische Recht kaum weniger wichtig, wie für das kanonische. Cf. etiam de hoc aliisque canonistis hujus temporis Tiraboschi Storia IV. l. 2. c. 5.

[2]) In has decretales lecturam composuit (ineditam) etiam Petrus de Sampsone Nemausiensis, juris canonici professor Bononiae et canonicus narbonensis, qua alii canonistae passim usi sunt. Reliquit et alia, ut *Summam* decretalium et distinctiones (ineditas), et composuit *constitutiones synodales* nemausienses, quas habes in Martene Thesauro IV, 1029 ss. Cf. Schulte II, 108. Fuit ipse magister illius canonistae, qui passim citatur sub nomine abbatis antiqui (ut distinguere-

jura interpretabatur atque adeo severiores hujus opiniones reprehendit. — Bernardus Bottoni Parmensis Tancredi discipulus, canonicus bononiensis, sacellanus pontificius sub Innocentio IV. et Alexandro IV., in negotiis gravibus adhibitus, ad mortem usque († 24. Mart. 1266) cathedram rexit. Collegit ex apparatibus, glossis, summis aliisque scriptis plenum et integrum apparatum *in decretales Gregorii IX.* (Moguntiae 1472; 1473; Romae 1474), tanti pretii et utilitatis ut pro glossa haberetur et in earundem editiones receptus fuerit; et a qua ipse „glossator" fuit salutatus; in editionibus a. 1500. posterioribus comparet additionibus interpolatus. *Casus* longi super 5 ll. decretalium saepius editi, Parisiis 1475; Venetiis 1477; Spirae 1478; Bononiae 1487; Argentorati 1488. 1493; Lugduni 1500; inter opera Nic. Tedeschi Mediolani t. 5 in f. cum aliorum additionibus; *Summa* super titulis decretalium, inedita[1]). — In decretales Gregorii IX. *glossas* (ineditas) scripsisse dicitur Bonaguida Aretinus, advocatus curiae romanae, judex et juris canonici professor Aretii. Ejus praeterea sunt *Gemma* seu *Margarita*, in qua tractat quaestiones practicas occasione decretalium, quae prostat in tract. plurimorum doct., Lugduni 1519 p. 31-61; *Summa introductoria* super officio advocationis in foro Ecclesiae, in anecdotis, quae processum civilem spectant, Gottingae 1841 ed. Ag. Wunderlich; *de dispensationibus et privilegiis*, Lugduni 1549 inter tract. juris XIV, 54, opera utilia pro praxi. — Decreto (Gratiani) sua studia magna ex parte dicavit Bartholomaeus Avogadro Brixiensis, ut videtur, a patria cognominatus, juris canonici Bononiae, ubi studiis operam dederat, interpres, a. aetatis 84 ab Ezzelino, quod hujus usurpationi non faveret, in urbis patriae expugnatione interfectus (1258; secundum alios 1250). Haud incelebre nomen adeptus est tot libris, quos composuerat[1]). Retractavit *casus decretorum* Benencasae senensis, ut supra diximus p. 250; *apparatum* ad decretum Joannis Teutonici p. 301, quem suis additionibus maxime utilem reddidit; Damasi Bohemi *Brocarda* p. 250; *ordinem judiciorum* Tancredi p. 298; Lugduni 1544; Anonymi *historias* super libro decretorum, receptas in editionem decreti ab a. 1505; *Quaestiones* dominicales et veneriales, quae dicuntur exstare in coll. tractatuum juris t. XII, Lugduni 1544 in f., in quo labore jam decretales Gregorii IX. prae oculis habuit[2]). — His addatur Joannes de Deo natione Lusitanus, sed et *Hispanus*[3]) cognominatus, de quo tan-

---

tur ab abbate moderno Nicolao de Tudeschis), qui professus est jus canonicum Bononiae 1270 et scripsit *apparatum* in decretales Gregorii IX., *lecturam* in constitutiones novem Innocentii IV. et *distinctiones* in aliquot decretales. Cf. Esser KL. IX², 1937; Sarti I, 446 ss. — *Lecturam* supra V ll. Decretalium a. 1253 reliquit (ineditam) Henricus merseburgensis, ut videtur O. Min. et lector in conventu magdeburgensi (unde et magdeburgensis subinde dictus). Ea olim satis per Germaniam vulgata fuit et usu recepta. Cf. Allg. d. Bi. XI, 639. De alia *Summa* in decretales Gregorii IX non spernenda sed inedita auctore Balduino Germano dioecesis brandenburgensis (fl. 1270) cf. Michael Gesch. des d. Volkes III, 261.

[1]) Cf. Affò Memorie degli Scrittori parmeg. I, 98—108, qui diligenter et accurate de eo disserit. S. Thomas ejus auctoritatem commendat. Cf. etiam Schulte p. 114; Sarti I, 433 ss.

[1]) Cf. Schulte II, 83 - 88.

[2]) Compilationem *quintam* glossavit, et quidem, ut videtur, solus, Jacobus de Albenga, juris canonici Bononiae professor, praepositus in urbe patria, dein 1258 episcopus faventinus († 1274). Cf. Schulte I, 205.

[3]) Distingui debet a Joanne Hispano, de quo egimus supra p. 209, a Joanne Hispano, cujus est summa super titulis decretorum (1235—36), et a Joanne Hispano, diacono, cujus flos decreti prodiit cum ipso decreto Norimbergae 1483;

tum scimus, eum Bononiae didicisse et docuisse jus canonicum 1247-53, atque fuisse canonicum lusitanum. Plurima reliquit opera non tantae praestantiae, sed quae multum erant in usu: ut *Apparatum decretorum, librum pastoralem,* in quo exponit quae requirantur ad obtinenda beneficia et munera; l. (practicum) *de dispensationibus; Summam* super certis casibus decretalium; *l. judicum,* in quo agit de modo servando in agendis persequendisque causis; *notabilia* cum Summis super titulis decretalium et decretorum, *l. distinctionum, commentum* super novellis decretalibus (Innocentii IV.), *l. quaestionum* ad exercitium magistrorum etc., quae omnia manserunt inedita. Prodiisse videntur tantum *Cavillationes* de cautela advocatorum, Venetiis 1566; Taurini 1578 cum Durantis speculo. L. poenitentiarius *de cautela simplicium sacerdotum* ll. 7 agit modo practico de confessione et poenitentia secundum summam Raymundi, cujus excerpta habes post Poenitentiale Theodori archiep. cant. ed. Petit Parisiis 1677; Migne XCIX, 1085—1105. *Breviarium decretorum* seu quidam horum index reperitur passim editus cum Decreto[1]).

198. *De officio episcopi deque Ecclesiae caeremoniis* (Coloniae 1571; 1618; in bibl. PP. coloniensi t. XIII, 395 ss.; lugdunensi t. XXV, 401-420), stilo sat neglecto disseruit Gilbertus (Guibertus, Gisbertus) de Tornaco O. Min. vir genere nobilis, sed virtute ac moribus nobilior, theologus parisiensis († 1270). Scripsit praeterea *vitam s. Eleutherii* tornacensis († 531) in Actis SS. 20. Febr. III, 196; *de pace animique tranquillitate,* in bibl. PP. coloniensi t. XV, 703 ss.; et lugdunensi t. XXV, 378 ss., plurimosque *sermones*[1]), Parisiis 1513; 1518 etc. — Nicolaus de Byart (Bajardus etc.) O. Praed. Gallus[2]), concionator celeber, praeter plures sermones concinnavit *Summam de abstinentia,* quae prodiit sub titulo *Directorium pauperum,* Argentinae 1518; Parisiis 1530 in 8. — *Speculum monachorum* exhibet Bernardus Cassinensis OSB., Friburgi 1901. — Gerardus leodiensis O. Praed. theologiae lector opus composuit *de doctrina cordis* in ll. 7 divisum scit. de praeparatione cordis, de custodia cordis, de apertione, stabilitate, statione, elevatione et scissione cordis, Parisiis 1506; 1605; Neapoli 1604 inscriptum *Speculum concionatorum,* stilo scriptum simplici, sed animae ad cordis munditiam veramque pietatem anhelanti omnino gratum et utile meritoque commendandum.

199. Optimum vero speculum praedicatoribus in se exhibuit Bertholdus a Ratisbona cognominatus[3]), quia inde ut videtur erat oriundus, O. Min., celeberrimus concionator et mis-

et a Joanne Garcias, qui etiam Hispanus cognominatus fuit et pariter Bononiae altero sec. XIII. dimidio jus canonicum docuit, de quo agemus infra. KL². VI, 1671.

[1]) Cf. elenchum et descriptionem horum operum apud Schulte II, 95—107; Nic. Antonium bibl. vet. hisp. II. l. 8 c. 3 n. 93 ss.

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belg. 8, 416 s.; Braunmüller KL°. V, 1354; La Belgique 1860: Guibert de T., sa Biographie et ses Travaux; Feret II, 388—392.

[2]) Alteri Nicolao de Byart O. S. Aug. Germano tribuitur opus inscriptum: *Distinctiones exemplorum V. et N. T.* abbreviatae et reductae ad diversas materias secundum ordinem alphabeti, Memmingen 1485.

[3]) Janner KL². II, 476 ss.; Strobl Sitzungsbericht der Wiener Ak., hist. Kl. XCI, 1878: Pfeiffer deutsche Mystiker des 14. Jahrh., Lipsiae 1845, I, 26—42; Keppler KL. X, 335, qui eum dicit ein geborner Redner, der zuerst die deutsche Sprache nicht nur gewandt, sondern mit Grazie und Wohlklang handhabt, dabei biblisch und patristisch wohlbewandert, ein Meister klassischer Popularität, der das Volksleben und Menschenherz genau kennt und energisch beeinflußt; Michael Gesch. des d. V. II, 144—180.

sionarius, qui Germaniam superiorem, Helvetiam, Austriam, Hungariam, Moraviam, Bohemiam peragravit, apostolicis concionibus omnia commovit, innumeros ad fidem melioremque vitam convertit, tantamque hominum turbam post se traxit, ut cum concio habenda esset, auditores se mutuo vi templo extruderent atque per aliquot horas adventum ejus exspectarent. Dicuntur quandoque concurrisse ad 40, imo 60 et 100 millia hominum; hinc in campis apertis conciones habuit, tanta vehementia, ut peccatores jam inveterati spiritu poenitentiae conterriti in medium prosilirent peccata sua confitentes et conversionem pollicentes († 14. Dec. 1272). Dolendum est non multas superesse auctoris nostri conciones plane genuinas. Initio quidem auditores eas propter suam utilitatem literis consignarunt, sed saepe imperfecte, mendose, imo et erroribus infectas: hinc coactus est ipse Bertholdus eas conscribere atque illis opposuit collectiones authenticas inscriptas Rusticanus *de dominicis, de sanctis, de communi* etc.; verum et harum codices fuere interpolati, retractati, abbreviati etc., quare inter se saepe dissident, magnaque sagacitate opus est, ut sermones genuini discernantur. Interim ejus conciones oblivioni fuere datae. Demum Christ. Frid. Kling edidit ejus *Deutsche Predigten* theils vollständig, theils in Auszügen, Berlin 1824, de qua ed. cf. Jac. Grimm in celebri sua recensione in Jahrb. der Literatur XXXII (Wien 1825), 104—257. Iterum prodierunt cum annotationibus cur. Dr. Fr. Pfeiffer, Viennae 1862 t. 1; t. alterum curavit Strobl 1880, quae ed. gravi subjecta fuit censurae. *Die Missionspredigten* ... ed. F. Goebel Schaffhausen 1850. 1851 t. 2; Ratisbonae 1857 ed. 2 emendata et aucta; 1873; 1884 t. 2; *Ausgewählte Predigten* cur. Hering, Lipsiae 1893; Jakob *die lateinischen Predigten* des s. Berthold, ib. 1880; Gomoll *Fragmente der Predigten,* Zeitschrift für deutsche Philologie, Halle 1874. VI, 466; Hötzl ed. *20 sermones* ad religiosos, Monachii 1882 etc.

200. A Bertholdo separare non licet ejus familiarem amicum et socium, David de Augusta O. Min., virum in ascesi insigniter versatum, qui in ordine munere magistri novitiorum fungebatur et egregius pariter verbi divini erat praeco († 15. Nov. 1271 vel 1272). Scripsit tr. *de haeresi pauperum de Lugduno* sive potius de inquisitione haereticorum, in Martene thes. anecd. V, 1777—94; auctus et germanice ed. a Preger in Abhandl. der k. Akademie der Wissensch. zu München, cl. III t. XIV p. 2 p. 183-253 et seorsim Monachii 1878. Olim tribuetur, sed immerito, cuidam Yvoneto O. Pr. auctori plane ignoto. Prae primis vero reliquit opuscula ascetica, quorum aliqua digna habita sunt, quae s. Bonaventurae adjudicarentur et cum operibus doctoris seraphici prodirent, scil. *de exterioris et interioris hominis compositione* secundum triplicem statum incipientium, proficientium et perfectorum, iterum ed. Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1899. Distinguitur hoc opus in ll. 3, qui inscribuntur: 1. Formula de compositione hominis exterioris ad novitios; 2. formula de interioris hominis reformatione ad proficientes; 3. de septem processibus religiosorum. Opus est plane excellens adhuc nostra aetate pro omnibus religiosis, imo etiam pro devotis secularibus utilissima praebet documenta. Hinc David praecipuis theologiae mysticae sec. XIII doctoribus est accensendus. Ipsius quoque est *Expositio regulae* fratrum Min. *Die sieben Vorregeln der Tugend* et *Der Spiegel der Tugend* apud Pfeiffer Deutsche Mystiker I, 309—341 non videntur esse ipsius, sed versio op. supra cit. ab aliis facta quibusdam additis vel mutatis. Idem Pfeiffer sub ejus nomine edidit ib. p. 341—405: *Christi Leben*

unser Vorbild; *Die vier Fittige* geistlicher Betrachtung; *Von der Anschauung Gottes; Von der Erkenntniß der Wahrheit; Von der unergründlichen Fülle Gottes; Betrachtungen und Gebete,* quae opuscula laudantur ab unctione et stilo, sed videntur discipuli cujusdam ipsius[1]). Nullo quidem ipse et Bertholdus cultu ab Ecclesia approbato honorantur, sed in Menologio ordinis *Beati* titulo uterque semper est decoratus. — Aliud ordinis seraphici decus est b. Aegidius Assisias frater laicus et fidelissimus s. Francisci socius († 23. Apr. 1262), qui teste s. Bonaventura oculato »adeo crebris rapiebatur excessibus, ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere, quam humanam[2]).« Protulit *verba aurea* seu sententias omnibus ad christianam perfectionem aspirantibus utiles, quae a discipulis collectae prodierunt saepius, (Moguntiae 1463) s. l. et a. (m. 300); Antverpiae 1634. Alia pietatis capitula (23) leguntur in op. de conformit. s. Francisci auctore Bartholomaeo Pisano Conf. VIII p. 2. — Beato Aegidio subjicimus ejus biographum B. Leonem Assisiatem ex Umbria oriundum s. Francisci discipulum, socium, confessarium et secretarium, virum mirae simplicitatis, angelicae puritatis, dono prophetiae et miraculorum illustrem († 14. vel 15. Nov. 1271), cujus *opuscula* Leon. Lemmens in Monumentis antiquis Franciscanis p. 1 Quaracchi typis dare coepit, scil. *vitam b. Aegidii* As. et scripta ejus de ipso s. Francisco. Ipsi tribuitur et celebris *Legenda trium sociorum* (s. Francisci, scil. ipsius, Rufini et Angeli) saepius editam, accurate praesertim cum aliis sancti vitis a Leop. Aimoni, Romae 1880, et iteratis curis et studio a sodalibus Marcellino da Civezza et Theophilo Domenichellis *La Leggenda di s. Francesco* scritta da tre suoi Compagni pubblicata per la prima volta nella vera sua integrità, Roma 1899. Recentissime vero Paulus Sabatier ingenti eruditionis apparatu, *Speculum perfectionis* seu s. Francisci As. legendam antiquissimam iterum edidit (prodierat in Actis ss. 4. Oct. II, 723 ss.) atque nostro asseruit Leoni, Parisiis 1898. Verum ingens jam orta est controversia de genuinitate utriusque scripti, quam ingredi nolumus, cum nondum inter se consenserint viri doctissimi[1]). — Stephanus de Borbone oriundus de Bellavilla O. Praed. strenuus concionator et inquisitor, compilavit tr. *de septem donis Spiritus s.* seu tr. de diversis materiis praedicabilibus, quem distinxit in 7 pp. secundum septem dona Spiritus s. et eorum effectus, refertum auctoritatibus, rationibus et exemplis ad aedificationem pertinentibus animarum. Disseruit tantum de quinque donis. Ex eo plures tamquam ex fonte exuberante haurientes composuerunt de septem donis Spiritus s. tractatus breviores. Ipsum vero fere integrum defloravit auctor *Speculi moralis* Vincentino bellovacensi tributi (cf. supra p. 334), inverso tamen ac praepostero ordine, auctorum, qui laudantur, nominibus aut omissis aut mutilatis, pluribus rescissis factisque historicis decurtatis[2]). Gallice editus fuit ab A. Lecoy de la Marche Anecdotes historiques tirés du recueil inédit d'Et. de B., Paris 1877. Quae Stephanus de Waldensibus narrat magni fiunt, cum fuerit testis plane authenticus. Obiit auctor a. 1261.

[1]) Cf. Michael Ztschr. für k. Theol. 1901 p. 349—400; Gesch. des d. Volkes III, 133—143: Jocham KL. III², 413-417.

[2]) Act. SS. 23. Apr. III, 220-47 col. p. 99f.

[1]) Cf. de hac controversia A. Knöpfler Theol. Revue: Die neuere Franciskuslitteratur 1903 c. 465—73; Anal. boll. XIX (1900) 58 ss., ubi plures auctores, qui de ea scripserint allegantur. De b. Leone cf. Sabatier op. cit. p. LXII-LXXXV.

[2]) Cf. Quetif I, 184—95, qui accurate codices recenset, prologum integrum aliaque fragmenta ex eo exhibet et plura doete annotat.

VII.

Theologi annorum 1276—1300.

I. Theologia dogmatica.

201. B. Albertus ob eruditionis vastitatem, vitae sanctitatem atque in scientiam theologicam merita *Magnus* merito est salutatus, etsi forte nomen fuit familiae Groot, doctor etiam *universalis* dictus; ejus tamen vita multis fabulis [1]), teste Quetif, fuit dehonestata. Natus ipse est Lauingae ad Danubii ripam nobili Bollstattensi stirpe a. 1193. Aptissimum disciplinis omnibus a natura sortitus ingenium illud excoluit in patria, et Patavii avunculo ubique comite. Ibi receptus fuit a Jordano secundo O. Praed. a s. Dominico magistro et donatus ordinis veste a. 1222 vel 1223. Studiis absolutis (forte etiam Parisiis) jubentibus superioribus in patriam redux ad scholarum regimen applicitus est, ac Hildeshemii, Friburgi Brisgojae, Ratisbonae, Argentinae et Coloniae philosophiam ac theologiam docuit, quo in posteriore loco s. Thomam et Thomam Cantimpratanum (praeter alios celebres) discipulos habuit (1244). Cum Thoma Aq. Parisios ex ordinatione seu ordinis magistri seu capituli generalis missus est (1245) ad gradus academicos promovendus et ad scholam sodalium regendam. Sub finem a. 1248 Coloniam cum Aquinate rediit primarius lector ac studii generalis futurus regens. Guilelmum Caesarem Aquisgranum euntem coronae accipiendae Coloniae hospitio excepit ab eoque conventus ultrajectensis fundationem impetravit. Romam a pontifice a. 1255 vel 1256 vocatus est, qui Guilelmo de Sancto Amore magistrisque parisiensibus ejus asseclis Dominicanos et Minoritas a consortio universitatis excludere satagentibus responderet [1]), ibidemque petente pontifice coram cardinalium coetu s. Joannis Evangelium exposuit, impugnavitque doctrinas pantheisticas Averroes philosophi arabi [2]). A comitiis ordinis Valencenis a. 1259 habitis designatus est qui cum quatuor aliis leges

[1]) Harum aliquot affert refellitque Michael a s. Joseph Bibliogr. crit. I, 159.

[1]) Ex ejus adversus Guilelmum disputatione, quam s. Thomas excepit, enatum est hujus opusculum XIX de hoc argumento. Cf. supra pag. 309.

[2]) Ejus opusculum *de quindecim problematibus* adversus Averroismum nostra aetate reperit ediditque Mandonet in Siger de Brabant p. 15—36.

in studiis generalibus servandas constitueret. In eodem capitulo missionem ab onere provincialatus, quod ei impositum fuit a. 1254, obtinuit, Coloniamque repetens antiquam regentis ac primi lectoris munus resumpsit. Non diu tamen ei licuit frui quiete: nam jam a. 1260 jussu Alexandri IV. coactus est vel invitus suscipere ecclesiae ratisbonensis regimen, quod biennium sanctissime gessit; sed tumultuum bellicorum, quibus tunc aetatis episcopi Germaniae involvebantur et »propter gentis proterviam et populi vanitatem« pertaesus pedum pastorale inter manus Urbani IV. resignavit, suamque cellam repetiit coloniensem, ut totum se daret scholae sodalium librisque scribendis. Quietem tamen adeo exoptatam non reperit. Videmus enim variis eum implicitum negotiis gravibus, quaquaversus ecclesias et altaria consecrantem: nominatim vero Urbanus IV, cujus saltem 18 exstant ad eum epistolae, eidem commisit legationis officium cum amplis facultatibus in Alemannia, Bohemia ceterisque locis, in quantum lingua teutonica se extendit, ad praedicandam crucem pro terrae sanctae subsidio. Audita morte Thomae Aq. dilectissimi sui discipuli, quem summi semper fecit, indoluit quam maxime, et audito nuncio Parisiis ejus doctrinam impugnari, etsi senex illuc profectus est ad eam tuendam. Tribus circiter ante mortem annis memoriae lapsum incurrisse dicitur circa scientiarum objecta, ita tamen ut in divinis ac regularibus officiis sui semper compos manserit et sodalium exemplum ad ultimum usque spiritum exstiterit († 15. Nov. 1280 a. aetatis 87). Ob virtutum splendorem vitaeque sanctitatem coepit coli Ratisbonae et Coloniae, quem cultum Roma probavit et Clemens X. toti ordini permisit[1]).

[1]) Abstinemus a recensendis auctoribus, qui de b. Alberto scripserint, cum sint innumeri eosque ex ordine diligenter enumerent Potthast p. 1148 et Paulus

202. Innumera reliquit opera (394), ut Labbeus in elogio dicat, »eum implevisse orbem octingentis voluminibus, satis unum omnibus bibliothecis«. Ea distant quidem quod ingenium, claritatem, concisam methodum spectant ab operibus sui discipuli s. Thomae et Alexandri halensis, sed eruditionis amplitudine Albertus hos vincit. Praecipuum ejus meritum consistit in repurgatione philosophiae aristotelicae ejusque adaptatione ad usus theologicos[1]). Collecta prodierunt opera cura Jammy multo quidem labore, sed nullo criterio secundum N. Alexander, Lugduni 1651 t. 21 in f., quae ed. insuper admodum est mendosa et arbitrariis correctionibus foedata, neque ulla in ea instituitur disquisitio critica de operum genuinitate. Aliqua etiam opera desiderantur. Nova editio prodire coepit apud Vivès Parisiis 1890 t. 38. Prae-

de Loe O. Praed. in Anal. boll. XIX (1900), 257—284, qui ib. XX (1901), 273-316 regesta exhibet b. Alberti i. e. indicem chronologicum omnium eorum, quae ad ejus vitam et gesta spectant; XXI, 361—371 opera ejusdem edita, et inedita (c. 394), genuina et dubia recenset praeeunte Melchiore Weiss, qui diligenti cura et labore dedit primordia novae bibliographiae b. Alberti M., Parisiis 1898 et jam prius disseruit Über mariologische Schriften des s. Albertus, Freising 1898. Michael Gesch. des d. V. III, 63—123 et Ztschr. f. k. Theol. XXV (1901), 37—68; 181—208; 735—738.

[1]) Scheeben Handb. I. 1 n. 1055: Seine fundamentale Bedeutung liegt in der durch ihn vollzogenen Restauration der aristotelischen Philosophie, während er als Theologe, namentlich was theologische Erudition, Systematik und Klarheit betrifft, hinter Alexander zurückbleibt und von Thomas weit überholt wird. Cf. Hertling KL². I, 414; Sighart A. M. sein Leben und seine Wissenschaft, Regensburg 1857; Bach A. M., Monachii 1880 etc. Ritter Gesch. der christl. Phil. IV, 185 s.: Wir müssen uns gestehen, dass Albert der G. eine Aufgabe gelöst hat, deren Lösung man kaum von einem Menschen erwarten möchte. Alle spätere Philosophie des MA. ruht auf seinen Erfolgen.

cipua ejusdem opera sunt[1]) prolixa commentaria seu potius paraphrases *in Aristotelis* opera fere omnia; commentaria *in opera Dionysii Areopagitae, in 4 ll. sententiarum* (Basileae 1506); in s. Scripturam, scil. (t. 5 in f.) in *Psalmos, Threnos, Danielem, prophetas minores* (Coloniae 1536), *quatuor Evangelia* (Hagenoviae 1504 t. 3 in f.) et *Apocalypsin* (Basileae 1506 dubia), de quibus ita censet Cornely; „In Psalmis explicandis parum ad historiam attendit omniaque aut allegorice de Christo aut tropologice explicat; in prophetis, etsi allegorias et morales applicationes satis frequentes afferat, diligentius tamen literae inhaeret; in Evangeliorum demum explicatione nescio an non meliores interpretes aequaverit; omnia et singula vocabula diligenter excutit, ad nexum accurate attendit, dogmata subtiliter eruit; sed forte nimis diffuse aliquoties ab haereticorum objectionibus illa vindicat, ut dogmatici theologi potius quam interpretis partes agere videatur[2])". Nostris diebus prodierunt commentarii *in Job* cur. Melch. Weiss, Friburgi 1904. Inedita manserunt *commentaria* in Cantica canticorum; in epistolas s. Pauli (excepta forte ad Romanos, cujus expositio comparet inter opera Hugonis a s. Caro), in l. de divinis nominibus Dionysii Areop. — *Summa theologiae,* Basileae 1507, ultimum forte ejusdem opus, coeptum post Summam s. Thomae, quam quadamtenus complet, sed incompletum: nam ex 4 pp., in quibus illam distribuerat quaeque respondere debebant 4 sententiarum libris Lombardi, l. tantum et 2. p. elaboravit. — *Summa de creaturis* divisa in duas pp., quarum 1. est de quatuor coaevis scil. materia prima, tempore, coelo et angelo; 2. de homine. Venetiis 1498; 1519, magis philosophica est quam theologica. — *Mariale* sive qq. 230 super Ev. *Missus est,* Mediolani 1489; Coloniae 1507. *De laudibus b. Virginis* ll. 12, seu Mariale (suppositum) plenum allegoriis, 1493; et Coloniae s. a. 1509; Argentinae sub nomine Richardi a s. Laurentio poenitentiarii rotomagensis (fl. 1245), Duaci 1625 in 4. ed. rara, cui a viris criticis vindicatur. — *Biblia mariana,* in quibus multa ex s. Scriptura b. Virgini applicantur, Coloniae 1625 in 8. (valde dubia). Speculum *in salutationem angelicam* est adhuc ineditum: idem ac Compendium super Ave Maria. — *De mysterio missae,* l. mystico-asceticus[1]);

[1]) Cf. Quetif I, 162—183, qui accurate singula eorumque codd. et editiones recenset, omissa et inedita; Feret II, 421—41; Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1880. XIX, 241—58 et 395—414, qui p. 247 de eo notat: Wir haben das Hauptverdienst Alberts darin zu suchen, daß er durch seine große Encyclopädie die gesammte neue Literatur in bedeutend bereicherter und verbesserter Form den christlichen Schulen leicht zugänglich machte und durch eine von den Glaubenssätzen ausgehende Kritik derselben jegliche Gefährdung der christlichen Lehre beseitigte. Et p. 252: Thomas von Aquin wird ihn an Scharfsinn und Präcision übertreffen, an Umfang des Quellenstudiums hat Albert nicht Seinesgleichen (quae sunt verba Haneberg).

[2]) Introd. gen. diss. 3 s. 2. c. 4 n. 248; cf. Ehrle, qui l. c. etiam ejus merita circa exegesim expendit atque ita statuit p. 409: Wir dürfen also die Commentare des Seligen zu dem Besten rechnen, was jene Zeit auf diesem Gebiete lieferte; können ihm neben dem Aquinaten den ersten Platz anweisen.

[1]) Hoc opus Franz Die Messe im d. MA. haud parum laudat p. 466—472, deque eo statuit: In der methodischen Behandlung, in der geistigen Durchdringung des Stoffes und in der Tiefe der Auffassung ragt es über die Leistungen der früheren Erklärer, auch des Papstes Innocenz III. weit hinaus . . . Es ist der Hauptsache nach eine theologisch ascetische, die Kenntnis des Ritus voraussetzende Erklärung der Opferhandlung und deren Gebete, in welcher vor allem der Zweck des h. Opfers zur Erkenntnis gebracht und zur Betrachtung vorgelegt werden soll." Praesertim propterea auctorem laudat, quod carpat nimium, sed tunc vulgatissimum pruritum allegorice omnia interpretandi jam ab Amalario inductum.

Summa *de sacr. eucharistiae,* Moguntiae 1477; *Sermones 32* de eucharistia saepe editi, Ratisbonae 1893 a G. Jacob. — *Paradisus animae* sive de virtutibus libellus (dubius), Antverpiae 1489; 1602; Coloniae 1498; *de adhaerendo Deo* libellus aureus, Antverpiae 1581 cum priore; 1621; Ratisbonae 1880. Enchiridion plane aureum *de veris perfectisque virtutibus,* Veszprim 1806; tr. *de forma orandi,* primum editus ab A. Wimmer, Ratisbonae 1902; argumenta tamen pro genuinitate non sunt sat efficacia. — Tr. *de conditione creaturae rationalis* et quae illi sunt ad Deum, seipsam et alias creaturas cognoscendas necessaria, qui sub ejus nomine postea prodiit Ambergae 1705 ed. 2, non est ipsius nec *Paradisus animae.* — Trithemius de eo scribit: „Non surrexit post eum vir similis ei, qui in omnibus literis, scientiis et rebus tam doctus, eruditus et expertus fuerit"; et Joannes de Beka: „Magnus in nigromantia, major in philosophia, maximus in theologia."

203. Inter Alberti opera reperitur etiam *Compendium theologiae* seu theologicae veritatis, opus concisum et practicum in 7 ll. partitum, in quibus ex ordine agitur de essentia divina, de creatione et lapsu generis humani, de incarnatione Christi, de gratia, de sacramentis et de novissimis. Illud derivatum videtur non solum quoad ll. partitionem, sed quoad doctrinam et ipsa verba ex Breviloquio s. Bonaventurae. Ob suam utilitatem plurimum fuit adhibitum, manuscripto et dein typis admodum diffusum, et ob suam praestantiam primis adscriptum theologis, modo Alberto M., modo s. Thomae vel s. Bonaventurae, Aureolo, Innocentio V., Aegidio romano, Thomae Sutton O. Praed. anglo magistro oxoniensi, cui plura alia tribuuntur opera (mscr. fl. c. a. 1300), Ulrico Engelberti O. Praed., Alberto argentoratensi (qui tamen non exstitisse videtur), Hugoni a s. Caro, Alexander Hal., Joan. Paltz etc., sed non est ipsorum, verum Hugonis O. Praed. prioris domus argentinensis[1]). Prodiit Venetiis 1485; Parisiis 1551 etc., inter opera s. Bonaventurae et Alberti M.; Lugduni 1557 annotationibus illustratum cura Joannis de Combes; ed. saepius recusa Parisiis 1559; 1564 etc.; recentissime[2]) studio Fr. Ephrem ab. b. Mariae de Trappa de Monte Olivarum, Friburgi 1880. Sed en Sbaralea illud reclamat Petro Thomae O. Min. Catalano, Scoti, ut ipse conjicit, discipulo et Barcinone theologiae professore, qui floruit circa a. 1320 et passim dicebatur „Doctor *invincibilis*"[3]). — Joannes Rigaldi (Rigaud) O. Min. Joannis XXII. poenitentiarius, dein episcopus trecoriensis (1317; † 1323) idem compendium prologo, epistola praefixa paucisque capitibus sive rubricis auxit, hinc passim etiam sub ejus nomine circumfertur inscriptum in codd. *Compendium pauperis fr. Minoris* scil. mag. fr. Jo. Rigaldi ep. Hanc editionem

[1]) Hoc encomium posset haud immerito reformari ita, ut dicatur, Albertus attentis omnibus adjunctis, difficultatibus, defectu mediorum etc. *maximus* in disciplinis naturalibus. Mira revera est in iis eruditionis vastitas, observationis diligentia, judicii sagacitas, quam libenter fatentur harum disciplinarum cultores recentes. Cf. eorum testimonia apud Ehrle l. c. p. 395 ss.

[1]) Natus est e familia nobili argentinensi Ripelin. Fuit quoque prior Turigii, provinciae praepositus (1300 et 1303). Tribuuntur ei et alia opera inedita. Cf. de controversia de auctore opusculi laudati Lucian Pfleger erudite disserentem in Ztschr. f. k. Th. XXVIII (1904), 429—440.

[2]) Cf. Katholik 1880. I, 442; KK. VI, 391.

[3]) Cf. Sbaraglia Suppl. ad script. trium ord. s. Franc. p. 610. 455. 291. Scripsit hic Petrus Thomae tr. pro conceptione b. V. 3 ll., quem misit ad Joannem XXII., ediditque P. de Alva et Astorga in Monumentis seraphicis, Lovanii 1665. Reliquit alia opera inedita, quae cf. ib.

Franc. Willer O. Min. Conv. basileensis sub nomine d. Bonaventurae recognitam et a mendis expurgatam edidit Basileae 1501. Cum vero sibi videretur auctor, quem putaverat esse Bonaventuram, de b. Virginis conceptione minus apposite sensisse, adjecit notam, d. Bonaventuram in tr. Meditationum opinionem de b. M. conceptione mutasse, subdiditque quinque rationes ad b. Mariae immaculatam conceptionem adstruendam, sed ita operi scribae vel typographi oscitantia connexas, ut internosci nequeat tam facile, num auctoris vel editoris sit ejusmodi additamentum. Nostra demum aetate edidit Ferd. Maria d'Araules O. Min. nostri auctoris *Vie de s. Antoine de Padove* latine cum versione gallica docta introductione in biographiam antonianam et Appendice de Legendis s. Francisci et s. Antonii Fr. Juliani de Spira (de quo cf. supra 290 s.), Bordeaux 1899, in qua usus est legenda auctore anonymo valde antiquo (ed. a Boll. in Bibl. hag. lat. n. 592).

204. Praeter Albertum M. sententiarum ll. commentariis (ineditis) illustrarunt ex ordine s. Dominici Rigaudus, Thomasellus de Perusio († 1285), Richardus Clapoel (Clapole, Clapwel, Clappelwelle), sacrae theologiae magister oxoniensis, qui etiam scripsit contra Guilelmum de Marra O. Min. s. Thomae impugnatorem; Guilelmus de Hotun (Hodon, Hozum, de Odone) anglus, doctor parisiensis et magister in toto orbe nominatus, archiepiscopus dublinensis (1297), qui legatus regius ad summum pontificem decessit in reditu 1298. — Latinus Malabranca, etiam de Frangipanis et Ursinius cognominatus, Nicolai III. ex sorore nepos et ab eo ad purpuram assumptus (1278) et ostiensis episcopus dictus, in gravissimis negotiis etiam a Nicolai successoribus ob rerum gerendarum peritiam adhibitus, praecipuus promotor electionis s. Coelestini V., cui tribuitur pulcherrima sequentia „Dies irae, dies illa“ († 1294) — Ulricus (Udalricus, Huldricus) Engelberti de Argentina, etiam Teuto cognominatus, Alberti M. ut fertur discipulus, Argentinae diu lector († 1272—1277), cujus etiam Summa theologica (mscr.) laudatur. Ejus *epistolae* a Finke recenter editae (Ungedruckte Dominikanerbriefe Paderborn 1091 p. 18 ss.) testantur ejus zelum pro religiosa disciplina, cum esset provincialis. — Aegidius Luscinus (fl. 1278) seu de Lessinis, Lessinia etc. oppido Hanoniae, forte s. Thomae auditor, cujus praeterea sunt tr. *de unitate formae* (in uno ente), *de usuris* in communi et de usurarum contractibus, qui tr. comparet ut opusc. 73 (suppositum) inter opuscula s. Thomae op. t. 17. ed. romanae a. 1570; necnon l. *de temporibus* seu de concordia temporum usque ad initium sec. XIV. opus judice Echardo eruditum, curiosum, luce dignum. — Bernardus de Trilia (Trilha) nemausiensis, s. Thomae doctrina excellenter imbutus, magister in theologia solidus et famosus, in pluribus conventibus, etiam Parisiis lector († 4. Aug. 1292), qui scripsit postillas (ineditas) in psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, cantica canticorum, in Joannem usque ad c. 11 et in Apocalypsim etc. — Oliverius Brito seu trecorensis magister parisiensis et provincialis Franciae († c. 1296). — Joannes Utenhove a patria (in Belgio) de Ardemburgo dictus O. Praed. magister *valde solemnis* cognominatus, qui Parisiis ss. literas magistrumque sententiarum interpretatus est († 1296), et reliquit praeterea postillas in varios ll. s. Scripturae. — Albertus de Roma et Gui-

[1]) Cf. Léon de Kerval Coll. d'Etudes et de Documents, Paris 1904 V, 241. Duplicem ib. reperies vitam s. Antonii accurate et critice editam.

lelmus tornacensis, qui scripsit de modo docendi pueros (flor. exeunte sec. XIII).

205. Denique ex Praedicatorum ordine plurimum innotuit Robertus Kilwardby, etsi ex innumeris ejusdem scriptis nihil fere prodierit. Natione erat Anglus, ab ineunte aetate literis deditus: quas ut excoleret Parisios profectus sic in eis profecit, ut in ea universitate magister artium factus scholas aliquot annis rexerit. In Angliam rediit ibidemque ordinem fratrum Praedicatorum est ingressus. Oxonii magistrum egit 1248—61, quo anno ob eruditionem, regularem disciplinam vitaeque sanctitatem electus est in praepositum provinciae. Post annos undecim in comitiis generalibus ordinis 1272 solutus, designatus est a Gregorio X. archiepiscopus cantuariensis et Angliae primas. Interfuit concilio lugdunensi suamque dioecesim diligenter lustravit. Dum visitaret Oxonium, ibidem propositiones consentientibus ejusdem academiae magistris reprobavit 4. ex grammatica, 10 ex logica et 16 ex cosmologia et psychologia, inter quas et doctrinam s. Thomae de unitate formae substantialis in homine[1]): erat enim assecla vetustioris scholae, cujus plures opiniones correxerant Albertus M. et s. Thomas. Interim a Nicolao III. cardinalis creatus et episcopus portuensis renunciatus est 12. Mart. 1278: sed brevi post suum ad curiam adventum graviter infirmatus obdormivit in Domino a. 1279, non sine veneni suspicione, ait Fabricius. Praeter plurima opera philosophica (39), praesertim commentaria *in Aristotelem*, cujus organon scriptis saltem 20 copiosissime undequaque illustravit, unde dictus est a Hauréau[1]) „logicien scrupuleux et minutieux“: reliquit etiam *commentaria* in prophetas minores, in Ezechielem et Danielem, in epistolas Pauli, *commentaria* in 4 ll. sententiarum, quaedam ad theologiam spectantia etc. Libros s. Augustini fere omnes aliorumque doctorum plurium per parva capitula distinxit, sententiam singulorum breviter et succincte annotando. Cum ejus censura in aliquot propositiones, de qua supra egimus, Petro de Conflato sodali suo et archiepiscopo Corinthiorum, dein consentino, displicuisset isque illarum quasdam vindicavisset: Robertus prolixam *epistolam* apologeticam illi scripsit, quam Ehrle primum typis dedit in Archiv V, 614—32.

---

[1]) Cf. eas apud Denifle Cart. univ. paris. I, 558. Longe acrius doctrinam s. Thomae impugnavit Guilelmus de La Mara (Lamarensis, de Marra) O. Min. Anglus, doctor parisiensis, s. Bonaventurae discipulus, qui praeter *commentaria* in 4 ll. sententiarum, lectiones scholasticas, quodlibeta sophistica etc. (inedita) scripsit *Reprehensorium* seu Correctorium Fr. Thomae, in quo impugnat 49 ejusdem articulos ex 1. p.; 12 ex 1. 2. et 16 ex 2. 2. Sed plures pro s. Thoma steterunt, ut Aegidius Romanus, de quo infra n. 250; Richardus Clapwel (Clapwelek fl. 1290), Anglus magister oxoniensis cujus esse videtur *Defensorium* seu Correctorium Corruptorii; Hugo Ancelin de Bilhonio (Billon, quod est municipium Arverniae) O. Praed. magister parisiensis et in conventu romano, magister ut videtur s. palatii, a Nicolao IV. purpura decoratus (1288), episcopus (1294) ostiensis († 1298), cujus etiam sunt commentaria in Threnos Hieremiae et in ll. sententiarum (inedita) etc. Guilelmus Mackelefield (Mallisvielt, Masset, Macclesfieldus, Manusfeldus, Messelech etc.) O. Praed. Anglus, magister oxoniensis, quem Benedictus XI. ordinis quondam magister ignorata ejus morte (1303) cardinalem proclamavit. Reliquit plura alia inedita, ut postillas in aliquot ll. s. Scripturae, quaestiones, de unitate formarum etc. Cf. Quetif I, 414. 450. 493; Feret III, 379-81; 540—545; Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1880. 18, 302, ubi accurate de his controversiis disserit.

[1]) Quem cf. de eo in Hist. de la philos. schol. Parisiis 1880 II, 2, 33; et Bellesheim KL. VII, 449—452.

206. Pariter Petrus a loco nativitatis de Tarentasia (in Sabaudia), antea de Campagniaco (de Champagny) dictus[1]) O. Praed. (n. 1225), Parisiis literis applicitus magnum sibi in ea universitate nomen fecit. Adepto doctoratu a. 1259 in ea ss. literas interpretatus est et sententias exposuit. Cum aliis (cf. p. 310) clarissimis sodalibus in capitulo generali apud Valencenas habito designatus fuit qui statuta pro studiis conderet generalibus. Cum esset a sanctimonia, prudentia et doctrina commendatissimus, provinciae Franciae praefectus est (c. 1265), post biennium tamen hoc munere solutus Parisios est missus ad legendum scholasque regendas. Mox iterum electus est in priorem provincialem (1269) et post triennium assumptus antistes lugdunensis, et jam a. sequenti a Gregorio X. in cardinalium collegium adscitus et episcopus ostiensis renunciatus. In synodo lugdunensi claruit habuitque plures in ea sermones. Gregorio X. defuncto in primo scrutinio omnium votis eidem potifex suffectus est 21. Jan. 1276 sub nomine Innocentii V. primus ex ordine s. Dominici; sed jam eodem anno 22. Junii decessit. Ejus est *commentarius in 4 ll. sententiarum,* qui demum Tolosae 1652 t. 2 in f. prodiit. Cuidam censori non omnia in eo videntur arrisisse vel claruisse, hinc inter opuscula sane spuria s. Thomae reperitur opusc. (ed. rom. 9. t. XVII) *responsio* ad F. Joannem Vercellensem generalem magistrum O. Praed. de art. 108 ex op. Petri de Tarentasia, quod est auctoris ignoti. Composuerat plurima alia opera, ut quodlibeta (inedita) et *postillas* in plures ll. s. Scripturae, etiam super epistolas s. Pauli, quae ab antiquis scriptoribus laudantur, et sub nomine Nicolai de Gorram sexies prodierunt ab a. 1478—1692. Cujus revera sint, peremptorie dirimi nequit. Concinnavit quoque decreta abbreviata etc. Regesta exhibet Potthast p. 1704-1708.

207. Innocentii in pontificatu successor (mediatus) Joannes XXI. pariter paucis mensibus (8) sedem apostolicam tenuit († 16. Maj. 1277). Ante dictus est Petrus filius medici Juliani (Giaens), etiam Macrinius, vulgo Hispanus cognominatus, etsi Olisipone sit natus. Cunctas facultates didicit, hinc clericus „universalis“ est dictus, Parisiis vero sive Monspelii sive utrobique philosophiae ac medicinae navavit operam. Scripsit *Thesaurum pauperum* seu de medendis humani corporis morbis per experimenta ex omni genere auctorum et propria experientia congestum, Antverpiae 1497; Venetiis 1494; 1500; Lugduni 1525; Parisiis 1577 etc. (quod juxta alios est patris ipsius) etc. aliaque opera medica. Librum *de oculo* primus edidit Berger, Münster 1899. A Gregorio X. cum Petro de Tarentasia, s. Bonaventura aliisque creatus est cardinalis a. 1273 et jam 13. Sept. 1276 electus pontifex. Admodum erat solicitus de terra sancta; legatos misit ad Tartarorum ducem, ut ei commendaret Christianos sua in ditione degentes non sine fructu. Monachis dicitur minus propitius. Cum

[1]) Tarentasia (Tarantasia) est provincia, cujus metropolis Monasterium i. e. Moutiers appellatur, ac ideo Monasterium in Tarentasia. Haud procul est Champagny, arx vel possessio ut videtur familiae ipsius, Cf. Turinaz La Patrie et la famille de Pierre de T., Nancy 1882. Plura de ipso reperies apud Quetif I, 350 s.; Touron Hist. des hommes ill. de l'ordre de s. Dom. I, 344 ss.; in vita praemissa ejusdem commentario in ll. sent.; Feret II, 487—95; Vie du B. Innocent. V., par un Religieux du même Ordre, Romae 1896; Carboni-Laureti de Innocentio V. rom. pont. diss., Romae 1894. — Alius ab eo est s. Petrus a Tarentasia, ejus praedecessor in sede lugdunensi (1141—1174), Alexandro III fideliter addictus jam a. 1191 inter Sanctos relatus, de quo cf. Brultey St. P. de T., ses miracles, ses reliques, son culte, Besançon 1875.

esset vir insignis literis, literatorum omnium exstitit beneficentissimus Maecenas: sed pro more illius aetatis ob suam in disciplinis naturalibus peritiam magiae suspicionem non potuit effugere[1]). Sed decantatissimus in scholis philosophicis factus est ob suas Summulas logicales aliaque opera philosophica, quae saepissime edita (saltem quadragies uno sec.), per secula in praelectionibus fuere adhibita et a plurimis illustrata commentariis. Prodierunt ex. gr. *Textus omnium tractatuum* P. Hispani cum copulatis secundum doctrinam s. Thomae juxta processum magistrorum Coloniae in bursa Montis regentium, Coloniae 1489 in f.; *Parva logicalia* Alost 1474 in 4; *tr. logicales sex* cum elucidariis in bursa Montis Coloniae regentium, Coloniae 1487; 1503, forte idem ac *Copulata* sex Tractatuum etc. Bene autem ostendit R. Stapper[2]) ejus compendium logicae non esse derivatum a Michaele Psello († 1079) scriptore graeco, imo potius σύνοψιν huic tributam esse operis Jo. Hispani versionem. Nicolaus tamen Antonius[3]) innixus silentio antiquorum bibliographorum censet, non eundem esse hunc Petrum Hispanum summularum aliorumque operum philosophicorum auctorem cum Joanne XXI., qui de re medica scripserit, quae sententia et aliis arridet.

208. Ex ordine s. Francisci libros sententiarum illustrarunt praeter Rogerum Baconem plures, quorum tamen commentarii manserunt inediti, ut Robertus de Bastia (corrupte de Bascia, Bassia, Hassia, Russia, Ruscia), qui cum Alexandro hal., Rigaldo, Jo. de Rupella regulam s. Francisci declaratam Aimoni ministro generali comitia a. 1242 Bononiae celebranti transmisit, quae dicitur *expositio quatuor magistrorum* atque saepius cusa prodiit († 1280). — Thomas Bungejus (de Bungey) doctor oxoniensis et ibidem professor, in rebus mathematicis ita peritus, ut ab imperita multitudine haberetur pro mago (cl. c. 1290). — Guilelmus Warron (de Warra, Varro, Guarro etc.), Scoti magister, doctor *fundatus* dictus[1]) (fl. c. finem sec. XIII.). — Reginaldus Umber, quem aliqui erronee dicunt fuisse archiepiscopum rothomagensem et cardinalem. — Demum Andreas a Novocastro O. Min., Lotharingius, quem aliqui Anglum et Dominicanum fuisse opinati sunt. Hujus prodiit *commentarius* in 1. l. (non in 4 ll.) sententiarum, Parisiis 1514. — Petrus de Trabibus fidelissimus Petri Jo. Olivi (cf. p. 405) discipulus, qui hujus etiam errorem de forma substantiali hominis sequitur. — Carus Aretinus ex nobilissima familia Pantaneto, a. 1289 contra haereticam pravitatem in Tuscia inquisitor. — Robertus Crowche (Crucius) Anglus, integritate vitae, subtilitate ingenii et non contemnenda doctrina inter suos clarus († 1300), qui magnam vitae partem transegit in studiis philosophicis, hinc etiam commentaria in aliquot Aristotelis opera elaboravit.

209. Praecipue vero hac inclaruit periodo Rogerus Bacon, ob singularem in disciplinis naturalibus peritiam et ingenii sagacitatem „Doctor *mirabilis*“ salutatus. Patria erat Ilcestrensis comitatus comersetensis, natione Anglus, natus circa a. 1214, doctor parisiensis (c. 1248), qui O. S. Franc. ingressus est c. a. 1240 (secundum alios post a. 1248). Hic in omnibus disci-

---

[1]) Cf. Ant. Macedo in Lusitania purpurata.

[2]) Festschrift zum 1100jährigen Jubiläum des deutschen Campo Santo in Rom, Freiburg 1897 p. 130—38; Papst Johann XXI eine Monographie, Münster 1898; E. Guirand et L. Cadier Les registres de Gregoire X et de Jean XXI, Paris 1892.

[3]) Bibl. hisp. veteris l. 8 c. 5, qui fuse de Petro hispano ejusque operibus disserit.

[1]) Cf. Feret II, 395—99.

plinis excelluit, in theologicis et philosophicis, etiam in historia, geographia et chronologia, mathematica, medicina, in literis graecis, arabicis et hebraicis, in chemicis, opticis et astronomicis, in quibus adeo profecit, ut plura invenerit, ut specula comburentia, lucis reflexionem et dispersionem, instrumenta optica etc. Verum erat eruditionis prodigium, non tamen ab aberrationibus liberum. Apud imperitum vulgus habebatur praestigiator, apud quosdam etiam non indoctos de magicis artibus erat suspectus, imo et apud suos superiores fuit accusatus. Hinc sodalibus prohibitum erat ejus legere scripta. „Facta est constitutio gravis, scribit ipse in Opere tertio c. 2, in contrarium sub praecepto ac poena amissionis libri et jejunio in pane et aqua pluribus diebus, si aliquando scriptum factum apud nos aliis communicetur“: quae diu duravit. Coepta tamen studia physica et astronomica alacriter est prosecutus, postmodum tectus favore Clementis IV., quocum prius foverat commercium literarium, et cujus fruebatur gratia adeo, ut hic factus pontifex ejus expeteret opera. Ab Hieronymo de Ascolis, qui s. Bonaventurae in regimine ordinis successerat, iterum in Galliam fuit vocatus rationem redditurus (1278); pluribus ejusdem opinionibus reprobatis ipse ad monasterii custodiam fuit damnatus, sed non diu, quod contra plures tenendum videtur scriptores. Rediit senex in Angliam decessitque 11. Jun. 1294. Nonnisi per calumniam praecursoribus accensetur deformationis sec. XVI. vel liberalismo infectus exhibetur: vir enim erat probe catholicus, etsi forte nimis tribuerit astrologiae, et rigidus moribus, hinc pronus, ut severius judicaret de morum corruptione suorum temporum, neque mirum si propterea multorum incurrerit offensionem et accusationem. Sua sagacitate detexit menda calendarii juliani suaque de eo studia comprobavit Nic. Copernicus, quare ipse impulsum dedisse et viam quasi monstrasse de eo reformando haud immerito dicitur. Ita et viam monstravit in doctissimo tr. *de septem peccatis capitalibus* et ep. *de laude Scripturae s.* ad Clementem IV., in qua mirum exhibet specimen criticae biblicae, pro corrigenda versione s. Hieronymi, cui ipse nomen Vulgatae indidit, quam viam postea etiam censores ad hoc destinati secuti sunt[1]). Praesagiit ingenii sui sagacitate plures machinas, quae nostra demum aetate repertae fuere. Innumera composuit opera[2]), plurima de naturalium disciplinarum argumentis: pauca tantum prodierunt. Praecipuum ejusdem opus est inscriptum: *Opus majus* ad Clementem IV., Londini 1733; Venetiis 1750 in 4; accedit prologus galeatus in reliqua opera ejusdem auctoris ed. Jebb (m. 66), opus encyclopaedicum varii argumenti. In p. 1. agit de 4 causis ignorantiae humanae et errorum; in 2. de harmonia inter scientiam et theologiam; in 3. de utilitate et necessitate linguarum; in 4. de utilitate et potestate mathematicae; in 5. de perspectiva; in 6. denique p. de scientia

---

[1]) Cf. Kaulen Geschichte der Vulgata, Mainz 1868 pag. praesertim 266 ss.; 284 etc. Illius ep. prolixa fragmenta exhibet Hody de textibus bibliorum orig. l. 3 p. 2 c. 11; cf. de ea Denifle Archiv IV, 277 ss. passim; in primis Martin La Vulgate Latine au XIIIe siècle d'après R. B., Parisiis 1888: Gasquet English Biblical Criticism in The Thirteenth Century in The Dublin Review 1898 p. 1—22.

[2]) Cf. Sbaralea p. 642 ss. Grammer KL^2. I, 1839—43; E. Charles R. B. sa vie, ses ouvrages, ses doctrines d'après des textes inédits, Parisiis 1861; Leonh. Schneider, R. B. O. Min., Augustae 1873; Feret II, 329—69; C. Narbey in Revue des questions hist. 1884 I, 115-165; cf. et 1891 p. 119 ss., ubi de ejus carcere quaestio instituitur; histor.-pol. Blätter LXXIV, 206—28; Doublier R. Bacon eine kulturgesch. Studie, Wien 1892; Zöckler Realenc. 2^3, 344—346; Werner Die Psychologie, Erkenntnißlehre und Wissenschaftslehre, Wien 1879 etc.

experimentali. Pars 7. de morali philosophia prodiit Dublini 1860. Excerpta prostant in MG. SS. XXVIII, 569—83. Hoc opus expetierat literis ad eum datis 23. Jun. 1266 Clemens IV., sed timuit Rogerus illud mittere „propter viarum maxima pericula et amissionem operis possibilem", ideoque elaboravit illius epitomen, quod appellavit *opus minus*. Sed „sicut propter has rationes opus secundum ad intelligentiam et complementum primi composui, sic propter easdem hanc tertiam scripturam formavi ad intellectum et perfectionem utriusque operis praecedentis; nam quam plura adduntur magnifica, decorem sapientiae continentia, quae in locis aliis non habentur"[1]): et hoc dixit *opus tertium*. Opus minus (non satis integrum) et tertium prodierunt inter rerum britannicarum medii aevi scriptores (n. 15), Londini 1859 cura Brewer illud I, 313—389, hoc I, 3—310. In opere minori mentionem facit septem peccatorum, quae in studio s. theologiae locum habere solent, inter quae recenset corruptionem textus s. Scripturae, perversas illius interpretationes, ignorationem linguarum, neglectum mathematicae, sed et „quod praefertur una sententia magistralis textui facultatis theologicae scil. liber sententiarum". *Compendium studii philosophiae* prodiit ib. p. 393-519. In eo cum contemptu loquitur de Aristotelis philosophia, de Alberto M. et s. Thoma, quos pueros vocat, de summa Alexandri Halensis. Hoc etiam occasionem dedit duriori agendi rationi adversus ipsum vel ex parte sodalium. In eadem ed. Breweri exstant etiam ejus ep. *de secretis operibus* artis et naturae (Parisiis 1541 et saepe alibi) et *de nullitate magiae* (p. 523—52).

210. His addantur interpretes ll. sententiarum aliorum ordinum vel cleri secularis, quos nominasse sufficiet[2]),

[1]) Ita ipse in c. 1 op. tertii.

[2]) Alius ab eo videtur Joannes de Sacro Bosco, cujus l. *Sphaera mundi* cum et ipsorum opera manserint inedita, ut Thomas Borstallus O. Erem. s. Aug. Norfolciensis, doctor et professor in Sorbonna Parisiis necnon in duabus academiis Angliae († 1290) — Carolus Anglicus O. ss. Trin. clarus oxoniensis scholasticus (fl. c. 1276) — et hujus sodales Joannes de Bosco (Holywood) Anglus[1]), parisiensis doctor († 13. Dec. 1291), Cornelius Hibernus, oxoniensis doctor († 1. Oct. 1295), et Robertus Herbertus Hibernus, theologus doctor oxoniensis († 1299). — Humbertus (Himbertus) de Gendrey O. Cist., doctor parisiensis, abbas Pruliaci in dioecesi senonensi (1296; † 1298), cujus etiam commentaria in universam Aristotelis metaphysicam et in ll. de anima sunt inedita. — Hujus sodalis Francisci Caesaris (de Keyser) monasterii de Dunia, Flandri, († 1298) commentaria, monasterii incendio ab haereticis (1578) combusta, subtilissima fuisse dicuntur. *Vita s. Bernardi* versibus expressa prodiit 1483. — Balduinus de Bossu (Boussu) pariter O. Cist. et abbas cambronensis. — Guilelmus Pagham (de Pagula) O. Carm. Anglus, doctor oxoniensis (fl. c. 1280), cujus plura laudantur inedita.

211. Post Albertum M. primum forte locum inter theologos scholasticos hujus aevi occupat Henricus Gandavensis, doctor *solemnis* salutatus. Circa ejus vitam multa sunt dubia, hinc ortae nostra aetate controversiae lite-

saltem sexagies quinquies prodiit quique obiisse dicitur 1244 vel 1256.

[1]) Alii theologi scholastici fuere, quorum laborum fructus manserunt inediti, ut speciminis gratia, Richardus de Aberdonia O. ss. Trin. Anglus, doctor oxoniensis (fl. c. a. 1276); et hujus sodalis Anselmus de Kaneresburgo Anglus, oxoniensis doctor et professor theologiae († 11. Apr. 1290); Simeon de Leontino O. Praed. episcopus syracusanus (1269—94 c.) etc. Cf. Genér theol. dogm. schol. I. prodr. 1 c. 4 p. 147 ss.

rariae[1]). Natus dicitur in oppido Mude prope Gandavum a. 1217 (secundum alios 1223) ex nobili stirpe Goethals (Bonicolliorum), diu Coloniae sub Alberto M. philosophiae operam dedisse, Parisiis theologiae doctorem fuisse creatum, inter magistros sorbonicos floruisse, ab Innocentio IV. munere protonotarii per Galliam fuisse auctum, se ordini Serv. b. M. V. adjunxisse, pro eo stetisse etc.: quae tamen incerta et dubia esse ostendit Ehrle: fundantur enim quadam bulla Innocentii IV. d. 13. Maj. 1274 et narratione Giani historiographi ordinis Servitarum. Jam vero Ehrle gravia movet dubia contra genuinitatem illius bullae, et hanc narrationem falsis niti fundamentis probat. Facta diligenti inquisitione[2]) videtur tenendum, eum initio sec. XIII. esse natum parentibus conditionis humilis. Fuit canonicus tornacensis, dein archidiaconus brugensis et tornacensis. Diu vel saepius commoratus est et docuit Parisiis († 29. Junii 1293), quin esset doctor sorbonicus. Certum vero est ordinem Servitarum in capitulo generali a. 1609 eum declarasse ordinis doctorem et magistrum, lectoribusque et auditoribus mandasse, ut priscorum exemplo omnes ejus doctrinae explicandae intenderent, et ut nova operum ejusdem editio curaretur. Ceterum jam antea non defuerunt ex Servitarum ordine, qui ejus doctrinam ab exceptionibus Bernardi Alverii, Joannis Parisiensis II., Guilelmi Manusfeldi seu Mackelefield O. Praed., Petri Hervaei et Joannis Scoti vindicarent eamque interpretati sunt, inter quos fuerunt Guil. ab Heymeda Francofordiensis, Joannes de Fonte Almati in gymnasio bononiensi († 1318) ejusque successor Christophorus Florentinus, H. A. Burgus professor pisanus et episcopus aliphanus etc. Quibus addantur ex posteriori aetate Lodigieri et Canali (Nomenclator II[2], 959. 655); Angelus Maria Ventura, Soggia, Franc. Ant. de Zambrana, Davalos etc. In suis operibus prodit ingenium sagax, nobile, foecundum[1]). Praecipua sunt: *Quodlibeta* seu qq. disputatae in 4 ll. sententiarum, Parisiis 1518; Venetiis 1608; 1613 t. 2 commentariis doctissimis M. Vitalis Zuccolii patavini illustrata. — *Summa theologiae* Parisiis 1520 t. 2 in f.; in 3 pp. praecipuas digesta opera Hier. Scarparii O. Serv. b. M. V., Ferrariae 1646 t. 3, in qua fuse tractat prolegomena tantum et doctrinam de Deo, sed nova et profunda methodo[2]). — *Philosophica tripartitio doctrinarum et rationum,* Bononiae 1701, sub qua inscriptione complectitur Angelus Ventura O. Serv. b. M. V. ejus opera philosophica, scil. quaestiones logicales, disputationes in 8 ll. physicorum, in ll. de generatione et de corruptione, de alteratione, de elementis, et actione

[1]) Cf. de his Berlière OSB. in Zeitsch. für kath. Theol. 1890 p. 384—88.

[2]) Archiv 1885, I, 365 ss.; 507. Idem jam antea praestitit Wauters in Bulletin de l'Acad. r. 1875 serie II. XI, 356; amplius confirmavit Delehaye S. J. in Messager des sciences hist. 1886 p. 328-55; 438-55; seorsim Gand 1886. Non omnia tamen satis probantur Feret II, 227—47.

[1]) Scheeben l. c. n. 1054 eum dicit ein kühner, gewaltiger Geist, schwungvoll und ideenreich, dabei freier und beweglicher in der Form als die meisten seiner Zeitgenossen.

[2]) Scheeben l. c. eam dicit originell und grossartig angelegt, welche jedoch nur die originell gearbeitete theologische Wissenschaftslehre (als prolegomena q. 1-19) und die Gotteslehre nach einem tief durchdachten und selbständigen Plane enthält, aber weitläufiger ausgeführt ist, als die des h. Thomas. Henricus de Herfordia O. Praed. († 1370) de nostro Henrico in suo chronico (ed. Potthast Gottingae 1859) p. 213 refert: „Hic scripsit Summam theologiae verborum quidem intricatione et obscuritate quantitateque notabili voluminis obtusioribus morosam, sed sensuum subtilitate plurima et profunditate mirabili refertissimam et fecundissimam, et ob hoc a perspicacioribus quam pluribus avidius anhelatam."

et reactione, de anima, disputationes in universam metaphysicam. Magis in suis sententiis accedit ad Duns Scotum, quam ad s. Thomam, a quo in nonnullis controversiis dissentit[1]). Ejus ingenii acumen saepius in disputationibus Duns Scotus est expertus, hinc eum dignum existimavit, cum quo in suis theologicis studiis, quemadmodum cum s. Thoma, doctas manus conseret. Concinnavit quoque *catalogum scriptorum illustrium* (60 + 11) seu l. de scriptoribus illustribus, Coloniae 1580; et in bibliotheca eccl. Miraei, et Farbicii Hamburgi 1718 p. 117 s., cujus tamen genuinitas recentissime in dubium vocatur[2]), imo jam negatur. — *Vitam* scripsit s. *Eleutherii* tornacensis ep., quae forte eadem est cum illa anonymi in actis SS. mensis Februarii III, 187. Mentione dignum est judicium Pici de Mirandula latum de celebrioribus theologis hujus aevi: „Est in Joanne Scoto vegetum quiddam atque discussum; in Thoma solidum et aequabile; in Aegidio tersum et exactum; in Francisco (de Mayron) acre et acutum; in Alberto priscum, amplum et grande; in Henrico, ut mihi visum est, semper sublime et venerandum[1])".

212. Insigne opus apologeticum condidit Raymundus Martin (Martini) O. Praed. in oppido Cataloniae Subirats natus, ante suam conversionem inter Judaeos rabbinus[2]). Cum eo tempore in regnis Hispaniae innumeri essent Judaei et in quibusdam Saraceni[3]) dominarentur, horum conversionis procurandae in cordibus fratrum Praedicatorum exarsit zelus, et idcirco variis in locis linguarum hebraicae et

---

[1]) Adversus Henrici gandavensis (sicut et Aegidii romani aliorumque doctorum sorbonicorum) exceptiones (cf. Werner der h. Thomas III, 7 ss.) s. Thomae doctrinam strenue vindicavit Robertus Anglicus O. Praed. Orphordius seu Oxfordius Oxoniae vel Cantabrigiae laureatus († c. a. 1292) pluribus operibus, sed ineditis; ita et Bernardus de Alvernia, ab aliis de Claramonte dictus, qui ineunte sec. XIV. Parisiis floruit in gymnasio Sanjacobeo. Praeter lecturam super ll. sententiarum scripsit contra dicta Henrici gand., contra Godefridum de Fontibus magistrum parisiensem et Jacobum de Viterbio O. S. Aug. archiepiscopum postmodum neapolitanum pro tuenda doctrina s. Thomae. Sed et haec manserunt inedita. Cf. Quetif I, 492.

[2]) Cf. Hauréau Mémoire sur le l. *de viris illustribus* attribué à Henri de Gand, in Mémoires de l'Académie des inscript. et belles lettres XXX p. 2 pag. 349 ss. et iterum in Notices et Extraits VI. 162—73. Cf. praeterea de nostro auctore Benitius M. Mayr O. Serv. b. M. V. KL². V, 1704; Huet Recherches hist. et crit. sur la vie, les ouvrages et la doctrine de H. de G. (quoad p. l. antiquatae), Gand-Paris 1838; Schwartz H. de G. et ses derniers historiens in Mémoires couronnés de l'Académie royale de Belg. 1859 t. X; de Paun Die neuesten Entdeckungen betreffend den Doctor solemnis H. v. G. etc. in Bulletin de la Commiss. d'hist. XVI, 27—138; Werner H. v. G. als Repräsentant des christlichen Platonismus; alios apud Potthast p. 582; recentissime Maurice de Wulf in opere accurato: Histoire de la philosophie scholastique dans les Pays-Bas et la Principauté de Liège jusqu'à la Révolution française, Lovanii et Parisiis 1895 pag. 46—272.

[1]) Citatur in Hist. littér. de Fr. XX, 191.

[2]) Ita legimus in op. P. Schwarz O. Praed. Stella Messiae, Esslingen 1475 p. 25ᵇ s.

[3]) Contra Mauros seu mahommeticae sectae asseclas disputavit s. Petrus Nicolaus Paschalis O. Merc. Valentiae n. 6. Dec. 1227, insignis theologus et concionator, giennensis episcopus, qui a Mauris captus est atque martyr occubuit a. 1300. Cultum antiquissimum agnovit approbavitque Clemens X d. 11. Dec. 1673. Plura ejusdem opera recenset Nic. Antonius in bibl. hist. vet. l. VIII c. 6 n. 263 ss. et J. Ant. Gari y Siumell O. Merc. in Bibliotheca Mercedaria p. 215, e quibus *La Biblia pequeña* instructio scil. fidei in lingua lemosina pro captivis in servitute apud Mauros Granatae degentibus Barcelonae 1492 et alia quaedam Matriti 1676 praelo data fuisse leguntur. Cf. Fita Bollettino de l'Acad. royale Madrid XX (1892) 32—61.

arabicae instituta fuerunt studia. Jam vero in comitiis provinciae hispanae Toleti 1250 habitis designatus fuit Raymundus cum aliis septem ad haec excolenda studia „hoc injungentes, ita patres congregati, in remissionem peccatorum auctoritate magistri et nostra, idque imperantes virtute obedientiae". Porro in hoc studio emicuit Raymundus, qui singularem linguarum hebraicae, chaldaicae et arabicae scientiam est adeptus. Hinc adversus Judaeos et Saracenos indefesse verbo certavit et calamo: ideoque etiam adhibitus fuit a Jacobo I. Aragoniae rege cum sodalibus ad discussionem faciendam blasphemiarum in libris thalmudicis contentarum. Tunetum postea cum Francisco de Cendra († 1280) se contulit Mauris ad fidem adducendis operam daturus, quod iter non sine fructu fuit. Rediit inde (1269) Barcinonam. Plura composuit opera adversus Judaeos et Mauros, inter quae praecipuum inscripsit *Pugio fidei,* latine et hebraice, Parisiis 1642 studio Jac. Phil. Maussaci; ib. 1651 cum observationibus J. de Voisin; Lipsiae 1687 cum Hermanni Judaei opusculo de sua conversione cura Carpzovii (cf. Nomencl. II², 422), opus plane egregium, quod modo adhuc Judaei exhorrent, et pretiosum, quia multos exhibet textus codicum judaicorum, quos posteriorum temporum Judaei in editionibus impressis omiserunt[1]). Constat 3 pp.; in 1. eos, qui omnem revelationem negant, impugnat; hinc magis philosophorum errores discutit; in 2. ex vaticiniis messianis Messiam jam advenisse ostendit; in 3. ss. Trinitatis, peccati originalis, redemptionis mysteria defendit argumentis ex solo textu hebraico s. Scripturae et ex libris rabbinorum, in quibus erat versatissimus, desumptis: sagaciter vero Judaeorum exceptiones diluit. Christoph. Wagenseil in *telis igneis satanae* vulgavit inter alia etiam hebraice et latine disputationem inter Moscheh Ben Nachman gerundensem et Christianos, Paulum ac Raymundum (nostrum) O. Praed. praesente Jacobo rege a. 1263 habitam: in qua potiores partes egit Pablos (Paulus) Christiani ex judaismo ad fidem conversus et sodalis O. Praed., adeo ut in documentis publicis ipsius solum fiat mentio. Henricus Denifle, productis pluribus ad eam spectantibus documentis, aperit Judaeorum fraudes a Nachmanide usque ad Graetz auctorem historiae Judaeorum, qui victoriam mendaciter asserunt Nachmanidi[1]). Laudat etiam ib. ineditam Martini *Explanationem symboli* apostolorum ad institutionem fidelium, in qua Judaeorum et Maurorum praesertim difficultates et exceptiones prae oculis ponit easque solvit. Composuit et refutationem Korani et aliam errorum Judaeorum *Capistrum* (Capisterium) *Judaeorum* inscriptam, quae utraque mansit inedita.

213. Inter eos, qui pro unione Graecorum cum Ecclesia romana laborarunt ideoque contra illorum errores scripserunt, eminet Joannes Beccus (Veccus) Constantinopolitanus, ob eruditionem chartophylax ecclesiae principalis factus et ab aula legatus ad Ludovicum IX. regem Galliae missus. Initio quidem occidentales pro haereticis habuit palamque ut tales declaravit: hinc ab imperatore cum familia in carcerem conjectus otium nactus est vacandi studio. Lectione librorum, in primis Nicephori Blemmydae, errorem agnovit et exinde stetit pro unione cum Ecclesia romana ineunda. Hac demum in consilio lugdunensi II. inita, renuente Josepho patriarcha CP. ei ad-

[1]) Cf. Kaulen KL². X, 753; Herm. L. Strack Realenc. XII², 545 s.; Nicolaus Antonius bibl. hisp. vet. II. l. 8 c. 6 n. 227 ss.

[1]) Histor. Jahrb. 1887. VIII, 225—244. De ipso Nachmanide, qui etiam dicebatur Ramban († 1270), et de hac famosa disputatione cf. Kaulen KL². X, 764.

haerere, electus est in ejus locum Veccus (26. Maj. 1275). Cum vero unionem serio promovere studeret, multorum incurrit odium et invidiam, adeo ut vel imperatoris excideret gratia. Hujus filius adversariis cessit unionis eamque iterum solvit (1282): hinc Veccus munere suo pastorali se abdicare est coactus eique subrogatus rursus Josephus. In schismaticorum conciliabulo accusatus in exsilium Prusam fuit pulsus. Omnibus destitutus in summa paupertate et in carcere vitam finivit a. 1298 deplorans concivium suorum coecitatem et obstinationem. Vir erat vere magnus et excellens virtute, doctrina, eloquentia. Plurima scripsit pro unione tuenda et contra errores Graecorum, quos solidissime et sagaciter refellit ex patrum graecorum doctrina, in qua erat insigniter versatus: ea prodierunt cura Leonis Allatii inter Graeciae orthodoxae scriptores I, 63—378; II, 1—641; plenius in Migne PP. graec. t. CXLI, scil. *de unione et pace ecclesiarum* veteris et novae Romae; *de processione Spiritus sancti; sententia synodalis,* scil. de loco Gregorii nysseni pro processione Spiritus s. ex Patre et Filio petita ex ejus homil. in Pater noster; ad Theodorum Sugdaeae episc. ll. 3 *de processione Spiritus s.* ex Patre et Filio; ad Constantinum (Meliteniotam) de eodem argumento ll. 4; *refutationes* adversus D. Andronici Camateri Vigeae Drungarii (praefecti vigilum) super scripto traditis testimoniis de Spiritu s. animadversiones; *Epigraphae* sive praescriptiones (13) in dicta ac sententias ss. patrum a se collectas de processione Spiritus s. (in opusculis aureis Petri Arcudii primum editae); in tomum (Georgii) Cyprii (patriarchae negantis processionem Spiritus s. per Filium) et nova ejusdem haeresis de improviso dictata; *de pace ecclesiastica* fragmentum; epist. ad Joannem papam cum professione fidei et recognitione primatus; *de injustitia,* qua affectus est et a proprio throno ejectus or. 2; *Apologia* nullo modo nostras consuetudines destrui, si ecclesiarum unionem acceptamus, sed ad conciliandam in Christo pacem multum conducere, quod inter se in asserendo dogmate conveniunt; de omnibus suis libris et scriptionum suarum consensione *animadversio* etc., quibus accedit *refutatio* l. Photii de processione Spiritus s., quam primus edidit et vertit J. Hergenroether[1]). — In hoc unionis studio socius fuit ejus discipulus Constantinus Meliteniota, ejus archidiaconus eique filii loco, qui et ipse in exsilio pro concordia cum Ecclesia romana post 24 tribulationum annos vitam finivit. Locis cit. exstant ejus *de ecclesiastica unione* Latinorum et Graecorum, et *de processione Spiritus s. per Filium* or. 2 prolixae. Alter discipulus fuit Georgius Metochita diaconus et exsilii, quod a. 45 sustinuit, particeps, cujus sunt *refutatio* trium capitum a Maximo Planude monacho editorum; eorum, quae scripsit Manuel Cretensis, *refutatio;* fragmenta *de processione Spiritus s.; de unione* et de dissidio ecclesiarum.

214. Mentio jam facienda est auctoris, qui in re theologica minus bene audit[2]). Petrus Joannis (non Joannes)

---

[1]) Cf. eundem KL². II, 162 et de ejus scriptis Fabricium in Biblioth. gr. XI, 344 s.; Erhard in Krumbacher Gesch. der byz. Lit. p. 96 s.; 344 s.; Werner Gesch. der apolog. u. pol. Lit. 3, 27 ss.

[2]) Male diu audiit, sed plane immerito, b. Joannes Borellus (Buralli) Parmensis, hinc de Parma cognominatus, qui Parisiis Scripturas legit et lector fuit Bononiae et Neapoli: cumque doctrina et religione prae primis polleret, a Crescentio ministro generali missus est ad concilium lugdunense I. (1245), et biennio post creatus summa omnium exsultatione ordinis praepositus, tantique factus ab Innocentio IV., ut legatus mitteretur qua „angelus pacis" in Orientem pro ineunda concordia cum Graecis (1249); frustra tamen laboravit rediitque 1251

Olivi O. S. Franc. natus est in castro s. Mariae Seregnani oppidi in Gallia c. 1248 vel 1249. Puer duodennis ingressus est ordinem s. Franc. et a pueritia aemulatus tanti patris vestigia, Parisiis, forte et Oxonii, operam dedit studiis baccalaurei honore contentus. Magno fervore stetit pro disciplinae paupertatisque in primis rigore, unde velut dux habebatur sodalium, qui ordinis moliebantur reformationem. Hinc aliorum in se concitavit animos, qui propterea saepius ipsius doctrinam sane non in omnibus probandam sunt aggressi. Delata ea fuit ad capitulum generale Argentorati 1282 habitum, septemque magistris examinanda tradita, qui propositiones minoris momenti et fere philosophici argumenti censurae subjecerunt: aliasque (22) illis oppositas statuere, quibus jussus est subscribere, quod saltem ex parte praestitit. Nisus tamen est suam tueri doctrinam non sine fructu, nam in capitulo generali montepessulano a. 1287 ita fratribus congregatis satisfecit, ut exinde institueretur variis in conventibus theologiae lector. Decessit pulcherrima edita fidei professione[1]) 14. Martii 1298, juxta alios 1297. Ejus tamen morte controversiae et querelae non cessarunt, imo in gravissimas eruperunt flammas. Sodales, qui Spirituales dicebantur et acerrime ordinis reformationem jactabant, ipsum venerari et pro sancto habere coeperunt ejusque scriptis tamquam armis utebantur, aliis e contra eum de haeresi accusantibus. Cum Spirituales prudentiae et aequitatis limites excederent, compositionis consilia spernerent, gravissimique schismatis in ordine essent auctores, coactus est Joannes XXII. durius in eos animadvertere. Hinc et Olivi adversarii caput extulere: ejus ossa fuere sepulcro effosa, flammisque addicta, plures ejusdem propositiones, praesertim ex commentario in Apocalypsim, censurae a theologis subjectae[2]), ejus scripta prohibita: hinc vix sub ejus nomine reperiuntur. Tres ip-

---

in Italiam. Magnas interim turbas excitavit sic dictum „Evangelium aeternum" Joachimi de Floris (cf. supra p. 227) prodiitque *l. introductorius in Evangelium aeternum,* qui falso ei tribuebatur. Hinc delatus saltem ob impensum favorem nimium illis opinionibus apud commissionem, cui examinandus traditus fuit ille liber, officio ministri generalis cessit, sibique s. Bonaventuram substitui curavit (1257); ipse vero ad humile tuguriolum Graecii in valle reatina (Grecci prope Rieti) a s. Francisco constructum se recepit, ibique sanctam duxit vitam, a Joanne XXI. magno in honore habitus. Cum Nicolaus IV. eum secundo ad Graecos mitteret legatum, in itinere moritur Camarini 19. vel 20. Mart. 1289, apud suos honorifice tumulatus, nam miraculis clarus decessit: hinc etiam a. 1777 beatis fuit annumeratus. Reliquit scripta inedita, inter quae commentarium in ll. sententiarum. *Sacrum commercium* b. Francisci cum divina paupertate, Mediolani 1539 ed. rarissima. Liber vero ille introductorius est Gerardi a Burgo s. Donini, ut supra diximus. Cf. Sbaraglia p. 308; Kaulen KL². VI, 1745; Feret II, 94—99; Affò Vita del b. G. da Parma 1777 et Memorie degli scritt. parmig. I, 129—146, et praesertim Luigi di Parma: Vita del b. Giov. da Parma VII. Generale del ord. dei Fr. Min. Quaracchi 1900. Cum hoc plures confundunt alium Joan. de Parma cognomento Genesium Quaglia (Quajam, Quaye), qui floruit seculo XIV. et scripsit l. *de civitate Christi et bona vita,* Regii 1501; Romae 1523. Huic tribuuntur etiam commentaria (inedita) in plures ll. V. T. et in ll. 4 magistri sententiarum. De hoc et de Gerardo cf. Affò l. c. II, 97—104 et I, 146-160.

[1]) Prostat in annal. Waddingi ad a. 1297 n. 34.

[2]) Theologorum in eas censuras prolixas exhibet Baluzius in Miscellaneis ed. Mansi II, 288; D'Argentré I, 233. Ehrle vero exhibet prolixum accusationis scriptum ordinis adversus P. Jo. Olivi Clementi V. propositum 1. Mart. 1311 in Archiv II, 365—74. Huic libello diffamatorio opposuit sagacem responsionem Ubertinus Spiritualium dux (ib. p. 377—416), qua Olivi tuetur vel circa tres opiniones a conc. viennensi reprobatas ostendens eum illas, quatenus sunt erro-

sius opiniones Clemens V. in constitutione dogmatica edita in conc. viennensi (de summa Trinitate et catholica fide) reprobat, docens scil. 1. Joannem evangelistam rectum factae rei ordinem tenuisse narrans Christo jam mortuo unum militum lancea latus ejus aperuisse, circa quod Olivi haesitasse videtur; 2. substantiam animae rationalis seu intellectivae vere et per se humani corporis esse formam, dum contra Olivi opinatus est, animam esse quidem formam substantialem corporis non tamen per se sed per potentiam vegetativam et sensitivam realiter ab ipsa distinctam; 3. probabilius etiam infantibus in baptismo infundi gratiam informantem et virtutes, quod ille negaverat. Teste Bernardo Guidone[1]) Joannes XXII. reprobavit in consistorio 8. Febr. 1326 Olivi *postillam super Apocalypsi* (Amstelodami 1700 cum notis Is. Larrey). Innumera reliquit[2]) opera (maxima ex parte inedita), in quibus Aristotelis philosophiam non gustat; magni vero facit in theologicis s. Bonaventuram, quem summum nostri temporis et ordinis doctorem appellat. Inter ea reperiuntur *postillae* in plurimos V. et N. T. libros; eae *in cantica canticorum* prodierunt sub nomine s. Bonaventurae in supplemento op. s. Bonaventurae, I, 50—282 curante Bonelli; itidem ejus tr. *de Scripturarum ss. dignitate et exellentia; de doctrina evangelica; de s. Scripturae mysterio; de studio divinarum literarum,* quae opuscula pariter in eodem supplemento continentur. *Quaestiones* sive quodlibeta, s. l. et a. probabiliter in eunte sec. XVI. Venetiis, post quae habentur scripta apologetica suae doctrinae, editio prorsus rarissima[1]); ex ejus qq. (17) *de perfectione evangelica,* quae respiciunt in primis paupertatem in ordine s. Francisci servandam, copiosa excerpta exhibet Ehrle[2]), de historia et scriptis Olivi meritissimus, in Archiv III, 497—533. Jeiler in hist. Jahrb. 1882 p. 652—59 publicae luci dedit ejus epistolam a. 1295 ad b. Conradum de Offida, in qua agit de renunciatione Coelestini V. deque electione Bonifacii VIII., in eaque tuetur, opinionem tunc sat vulgatam inter theologos »papam notorie haereticum deponi posse«; duas quaestiones theologicas recenter (1871) a Fideli a Fanna repertas card. Zigliara vulgavit. Quaestionem hucus ineditam de veritate indulgentiae vulgo dictae *de Portiuncula*[3]) edidit Jeiler in Actis O. Min. XIV Quaracchi 1895 p. 139—145, quae etiam seorsim prodiit.

---

neae, non defendisse, vel saltem eum excusat: ita etiam Wadding Annal. a. 1297 n. 36 ss. Ubertino innixus. Cf. Hefele Conciliengeschichte 6², 536 ss. § 701.

[1]) Nicol. Eymerich in Direct. inquis. p. II. q. 9 errores reprobatos a Joanne XXII juxta praevium examen magistrorum in sacra pag. revocat ad art. 22; Baluzius l. c. eos exhibet sub 60 cc. Cf. etiam D'Argentré coll. judic. II, 233 ss.

[2]) Cf. Ehrle ib. II, 353—416; III, 1-195; praesertim 409—540, ubi de ejus vita et scriptis eruditissime agit; Jeiler KL². IX, 828—34; Hergenroether ib. IV, 1053, qui ejus erroneas opiniones de variis Ecclesiae statibus (7) in postilla super Apocalypsi traditas exhibet. Cf. etiam Feret III, 127 ss.

[1]) Cf. N. Paulus Katholik 1899 II, 478-480.

[2]) Hic de Olivi ita merito judicat: Wenn er auch aus Unklarheit oder Uebereifer in einigen Punkten geirrt hat, wie Fénelon und viele andere katholische Gelehrte, so möchte doch das Urtheil des Wadding, daß er seiner Gesinnung nach aufrichtig katholisch, fromm, tugendhaft und von achtungswürdigem Charakter gewesen sei, durch eine unparteiische Kritik seiner wieder aufgefundenen zahlreichen Schriften bestätigt werden.

[3]) De hac paulo post († c. 1335) disseruit et Fr. Bartholi de Assisio in tr. *de indulgentia s. Mariae de Portiuncula,* quem nunc primum edidit Paul. Sabatier, Paris 1900.

II. Disciplinae ad ss. Scripturam spectantes.

215. Praeter Joannem de Derlington O. Praed. († 29. Mart. 1284), de quo cf. supra p. 341, Petrum Olivi O. Min. p. 407 studia sua s. Scripturae illustrandae dicarunt haud pauci, quorum tamen labores fere manserunt inediti[1]). — Arlotus de Prato Tusciae oppido O. Min., qui dialecticos omnes sui temporis vicit, sui ordinis minister generalis erat, sed per menses tantum undecim. Cum ipso ingressi sunt ordinem ipsius pater et tres fratres († 1286). *Concordantias Scripturarum* seu testimoniorum V. et N. T. invicem consonantiam collegisse scribitur, quas nonnulli illas esse censent, quae absque auctoris nomine saepe admodum prodierunt, ut Norimbergae 1485; Bononiae 1486 etc., correctiores Argentorati 1535 una cum catalogo insignium factorum utriusque T., Venetiis 1549; Antverpiae 1572; 1585; 1625 etc. — Conrado de Media Civitate seu Halberstadiensi[1]) O. Praed. tribuuntur (praeter commentaria in varios ll. s. Scripturae aliaque inedita) *Concordantiae bibliae V. et N. T.*, quas Repertorium haud improprie nuncupamus, ita adornatae, ut longioribus sententiis resectis, capitibusque brevioribus non per septem, sed per quatuor tantum literas divisis (quibus distinguuntur a concordantiis supra p. 341 laudatis) volumen brevius usum eundem praestaret. Hoc deinde communiter receptum primo post repertam typographiam tempore excusum s. a. et l. nota, Norimbergae 1485; Basileae 1496; 1525; 1543; Lugduni 1526; 1551 etc.

---

[1]) Quosdam saltem nominemus. Guido Ebroicensis O. Praed., cujus supersunt plurimi sermones inediti, scripsit de clavibus divinae Scripturae seu annotationes ad Tichonii africani regulas pro s. Scripturae intelligentia. — Gilbertus O. Cist. Anglus, cognomento Magnus († c. 1280), reliquit commentarios in Psalmos aliosque s. Scripturae libros. Cf. Hist. lit. XIII, 381—385, quae tamen de horum genuinitate dubitat. — Joannes de Varsiaco (Varsy oppido dioecesis antissiodorensis) O. Praed. († 1278) scripsit postillas super l. Sapientiae, Cantica aliosque ll. — Henricus Escheburnus (Ercheburnus) O. Praed. Anglus, Oxonii s. Scripturae interpres. — Robertus Elphinston O. SS. Trin. Scotus, episcopus brechinensis, a Gregorio X. cardinalis creatus, Oseam prophetam interpretatus est. — Guigo du Pont O. Cr. auctor dicitur expositionis in Habacuc. — Petrus carnotensis cantor et cancellarius, reliquit glossam in l. Job, paraphrasim in Psalmos et speculum Ecclesiae sive manuale mysteriorum Ecclesiae, opus amplum et eruditum. Floruit c. a. 1300. — Gundaker Judenburgensis, scriptor alioquin ignotus (fl. sec. XIV), Messiadis specimen in op. *Christes Hort* exhibet, de quo cf. Nagl et J. Zeidler Deutschöster. Literaturgesch. Wien 1899 p. 180. — Simon affligemiensis in Brabantia coenobii monachus OSB. (fl. 1290) reliquit ineditos sermones in Cantica canticorum, abbreviationem moralium Gregorii M. in Jobum et literae libri b. Job apte apponens totum illum l. moraliter exposuit. Collegit etiam excerpta quaedam de sermonibus ejusdem pontificis in Ezechielem etc. Cf. alios in annot. p. 416.

[1]) Haud levis controversia est, utrum unus an duo fuerint hujus nominis et professionis Conradi. Sententiam affirmantem eamque probabiliorem tuetur Quetif p. 610. Cf. Fabricius I, 381. Hinc etiam controversia, num etiam inter duos sint dividenda opera, quae sub hoc nomine circumferuntur. „Sed quis in his tenebris hanc divisionem suscipiet?“ ita ille. Juniori, qui floruit usque ad a. 1362 tribuitur inedita *chronographia* summorum pontificum et imperatorum romanorum ad a. 1342; continuatum ad 1353. Cf. Streber KL. VII², 944. Allg. deutsche Biogr. X, 401 et XVI, 641 ita loquitur ac si unus tantum fuerit.

216. Joannes Peacham (Pechamus, Peckam etc.) O. Min. patria Cicestriensis, dignus s. Bonaventurae discipulus et imitator non indiligens, vir quantumvis humili loco natus, alto tamen ingenio praeditus, paulatim virtutum suarum meritis magnam nominis famam est assecutus. Oxonii doctoris lauream nactus theologiae cathedram rexit; Parisiis deinde magistrum sententiarum praelegit et s. Scripturam exposuit, Romamque pedes profectus, aliquamdiu lector fuit s. Palatii. A Nicolao III. electus est archiepiscopus cantuariensis (1279; † 8. Dec. 1292). Difficultates, quas in regenda sua dioecesi incurrit, prudentia, constantia, mansuetudine superavit. Vir erat sanctissimae vitae. Plurima scripsit[1]), ut commentaria in ll. sententiarum, postillas in aliquot s. Scripturae ll., quodlibeta, quaestiones, sermones, ascetica etc.; sed prodierunt ex theologicis tantum: *Collectarium divinarum sententiarum Bibliae ll. V*, quas ad certos titulos seu locos communes redegit, Parisiis 1513, ed. rarissima; Coloniae 1513. 1541, quorum 1. tractat locos de aversione peccatoris a Deo; 2. de revocatione peccatoris ad Deum; 3. de conversione revocatorum; 4. de merito et sacramentis, et 5. de praemio bonorum malorumque suppliciis. *Statuta synodalia* et damnationem quorundam errorum (8, cf. Hefele VI², 237) Londini 1286 cum nonnullis episcopis promulgata, in conc. magnae Britanniae et Hiberniae ab a. 1268—1349 ed. Wilkins II, 33 ss. *Constitutiones provinciales* (48) ed. Lindwood Parisiis 1501; Londini 1557; Oxonii 1663; 1679; cf. etiam Labbe conc. XI. p. 1 col. 1062 ss.; Mansi XXIV, 257 ss.; Wilkins op. cit. t. II. *Expositio Threnorum* inter opera s. Bonaventurae alias edita, in app. ad opp. s. Bonaventurae t. VII inserta, Quaracchi 1895. *De oculo morali et naturali* s. l. et a. (c. 1475) quod ab aliis tribuitur aliis. *Speculum disciplinae* inter opera s. Bonaventurae saepe editum Venetiis 1487; 1504; Antverpiae 1591; Romae 1606 etc. *Registrum epistolarum* (720) ed. Martin 1882—85 t. 3 (inter rerum Brit. medii aevi SS. n. 19), et earum aliquot in Zeitschr. für k. Theol. cura Ehrle 1889 p. 174—87, quae magni sunt momenti pro historia controversiarum, quae tunc inter scholas theologicas agitabantur. In iis sicut ejus sodalis et in sede cantuariensi praedecessor Kilwardby (cf. supra 387) adversabatur doctrinae s. Thomae de unitate formae substantialis in homine: ideoque illius censuram in plures prop. a. 1284 latam renovavit, imo in concilio Londini habito 30. Apr. 1286 8 articulos[1]), qui omnes versabantur circa formam hominis et adversabantur doctrinae s. Thomae „tamquam haereses declaravit et pronunciavit esse damnatas", quae statuta invenies l. supra cit.

217. Alter illustris praesul. O. Praed. Nicolaus de Hanapis dictus a loco originis in dioecesi remensi collegit *virtutum vitiorumque exempla* ex ss. literis cc. 134, quod opus saepe prodiit subinde etiam sub inscriptione *Biblia pauperum* (falso Guil. Peraldo vel s. Bonaventurae tributum, hinc inter hujus opera olim editum), Tubingae 1533; Venetiis 1537; Antverpiae 1544 etc.; etiam in alias linguas versum distinguendum ab opere sub eodem fere titulo edito: *Virtutum vitiorumque exempla* ex V. ac N. T. decerpta, Venetiis 1556, quod falso tribuitur Hugoni cardinali, cum sit Bydonis de Senis O. S. Aug.[2]). Porro Nicolaus ex una-

[1]) Cf. praeter Sbaraleam p. 447—450, Feret II, 313—28; Ehrle Archiv V, 603-35; et in tr. de humanae cognitionis ratione ed. ad Aquas claras (Quaracchi) 1895 p. 15—18; Kaulen KL. IX, 1745—48.

[1]) Cf. duas ejus ep. huc spectantes apud Denifle Chartularii paris. I, 624 ss.

[2]) Cf. Quetif I, 426; Knöpfler KL. IX, 319 s.

nimi suffragio cardinalium, cum esset poenitentiarius in curia romana vita et moribus clarus, propositus fuit Nicolao IV. ut idoneus, qui patriarcha hierosolymitanus renunciaretur (1288). Designatus quoque fuit legatus apostolicus per Palaestinam, Syriam, Armeniam et Cyprum. Interfuit excidio urbis acconitanae. Capta urbe in navem se recepit, in eamque tot ex fugitivis in mari natantibus prae misericordia admisit, ut pondere personarum submergeretur atque ita ipse periit (1291). — Pleniorem concordantiam realem collegit Mauritius O. Min. (secundum alios O. Praed.) Anglus, ab aliis Hibernicus cognominatus a provincia, in quam fuerit receptus, natione enim videtur fuisse Gallus[1]). Opus inscribitur: *Summa distinctionum* (1111) de his, quae in Scripturis ss. continentur, ordine alphabetico. Hae distinctiones sunt vocabulorum s. Scripturae expositiones secundum triplicem vel quadruplicem sensum, quo in divinis literis sumuntur, concionatoribus utiles. Ab auctore vel ab aliis fuit non semel interpolatum vel auctum; prodiit ex parte (A—E) sub inscriptione *Dictionarium s. Scripturae*, Venetiis 1603 in f.

218. Huc forte referri potest Joannes de Balbis (Balbus), Genuae ortus, hinc de Janua dictus[2]), qui cum esset jam aetatis maturae, temporalibus opibus haud parum abundans, substantiam omnem in pauperes distribuit et religionem s. Dominici ingressus est. Hic utiliter compilavit *Summam grammaticalem*, quam etiam Prosodiam seu Catholicon nominavit. Ea continet orthographiam, prosodiam, grammaticam, rhetoricam, etymologiam etc.; potissima vero pars est vocabularium voces omnes primae, mediae et infimae latinitatis complectens, et hinc respectu s. Scripturae rationem glossarii habet. Saepissime prodiit, jam Moguntiae 1460 (imo secundum nonnullos 1450) typis omnino primitivis; Venetiis 1483; 1487; 1491; 1495; 1520; Lugduni 1506; 1514; 1520; Nürembergae 1486 etc.; alii eam multum laudant, deprimunt alii et quidem nimis. Inter censores eminet Erasmus, qui tum in opusc. de ratione studii, tum in colloquiis ejus latinitatem acerbe suggillat et ridet. — Marchesinus a Regio Lepidi civitate mutinensi O. Min., ab aliis Joannes Marchesinus dictus, fere simile compilavit[1]) opus, Dictionarium scil. vocabulorum bibliorum, latinarum vocum, prolationem, accentum ac significationem a Genesi usque ad Apocalypsim crassa et rudi Minerva explicans, una cum cujuslibet libri prologo, quod quia rudibus clericis et adhuc in lingua latina infantibus veluti mammam sugendam et manibus puerilibus tractandam instar piae nutricis exhibuerat, *Mammotrepton* inscripsit, suppresso prae humilitate sui ipsius nomine, pro quo postea Mammotrepti (corrupte Mammotrectus, Mammotretus etc.) nomen invalescente consuetudine sortitus est. Adjecit plura opuscula ad s. Scri-

---

[2]) Cf. de his opinionibus Quetif I, 484, qui controversias has non audet dirimere, hinc illum auctoribus sui ord. dubiis accenset. Cf. et Bellesheim op. cit. p. 476.

[1]) Alius ab eo est Albertus de Janua O. Praed., qui electus in ordinis magistrum post trimestre decessit a. 1300. Tribuuntur ipsi commentaria in 4 ll. sententiarum.

[1]) Cf. Streber KL. VIII, 586. Joannes Aegidius O. Min. Zamorensis Sancii principis, filii Alphonsi regis Castellae instructor, praeter plura et prolixa opera inedita composuit Summam de correctione Bibliae, et Armarium seu Archivium omnium Scripturarum: quid hisce in operibus tractetur, non satis assecuti sumus. Eidem tribuitur *Passio s. Nicolai* pueri, Alchamae regis filii, et sociorum Nicolai et Leonardi presbyterorum martyrum († c. 577) apud Ledesmam in Hispania in Actis SS. 31. Oct. XIII. 850 s. Cf. Sbaralea p. 383 s.; Nic. Antonius in bibl. Hisp. vet. II, l. 9. c. 1 n. 7 ss.

pturam spectantia. Saepissime prodiit: ab a. 1470—1521 numerantur saltem ed. 18; ita Moguntiae 1470; Venetiis 1476. 1478. 1479. 1483. 1492; Argentinae c. 1476: 1489. 1497 inscriptum: *Mammotrepton* i. e. dictionarium vocabulorum difficiliorum in bibliis repertorum: item tr. de mensibus Hebraeorum, festivitatibus legalibus, vestibus sacerdotalibus, divinationibus, nominibus Dei apud Hebraeos, interpretibus s. Scripturae ejusque divisione etc. — Item *dictionarium vocabulorum difficiliorum* in antiphonis et responsoriis per annum totum; item in hymnis, sermonibus doctorum, legendis sanctorum et declaratione regulae Minorum; Metis 1509; Parisiis 1510; 1521 etc. Non satis constat quando auctor vixerit; secundum aliquos floruit nonnisi sec. mediante XV; Sbaraglia vero nititur probare eum scripsisse saltem ante a. 1312.

219. Pontius Carbonellus O. Min. Barcinone, ut creditur natus, provincialis Aragoniae et quondam praeceptor s. Ludovici, filii Caroli II. regis neapolitani et tolosani archiepiscopi († 1297), collectis undique patrum interpretationibus compilavit in modum catenae commentarium t. IX (ineditum) in universa Biblia exceptis evangeliis. Incidit Pontius jam senex in ea tempora, quibus de paupertate acriter disputabatur inter Minores ipsos. Cum ipse non improbaret doctrinam Petri Jo. Olivi (pag. 404) circa paupertatis mensuram ejusque libros interdictos apud se retineret in carcerem missus est, ubi aerumnis vexatus obiit[1]) circa a. 1297. — Aliorum hujus periodi opera exegetica in N. T. labentibus annis publicae luci data fuere[1]). Ita saepius prodierunt *postillae in Evangelia,* Coloniae 1471; 1537; Hagenoviae 1502; Antperpiae 1687 v. 2 in f.; Lugduni 1693 etc., quae sunt Nicolai de Gorham (Gorran, Gorrain, Gorgant) a loco nativitatis (Gorron) in Gallia ita cognominatus (n. c. 1210), O. Praed., qui Parisiis magnum sibi nomen fecit s. Scripturae interpretatione et verbi Dei praedicatione. Fuit conventus s. Jacobi prior et Philippo (qui postea Pulcher est dictus) a confessionibus († 1295). Excellens dicebatur postillator, sed postillae in V. T. libros manserunt ineditae, si excipias postillae *in psalterium,* quae teste Lipenio Francofurti 1617 prodierunt. Commentaria *in 4 evangelia,* Coloniae 1472; 1478 et saepe alibi; postillae *in actus apostolorum,* Hagenoviae 1502; Parisiis 1521; Antverpiae 1620 in f., cum qua ed. junctae sunt postillae *in ep. canonicas septem,* quae sub nomine s. Thomae aliquoties (Parisiis 1543) prodierunt, et *in Apocalypsin*[2]). Prodierunt etiam com-

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. vetus l. VIII n. 244. Sed cf. et Quetif I, 327-29, qui contra P. de Alva et Astorga catenam auream s. Thomae in Evangelia Carbonello asserentem pluribus ostendit, sat dubia esse quae de aetate hujus theologi plures affirmant, eumque floruisse nonnisi seculo XIV.

[1]) Petrus de Scala seu Scaliger, e nobilissima, quae sec. XIII. Veronae principatum obtinebat, gente Scaligera ortus, ex ipsius s. Dominici manibus vestem induit. Sacras literas in scholis ordinis interpretatus est atque in tota Italia ecclesiasten apostolicum cum magno fructu egit. Senex assumptus est veronensis praesul ecclesiamque suam quinquennio adhuc administravit († 1295). Reliquit *postillam* super Matthaeum et Joannis apocalypsin et forte etiam in alios s. Scripturae libros. — Gilbertus de Ovis (van Eyen) O. Praed. Flander, magister parisiensis († 1283) *commentaria* saltem in Matthaeum, Lucam et Apocalypsin, si non etiam in epistolas s. Pauli (inedita)' reliquit. — Odoni Gallo O. Praed. tribuit Sixtus senensis *commentaria* in omnes ep. Pauli ap.

[2]) Hanc *commentariis* (ineditis) illustrarunt praeterea Thomas de Illeja (Hilleia) O. Carm. patria Suffolciensis, theologiae professor insignis Cantabrigiae et etiam Brugis, Chrysolithi cognomentum consecutus (fl. 1290), qui et *lectiones* in s. Scripturarum reliquit, et

mentarii *in ep. s. Pauli* sub ejus nomine Coloniae 1478; Lugduni 1693 etc., qui tamen tribuuntur a Quetif[1]) Petro de Tarentasia, de quo cf. p. 390. Praeter alia inediti manserunt ejus in 4 ll. sententiarum commentarii. *Sermones* de tempore et de sanctis prodierunt Parisiis 1509. 1523; Antverpiae 1620 in f.

220. Jacobus van Maerlant Damnensis, Flander, clericus et aedituus, poeta plane insignis et frugifer, orator ac philosophus acer († c. 1300) s. Scripturam juxta historiam scholasticam Petri Comestoris (cf. p. 183) in versus redegit atque ita in linguam vernaculam vertit. Prodiit ejus *Rymbibel* curante David cum glossario, Bruxellis 1858—61 t. 3. — Ita et historiam universalem rythmice narrat[1]) juxta Vincentium bellovacensem in *Spiegel historiael*, Antverpiae 1515 in f. ed. prima et rara, saepius dein ex parte edita; cur. M. de Vries et E. Verwijs integra Leiden 1857—1863 t. 3 in 4. Cf. Potthast p. 757 s., qui eum laudat a claritate, pietate, sinceritate. Meruit autem ob operum multitudinem, quae reliquit, magister salutari et benefactor populi sui. — Poëtice[2]) pariter illustravit ultra 12.000 versibus *Canticum canticorum* Brunus de Schonebek civis magdeburgensis (fl. 1276). Specimina exhibet Fischer in op. Das hohe Lied des Br. v. Sch. nach Sprache und Komposition untersucht und in Proben mitgetheilt, Breslau 1886. Videt auctor in sponsa Mariam V., Ecclesiam et etiam animas singulas, magnam prodit eruditionem universamque fere theologiam dogmaticam attingit.

Stephanus a patria Bisuntinus dictus O. Praed. insignis concionator, 24. Maj. 1292 in totius ordinis magistrum electus, quo tamen munere non diu est functus: decessit enim 22. Nov. 1294. Cf. Quetif I, 429; Feret II, 535—9.

[1]) Cf. Quetif I, 440; Feret II, 511—18. Dubius haeret de Rubeis in admonit praevia t. VI. n. 2 suae ed. op. s. Thomae, ubi vindicat nostro Nicolao prolixam partem commentarii s. Thomae 1. Cor. ep. scil. a 7, 10 ad c. 11.

[1]) Cf. Martin allgem. d. Biogr. XIII, 41—46; W. de Vreese Biogr. nat. de Belg. XIII, 64—119, ubi copiosam habes literaturam de eo.

[2]) De alio poëta Liutwino, seu Lutwino (fl. sec. XIII), qui legendas de Adamo et Eva poetice narrat in carmine edito ab K. Hofmann et W. Meyer Tübingen 1881 cf. Bartsch Allg. d. Biogr. XIX, 21.

III. Historia ecclesiastica.

221. Magnus iterum chronistarum chorus occurrit, quorum tamen pauci mediocritatem excesserunt. Eorum forte praecipuus est Salimbene de Adamo Parmae n. 9. Oct. 1221, domi et ab aequalibus Ognibene, ab aliis Balianus de Sagitta cognominatus. Ab ipsis incunabulis pie institutus et in grammatica eruditus et attritus anno aetatis 16. ingressus est ordinem Min. (4. Febr. 1238) invito patre et ei maledicente, qui ad mortem usque nunquam destitit, ut filium a vita religiosa avocaret. In ordine dictus est Salimbene. Ob tumultus bellicos missus est a superioribus ordinis in Galliam. Lugduni (1247) perhumaniter ab Innocentio IV. fuit exceptus, qui ei praedicationis munus impense commendavit. Redux (1248) in patriam variis in conventibus commoratus est compilationi plurium chronicorum insistens, quae tamen manserunt inedita et perierunt[1]). Una

---

[1]) Neque enim ipsius est, ut nonnulli putarunt, *Memoriale* potestatum regiensium, quod edidit Muratori inter Script. t. VIII; de qua controversia cf. Michael op. cit. p. 136 ss.

tantum prodiit *chronica* (1212—87, in cod. ea incipit ab a. 1167) ex cod. bibliothecae vaticanae inter monumenta historica ad provincias parmensem et placentinam pertinentia t. III., Parmae 1857 in 4. cura Ant. Bertani, Amadii, Ronchini et Lud. Barbieri, editio non omnibus numeris absoluta. Quae desunt exhibuit Clédat *de fratre Salimbene* et de ejus chronicae auctoritate, Parisiis 1878 p. 61—116. Versio itala, quae prodiit Parmae 1882. 1883 t. 2 caret pretio. Auctoris opus mendis quidem inficitur, subinde contra fidem peccat historicam; ipse vero in suis judiciis non semper est aequus utpote ingenii vividi et acris, ardens patronus et assecla opinionum Joachimi de s. Flore (cf. p. 225), quae ipsius judicium historicum non semel turbant et inficiunt; rigidus etiam censor morum praelatorum vel pontificum, et in clerum secularem minus propensus: tamen ipsum opus est pretiosum[1]). Scriptor enim est generatim candidus et probus, in factis sui temporis bene instructus, felicis memoriae, modo naturali et amoeno res gestas narrat, notitias de historia ordinis, de morum cultura, de viris illustribus pretiosas exhibet: hinc a recentioribus historicis magni aestimatur. Quando noster auctor decesserit, non satis constat. Vixit adhuc medio a. 1288.

222. Plurimum innotuit Martinus cognomento Polonus, qui tamen posterioribus seculis, ut scribit Quetif I, 361, »ex vario praecipiti et imperito plurium nomenclatorum criterio quoad patriam, aetatem, professionem, officia, dignitates, obitum, scripta tot tenebris aspersus est, ut jam vix agnoscatur.« Illud in primis rejiciendum, Martinum Polonum et archiepiscopum Cusentinum unum et eundem scriptorem fuisse. Martinus cognomento Strepus Oppaviae (Troppau) natus, Pragae vestem O. Praed. induit. Clementis IV. fuit poenitentiarius ac capellanus, quibus muniis functus est sub sequentibus pontificibus Gregorio X., Innocentio V., Joanne XXI. et Nicolao III., qui eum promovit ad Gnesnensem primariam Poloniae sedem 22. Jun. 1278: sed dum Ecclesiam suam aditurus iter aggreditur, Bononiae morbo correptus eodem a. ibidem decessit. Nihil celebrius ejus *Chronico summorum pontificum atque imperatorum romanorum* per annorum quinquagenas, quod forma concisa compilavit in utilitatem theologorum. Illud primum desiit in Clemente IV., sed Martinus opus suum auxit, ut novus pontifex succedebat, scil. usque ad Nicolaum (1277). In una pagina ad laevam exhibet pontifices, in altera ad dexteram imperatores: quamque paginam in 50 lineas dividit, et in margine ad caput annum adscribit, adeo ut in quaque pagina anni 50 distincte sint notati, totque lineas cuivis pontifici impendit quot annis regnavit. Falso autem, ut videtur, aliis tamen refragantibus, ipsi tribuitur fabula Joanne papissae, nam ut testatur Quetif[1]), ea abest ab omnibus codicibus primae editionis ac

[1]) Cf. accuratam monographiam auctore E. Michael S. J. Salimbene und seine Chronik, qui praemissa ejus vita sagaciter in vitia et dotes (66—84, 95—123) et fontes ejus chronicae inquirit, disquisitionemque suam ita absolvit: So ist denn unter Voraussetzung kritischen Gebrauches Fr. Salimbene für das dreizehnte Jahrh. thatsächlich „eine der werthvollsten Quellen“ (Wattenbach). Im besondern hielt Böhmer (bei Janssen II, 532) eine Geschichte des Lombardenbundes, welche auf die damals noch ungedruckte Chronik des Parmesen verzichten mußte, für entschieden verfrüht, und Dove (Doppelchronik p. 5) nennt die Leistung des Franciskaners in Bezug auf gleichzeitige Geschichte seines Ordens eine „Originalquelle ersten Ranges“. Ibidem reperies in introd. copiosam literaturam de nostro auctore. Eam disquisitionem habes etiam in Zeitschr. f. k. Theol. XIII (1889), 225—269. Cf. et Potthast p. 994²; Affò Memorie degli Scrittori parmig. I, 208—324; Fechttrup KL. X, 1562—1564.

nonnisi postea fuit manu aliena inserta. Prodiit hoc chronicon primum Basileae 1559 cum Mariano Scoto cura Jo. Gerold (in qua ed. exstat et fabula); Antverpiae 1574 cura Suffr. Petri cum continuatione usque ad tempora Benedicti XII., sed perturbata chronologia sub falso archiepiscopi Consentini titulo et contra mentem auctoris in 4 ll. distincta; Coloniae 1616 ed. rara cura Jo. Fabritii Caesaris O. Praem., in qua ed. deest illa fabula; ed. recusa Argentorati 1685; Pragae 1859. Optime vero cura L. Weiland in MG. SS. cum continuatione (1277—87) XXII, 377-482. Alias continuationes dedit XXIV, 251—265. Cum hoc chronicon admodum fuerit vulgatum nil mirum, plures illud continuasse[2]). Caret pretio critico, nam fabellas pro historiis obtrudit, ut inquit jam Bellarminus: et dolendum, eas ex illa in tot alia redundasse chronica. Taurini prodiit 1477 simili titulo Martini Poloni *chronicon* summorum pontificum et imperatorum ac de septem aetatibus mundi, quod tamen opus est scriptoris recentioris, alterius omnino stili et longius productum. Index decreti seu tabula decreti, quae prodiit sub titulo *Margarita Martiniana* est repertorium alphabeticum in decretum, utile et aptum, hinc saepissime editum, saltem vicies usque ad a. 1500. *Sermones* de tempore et de sanctis prodierunt Argentorati 1484. 1486. 1488.

223. Thomas de Papia O. Min. minister provincialis Tusciae exhibet *gesta imperatorum et pontificum,* quorum introductionem et ultimam p. ab Henrico V. edidit Boehmer Fontes IV, 609—72 sub titulo Minoritae florentini *gesta imperatorum,* dein Ehrenfeuchter in MG. SS. XXII. 483—528. — Rolandinus, Patavinus, cognomento Grammaticus, grammaticam et rhetoricam Patavii docuit. *Chronicon Marchiae tarvisinae* ab a. 1188—1260 concinnavit, quod prodiit cum Albertino Mussato de gestis Henrici VII. imp. cura Felicis Osii Venetiis 1636 in f.; inter scriptores Italiae ed. Muratori VIII, 153; in MG. SS. XIX, 32-147 ed. Jaffé. Temporum quidem vitio, quibus vixit, stilo utitur italicismis, ut dicunt, referto: sed si rerum potius habeatur ratio, fatendum censet Batisonus abbas et nobilis Patavinus[1]), eum seculi sui scriptores vincere perspicuitate, ordine, industria et, quod caput est, prudentia: imo fide incorrupta etiam clarioris nominis historicos longe post se relinquere: ad haec undique in eo relucere pietatis atque religionis studium, item quantopere tum in literis sacris tum in gentilium scriptis, poetarum in primis, atque etiam disciplinis minus protritis versatus fuerit. Aliis adhuc operibus illustravit patriae urbis gesta, familias antiquas, viros olim in illa illustres, tum etiam mores ritusque († 2. Febr. 1276). — Thomas de Wyckes (Wike) can. reg. O. S. Aug. oseneiensis (fl. c. 1290) scripsit praeter alia *chronicon* ab a. 1066—1304 multum simile annalibus monasterii de Oseneia, ex quo excerpta (ab a. 1147-1287) in MG. SS. XXVII, 484—502 prostant, et jam ante illud ediderant

[1]) Cf. ejus accuratam disquisitionem I, 365—69. Wattenbach tamen, qui acrem de hoc chronico censuram profert, opinatur (Geschichtsquellen t. 2. V § 22) ipsum Martinum in posteriori operis retractatione fabellam assuisse. Cf. Weiland Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde XII, 1—79; Potthast p. 771; Michael III, 383—388.

[2]) De duabus continuationibus erudite disserit Glasschroeder histor. Jahrb. 1890 p. 247—259.

[1]) Cf. Oudin III, 485; Tiraboschi IV. l. 2 c. 6 n. 14 eum pariter multum laudat ab accuratione et ordine; veracitatem vero commendant consensus et approbatio plurium professorum et discipulorum, quibus eam praelegit, ipso teste l. 12 c. ultimo. Ceterum cum utilitate conferes Tiraboschi l. cit. de pluribus historicis italis sec. XIII. disserentem.

Thomas Gale inter historiae britannicae scriptores t. 2 Oxonii 1687, et Luard inter rer. brit. medii aevi SS. n. 36, 1869. IV, 6—319. Continuatum illud fuit teste Oudin III, 946 ad a. 1347, qui propterea censet Thomam floruisse circa medium sec. XIV. — Guilelmus de Nangis seu de Nangiaco OSB. abbatiae s. Dionysii († 1300 vel 1303) scripsit[1]) *chronicon* ab o. c. usque ad a. 1300, in quo ad a. 1113 plurimum utitur chronico Sigeberti gembl. Prodiit in spicilegio Dacheriano IX, 405 ss., III², 1—54 (ab a. 1113); et fragmenta ed. Brosien in MG. SS. XXVI, 674—96 (ab a. 1113—1300). Illud continuarunt duo sodales ejusdem abbatiae ad a. 1368, apud D'Achery ed. 2. l. c. Gallice ed. a Géraud inscriptum Chronique latine cum additionibus, Parisiis 1843 t. 2; a Guizot in Collection des Mémoires t. XIII. *Chronique abrégée*, 845 avant J. C. — 1300 de l'ère vulgaire. *Gesta Ludovici IX.* regis Galliae ab a. 1226 et filiorum ejus Philippi Audacis (1270-84) et Roberti, reperies apud Du Chesne V, 326—40; et excerpta in MG. XXVI, 632—67 —74; ed. juxta textum originalem a René de Lespinasse, Parisiis 1877. Desideratur tamen in his operibus ordo concinnus. — Balduinus Ninoviae in Flandria ord. Praem. professus est, et licet vir esset plurimae lectionis et vastae eruditionis, prae modestia contentus fuit diaconatus ordine († 1294). Concinnavit *chronicon* a Christo n. ad a. 1249, quod Car. Lud. Hugo inseruit suis sacrae antiquitatis monumentis II, 59—190; atque de Smet in corpore chron. Flandriae 1841. II, 587—746 emendatum et additionibus ex cod. autographo auctum; seorsim editum Bruxellis 1841; ex priori p. pauca, ab a. 1130 complete Holder-Egger in MG. SS. XXV, 515—56. Juxta Hugonem inter Flandriae historiographos vix cautiorem invenis et in rerum narratione sinceriorem, quamquam in eodem severius desideres judicium criticum. Continuatum fuit ad a. 1712, quae tamen continuatio minoris est pretii. — Joannes de Thilrode OSB. in monasterio gandavensi s. Bavonis reliquit *chronicon* ab origine mundi usque ad a. 1298, quod in MG. SS. edidit Heller XXV, 557—84; et jam antea Van Lockeren Gandavi 1835. In eo praecipue respicit Flandriam, Brabantiam et Hollandiam.

224. His addere forte licet[1]) Georgium cognomento Acropolitam

[1]) Cf. Potthast p. 554 s., ubi et alia ejusdem opera ad historiam regum Galliae spectantia reperies. Pag. 316 ut probabile conjicit ipsius esse prolixius opus: *Chroniques de France*, etiam inscriptum: *Les Chroniques de St. Denys* ad a. 1223, saepius continuatum usque a. 1461, Parisiis 1476 (1477) v. 3 in f. etc., ed. a Paulin ib. 1836—1840 t. 6 in 8. — Alius ab eo est Guilelmus Scotus dictus ejusdem monasterii, cujus *chronici* ab o. c. — 1317 p. 3. (ab a. 1286—1317) edidit Bouquet XXI, 202—11.

[1]) Jordanus Osnabrugensis magister et canonicus (fl. 1283) tr. non spernendum composuit *de praerogativa romani imperii* sive chronica qualiter romanum imperium translatum fuit in Germanos, et primo quare romanum imperium sit honorandum sive tr. de romano imperio sive tr. de translatione imperii, s. l. (Romae) et a. (c. 1470); Coloniae 1471—73; in Schardii op. de jurisdictione, auctoritate et praeeminentia imperiali ac potestate ecclesiastica. Basileae 1566 p. 297—313 etc., germanice ed. a Waitz in Abhandl. der k. Gesellsch. der Wissensch. zu Göttingen, hist. pol. Cl., Göttingae 1868/69 XIV, 3—92; et seorsim ib. 1868 in 4. Eidem auctori tribuuntur alia duo scripta *Notitia seculi* ed. a G. a Karajan in der Denkschr. der Wiener Ak. der W. II, Wien 1850, quae cum priori op. cohaeret et carmen satyricum in conc. lugdunense *Pavo* inscriptum, in quo tristissimum inter sedem apostolicam et imperium sub Friderico II. Innocentio IV. vitio vertit, ideoque hunc satyra dehonestat. Edidit illud Karajan ib., melius Fr. Wilhelm in op.: Die Schriften des Jordanus v. O. Ein Beitrag zur Gesch. der Publicistik im 13. Jahrh. in den Mit-

n. 1217 Constantinopoli magnum logothetam, qui floruit sub imperatoribus Joanne Duca, Theodoro Lascari et Mich. Palaeologo, crebrasque pro ipsis legationes obiit et in arduis regni negotiis adhibitus fuit, quibus cum laude est perfunctus. Praepositus est omnibus occidentalium provinciarum praefectis a Th. Lascari, pro quo et bellum gessit c. a. 1255 contra Michaelem rebellem, a quo tamen post fortissimam propugnationem urbis Priapi proditione captus est, liberatus vero a Mich. Palaeologo (1260). Postea ecclesiae constantinopolitanae logothetam seu rhetorem egit atque juventutem ecclesiasticam literis ac moribus diu instituit. Ab imperatore cum Jo. Becco ad conc. lugdunense 1274 ablegatus est, ubi nomine imperatoris unionem cum Ecclesia romana, cui prius adversabatur, iniit atque jurejurando confirmavit. Decessit postquam obiit legationem ad Joannem Bulgarorum principem a. 1282. Cum nobis de ejus ab unione defectione non constet (quamvis filius defecit), noluimus eum silentio praeterire. Concinnavit praeter alia opera etiam theologica, praesertim *chronographiam,* quae continet historiam annorum 58, ab expugnata urbe CP. per Latinos (1203) usque ad 1261, quo Mich. Palaeologus imperium recuperavit. Manuscriptum in Belgium attulit Georgius Dousa, illudque abbreviatum graece et latine edidit Lugduni Bat. 1614; diffusius et prolixius numerisque omnibus absolutum Allatius Parisiis 1651 in f., Bekker, Bonn 1836; apud Migne P. G. CXL 969-1220. Cf. Krumbacher Gesch. der byz. Lit. p. 286.

225. De *singularibus regionibus* scripserunt: Stephanardus de Vicomercato (Vicomercati, quod est opidum originis) O. Praed., diu apud suos lector, et insignis poëta, qui concinnavit poëma nonnihil inflatum *de gestis in civitate Mediolani* sub Ottone Vicecomite (Visconti) archiepiscopo ab a. 1262—1292, quod Galvagni de Flamma fere integrum, sed per partes inseruit suo op. Flores temporum, ediditque Muratori tum in Anecd. III, 59—100, tum inter Scriptores rer. it. IX, 91—96. Minus aeque stat pro archiepiscopo adversus Gregorium IX. Reliquit et plura opera inedita, inter quae et postillas in Lucam († 1297). — Nicolaus Smeregus, notarius vicentinus de Burgo Bericae, auctor est *chronici vicentini* ab a. 1200—79, quod cum continuatione anonymi ad a. 1312 ex Felicis Osii recensione cum Albertino Mussato aliisque edidit Venetiis 1636 Laur. Pignorius: et ex codd. castigatum a Jos. A. Saxio inter SS. It. Muratori t. VIII. — Ibidem (t. VIII) prodierunt etiam annales veronenses Parisii de Cereta (cum continuatione ad a. 1375), et cura Pertz in MG. SS. XIX, 1—18. — Saba Malaspina Romanus Joanni XXI. (1276—1277) a secretis[1]), collegit *rerum sicularum ll. 6* (ab a. 1250-76), quos primus edidit Baluzius Miscell. t. VI, 197—348; inde Muratori Script. rerum it. t. VIII; Carusius bibl. sic. t. II; Del Re Cronisti e

theil. des Inst. für österr. Geschichtsforschung, XIX (Innsbruck 1898), 615—675. Cf. Michael Zeitschr. f. k. Theol. XXIV (1900), 751—756; XXVI (1902), 272—275.

[1]) Ab hoc distingui debet Ricordanus Malaspina patricius florentinus, qui italice scripsit *historiam antiquam florentinam* ab urbis origine usque ad a. 1281, quod opus post ed. florentinas 1568. 1598 in 4. et 1718, castigatius recudi fecit Muratori in thes. SS. t. VIII., una cum continuatione Jacchetti Malaspinae ex fratre nepotis usque ad a. 1286. — Ceterum Malaspina continuavit historiam Nicolai de Jamsilla Ghibellinorum addicti partibus, qui scripserat historiam de rebus gestis Friderici II. et filiorum ejus Conradi et Manfredi (1210—50), quam post alios melius et integrius edidit Muratori thes. VIII, 489 ss. Cf. de eo Karst hist. Jahrb. XIX (1898) 1—28.

Scrittori II, 201—408 cum versione itala. — Bartholomaeus de Cotton OSB. monachus cathedralis ecclesiae norvicensis († c. 1298) scripsit *historiam anglicanam ll. 3* ab a. 449-1298, cujus l. 1. (etsi modo repertus) non est impressus; 2. de regibus anglis, dacis et normannis, et 3. de archiepiscopis et episcopis Angliae prodierunt inter rerum brit. medii aevi SS. n. 16 cura H. Rich. Luard Londini 1859; hinc fragmentum *Annales ecclesiae norvicensis* (1042—1295) et *historia de episcopis norvicensibus* a prima sedis fundatione ad a. 1299 apud Wharton in Anglia sacra I, 397—412 cum continuatione ab a. 1299—1449 auctore monacho norvicensi anonymo, ib. 413-17; et excerpta et l. II. (1279—98) cura Pertz in MG. SS. XXVIII, 604-21. — Adamus domerhamensis narrat historiam controversiae inter episcopos bathonienses et monachos glastonienses sive historiam *de rebus glastoniensibus* (1192—1290) in Wharton Anglia sacra I, 578—81; Oxonii 1727 ed. Thoma Hearne. — Pretiosum documentum pro statu ecclesiae germanicae sui temporis est *epistola* Brunonis de Holstein episcopi olomucensis (1245—81) ad Gregorium X. d. d. 16. Dec. 1273 et *relatio ad papam* super deliberandis in concilio, plene edita ab Höfler Denkschriften der k. baier. Akademie der Wissensch. XX (Abh. der hist. Cl. IV. Abtheil. 3) Monachii 1846 p. 18—28 cum illustratione praevia 1—17. — Henricus abbas monasterii s. Eucharii (Matthiae) trevirensis OSB. narrat, sed non sine partium studio, *Gesta Henrici* archiep. trevirensis et Theodorici abbatis s. Eucharii (1259—1272) inter Gesta Trevirorum in MG. XXIV, 414—453 cur. G. Waitz, cui mox alia opposita fuit relatio ab anonymo (ab a. 1247—88), quam ib. habes p. 456—463. — Godefredus Hagen[1]) magister et notarius urbis coloniensis, dein parochus et decanus s. Georgii Coloniae († 1299), metrice narrat non sine partium studio civium dissidia cum archiepiscopis in Buch von der Stadt Cöln (1271) editum ab E. v. Groote Coloniae 1834; ab H. Cardauns in Chroniken der deutschen Städte 1875 t. XII. — Ekkehardus junior abbas uraugiensis, non confundendus cum suo praedecessore celebriori, de quo supra p. 34 egimus, hinc junior dictus, reliquit *chronicon hildeshemense* breve de episcopis hildeshemensibus, quod a Caroli M. tempore pertingit ad a. 1280, ediditque Chr. Browerus cum vita s. Godehardi ep. hildeshemensis in op. *Sidera illustrium Germaniae*, Moguntiae 1616. in 4; Leibnitius inter SS. rer. brunsv. I, 742-74. — Raymundus de Medullione O. Praed. ex illustri et antiqua Medullionum loci dominorum in Provincia stirpe satus, vir evasit eruditione, facundia, regularis disciplinae studio et in agendis prudentia clarus, unde praedicator generalis in comitiis suae provinciae renunciatus est aliisque muneribus ordinis primariis auctus, et a comitiis generalibus Mediolani habitis a. 1278 cum Joanne Vigoroso ablegatus in Angliam »cum festinatione« ad compescendas turbas motas »in scandalum ordinis de scriptis v. Fr. Thomae de Aquino.« Assumptus est Raymundus a. 1281 episcopus vapincensis (Gap), inde 1289 translatus ad sedem archiepiscopalem ebredunensem († 1294). *Acta synodi provincialis ebredunensis* edidit Martene in thes. anecd. t. IV. — Simon de Beaulieu (de Bello loco) secundum plures O. Cist., quod tamen sat dubium est, magister parisiensis, archidiaconus carnotensis, dein pictaviensis, demum (1281) archiepiscopus bituricensis, ad disciplinam restaurandam quatuor habuit synodos provinciales, strenueque instituit visitationes

[1]) Cf. Kelleter G. Hagen und s. Buch von der Stadt Cöln, in Westdeutschen Ztschr. für Gesch. und Kunst, Trier XIII (1894) 150—218; Michael III, 381 s.

pastorales non solum in propria dioecesi, sed et in dioecesibus sibi qua metropolitano obnoxiis[1]). Haec *visitationis acta* luci dedit (partim) Mabillonius in veteribus anal. p. 338 ss., plenius Baluzius in Miscellaneis I, 267 ss. A Coelestino V. factus est cardinalis († 18. Aug. 1297).

226. Hisce subjicimus comitem Burchardum de Barby (Brocardum, Bocardum etc.) de Monte Sion[2]) O. Praed., probabiliter de Saxonia, virum itineribus in Orientem, Palaestinam praesertim, illustrem (fl. c. 1283). Hanc ultimam, quam decennium peragraverat, accurate describere agressus est in op. *Veridica terrae sanctae regionumque finitimarum ac in eis mirabilium descriptio.* Ea medio aevo fuit admodum divulgata et saepissime prodiit, primum Lubeccae 1475 in op. raro *Rudimentum novitiorum* p. 164—188; Venetiis 1519; Antverpiae 1536; Wittenbergae 1544; 1579; Basileae 1555, qua in ed. stilus auctoris fuit omnino innovatus et in puriorem orationem conversus, resectis praeterea plerisque s. Scripturae locis et factis quibusdam et miraculis ab auctore relatis. Cum *itinerario hierosolymitano* Bartholomaei de Saligniaco, cura R. Reinecii Magdeburgi 1587; 1593 in 4; prostat et inter lectiones ant. Canisii VI, 295 ss.; IV², 9 ss., qui tamen l. Brocardi interpolavit, ordinem immutavit, plura resecuit, alia aliunde hausta inseruit. Hae tamen et aliae editiones[1]) non sunt satis accuratae: accuratior est textus (sed non integer, deest enim Aegyptus), quem exhibet Laurent in op. *Peregrinatores medii aevi quatuor,* Lipsiae 1864; 1873 ed. 2., qui editor de ipso Burchardo est consulendus; cura Neumann, Genevae 1880 in 4. etc.; germanice interprete Jaeck in Taschenbibl. der wichtigsten See- und Landreisen, Nürnberg 1827 II, 81 ss.

227. Joannes Caput O. Praem. ilfeldensis reliquit brevem *historiam monasterii ilfeldensis* (in dioecesi moguntina) ad a. 1296, cujus initium exstat in MG. SS. XXV, 587—89. — Annalium sindelfingensium, quos coeperat ab a. 1083—1271 colligere Henricus de Moeskirch canonicus sindelfingensis, tum Constantiae rector ecclesiae s. Joannis, inscriptos *l. memoriarum ecclesiae sindelfingensis,* continuaverat vero ab a. 1276—1294 Conradus de Wurmelingen mo-

---

[1]) Cf. Feret II, 184—93; Hefele VI, 241 ss.

[2]) Alius ab eo est Burchardus argentinensis et sodalis (fl. ineunte sec. XIV), cujus est *Summa casuum* ll. 4 vel 5 (inedita), magna ex parte excerpta ex summa Raymundi (cf. p. 364). Cf. Schulte II, 423 s. — Alius quoque est Burchardus forte coloniensis et vicedominus argentinensis, qui circa 1175 iter in terram s. instituit ut legatus Friderici II. ad Saladinum suique itineris reliquit narrationem, cujus fragmentum Laurent edidit in *Serapeum* 1858 p. 147-54. Cf. Grube KL. II, 1521 s.; Roehricht p. 39. Juxta Wattenbach forte est auctor *annalium coloniensium maximorum* ad a. 1179 in MG. XVII, 736-788, qui magni fiunt. — Alius Burchardus de Hallis decanus capituli s. Petri wimpfensis collegit praedia et reditus hujus capituli atque introductionis loco annalium forma accuratam illius capituli historiam dedit, quam alii continuarunt usque ad initium sec. XVI. Ejus labores continuavit Dytherus de Helmestat ejusdem capituli canonicus, dein et praepositus († 25. Febr. 1299). Eam reperies in Mone Quellensammlung der bad. Landesgeschichte 1863 III, 2—17; 663; et germanice inscriptam Die Chronik des St. Petersstiftes in Wimpfen ed. F. W. E. Roth in Qtlbl. des hist. Vereines für das Großherzogth. Hessen, Darmstadt 1887 p. 1132—42; 164—79. Decessit 4. Aug. 1300. Cf. Falk KL². II, 1522; Potthast I, 177; Lorenz Deutschlands Geschichtsq. 1 § 4.

[1]) Cf. de hac editionum, imo et codicum inter se diversitate Quetif I, 391-94; de aliis editionibus Fabricium I, 262; Potthast p. 177. Grube KL. II², 1520 censet ed. canisianam esse aliam recensionem ejusdem op. ab Burchardo ipso elaboratam; Röhricht p. 56—60.

nasterii cellerarius, sed laicus, testis fidelis († 22. Apr. 1295), fragmenta tantum vel epitome exstant primum edita a C. F. Haug Tubingae 1836 in 4; apud Boehmer (1273-94) in fontibus II, 464-72, emendatiora ed. a Pertz in MG. SS. XVII, 300-307. Ea magni sunt momenti pro historia Sueviae. — Ibidem XV, 2, 1033—39 reperies cura Holder-Egger descriptam *fundationem monasterii banzensis* OSB. ab ejusdem abbate Henrico (fl. c. 1300), opusculum fide minus dignum, quod receperat in suum catalogum episcoporum bambergensium Andreas abbas Montis s. Michaelis († 1502). — Petrus Coral abbas s. Martini lemovicensis (1247—76) scripsit *Chronicam* s. Martini lemovicensis ad a. 1266, cujus fragmentum exhibet Baluzius Miscell. VI, 369; Bouquet Recueil XXI, 763 ss. inscriptum *Chronicon majus lemovicense* a P. Coral et aliis conscriptum cum supplementis quinque. — Gaufridus de Collone (Courlon) OSB. in monasterio s. Petri senonensis († 1281) scripsit *chronicon* sui monasterii, quod alius perduxit ad a. 1295. Excerpta leguntur in MG. XXVI, 613—22. Nostra demum aetate prodiit gallice *Chronique de l'abbaye de St. Pierre-le-Vif de Sens*, cura M. G. Julliot, Senonibus 1876. Est compilatio arida et jejuna, stilo rudi et ineleganti conscripta, ob aliquot notitias alicujus tamen momenti pro historia ecclesiae senonensis. — Bernardus a Bessa O. Min. provinciae Aquitaniae, s. Bonaventurae a secretis, composuit[1]) Legendam vel *vitam s. Francisci* derivatam praesertim ex vita ejusdem sancti a Thoma de Celano composita nunc primum editam in Analectis francisc. III, 666—92 cura P. Müller, ad Claras Aquas (Quaracchi) 1897; et *Catalogum ministrorum generalium* (O. Min.), quem prosecutus est saltem usque ad Bonogratiam de s. Joanne in Perseceto (1279—84), vel usque ad Gundisalvum (1304), nisi hoc sit additamentum Peregrini de Bononia, ut nonnemo suspicatur. Est monumentum pretiosissimum et fons primi ordinis pro historia ordinis s. Francisci, quod primum prodiit Venetiis a. 1504 ut additamentum ad Speculum vitae s. Francisci (continuatum ab ed. usque ad ministrum gen. Aegidium Delfini electum (1501), sed longe accuratius ab Ehrle in Zeitschr. für k. Theol. 1883. VII, 338—52, qui tamen non audet cum plena certitudine tueri, hunc, quem ipse edit catalogum, esse eum, quem scriptores tribuunt Bernardo de Bessa. Eundem catalogum cum l. *de laudibus b. Francisci* hactenus inedito exhibet Hilarinus a Lucerna O. Min. Cap. in Analectis O. Min. Cap. III, 665-693 et seorsim Romae 1897. Ceterum et alii viri critici de hujus catalogi genuinitate incipiunt dubitare.

228. Inter *hagiologos* primo loco nominandus est Jacobus de (a) Voragine (Varazze, Viraggio, Varaggio), quod est oppidum haud procul distans a Genua, appellatus, non »ob divinarum Scripturarum crebras allegationes« ut narrat Trithemius c. 500. Natus est Jacobus c. 1130, et ingressus O. Praed. a. 1244, in quo vir evasit pietate, disciplina regulari, doctrina, salutis animarum studio, prudentia rerumque agendarum peritia clarus. Sacras literas variis in locis apud suos interpretatus est. Sermonis patrii puritate et elegantia emicuit, hinc celebriora Italiae pulpita occupavit ubique cum plausu et fructu auditus. Anno 1267 ad provinciae lombardicae assumptus est regimen illudque gessisse videtur ad a. 1286, quo eo fuit solutus. A Nicolao IV. evectus est ad sedem genuensem, quam sexennio tenuit

[1]) Cf. Ehrle Zeitschr. für k. Theol. 1883. VII, 323—37, qui fusius de Bernardi nostri auctoritate disserit et quaedam fragmenta ex illo l. exhibet. Cf. et p. 390 s.; Potthast p. 150.

(† 1298). Celebravit synodum provincialem, effusissima caritate reditus in pauperum sinus effudit necessariis vix sibi retentis. Nominatissimum eum reddidit ejus *legenda sanctorum,* aurea a posterioribus, vulgo historia lombardica (ob insertum c. 176. breve chronicon ad a. 1250, in quo Longobardorum historiam narrat) dicta, quam diligenter compilavit multa adjiciens de historia ecclesiastica, de historia tripartita, de historia scholastica et de chronicis diversorum auctorum. Innumerae sunt ejusdem editiones et versiones, nam ad a. 1500 numerantur praeter plures versiones ed. septuaginta; pluribus earum temporum lapsu additae sunt appendices, in quibus vitae sanctorum posteriorum continentur: ita in ed. mediolanensi 1494 cum supplemento Hilarii[1]) monachi OSB. et abbatis († 1521) et Ant. Liberi Susatensis a c. 178—216; in editione ludgunensi 1519, quam curavit Claudius a Rota O. Praed., ut videtur, Germanus, studii trevirensis regens, quae saepius prodiit 1531; 1535; 1546; 1554; 1555; optima ed. prodiit cura Th. Graesse, Lipsiae 1846; 1850 ed. 2; Vratislaviae 1890 ed. 3; gallice interprete Brunet, Parisiis 1843; interprete Saint-Beuve ib. 1891; italice interprete Nic. de Manerbi O. Cam. Venetiis 1533. In deliciis popolo fidelium per secula erat haec legenda, quamvis fatendum sit, auctorem stilo minus compto uti et prae nimia pia credulitate judicium ei deesse criticum, hinc non desunt qui acriter de ea judicent[2]) eamque contemnant, quamvis Bollandus[1]) hac in materia censor idoneus judicium et prudentiam ipsi non abjudicet. Reliquit etiam plures *sermones* et l. qui dicitur *Marialis* et totus est de b. Maria V. et secundum ordinem alphabeti distinctus. Prodierunt Sermones *quadragesimales,* Brixinae 1483; *de sanctis* Augustae 1484; *de dominicis,* Venetiis 1544; *de b. Maria V.,* Venetiis 1497; simul juncti sine loco, anno et typographo 3 v. in f.; 1579; 1582 in t. 8 in 4; Moguntiae 1630 t. 4 in 4; Augustae 1760 t. 4 in f. etc. Tribuuntur ipsi et *Defensorium* contra impugnantes fratres Praedicatores, quod non vivant secundum vitam apostolicam, Venetiis 1504 in 8; *de operibus et opusculis s. Augustini,* quem adeo familiarem fertur habuisse, ut fere totum memoria teneret; *Chronicon genuense* ad 1295, ed. a Muratori inter Script. rer. it. IX, 5-56; continuatio ad a. 1332 prodiit cura Vincentii Promis in Atti della Società Ligure di Storia Patria 1874. p. 499-511. — Ejus sodalis Rodericus Cerratensis Hispanus (fl. sec. XIII) collegit *Sanctorale* seu Vita sanctorum, opus ineditum, e quo Florez in Hisp. sacra aliquot edidit vitas; ita ex. gr. *vitam s. Ildephonsi Toletani* habes in Migne P. L. XCVI, 47—50.

229. Thomas Agni seu Agnello O. Praed. Leontii in Sicilia natus (hinc corrupte de Lentino dictus), unus ex primis fuit sodalibus ordinis, qui s. Thomam Aquinatem religionis habitu induit. Episcopus bethlehemitanus factus est (1255), et a pontifice legatus in Syriam missus; dein archi-

---

[1]) Hic Hilarius seu Hilarion Mediolanensis erat, et reliquit opuscula ascetica, quae prodierunt Mediolani 1494; *Paradisus deliciosus* in apparitione Domini, Parmae 1504 in 4. Hunc plures ut Fabricius III, 234, Oudin cum Hilarione graeco monacho congr. s. Justinae apud Veronenses (fl. 1460) confundunt.

[2]) Ita ex. gr. Canus de locis theol. XI, 6: „Nec ego historiae ejus auctorem excuso, quae Legenda aurea nominatur; hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi et prudentis.“ Cf Schüz op. cit. pag. 535 ss.

[1]) Praef. ad acta SS. mense Jan. t. I. p. XIX s. Cf. Quetif 454-59; Nostitz S. J. KL². VI, 1178 ss.; Roze Revue de l'art. chrétien 1867. XI, 44; Potthast p. 634 s.; Zöckler Realenc. VIII³, 560—562.

episcopus cusentinus (1267), demum 1272 patriarcha hierosolymitanus, quia, ut scribit Gregorius X. ad Philippum III. Galliae regem, erat „vir profundi pectoris, altissimi consilii, virtutum claritate conspicuus et experientia multa probatus, in cujus manibus alias virtus Altissimi statum terrae (sanctae) direxit, dum inibi tunc bethlehemitanus episcopus auctoritate sedis apostolicae legationis munere fungeretur“ etc. († 1277). Scripsit *vitam s. Petri M.* O. Praed., quam exhibent acta SS. 29. Apr., III, 686—719 passim pluribus auctam ex aliis monumentis ab Ambrosio Taëgio, ita tamen ut diligenter quae sunt Thomae ab insertis aliorum ubique distinguantur[1]). — Petrus can. reg. s. Autberti cameracensis jussu Guidonis episcopi cameracensis (1296-1302) vertit ex vulgari idiomate belgico in latinum *vitam ss. Dymnae V. et Gereberni sacerdotis* sec. VII. MM. Gelae in Brabantia, quam versionem sinceram integramque vulgavit Henschenius in Actis SS. 15. Maj. III, 479-89; vulgari idiomate prodierat Antverpiae 1640. — Guilelmus de Mechlinia OSB. prior in Wauria, dein abbas s. Trudonis († 1297) narrat *vitam s. Beatricis* priorissae de Nazareth prope Lier in Brabantia O. Cist. († 1268), quam habes apud Chrys. Henriquez Quinque prudentes virgines sive *b. Beatricis . . . praeclara gesta* Antverpiae 1630. — Birger Gregorii archiepiscopus upsalensis (1366-83), qui insignem scripsit historiam ecclesiasticam (deperditam), *vitam* narrat *s. Brigittae* suecicae († 1373), quae exstat in Actis SS. 8. Oct. IV, 485-95. — Theodericus de Apoldia (Thuringiae oppido non procul a Jena sito), etiam de Thuringia dictus, O. Praed. (fl. c. a. 1497) scripsit *vitam s. Elisabeth* Ludovici Landgravii Thuringiae uxoris ll. 8, quos edidit[2]) Canisius lect. ant. V, 143 (ed. 2. IV, 113—152); quaedam ex duobus codd. supplevit Struvius in actis liter. II. fasc. 1; Georg. Pray in Vita s. Elisabethae, Tyrnaviae 1770 p. 3—28; *vitam s. Dominici*, quam Cuperus in Act. SS. ad 4. Aug. I, 562—632 cum commentario praevio exhibet. — Petrus de Dacia sic a provincia O. Praed. decima, quae Daniam, Sueciam et Norvegiam complectebatur, nuncupatus, Wisbii in Gotlandia insula natus est. Coloniam missus sub Alberto M. et Parisiis sub s. Thoma studiis operam dedit; dein Skeningiae in praecipuo suae provinciae studio lector est institutus, prior postea Wisbii et socius provincialis († c. 1288). Dum Coloniae degeret cum mirabili Christina stumbelensi († 6. Nov. 1312) magnam iniit necessitudinem, quam literis fovit. Collegit ll. 3 ejus acta (usque ad a. 1287), quae digna censuit Papebrochius ut Actis SS. annotationibus illustrata insereret ad 22. Jun. IV, 275-426, quibus emendationes adjecit Quetif I, 408 ss. In actorum titulo dicitur Petrus puellae illi „datus divinitus in amicitiam, tutorem et curatorem necnon consolatorem specialem et spiritualem[1])“. Sed ed. Papebrochii integra non est, acta alio disponit ordine (chronologico), mendis inficitur, hinc plurimum distat ab exemplari originali. Ex pp. 3, quibus illud constat, 2. seu l. Petri *de vita . . . Christinae* ad a. 1282 edidit Jo. Paulson quam accuratissime, Gotoburgi 1896; quaedam ex 3. p. quae complectitur illius virginis vitam ad a. 1288 scriptam a Joanne ejus secretario, pariter typis dedit ib. 1896; germanice prodiit Coloniae 1859.

230. Ad *historiam literariam* quadamtenus referri potest Stephanus de Salanhaco in dioecesi lemovicensi O. Praed. vir si quisquam alius,

[1]) Cf. Quetif I, 358 ss.

[2]) Cf. Potthast p. 1285, ubi et alias editiones recenset.

[1]) Hartzheim bibl. colon. p. 272 s.; Michael III, 165—167.

inquit Quetif (I, 415), qui non solum praeclare gestis aetate sua patriam et ordinem illustravit, sed cui ob incunabula ordinis, quae fere testis oculatus vidit, scriptis mandata antiquaque primi nostri seculi monumenta diligentissime collecta et servata plurimum tenemur". Natus est circa a. 1210; vestem s. Dominici induit c. 1230. „Hic fuit, inquit Bernhardus Guidonis[1]), religionis speculum et imago, gratia praedicationis, prudentia et sapientia regiminis praeditus, facundia sermonis redimitus, experientia multa doctus: in his quae religionis sunt optime instructus et instruens, narrator gestorum et exemplorum notabilium gratiosus et copiosus, morum et gestuum maturitate compositus, famosus toti patriae († 8. Jan. 1291)." Concinnavit Tr. *de quatuor, in quibus Deus Praedicatorum ordinem insignivit:* 1. de bono ac strenuo duce s. Dominico; 2. de glorioso nomine Praedicatorum; 3. de illustri prole; 4. de securitate professionis. Eum quidem ad exitum non perduxit, hinc et etiam nunquam ex integro prodiit, sed materiam praebuit laboribus utilibus Bern. Guidonis (de quo infra), qui hac de re ita scribit[2]): „Quem (tractatum) ego in notulis scriptum de manu sua semiperfectum reperiens diligentius recollegi, ipsum compingens noviter reformavi pluraque superaddidi in locis suis secundum exigentiam materiae, quam inveneram in eodem". Plura ex eo reperiuntur in Delisle op. Notice sur les manuscrits de Bernard Gui (in Notices et extraits des manuscrits XXVII p. 2 p. 169—455). Jam vero in p. 3. de illustri prole coepit exhibere catalogum magistrorum (18) theologiae Parisiis, quem B. Guidonis continuavit et perfecit, documentum judice Denifle pretiosum pro historia literaria O. Praed. Illum auctum et notis criticis atque literariis illustratum exhibet Denifle in Archiv 2, 204 ss. — Denique huc referri potest quadamtenus Joannes Columna O. Praed. ex antiqua Columnensium stirpe natus, inter primos ordinis viros et assertores laudandus, qui a patruo adolescens Parisios missus fuit literis erudiendus, ibidemque ingressus est ordinem s. Dominici frustra obnitente patruo, cardinali alioquin potentissimo, qui vel Gregorium IX. in strenuum commovit juvenem. Praefuit bis provinciae Tusciae, et etiam romanae: ab Alexandro IV. a. 1255 promotus est ad sedem messanensem, qua tamen 1262 se abdicavit, factus archiepiscopus nicosiensis. Romam secessit egitque sub Urbano IV. Urbis vicarium († 1313 secundum Gams, quod tamen vix eredibile). Compilavit *Mare historiarum*[1]) ab o. c. ad s. Ludovici IX. Galliae regis tempora inclusive, a s. Antonino collaudatum, cujus excerpta prodierunt in MG. SS. XXIV, 266—84 et jam antea apud Bouquet Recueil XXII, 107—24. *De viris illustribus* ethnicis et christianis, in quo primum agit de Socrate aliisque philosophis gentilibus, quod cura Benedicti Zoanelli casanatensis bibliothecae praefecti sub prelo sudare refert (1721) in fine suae bibliothecae Echard.

---

[1]) In catalogo priorum lemov. ib.

[2]) Apud Denifle (p. 167 a.), qui Archiv 2, 165—248 eruditissime de fontibus historiae O. Praed. disserit.

[1]) Aliud ab op. gallice edito: *La mer des histoires*, Parisiis 1488; auctum ib. 1516 recognitum 1536, quod est Brochart theologi. Joannem nostrum vix pervenisse ad a. 1290 censet Quetif I, 419. Sub nomine Joannis Colonna prodiit Romae 1885 *chronicon breve* ab a. 1294—1311, quod sane nostri Joannis nequit esse. Non nostro sed alii Joanni de Columna (n. 1298) tribuit Waitz *Mare historiarum*. Cf. Potthast pag. 659.

IV. Theologia practica.

231. Ex romanis pontificibus nominandus est in primis Gregorius X., qui defuncto Clemente IV. (1268) fere post triennium demum per compromissum concordibus suffragiis absens electus est 27. Oct. 1271 in pontificem. Natus est Placentiae nobili vicecomitum (Visconti) familia atque Theobaldus dictus. Primum fuit canonicus lugdunensis, dein archidiaconus leodiensis. Pietatis causa profectus est in Orientem ad invisenda sacra loca atque Ptolemaidem attigerat, cum laetus advenit nuncius, quo audito dixisse narratur: „Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui (Ps. 136, 5 s.)“. Gregorius X. voluit nuncupari; et revera statim a pontificatus exordio Palaestinae rebus et sacrae expeditioni prospexit sed haud felici exitu. Lugdunense II. concilium celebravit[1]), in quo concordia inita est cum ecclesia graeca sub Michaele Palaeologo, quae mox tamen iterum fuit abrupta. Lugduno rediens in Italiam Aretii 10. Jan. 1276 morbo exstinctus obiit. Regesta exhibet Potthast II, 1651—1703; 2131. 2138; M. J. Guiraud Les Régistres de Grégoire X. et de Jean XXI, Paris 1892. — Gregorium X. quatuor secuti sunt pontifices, qui brevissimo temporis intervallo Ecclesiae praefuerunt: Innocentius V. († 1276), de quo supra egimus p. 389; Hadrianus V. ante Otobonus Fliscus nominatus Genuensis, qui nec sacra ordinatione nec consecratione suscepta 37. ab electione die decessit (18. Aug. 1276); Joannes XXI. († 1277), de quo egimus p. 390; et Nicolaus III. Ursina gente natus[2]), tranquillitatis Ecclesiae promotor (el. 25. Nov. 1277; † 22. Aug. 1280). De ejus epistolis et decretis cf. *Les Registres* de Nicolas III. Parisiis 1898, quibus continentur documenta 302; Potthast Regesta II, 1719-1755. — Aliquantulum diutius sedit Martinus IV., antea Simon de Bria vocatus, natione Gallus (22. Febr. 1281; † 29. Mart. 1285). *Les Registres* de M. IV. de l'école francaise à Rome prodierunt Parisiis 1901 Regesta exhibet Potthast II, 1756—1795; 2132—2139. — De Honorio IV. ejus successore († 1287) infra erit sermo p. 446 a. Hunc excepit Nicolaus IV. ex Minorum familia patria Asculanus, Hieronymus antea dictus. Doctor erat theologiae, qui juxta Trithemium SE. c. 519 scripsit in aliquot s. Scripturae libros et in ll. Magistri sententiarum. A s. Bonaventura ordinis ministro generali praefectus est provinciae dalmaticae, unde Constantinopolim missus 1272 a Gregorio X. legatus. Nondum redierat ex Oriente, cum electus est in comitiis Lugduni 20. Maj. 1274 minister ordinis generalis, iterumque 1277 in munere confirmatus. Sequenti a. 1278 a Nicolao III. creatus est cardinalis, primusque ex Minorum familia evectus 22. Febr. 1288 ad pontificatus honorem: cathedram autem tenuit[1]) ad 4. Apr. 1292.

---

[1]) Cf. Hefele Conciliengesch. VI² § 676 s.

[2]) Cf. Bern. Guidonis Vita Nicolai III apud Muratori Rer. it. SS. III, I, 606 ss.;

Aug. Demski Nikolaus III. Eine Monagr. in kirchengesch. Studien VI fasc. 1. et 2., Münster 1903, monographia laude digna. Frömmigkeit, Mildthätigkeit, eine ganz erstaunliche Arbeitskraft, politischer Scharfblick, eine stille, friedfertige Zähigkeit in all seinen Unternehmungen zierten Nikolaus III., diesen edlen Römer ... und ließen ihn als den rechten Mann erscheinen, der in schwieriger Zeitlage das Schifflein der Kirche noch lange fest und sicher leiten würde etc. Ita Michael Ztschr. f. k. Theol. XXVIII (1904), 368.

[1]) Ejus vitam ab Hier. Rubeo compositam edidit Ant. Fel. Matthaeus Pisis

Epistolas fere centenas edidit Waddingus in Annalibus ordinis t. II; Regesta exhibet Potthast II, 1829-1915; 2133; plenius E. Langlois Les Registres de Nicolas IV. Recueil des bulles de ce pape publiées ou analysées d'apres les manuscrits originaux etc., Paris 1886—1893 fasc. 9, quibus recensentur documenta 1652. — De s. Coelestino V., qui post longam sedis apostolicae vacationem ei successit, infra agemus p. 449.

232. Praetermissis Francisco Vercellensi, cujus apparatu in decretales Gregorii IX. (inedito) frequenter utitur Joannes Andreae — Principivallo Mediolanensi et canonico modoicensi, decretorum doctore et textualista maximo, ut dicitur a Diplovataccio, cujus est lectura utilis super decretum hoc dilucide illustrans[1]), sed inedita. — Garsia Joannis Hispano canonico compostellano, juris canonici Bononiae professore, cui primum ex aere publico constitutum fuit stipendium, et qui reliquit commentarium prolixum quidem neque absolutum, egregium tamen, in decretales Gregorii X. admodum vulgatum (non tamen editum), apparatum ad const. „Cupientes“ Nicolai III. et quaestiones concisas[2]) — Boatino (Bovetino de Bovettinis) Mantuano, professore 43 a. patavino[3]), canonico et archipresbytero († 1300), cujus sunt lectura super decretales Gregorii IX; super decretales Gregorii X. (inedita); — Joanne de Monte Murlo in (Etruria) juris canonici Bononiae professore, cujus quaestiones satis erant vulgatae et saepe a veteribus citabantur — Joanne de Anguissola (Angusellis) Cesenate, juris professore Patavii[4]) — Jacobo Bonacosa (Bonacossa) cognominato de Canonica, magistro et doctore decretorum, auditore pontificio contradictorum († 1279) — Stephano Bonerio de Serignano Gallo doctore decretorum in curia romana, dein professore Bononiae († 1298), cujus quaestiones saepe a posteris adhibentur; maxime forte inter canonistas hujus periodi innotuit Guilelmus Durandus (Duranti, Durantis), quo „neque civilis aut canonici juris peritiorem, praesertim in iis, quae ad forum et judicia ecclesiastica pertinent, neque in ecclesiasticis disciplinis magis exercitatum quempiam ejus aetate reperies[1]).“ Natus est circa a. 1237 (juxta alios c. 1230) parentibus nobilibus Podiomissione (Puymisson) dioecesis biterrensis. Juri canonico operam dedit Bononiae sub celebri Bernardo Parmensi; forte ib. et docuit, sed certe Mutinae Decretum interpretabatur. Postmodum assedit judiciis exercendis cardinali Ostiensi, qui ipse juris consultissimus, hoc homine peritiorem quique sibi magis in causis cognoscendis satisfaceret, non invenit. Sic autem deinceps in foro versatus est, ut quasi principatum quemdam in eo obtinuerit: in hoc enim maxime ejus industria emicuit, ut civilem et ecclesiasticam jurisprudentiam omnem ad fori exercitationem et judiciorum usum accommodaret, quod in suo Juris speculo egregie perfecit, „Magister practicae“ propterea appellatus. A Clemente IV. dictus est auditor generalis causarum palatii apostolici et capellanus; canonicus quoque erat carnotensis, bellovacensis et narbonensis. In concilio lugdunensi a. 1274 sub Gregorio X. decretorum formam redegit. Nicolaus III. eum constituit rectorem et capitaneum generalem, ut in pluribus locis ditionis pontificiae nomine pontificis eorum possessionem caperet atque homagium exigeret; Martinus IV. vicarium in spiri-

1781; jam antea Bern. Guidonis apud Muratori l. c. p. 612 s.

[1]) Cf. Schulte II, 137.

[2]) Ib. II, 161; Sarti I, 481.

[3]) Schulte II, 157.

[4]) Ib. II, 133.

[1]) Cf. Sarti op. cit. I, 465.

tualibus pariter in variis ejusdem ditionibus. Anno 1283 iterum comparet comes et rector plurium provinciarum sedis apostolicae: fortique manu[1]) sed et prudentia sua gliscentes turbas inter Guelfos et Ghibellinos seditionesque adversus auctoritatem pontificiam sedavit atque compressit. Electus a. 1285 in episcopum mimatensem (Mende), unde et Mimatensis est dictus, mansit interim in Italia per vicarium suae providens ecclesiae, postea vero a. 1291 eam adiit atque cura pastorali reformavit. Archiepiscopatum ravennatensem a Bonifacio VIII. sibi oblatum recusavit: factus tamen est ab eo (1295) gubernator provinciarum Romaniolae et anconitanae, quae satis erant turbatae; anno vero jam sequenti 1. Nov. Romae decessit.

233. Plurima scripsit opera, quorum potiora sunt: *Speculum legatorum,* receptum in opus majus et celebrius: *Speculum judiciale* bis elaboratum, a quo *Speculatoris* encomio fuit salutatus. In eo ll. 4 fuse admodum exponit secundum jus canonicum et romanum omnem causarum agendarum rationem et ordinem, hinc munera pertractat singularum personarum, quae illis quomodocunque demum interveniunt[2]).

[1]) Hinc in prolixo epitaphio in ejus laudem dicitur: „Exstitit infestus super hostes more leonis. Indomitos domuit populos, ferroque rebelles impulit, Ecclesiae victos servire coëgit. Comprobat officiis, paruit Romania sceptro Belligeri comitis Martini tempore Quarti“ etc.

[2]) Cf. Sarti I, 465—479; Schulte II, 151 qui notatis pluribus defectibus subdit: Bringt man alle Fehler noch so sehr in Anschlag; so bleibt das Werk eine ungewöhnlich hervorragende Leistung. Es ist allerdings nicht durch Originalität, neue selbständige Verarbeitung des Stoffes ausgezeichnet, es ist eine der größten Verarbeitungen des vorhandenen Materiales, aber sein Wert ist an sich sehr groß und dauernd. Unbestreitbar ist es ein hohes Verdienst fast die gesammte Literatur bis ins Detail eingehend berücksichtigt und uns vielfach durch diese Benutzung erVerus est thesaurus pro jure et praxi illius temporis inexhaustus ob materiae copiam in eo undique collectam, quare valde fuit vulgatus, magno in usu, hinc etiam ab aliis auctus, saepissime editus (saltem quadragies), Argentorati 1473; Bononiae 1474 ed. rarissima, Romae 1474 cum additionibus Jo. Andreae et Baldi; Lugduni 1516; Basileae 1574; Venetiis 1576; Francofurti 1592; 1612; 1668 in f. etc. *Breviarium* sive repertorium (juris canonici aureum), minoris pretii, saepissime tamen editum, Romae 1474; Venetiis 1476 etc.; *Breviarium glossarum* et textuum juris canonici, Parisiis 1519; *in sacros. lugdunense conc.*

halten zu haben. Cf. Quetif I, 480, cui non improbabile videtur, eum fuisse O. Praed. sodalem, deque hoc opere refert: „Opus omnium juris utriusque peritorum manibus tritum et adeo egregium, ut ab iis „Pater praxis“ appellari meruerit et „Speculator“ audierit; et si vel tota periisset bibliotheca juris, hoc uno posse reparari videretur scil. ex omnium veterum J. C. scriptis excerpto et coacervato.“ Cf. de hoc et aliis etiam Tiraboschi Storia etc. IV. l. 2 c. V. Verum Joannes Andreas in addit. ad prooemium Speculatoris, eum plagii accusat, quod scil. Alberti Galeotti legum doctoris parmensis (fl. c. 1272) opus *Aurea ac pene divina et vere Margarita* seu quaestionum summula, in qua omnes fere qq. in foris frequentatae proponuntur et magistraliter enucleantur (ed. in op. *Doctrina advocatorum* Joannis de Deo, Venetiis 1567 pag. 107 ss.) vero explicaverit, adeo ut vix sint decem versus ex toto Galeotti op., quos in speculum suum non transtulerit. Cf. de Alb. Galeotti Affò Memorie degli Scritt. parm. I, 108—114. Neque solum Galeotti sed et plurium aliorum ut Joannis Fasoli *de summaria cognitione,* Mart. de Fano *de homagiis,* ejusdem *de alimentis* et qq. *de jure emphyteutico,* Jac. Balduini *de primo et secundo decreto,* Odofredi *de positionibus,* Jo. Blanci *de exsecutoribus ultimarum voluntatum,* Thomae Piperatae etc. operibus utitur. Dispungit tamen ipse Jo. Andreas hanc accusationem, qui Durantis opus propterea utilissimum censet, quod tractatus multos cl. doctorum magna ex parte exhibet, qui omnibus in promptu esse non poterant ac fortasse etiam periissent.

sub Gregorio X., commentarius a Simone Majolo inventus, editus marginibusque exornatus, Fani 1569 in 4. cum Durandi vita, minus diffusus sed magni momenti, cum ipse pontificem in scribendis constitutionibus juverit. De *liturgia* meruit celeberrimo opere *Rationale divinorum officiorum* saepissime edito, ad a. 1500 saltem ter et quadragies, Moguntiae 1459 ed. rarissima; 1479; Augustae 1470 (m. 100) s. l. et a. (Basileae c. 1477); Lugduni 1516; 1605; 1672; Neapoli 1839 etc., quo industria sedula complexus est quidquid ab Amalario (cf. I, 766) veteres scripserunt de. s. liturgia, unde ejus opus est verum repertorium, illudque appellavit *Rationale* ob analogiam cum Rationali summi sacerdotis synagogae, quod contineat manifestationem et veritatem (Ex 28, 15. 30), scil. rationes varietatum in divinis officiis et earum varietates describat. Divisit illud in ll. 8, in quibus accurate tractat duce Sicardo cremonensi (cf. supra p. 251) 1. de sacris aedificiis; 2. de personis liturgicis; 3. de vestibus liturgicis; 4. de liturgia sacrificii missae, in quo plurimum utitur Innocentii III. opere (cf. 245); 5. de breviario; 6. de anno ecclesiastico; 7. de festis sanctorum; 8. de computo[1])

234. *Ordinem judiciarium* pariter descripsit et exposuit methodo forte minus concinna Aegidius de Fuscarariis (Foscarari) Bononiensis, decretorum magister celeber, primus laicus juris canonici professor[1]), in negotiis civicis saepe consultus († 9. Jan. 1289), Bononiae 1572, ob utilitatem multum adhibitus, ut testantur tot cod. mscr. superstites; *Quaestiones* (accuratae, partim ex Jo. de Deo derivatae) editae in Reatz Collectio scriptorum de processu canonico, Giessae 1860 t. 1. Scripsit etiam commentaria in ll. decretalium. Profecit autem ex ejus scriptis non solum Jo. Andreae, sed magis etiam Guilelmus Durantis, qui multa ex Aegidio corrasit et in suum Speculum juris ingessit, quamquam eum alicubi reprehendat et carpat. Sed egregie defensus est a Jo. Andreae. — Bentevenga (Bentivenga) dei Bentivenghi Aquaspartae in dioecesi tudertina natus O. Min., diu s. Thomae Aq. discipulus, episcopus tudertinus (1276), creatus cardinalis et episcopus albanensis (1278) a Nicolao III., cui fuerat a confessionibus et admodum familiaris. Poenitentiarii munus sub variis pontificibus gessit; vir enim erat in theologia et jure canonico bene versatus († 1290). Reliquit collectionem inscriptam: *Dispensationes super defectu natalium* Nicolai III., Martini IV., Honorii IV.[2]), Nicolai IV. factae per D. Bentevenga de Tuderto card. albanensem de speciali mandato praedictorum. Hac tamen in collectione non solum reperiuntur dispensationes super defectu natalium, sed et aliae dispensationes et concessiones, quae a s. poenitentiaria emanarunt, quare haec do-

[1]) Cf. Thalhofer I². 169; Franz die Messe p. 476—482. Gallice illud vertit quibusdam omissis vel additis Joannes Goulain (Golem, Galain, Goulan, Golin, Goyley etc.) O. Carm., theologiae magister parisiensis clarus, Clementis VII. capellanus, suae provinciae praepositus et definitor († 1403), Parisiis 1503 in f. Vertit quoque Cassiani *collationes* ib. s. a. (1504), et alia, quae tamen non prodierunt, sicut etiam ejus commentaria in ll. sententiarum. Cf. Feret IV. 355—360.

[1]) Cf. Sarti de claris archigymnasii bononiensis professoribus I, 447; Fantuzzi I, 341—47; Schulte II, 139.

[2]) Hujus pontificis, qui antea dicebatur Jacobus Sabelli, Romae orti et ex canonico cabillonensi cardinalis (1261), demum 1285 magno consensu in pontificem electi († 4 Apr. 1287) epistolae prodierunt inscriptae *Les régistres d'Honorius IV.*, Recueil des bulles de ce pape publiées ou analysées, Parisiis 1886—89 ed. Prou in 4. Regesta recenset Potthast p. 1795—1825; 2132. Cf. B. Pawlicki Papst Honorius IV., Münster 1896.

cumenta et formulae (61) pro praxi illius temporis poenitentiali et historia pastorali non sine pretio sunt: hinc Eubel O. Min. poenitentiarius apostolicus eam primum edidit in Archiv für kath. Kirchenrecht Moguntiae 1890 t. 64 p. 3—70. Alia ejusdem scripta aut inedita latent, aut ut inquit Paulus Cortesius »in publicum suppositi tii nominis usurpatione prodierunt«. — »Monaldus O. Fr. Min. (Justinopolitanus, Capo d'Istria) theologus et jurista eruditissimus, ingenio subtilis, scientia clarus, sermone scholasticus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis industriae vir, edidit pro utilitate simplicium etiam doctis non spernenda opuscula, quibus et nunc praesentibus et longe postea futuris utiliter providit . . . Necessaria et perpulchra *Summa juris canonici*« [1]), monaldina, et etiam *aurea* dicta. Ea est concinna et utilis compilatio, qua ordine alphabetico jus canonicum in compendium redigit, hinc a nonnullis dicitur etiam *Summa casuum conscientiae.* In ea multum utitur Summa Raymundi et Goffredi aliisque canonistis. Prodiit Lugduni 1516. Elaboravit et alia opera, inter quae et commentarios in 4 ll. sententiarum, omnia inedita. Ipse decessit jam ante a. 1285.

235. Ad *theologiam pastoralem* referri possunt Laurentius O. Praed. Gallus cognominatus, vir pietate, doctrina et rerum agendarum peritia clarus, Philippo III. Galliae regi a confessionibus, cujus jussu composuit *Livre des vices et des vertus,* in quo doctrina christiana clare admodum et eleganter pro ea aetate, sed et erudite explicatur, unde diu fuit admodum vulgatus et apud magnates celeber. Innumeri reperiuntur ejusdem codices; impressus vero fuit (non tamen integer) Parisiis exeunte sec. XV. inscriptus *La Somme des vices et vertus;* et prime vice s. l. et a. (1481) inscripta *Summe de Roy.* — Humbertus (Umbertus, Imbertus) de Romanis, quod est oppidum in Delphinatu), inter eximios ord. Praed. adhuc assurgentis viros merito numerandus, studuit Parisiis adolescens et artium magister laureatus easdem professus est et in jure canonico auditor fuit Hugonis de S. Charo (supra p. 339). Ordinem ingressus c. a. 1225 sacras literas fertur tradidisse variis in locis. Postquam aliquot provinciarum praefecturam gessit, assumptus est a. 1254 ad universi ordinis regimen, nam »prae cunctis generationis hujus gratia Dei plenus (erat), quae vere in eo lucebat«. Ordinem sapienter prudenterque rexit composuitque dissensionem grandem et gravem, quae inter magistros parisienses et fratres ordinum mendicantium machinante Guilelmo de Sancto Amore orta fuerat. Post novennium a. 1263 supremo magistratu, qui summae utilitatis fuit et splendoris pro universo ordine, se abdicavit: oblatum sibi patriarchatum s. civitatis Jerusalem necnon et episcopatum tenuit decessitque plenus diebus meritisque 14. vel 15. Jul. 1277. Scripsit[1]) *de eruditione praedicatorum ll. 2* seu de arte praedicandi, Barcinone 1607 in 4. praemissa auctoris vita et in bibl. maxima PP. lugdunensi t. XXV, 420—567; l. alter tantum Hagenoviae 1508; Venetiis 1603 sub titulo *Sermones b. Humberti* etc. Constat opus pp. 2, quarum prima seu l. 1. de praedicationis excellentia et munere seu officio deque dotibus ad

[1]) Ita Trithemius (erronee) ad a. 1330 de script. eccl. c. 576. Ceterum noster distinguendus est a Monaldo Monaldeschi O. Min. dalmata archiepiscopo beneventano († 1331); a b. Monaldo O. Min. Anconitano, qui obiit martyr apud Saracenos 15. Mart. 1314; a Monaldo Monaldi O. Min. Perusino, episcopo melphitano († 1332). Cf. Esser KL. 8², 1767; Schulte II, 414 ss.; Dietterle Die franziskanischen Summae confessorum pag. II.

[1]) Cf. Quetif I, 141—48; Feret II, 495—503.

illud spectantibus formaque ac arte concionandi agit; altera seu l. 2. in duos tr. divisus de modo prompte cudendi sermones pro omni hominum et negotiorum genere disserit: hinc speciminis gratia quovis in tr. centenos sermones seu sermonum formas proponit. Opus sane insigne et utile, quo concionandi munus admodum urget et extollit. Plurimum sollicitus erat de ordinando officio ecclesiastico ritibusque in ordine servandis, de exponendis illustrandisque regulis (hinc prodiit ejus *expositio regulae s. Augustini* (Ulmae 1482) Hagenoviae 1505; Parisiis 1513; Dilingae 1581; Romae 1888 etc., et in bibl. PP. lugd. XXV, 567—653); quae est tractatus vitae religiosae, de formandis ordinis officialibus, de instruendis sodalibus emissis epistolis encyclicis, inter quas eminet ep. *de tribus votis religionis substantialibus,* quae saepius prodiit (ib. 653—665, et cum ipsius sermonibus), Hagenoviae 1508; Venetiis 1603; 1609. *Speculum religiosorum* seu institutionum vitae spiritualis ll. 6 universa, quae ad absolutam religionis formam spectant, exactissime comprehendentes, in bibl. PP. lugd. XXV, 665—754 etc., ipsi aliquoties tributum est potius Peraldi, ut supra p. 303 diximus. A Gregorio X. fuit et ipse consultus de negotiis in concilio lugdunensi tractandis, hinc concinnavit l. *de his quae tractanda videbantur in conc. generali* Lugduni celebrando, cujus specimina aliqua exhibent Martene in sua amplissima collectione VII, 174—98, et Mansi coll. conc. XXIV, 109—132. Quetif ipsi potius quam Gerardo de Fracheto tribuit etiam *chronicon ordinis* ab a. 1203-54, vulgo chronicon Humberti dictum, de quo cf. supra p. 355.

236. Petrus Moronus (de Murrone, sic dictus a loco solitudinis) Iserniae in Apulia 1215 natus, in monte Marcella non procul a Sulmone solitariam vitam egit, et cum homo esset sanctissimae conversationis, a cardinalibus, qui in eligendum pontificem diu convenire non poterant, demum praeter omnium exspectationem 15. Jul. 1294 in papam est electus et Coelestinus V. dictus: sed mox (13. Dec. 1294) prae humilitate se tanto muneri imparem reputans, eo se abdicavit. Decessit 19. Maji 1296 a. aetatis 81 multis miraculis illustris, hinc sanctis fuit adscriptus a Clemente V. a. 1313. Auctor est ordinis ab ipso Coelestinorum dictus, in quo regulam s. Benedicti ad pristinum rigorem revocare nititur aliis quibusdam institutis adjectis. Reliquit plura *opuscula ascetica*, l. de virtutibus; de vitiis et peccatis; de vita hominis ejusque vanitate; de censuris, de sacramentis Ecclesiae, de praeceptis decalogi et Ecclesiae etc. suamque vitam ipse scripsit, quae collecta a Coelestino Telera, praemissa fideli pontificis vita[1]) prodierunt Nea-

[1]) Cf. P. Lelio Marini Lodeggiano ab congr. Coelest. Vita di s. Pietro Celestino, Mediolani 1637; Celidonio Vita di S. P. del Morone, Sulmonae 1896 t. 4 in 16., opus criticum sagacis ingenii et solidum, quamvis forma non omni lectori arridebit. Jacobus cardinalis s. Georgii ad Velum aureum seu Jac. Stephaneschi dictus Gaetani metrice sed implexe, jam descripsit *acta s. Petri Coelestini* pontificis romani, quod carmen exhibet Papebrochius in actis SS. 19. Maj. IV, 437—84, et Muratori Script. rer. it. III, 1, 613—41. Idem pariter metrice descripsit electionem et coronationem Bonifacii VIII. ll. 2, quos ib. reperies. Ceterum de primis biographis hujus pontificis docte pro more disserunt Analecta bollandiana XVI (1897), 365—392 (et iterum XVIII, 35—42), dein p. 392—474 vitam et miracula duorum ejus discipulorum, et p. 475—477 processum verbalem praeparatorium ad ejus canonizationem exhibent. Aliam recensionem vitae et miraculorum s. pontificis ab auctore coaevo conscriptam dederant IX (1890) 147—200, et quaedam additamenta X (1891) 385—392. Occasione vero centenarii VI. prodierunt opuscula XV ad eum spectantia in op. Antenori Celestino V. ed il VI. Centenario della sua incoronazione, Aquila 1894, de quo cf.

poli 1640 in f. et in bibl. maxima pp. lugd. t. XXV. Autobiographia autem ipsius prouti nunc exstat, dubia videtur vel interpolata.

237. Bernardus Aiglerius OSB. ex abbate lerinensi (1256) ab Urbano IV. factus abbas[1]) casinensis a. 1263, inter abbates celebris hujus monasterii insignis fuit, sec. vero XIII. praecipuus. Plures scriptores referunt eum dignitate cardinalitia ab Urbano IV. fuisse honoratum, quae tamen relatio veritate non nititur († 4. Apr. 1282). Reliquit insigne plane *Speculum* de his, ad quae in professione obligatur monachus, et quae sint in regula, quae habeant vim praecepti, quae mandati et quae consilii: quod opusculum ob suam praestantiam magno erat sodalibus usui, hinc saepius editum ut Venetiis 1505; Parisiis 1507; Coloniae 1520; 1616, nostraque aetate iterum recusum Friburgi i. B. 1901. Ejus *expositio* in regulam s. Benedicti prodiit cur. Ans. Caplet Monte Casino 1894. — Conradus de Saxonia (Holzinger) Brunswicensis O. Min. († 1279) composuit pissimum *Speculum b. Mariae V.*, olim s. Bonaventurae tributum. Prodiit modo sub ejus nomine in bibl. franc. asc. medii aevi t. II., Quaracchi 1904. — Wernherus lector ratisbonensis, cujus Pez l. *Soliloquiorum* pium sane et subtilem in bibliotheca asc. IV, 41-87 vulgavit, non videtur esse alius ab illo Wernero O. Min., qui a. 1266 Bavariae custodem egit atque a provinciali Alberto mandatum accepit, ut omnes guardianos et concionatores ad promulgandum sacrum bellum hortaretur. — Hermanni de Minda (Minden) O. Praed. provinciae germanicae praepositi († p. 1294), viri strenui et de disciplina religiosa admodum solliciti *epistolas* aliquot edidit Finke, Ungedruckte Dominikanerbriefe des 13. Jahrh., Paderborn 1891, qui et docte de eodem ib. p. 22—43 disserit. Reliquit quaedam inedita ad jus spectantia canonicum. — De Conrado a Mure (Muri), ludimagistro, dein praecentore ecclesiae tigurinae et scholae Carolinae rectore († 30. Mart. 1281), qui juxta Eisengrein ad a. 1273 erat „vir disertissimus, non minus vita quam eloquentia clarus, veterum lectione dives, ingenio subtilis, theologus profundus, orator eloquens, poëta gravis et ingeniosus", cf G. Morel in Neuem Schweizerischen Museum Basel V (1865), 29—62; Wyss allg. d. Bi. 23, 57; Michael III, 314—318. Reliquit enim scripta a modum erudita in discipulorum utilitatem, omnia uno excepto forma metrica, sed fere inedita. Erat poeta laureatus, artium magister, juris canonici doctor.

Anal. boll. XV (1896) et Lud. Antenori in Bollettino della Società di Storia Patria negli Abruzzi VI, 81—107.

[1]) Cf. Ziegelbauer l. c. § 17; Studien und Mitth. aus dem Benediktinerorden XXI 411—423 (1900).

VIII.

Theologi annorum 1301—1325.

I. Theologia scholastica.

238. Initium ducimus a Joanne Duns Scoto, quo maxime gloriatur ordo seraphicus. De ejus patria certant Anglia, Hibernia et Scotia. Natus probabilius videtur in quadam villula de Emylden vocata Dunstane in comitatu Northumbriae (contracte Duns, hinc forte cognomen), et quia illud situm est in regione Angliae septentrionali, quae etiam Scotia dicebatur, Scotus est dictus: juxta alios vero ortus est in Duns Hiberniae oppido. Aliqui asserunt eum natum esse a. 1274, anno illo, quo exstincta sunt splendidissima theologiae scholasticae lumina, ss. Thomas scil. et Bonaventura: sed praeferenda est sententia, quae ejus ortum assignat a. 1265 vel 1266. Puerulus destinatus dicitur pascendo gregi, sed a duobus fratribus Min., in quos forte incidit, ejus indole et ingenio captis, literis fuit imbutus felicissimo fructu. Horum ordinem ingressus Oxonii studiis vacavit sub Guilelmo Varra (Varrone, Guarrone). Quod si Rog. Baconis discipulus dicitur, id secundum spiritum accipias, cum Baco ejus fuerit praecursor. Warrone Parisios vocato ipse ei in cathedra successit tanto auditorum concursu, ut eorum numerus per exaggerationem feratur ascendisse ad 30.000. Inde Parisios vocatus (forte circa 1301) ex voluntate Gundisalvi ordinis ministri generalis lauream est consecutus (1304). Ibi celebrem habuisse dicitur disputationem cum Dominicanis de b. Mariae V. conceptione. Postea jussus Coloniam proficisci, tanta obedientiae promptitudine profectus est, ut insalutatis amicis et sodalibus abierit inculcans „Pater Generalis Coloniam ire jubet, non in conventum redire ad salutandos fratres.“ Verum mox ibidem decessit 8. Nov. 1308 in aetatis flore vix a. natus 43, virtutibus ita illustris, ut a sodalibus venerabilis vel beatus salutetur. Pauca de ejus vita scimus, quae pluribus legendis temporis lapsu fuit exornata, sed ipse magnam nominis famam adeptus est ob ingenii subtilitatem, hinc communi suffragio Doctor *subtilis* salutatur; ab aliis dicitur „lima veritatis, cos ingeniorum, philosophorum phoenix, subtilitatis miraculum, arcanorum Apollo, et, inepte quidem, inter philosophos

quidam deus«: quia vero viam stravit tuendae immaculatae Deiparae conceptioni „doctor marianus«[1]).

239. Mirum prorsus est, eum annis tam paucis opera tot potuisse componere. Opera enim ejus edita, quibus tamen plerumque deest ultima manus, complent t. XII praegrandes in f., praeter quae sunt plura inedita. Prodierunt cura Lucae Waddingi Lugduni 1639 praemissis Scoti vita[2]) et elogiis: editio bona, dum editiones partiales sunt valde mendosae et imperfectae, etsi et in illa desideretur maior accuratio critica. T. 1. continentur *Grammatica speculativa*[3]), a quibusdam falso tributa Alberto de Saxonia O. S. Aug. (Venetiis 1499; 1519; Parisiis 1605 in *Gymnasio speculativo* Aug. Gothutii); in universam logicam *quaestiones uberrimae*, cum Mauritii a Portu archiepiscopi tuamensis († 1513) expositione super quaestiones Scoti in Porphyrium; eam emendatam notisque illustratam edidit Const. Sarnanus (Nomencl. I², 49) Venetiis 1583; 1586; 1590; 1610; emendatiorem 1619; in *Isagogen Porphyrii* (primum a Mauritio ed. 1504, dein adhuc sexies). — T. 2. habes *commentaria* in ll. Elenchorum et in ll. 8 Physicorum Aristotelis (1—3) cum annotationibus Francisci a Pitigianis (ib. I², 137), quae tamen judice Waddingo non sunt Scoti, sed potius Marsilii Inghen (vel alterius Joannis Scoti, qui a. 1309 Parisiis magister artium floruit): commentaria enim Scoti genuina nondum comparuerunt. Quaestiones in ll. *de anima* imperfectas cum scholiis et supplemento Hug. Cavelli (ib. I, 252), cujus cura jam prodierant Venetiis 1625; et iterum 1641. — T. 3. continentur commentaria in reliquos ll. Physicorum et tr. *de rerum principio* (illuminans quidem intellectum, sed magis affectus accendens) cum Waddingi notis et scholiis; tr. *de primo principio* et tr. XXIII theorematum cum scholiis et adnotationibus Cavelli et Mauritii (Venetiis 1490, et Cavelli cura 1615); *collationes XXXV physico-theologicae* subtilissimae cum scholiis Cavelli et IV noviter additae cum Waddingi scholiis; prodierant jam Papiae 1517 et passim cum aliis Scoti operibus, ut cum ejus quodlibetis; tr. (imperfectus) *de cognitione Dei* et quaestiones (pariter imperfectae) *de formalitatibus* ex ed. veneta 1514 et parisiensi 1584 cum notis Waddingi; *quaestiones miscellaneae*, inter quas est una *de indulgentiis*, quae judice N. Paulus[1]) non videtur esse Scoti. *Meteorologicorum ll. 4* cum Waddingi notis et scholiis, opus saltem dubium. — T. 4. complectitur expositionem *in metaphysicam Aristotelis* (Parisiis 1520, et jam antea Venetiis 1501), quae tamen juxta quosdam est interpolata et retractata ab ejusdem discipulo Antonio Andrea, ita tamen ut operis genuinitas nequeat in dubium vocari; *conclusiones* utilissimas metaphysicas et *quaestiones* subtilissimas in ll. 12 metaphysicae[2]) cum annotationibus et scholiis Mauritii a Portu et Cavelli, quae studio Mauritii jam prodierant Venetiis 1497 in f.; 1499; 1505; et Cavelli 1625, sed tantum in ll. 9 etc. — T. 5—10 continetur magnum et praecipuum ejusdem *Scriptum oxoniense* (seu anglicum) i. e. commen-

[1]) Cf. conferentiam auctore Jos. a Cop. M. Milošević L'immacolata Concezione di Maria difesa dal v. Giov. Duns Scoto, Padova 1897.

[2]) Vita prolixior reperitur apud Ferchi Coloniae 1622; in Legendario Francescano auctore Ben. Mazzara, Venetiis 1722 t. XI aliosque.

[3]) Cf. Werner Die Sprachlogik des Duns Sc., Wien 1877.

[1]) Cf. Zeitschr. f. k. Theol. XXV (1901) 738—745.

[2]) Etiam hae quaestiones dicuntur interpolatae ab A. Andrea, et desunt qq. l. XI. De Scoti philosophia cf. Pluzanski Essai sur la Philosophie de Duns Scot, Parisiis 1887; Willmann Gesch. des Idealismus II § 78.

taria in 4 ll. sententiarum cum commentariis Fr. Lycheti, supplemento prolixo Jo. Poncii (I^2, 360), scholiis et notis Cavelli in 4. l. cum commentariis Ant. Hiquaei (I^2, 397). Prodierat hoc opus Venetiis 1472—78 in f. studio Ant. Trombettae (sed ut videtur tantum in 3 priores ll.); studio Gratiani Brixiani, ib. 1490 t. 3 in f.; castigatius cura Philippi Balneocaballensis (postea ordinis ministri generalis † 1511) cum margineis notis, ib. 1497; 1503; cura Mauritii de Portu ib. 1506; 1515 t. 4 in 8 cura Ant. de Fantis addito *Mari magno scotico* seu tabula (octupla) generali, quae ordinatum doctrinae Scoti prospectum exhibet; castigatius auctiusque collationibus nunquam antea impressis studio Jo. Glarolae, ib. 1517 et Lugduni 1520; Venetiis 1580 cum quodlibetis et collationibus, necnon Melchioris Flavii (I^2, 3) resolutionibus opera Salvatoris Bartolucii; cura Paulini Berti O. S. Aug. ib. 1617 t. 5 in 8; et post omnes cura H. Cavelli praemissa Scoti vita et apologia contra Bzovium notisque (utilibus) illustratum Antverpiae 1620. Cum Scotus pertigisset in sua explicatione tantum ad dist. 49 a. 11, reliqua ab editore suppleta fuere ex *Reportatis*. — Illud in faciliorem methodum redegit Damianus Giner Valentiae 1598, longe melius et plenius Hieronymus a Montefortino (II^2, 957); ordine alphabetico Car. Franciscus a Varesio (II^2, 652). — T. XI. habes ejus *opus parisiense* i. e. *reportatorum* parisiensium ll. 4 (cum scholiis et notis Waddingi et Cavelli) prioris operis oxoniensis epitomen, in qua omissis prolixis quaestionibus philosophicis[1]) quaestiones theologicas easdem clarius et concisius tractat, unde ab haud paucis illi praefertur. Post illustratum l. 1. statim l. 4 explicare aggressus est, dein 2. et 3., sed in hoc exponendo pervenit tantum ad dist. 18. Reliqua suppleta fuere ex opere majori oxoniensi, sed judice Waddingo minus feliciter: quatuor ultimae distinctiones ad verbum ex illo sunt translatae. — T. XII. continentur *quaestiones quodlibetales* (21, quae respondent quaestionibus disputatis s. Thomae) cum commentariis Lycheti et notis Cavelli et conciliationibus 243 contradictionum, quae in Scoti operibus apparere videntur, studio Guid. Bartolucci elaboratis. Prodierant jam antea (mendose) Venetiis 1474; 1477; 1481; emendatius cur. Ant. de Fantis 1510; Parisiis 1519 etc., et cum aliis ejusdem operibus Antverpiae 1620; Coloniae 1635 cura Cavelli notis et conciliatione locorum illustratae. Ejus commentaria et postillae in varios ll. s. Scripturae aliaque quaedam opera manserunt inedita: juxta Wadding Lectura in Genesin; commentarii in evangelia, in epistolas Pauli; sermones de tempore, de sanctis. Nova operum omnium (etiam quorundam ineditorum) editio coepit prodire Parisiis 1891—1895 in t. 26 in 4 distributa, sed necessario apparatu critico et literario destituta. In hujus ed. t. XXVI reperitur opusculum antea ineditum *de perfectione statuum*.

240. Negari nequit Scotum sagacissimi fuisse ingenii, quod omnes fatentur, et admodum critici: hinc factum est ut praecipuorum theologorum doctrinam crisi subjiceret. In primis doctrinam fere universam s. Thomae, etiam Henrici gandavensis, s. Anselmi, Richardi a s. Victore, Aristotelis, a cujus auctoritate se satis emancipat, censurae subjicit et ab ea plus minusve recedit, sed absque studio et ira, tranquille et solius veritatis inquirendae vel deter-

[1]) Hinc Jo. Mayer, qui illud primum edidit Parisiis 1517—18, in praef. notat: „Oxoniensi lecturae (scil. magno operi) longe anteferendum censui. Dum Oxonii scriberet, baccalaureus dumtaxat erat: dum vero Parisii legeret, professor, et multa topice et interdum tumultuarie in sua oxoniensi lectura resolvit."

minandae ratione habita[1]): adversarium, praesertim s. Thomam, vix unquam nominat, unde certo solidum et accuratum theologiae studium haud parum promovit et dilatavit, novamque scholam in suo sodalitio fundavit[1]), quae a veteri Alexandri halensis et s. Bonaventurae satis differt, tantamque adeptus est nominis auctoritatem, ut s. congregatio Pauli V. jussu declaraverit, immunem esse a censuris doctrinam Scoti edixeritque, ne quis librorum censor prohibere typis auderet, quod certo constaret ex Scoto depromp-

[1]) Cf. Döllinger KL. IX[1], 881: Ueberhaupt hat kein Scholastiker mit größerer Kühnheit und Geistesfreiheit dem Zweifel nach allen Seiten hin Raum gegeben, als Scotus es gethan; aber es geschieht dies bei ihm mit jenem Bewußtsein geistiger Überlegenheit und Zuversicht, welche den Zweifel nicht fürchtet, weil sie seiner speculativen Überwindung gewiß ist. Mitunter hat er auch nur durch die Anstrengung, mit der er noch alle nur denkbaren Gründe zu Gunsten des Gegners aufzufinden sich bemüht, den Schein des Skepticismus auf sich geladen. Et antea de eo scripserat: Daß in diesem Manne Feinheit des Geistes, kalte Schärfe der Abstraction mit Innigkeit des Glaubens, mit tiefer Frömmigkeit und Andacht auf wunderbare Weise verbunden gewesen, davon überzeugt eine vertrautere Beschäftigung mit seinen Schriften, wiewohl er zu den objectivsten Theologen gehört, die je gelebt haben, und seine Persönlichkeit nur äußerst selten in kleinen individuell gefärbten Zügen durch die strenge Haltung seiner Werke durchschimmert; vergeblich späht der Leser nach dem wirklichen Menschen von Fleisch und Blut; wo er auch den Blick in diesen Folianten hinwende, immer begegnet ihm nur der ernste Mann der Wissenschaft, der, nicht rechts, nicht links blickend, mit geschlossenem Visier und in der ehernen Rüstung einer unerbittlichen Dialektik und eines künstlichen Formalismus sein Ziel verfolgt. Cf. etiam KL[2] X, 2127 ss.; Kleutgen Theol. der Vorz. t. 4 n. 14; sed prae primis Werner Joh. Duns Scotus, Viennae 1881; et jam antea in op. der h. Thomas v. A. Regensburg 1859. III, 4 scribit: Duns Scotus nahm es auf sich, den zwischen beiden Orden bestehenden Gegensatz der Lehransichten nach allen Seiten und Richtungen zu verfolgen mit einem allen späteren folgenden Scholastikern unerreichbaren Aufwande von Geisteskraft und Scharfsinn, ohne jedoch seine Gedanken zu einem selbständigen, systematisch durchgebildeten Ganzen abzurunden, wie durch Thomas in unvergleichlicher Weise geschehen. Cf. etiam Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1880. 18, 296 s., qui notat, nostra aetate subinde exaggerari Scoti naevos; Stöckl Gesch. der Phil. des M. A.; J. Müller Biographisches über D. Scotus. Köln 1881; Rinz, Zeitschr. für k. Theol. 1893 p. 607 ss.; R. Seeberg Die Theol. des D. Scotus, Leipzig 1900, et Realenc. V[3], 62—75, qui de eo censet: Seine glänzende Dialektik, sein nie versagender Scharfsinn, der Ernst seiner wissenschaftlichen Kritik, die Sorgfalt seiner Beweisführung sind für die Späteren ein nur selten erreichtes Vorbild geworden etc.

[1]) Cf. Scheeben Handb. der kath. Dogm. l. 1 n. 1062: Die Differenz zwischen Thomas und Scotus läßt sich im Allgemeinen darin zusammenfassen, daß die Auffassung des h. Thomas eine streng organische ist, d. h. bei aller Feinheit der Distinktion doch die unterschiedenen Momente nicht auseinander reißt, sondern sie in ihrer natürlichen lebendigen Verbindung läßt, während Skotus mit dem Secirmesser seiner Distinktion ihre organische Verbindung lockert ohne jedoch, wie die Nominalisten die Verbindung und damit das Leben in den gelösten Theilen zu zerstören. Mit anderen Worten: Für Thomas ist die Welt ein vollkommener animalischer Organismus, worin alle Theile aufs engste durch die Seele zusammengehalten und in Wechselbeziehung gesetzt werden; für Skotus ein Organismus nach Art der Pflanze ... worin die Theile, von der Wurzel sich abzweigend auseinandergehen; bei den Nominalisten endlich ein Haufe pulverisirter Atome, die nur äußerlich und arbiträr in Verbindung gesetzt werden. Revocat autem discrimina inter s. Thomam et Scotum ad 7 capita, scil. circa Deum, gratiam, peccatum, Christologiam, sacramenta, naturam moralitatis et eschatologiam. Nisi sunt plures docti theologi dissensiones minuere et pro viribus ad harmoniam revocare summos hos theologos, inter quos eminent Const. Sarnanus (I[2], 49), Joan. de Rada (I, 148), Franciscus Macedo (minus bene II, 356), Marcus a Bauduino O. Cap. (II, 33), Matthaeus Hauzeur (II, 81) etc.

tum esse. Innumeros habuit commentatores et discipulos, qui ejus sectantur vestigia, ut liquebit ex ipso hoc Nomenclatore. Notandum tamen est, eum stilo uti minus amoeno ac nitido s. Thoma, ejusque operibus deesse limam, cum ob vitae brevitatem ea non potuerit magis accurare et retractare. Hinc forte etiam factum, quod tam saepe sibi non satis cohaerere videatur. Quam ob rem plures nisi sunt eum sibi conciliare. Ita Petr. Virgilius Cassianus O. Min. Conv. publicavit *apparentes* in universam philosophiam Scoti *contradictiones,* Perusii 1649; et Paduanus Grassus Barlettanus *Enchiridion scholasticum* contradictionum quodlibetalium, Venetiis 1544; Jacobus Pierius notavit contradictiones in 1. et 2. l. sententiarum, Florentiae 1621; Jacobus Bargius (Malafossa I, 2) in 1. sent. 131 quae videntur contradictiones declaravit jurisque publici fecit in suo commentario Patavii 1560, praeter illas Guidonis Bartolucci, quae exstant in ed. operum omnium, ut supra diximus[1]). Neque statim ab initio habitus est in suo ordine pro duce et magistro communi, fatente ipso Waddingo († 1657), qui hac de re in suis annal. VI, 138 (ed. 2. Romae 1733) scribit: „Ab uno et altero seculo in disciplina scholastica ab universis Minoritis habetur pro antesignano et communi magistro et in aliquot conciliis generalibus[2]) statutum est, ut lectores omnes et magistri tam in cursu philosophico quam in theologico ejus sententiam sequerentur . . . Quo vero tempore ita primum statuerint ordinis lectores non omnino constat.“ Exinde vero plures nisi sunt ejus doctrinam ad summam quandam revocare et in systema redigere, ut Albergonius, Frassenius, Hieronymus a Montefortino et quamplurimi alii, ut ex infra dicendis patebit.

241. Contra Scotum pro s. Thoma stetit Thomas de Jorz (Jorsius, Jossius, corrupte Joyce), a patria plerumque omisso agnomine simpliciter Anglus vel Anglicus nuncupatus, discipulus forte s. Thomae et Alberti M., pietate, eruditione rerumque agendarum peritia insignis, cujus quinque fratres[1]) eundem ingressi sunt ordinem. Magister theologiae erat Oxonii, annis septem praefuit provinciae anglicae, a Clemente V. creatus est cardinalis 15. Dec. 1305. Missus a pontifice legatus ad Henricum VII. Germaniae regem in itinere Gratianopoli decessit 13. Dec. 1310. Ipse quoque constitutus fuerat a Clemente, qui (cum aliis) quaestionem de paupertate Minorum discuteret atque dirimeret. Scripsit *commentaria super 4 ll. sententiarum,* cujus tantum pars, scil. in 1. l., prodiit inscripta Rev. et lucidissimi doctoris . . . *l. propugnatorius* super 1. sententiarum contra Jo. Scotum O. Min., Venetiis 1523. Hoc in op. primo ponit textum sententiarum, tum quaestiones Scoti super quaque distinctione: denique singulas impugnat, ubi Scotus a s. Thoma discedit. Plura alia reliquit inedita, ut quodlibeta etc.; alia quae ei tribuuntur, videntur esse Thomae Wallensis (de quo infra), ut *commentarius super psalmos,* qui prodiit Venetiis 1611; et *commentarius in ll. s. Augustini de civitate* Dei, Tolosae 1488; Venetiis 1489.

---

[1]) Cf. Sbaralea p. 408—15.

[2]) Id est comitiis seu capitulis generalibus. Ita Vallisoleti 1593. Cf. Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1880. XVIII, 293.

[1]) Ex his Gualterus postquam in ordine miro virtutum odore fulsit, promotus est ad sedem primatialem armacanam in Hibernia a. 1306, cui tamen resignavit a. 1311. In ejus locum suffectus est a Clemente V. alter ejus frater Rolandus, qui et ipse resignavit a. 1321. Porro Gualterus plura reliquit inedita, inter quae *Summam theologiae* ll. 4 distincta. Cf. de nostro Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irland 1, 476.

242. Sed et Scotus mox apologetas reperit. Praetermissis Hieronymo de Atharia O. SS. Trin. hiberno, claro ejusdem discipulo et oxoniensi doctore atque professore (fl. c. 1323), qui composuit defensorium doctrinae Scoti in 4. l. sententiarum ll. 2 etc., et Hugone de Castro novo in Anglia O. Min., qui dictus est „doctor scholasticus“ et cui tribuuntur commentarius et reportata in 4 ll. sententiarum, et cujus l. *de victoria Christi* contra antichristum prodiit 1471 (sine loco impressionis): inter Scoti discipulos et patronos hac periodo eminet Petrus Aureoli (Aurioli, d'Auriol, Oriol, Aureolus) O. Min., de quo alii alia, saepe mira et incerta, etiam contraria referunt, ut vere difficile sit, accuratam exhibere de ipso notitiam[1]). Jam de loco nativitatis certant, qui aliis est Verberie (Vermerie) ad Aelium (Oise) fluvium[2]), aliis verosimilius Tolosa. Natus dicitur a. 1280. Ordinem fratrum Minorum ingressus est, Parisiis studiis operam dedit, ibidem et Tolosae theologiae professorem egit: qua in urbe a. 1314 in publica disputatione immaculatam Virginis conceptionem defendit[3]). Inde iterum transiit Parisios ad lecturam sententiarum factusque est urgente Joanne XXII. magno cum ejusdem encomio literis ad universitatis cancellarium datis magister theologiae. Anno 1319 electus est in provinciae praepositum, et nondum biennio elapso promotus est a Joanne XXII. (27. Febr. 1321) ad archiepiscopatum aquensem, sed vix elapso anno obiit, secundum martyrologium franciscanum Arturi de Monasterio (I, 471) 27. Apr., secundum alios, inter quos et Denifle, probabilius 10. Jan. Juxta quosdam tamen non obiit ante a. 1330, imo non ante a. 1345. Insignis erat concionator, unde titulo *doctoris facundi* honoratur, sed praeprimis ob sua opera posteritati innotuit. Ea nunquam collecta prodierunt: potiora vero sunt: *Commentarii in 4 ll. sententiarum,* Romae 1596—1605 t. 2 in f.; t. 1. cura card. Constantii Sarnani, qui plurimum meruit de hac editione opportunis glossis et summariis et accuratione circa textum: a quo multum distat pretio editio t. 2., qui post ejus mortem prodiit; admodum enim corruptus est ejus textus. Occasione hujus op. scribit s. Antoninus[1]): „Celebris quoque opinionis fuit Petrus Aurelius (loco Aureoli, forte mendum amanuensis vel typographi) scripta relinquens super l. sententiarum, in quo, quia manus ejus contra omnes, vertens in dubium firmata per alios et in quaestionem vertens, manus omnium contra eum (quae dicta leguntur de Ismaele Gen. 16, 12).“ Huic editioni adjecta sunt *quodlibeta sedecim,* in quibus expendit communia et propria de Deo, disputat de anima intellectiva et beata deque habitibus. *Breviarium bibliorum* seu compendium s. Scripturae vel compendium literalis sensus totius divinae Scripturae, etiam de divisione s. Scripturae, vel commentaria compendiosa in universam s. Scripturam, specimen introductionis in ll. V. et N. T., in quo

[1]) Cf. Stanonik Katholik 1882. I, 315—28; 415—27; 479-501; qui accuratissime opiniones omnes incertas, dubias, falsas excutit; Feret III, 351—56, qui censet eum produxisse vitam ultra a. 1345; ita et Dutems Le clergé de France ou tableau historique et chronologique des archevêques, évêques, abbés et abbesses du royaume, Paris 1774. Seeboeck initio op. a se editi (cf. infra).

[2]) Haec opinio forte inde est orta, quia confusus fuit cum alio Petro de Verberia ordinis Vallis scholarium (Val des Ecoliers), doctore parisiensi et Petro nostro aequali. Oudin III, 847 fuse probare nititur Petrum Aureolum neque fuisse O. Min., neque archiepiscopum aquensem, sed revera eundem cum Petro ord. Vallis scholarium.

[3]) Rem gestam ex antiquo codice refert Petrus de Alva in suis monumentis seraph. immac. concept. pag. 79.

[1]) Chronicon tit. 24 c. 8 § 2. Cf. de Aureoli doctrina Werner der h. Thomas t. III. passim, praesertim p. 180—244.

de eorundem argumento, divisione, momento disserit. Magno in usu olim erat hoc opus, hinc plurimi exstant ejus codices, multaeque editiones, ut Venetiis 1507; Parisiis 1508; 1565, 1585 cum conspectu analytico singulorum capitum cura Stephani Novelletii in tabellis exhibito, qui dein transiit in posteriores; ed. 1610; 1613 in 8; Venetiis 1507; 1571; Lovanii 1647 etc.; recentissime (1896) Quaracchi cura Ph. Seeboeck: l. cui deest quidem ars critica, quae nunc viget, tamen et nostra aetate ad s. literas bene exponendas fructusque permultos capessendos utilis. *De conceptione Mariae V.; Repercussorium* editum contra adversarium innocentiae Matris Dei; *declaratio* sententiae b. Bernardi de conceptione b. M. V., quae tria opuscula ed. fuere a. 1489 in Germania, et iterum a Petro de Alva inter monumenta seraphica p. 15—68 et 76—79; quibus adde *sermones* de immaculata conceptione b. Mariae V., Tolosae 1514, in quibus quatuor op. doctrinam tuetur catholicam. Ejus tr. *de paupertate* sive de usu paupere rerum exstat ut 3. p. in *firmamento trium ord. s. Francisci,* Venetiis 1513. Inedita manserunt Postilla super Isaiam prophetam, in Job aliaque quaedam minoris momenti. Ceterum non ita assectatur Scoti vestigia, ut non etiam ab ipso recedat, eum carpat, et ultra eum progrediens minuta sua subtilitate nominalismo, quem dein Guilelmus Occam aperte professus est, viam pararit, hinc a Werner dicitur Occami praecursor. Ejus exceptiones contra s. Thomae doctrinam saepe ac diligenter refutavit Capreolus in suo egregio commentario in ll. sententiarum.

243. Alius Scoti admirator et sectator fuit Antonius Andreas O. Min. Hispanus, Aragonius, *doctor dulcifluus* a suis et non suis nuncupatus, qui ita illius pressit vestigia, ut hodie usque, ait Fr. Bonav. Baro[1]), lis pendeat „quis cujusdam operis auctor sit, Antonius an Scotus.“ Scripsit *in 4 ll. sententiarum*, opus valde doctum, et obscuritates Scoti mire illustrans, quod cum diu latuisset, Const. Sarnanus e tenebris eruit illudque expurgavit, expolivit et annotationibus illustravit, Venetiis 1572. 1578, atque de eo testatur: „Tanta claritatis et facilitatis laude . . . omnia pertractavit, ut dubio procul clarissimam facem Scoti prae subtilitate obscurissimis scriptis adhibuerit, ut horum librorum adminiculo nemo jam possit dubitare, quin nullo negotio difficillimum doctorem facillimum habet.“ Ipsius quoque est judice Sbaralea *Compendiosum principium* in ll. sententiarum s. Bonaventurae olim tributum, Argentorati 1495; Venetiis 1504, et inter opuscula s. doctoris 1584; qq. *in 12 ll. metaphysicorum* Aristotelis, Vicentiae 1477; Parisiis 1495; Venetiis 1481. 1482. 1487, quae duae editiones recognitae, castigatae et vulgatae fuere a Guilelmo de Subereto in Etruria, electo in ministrum generalem tempore schismatis a Gregorio XII; 1491; 1495; emendatius per Angelum Lucidum O. Conv. 1514, qui insuper textum Aristotelis, tabulas alphabeticas notasque margineas adjecit, iterumque eodem a. a Franc. Valentiano O. Min.; *expositio* in 12 ll. metaphysicorum (quae a quaestionibus distinguitur), Venetiis 1482; 1497 per Mauritium Hybernicum erronee sub nomine Scoti, 1501: 1513; 1514; et in alios ll. logicales Venetiis 1480; 1509; 1517; tr. *formalitatum* ad mentem Scoti, Patavii 1475 cura Thomae Penket O. S. Aug.; Vicentiae 1477, qui olim prodiit sub nomine Boneti: prodiit autem cum tr. *de tribus principiis rerum naturalium* materia, forma et privatione, atque composito, quem correxit Petrus a Malfeta O. Conv. vulgavitque Ferrariae 1490; qq. *de sex prin-*

[1]) Opusc. t. 1 p. 13 § unico. Cf. de Bonav. Barone Nomencl. II², 368; de auctore nostro praeter Sbaralea Nic. Antonius Bibl. h. v. l. IX c. 4 n. 188 ss.

cipiis Gilberti Porretani (cum qq. Scoti), Venetiis 1512; 1517. Haec potissima hujus auctoris laus, mira ejus claritas cum scotica subtilitate conjuncta, ita ut videatur clarissimam facem adhibuisse Scoti scriptis prae nimia subtilitate vix non tenebricosis. Scotus ipsi visus est ille philosophus, qui inter multos frustra veritatem inquirentes eam demum reperit. Decessisse dicitur a. 1320.

244. Ex ordine s. Francisci inclaruit praeterea Richardus de Mediavilla (Middleton) Anglus, qui Oxoniae et Parisiis philosophiae, juris prudentiae et theologiae scholasticae operam dedit: postea doctor oxoniensis creatus inter parisienses doctores tanta fama docuit, ut adeptus sit nomen *doctoris solidi,* vel etiam „copiosissimi, fundatissimi", imo et „Auctoritatis." Inter censores doctrinae suspectae Petri Jo. Olivi cum aliis sedit, et Coloniae in circuitu tumuli Jo. Scoti cum aliis 14 sui ordinis praecipuis doctoribus nomen eius insculptum sic erat „Magister Richardus a Mediavilla." Obiit circa a. 1307/8, secundum alios 1300. Scripsit *quaestiones* seu commentaria in 4 ll. sententiarum, Venetiis 1507-9 t. 4 inf., quibus addita sunt ejus *quodlibeta* qq. 80 complectentia (seorsim Parisiis 1510; 1519; 1529 etc.); 1589; Brixiae 1591 (m. 80; imo m. 250), opus valde clarum et solidum[1]); in 4 l. sententiarum, ter sec. XV, et Parisiis 1504; 1512 etc. editum. Alia manserunt inedita, ut sunt commentaria in epistolas s. Pauli ll. 14, in Evangelia ll. 4, quaestiones saltem 45, ex quibus tamen 9. Utrum angelus vel homo naturaliter intelligat verum creatum in veritate aeterna, prodiit in op. *de humanae cognitionis ratione,* Quaracchi 1883 etc. Accensetur primariis sui ordinis luminaribus tamquam quartum Alexandro scil. hal., Bonaventurae et Scoto.

245. Plures praeterea illustrarunt magistrum sententiarum, quorum labores typis non sunt traditi. Ex ordine seraphico huc referri possunt: Joannes Guyon Gallus, qui sub initio sec. XIV. floruit. De ss. Trinitate minus recte disseruit, hinc coactus est aliquot opiniones (5) male sonantes revocare[1]). — Aegidius Luniacus (Lemniacensis, de Legnaco, Legnagno, oppido ditionis veronensis), qui Parisiis una cum Scoto legit (c. a. 1304). — Gualterus (Gautier, Walterus) Brugensis, cathedraticus parisiensis, turonensis provinciae praepositus, invitus a Nicolao III. pontifice episcopus pictaviensis designatus (1279—1305), sed a Clemente V. exauctoratus, a quo ad concilium provocavit († 21. Jan. 1307), plurima praeter commentaria in ll. sententiarum reliquit, ut quodlibeta, quaestiones disputatas etc. — Radulphus Lokeslejus oxoniensis doctor et professor, qui ex cathedra Lombardi sententias exposuit (fl. c. 1310). — Alexander ab Alexandria prae primis nominandus, etiam Lombardus vel Minor dictus, ordinis apologeta adversus Spirituales,

[1]) Scheeben l. c. n. 1053: Nächst dem h. Thomas ist bei ihm die Darstellung wohl die ruhigste und durchsichtigste, wie er auch in der Lehre und Anschauungsweise dem h. Thomas näher steht als die übrigen Franziskanertheologen. Cf. Jeiler KL. X, 1180 s.; Feret II, 379—84 Commentarium in 4. l., qui jam prodierat c. 1475 (m. 28), cum Fr. Gregorio supplevit et emisit 1489 sodalis Dionysius Paleottus Bononiensis, qui etiam elaboravit *vitam b. Catharinae Bononiensis,* quae italice primum prodiit Bononiae 1511 absque auctoris nomine, eamque postea supplevit Christophorus Mansueti a Monte claro, ib. 1595; 1599; 1611; latinam fecit Antonius Flaminius ib. 1521. Franciscus Gregorius O. Conv. *Logicam* Jo. de Magistris scotistae emendavit et Venetiis vulgari curavit Venetiis 1487. et *Quodlibeta* R. Mediavillae ib. 1509.

[1]) Cf. eas apud Denifle Chartul. univ. paris. II. 1, 622 n, 1158.

qui electus est in ministrum generalem ordinis 1313, sed jam anno sequenti decessit. Plura composuit opera; praeter commentaria in ll. sententiarum Summam quaestionum s. Bonaventurae in 4 ll. sententiarum, quaestiones quodlibeticas, tr. de usuris, de restitutionibus, postillas etc. Prodierunt tantum commentaria in ll. Aristotelis *de anima*, Venetiis 1502; in *metaphysicam* Aristotelis Venetiis 1572, sed sub nomine Alexandri Hal. In eam ita subtiliter et notabiliter scripsisse dicitur, ut excelluerit supra alios doctores[1]). — Joannes de Erfordia, de Saxonia, Alemannus etiam dictus, qui plura reliquit opera mscr. Redegit commentarium s. Bonaventurae in mag. sententiarum in compendium, praeterea compilavit tabulam originalium; glossarium seu vocabularium latinarum vocum, quae in bibliis habentur; tabulam juris canonici et civilis, opus copiosum, diligens, utile; Summam confessorum de septem ll. decretalium seu casuum[2]). — Franciscus de Bonafortuna s. theologiae doctor, forsan parisiensis et discipulus Scoti. — Jacobus Asculanus provinciae superioris Germaniae minister (1310), reliquit praeterea quodlibeta plurima valde profunda, tabulam seu indicem completum super doctrinam Jo. Scoti. Falso autem a pluribus dicitur c. 1464 vixisse. — Jacobus Trisanto, a nonnullis beatus dictus, epitomen 4 ll. sententiarum ex variis auctoribus excerpsit intra 1308—23.

246. Theologus[3]) plane singularis fuit Raymundus Lullus tertii ord. s. Franc. Majoricensis, non aequalis opinionis apud omnes. Natus est nobili et opulenta familia Palmae in insula majoricensi c. a. 1232, juxta alios 1234 vel 1236. Matrimonio junctus usque ad a. aetatis 30 in aula regis Aragoniae omnibus seculi vitiis et vanitatibus deditus vitam transegit, donec visione Christi crucifixi, vel ut alii dicunt, personae cancro foedissime infectae, quam perdite amaverat, territus resipuit seque Dei obsequio consecrare statuit (1266). Coepit a grammatica latina et a studio linguae arabicae, ut se idoneum redderet Mohammedanorum conversioni, quae jam tunc ipsi ob mentem versabatur: hinc sibi servum comparavit mohammedanum. Cum vero eum aliquando ob blasphemias in Christum prolatas reprehendisset, gravi ab eo vulnere fuit percussus. Post studiorum decennium prolixasque preces in loco solitario effusas infidelium conversioni se accinxit. Hunc in finem excogitavit suam famosam artem universalem scientiarum, vi cujus posset infideles via demonstrationis rationalis ad fidem adducere. Ad efformandos missionarios aptos persuasit Jacobo Aragoniae regi, ut fundaret Majoricae monasterium pro tredecim fratribus O. Min. Interim ipse alios atque alios componebat libros secundum theorias a se conceptas illius artis magnae, eamque docere, propagare aliisque patefacere satagebat Montepesulis, Parisiis, Genuae. Romam profectus est (1287) ad Honorium IV., ut summus pontifex sua consilia promoveret suamque approbaret artem, sed nullo successu. Ut ergo factis probaret efficaciam hujus artis, Tunisiam solvit (1291) ibique coepit disputare cum Mohammedanis, sed vitae periculum incurrit et demum a rege vi fuit expulsus. Rediit in Italiam, plures regiones et urbes peragravit, ut suam doceret artem erroresque impugnaret philosophiae arabicae. Dein in Orientem abiit, cum Nestorianis et Jacobitis disputavit non sine vitae discrimine. Africam iterum adiit haud feliciori fructu. In carcerem conjectus a mercatoribus genu-

[1]) Cf. Feret III, 365—67.

[2]) Utriusque operis descriptionem exhibet Schulte II, 385—91.

[3]) Den sonderbaren Wissenschaftskünstler R. L. . . . kann man natürlich nicht unter die klassischen Theologen rechnen. Scheeben l. 1 n. 1053 annot.

ensibus captivitate solvitur, magnoque zelo et indefesso conatu ubique locorum Christianos ad sacrum bellum movere studet, sed frustra. Denique Pisis a. 1314 tertium ordinem s. Francisci ingreditur venerandus senex (juxta alios jam diu antea), et martyrii desiderio accensus tertia vice in Africam navigat, sed pessime exceptus calamitates graves incidit et lapidibus obrutus a mercatoribus genuensibus eripitur, sed in navi ex vulneribus, quae sustinuerat, succubuit 30. Jun. 1315 a. aetatis 80. Ipse ita suam vitam paucis describit[1]): »Homo fui in matrimonio copulatus, prolem habui, competenter dives, lascivus et mundanus. Omnia ut Dei honorem et bonum publicum possem procurare et sanctam fidem exaltare, libenter dimisi. Arabicum didici, pluries ad praedicandum Saracenis exivi, propter fidem captus fui, incarceratus, verberatus: 45 annis ut Ecclesiae rectores ad bonum publicum et christianos principes movere possem, laboravi. Nunc senex jam, nunc pauper sum, in eodem proposito sum, in eodem usque ad mortem mansurus, si Dominus ipse dabit«. Corpus ejus Majoricam delatum fuit, ipse vero ab immemorabili magno colitur in balearibus insulis honore ut beatus, martyr, doctor, patronus, qui cultus diu ab Ecclesia non fuit approbatus. Pius IX. tamen permisit pro insula mallorcensi officium in honorem b. Raymundi et ordini fratrum Min. annuum festum ejusdem.

247. Varium est judicium eruditorum de eo. Dum alii summis laudibus eum extollunt, ingenium mirantur, artem depraedicant: alii eum vehementer deprimunt et in plerisque indigne traducunt, imo et haereticis accensent. Assentimur Waddingo, qui de eo ita judicat[2]): »Illud quidem in homine maxime fuit commendabile, quod summo ardore et incredibili labore infidelium curavit conversionem. Illud etiam admirabile, quomodo in perpetuis itineribus aerumnosisque discursibus tot libros scripserit, tam varia argumenta tractaverit, ita ut incredibile ferme videatur, virum incertae sedis, perpetuo peregrinantem, nullius adjutorio, codicum inopia laborantem tot sui ingenii monumenta posteris reliquisse ... Et quidem si qua labes in scripta irrepserat, si qua macula sunt conspersa[1]), illam abunde suo cruore diluit, et si quid atramento peccavit, sanguine pro Christi fide sparso generose correxit«. Innumera scripsit opera et opuscula, circa 4000 dicunt aliqui per exaggerationem, ad 400 vel saltem ultra 300

[1]) Apud Wadding Annal. O. Min. a. 1293 n. 3.

[2]) Scriptores O. Min. In annalibus t. 2. et 3. fuse ejus vitam et doctrinam refert.

[1]) Notat Wadding ib.: „Sciendum est, praecipuos doctrinae errores, quos Nic. Eymericus et ex isto alii hinc affigunt R., non esse illius, sed alterius Raymundi neophyti, cujusdam instituti religiosi improbi alumni, cujus memoriam condemnavit Gregorius XI.“ Eymericum tamen nostrum R. Lullum prae oculis habuisse, liquet ex magna sollicitudine et diligentia, qua Lullistae eum ab ipsius accusatione tuentur. Cf. prolixum commentarium Sollerii mox citandum et Denifle Archiv 4, 352—56, ex quibus liquet, omnino nostrum R. fuisse delatum, et ex tribus bullis Gregorii XI. tertiam, in qua mentio fit ducentorum errorum et haeresum, quae repertae fuerint in 20 Raymundi libellis lingua catalana compositis, et quas Nic. Eymericus suo directorio inquisitorum, Romae 1587 app. p. 67, inseruit, non reperiri quidem in registris ep. Gregorii XI. adhuc superstitibus: sed hoc non esse argumentum sufficiens contra ejus authentiam. Benedictus XIV. de beatif. etc. l. c. 40 n. 4. bullae genuinitatem tuetur eamque dirigi contra Lulli nostri errores. Quosdam horum errorum refert Denzinger in suo Enchiridio n. 474 ss. Cf. Feret III, 137—48, qui et specimina errorum Luli breviter exhibet. Ceterum non desunt nostra adhuc aetate qui de illius bullae genuinitate dubitent. Cf. Hartmann KL². X, 747 ss.; A. R. Pasqual, Vindiciae Lullianae s. demonstratio critica immunitatis illuminati doctoris b. R. L. Martyris, Avignon t. 4.

certe genuina alii ea reducunt[1]), quorum plurima (saltem 61) inserviunt arti suae generali exponendae, illustrandae, tuendae (collecta prodierunt Argentorati 1609-1617); alia spectant ad grammaticam et rhetoricam, alia ad logicam, alia ad philosophiam, politicam, astronomiam, astrologiam, geometriam; alia ad medicinam et jus; alia ad ascesim, eloquentiam; alia sunt poëtica, erat enim insignis poëta; alia pertinent ad theologiam speculativam et polemicam etc. Aliqua saltem nominemus: *Ars generalis* seu magna prodiit Parisiis 1548; cum *arte brevi* et arte generali ultima, Lugduni 1517; *Ars demonstrativa veritatis*, Barcinone 1500; *ars inventiva veritatis*, Valentiae 1515; l. *de laudibus b. V. Mariae*, Parisiis 1499; *contemplationum* tantum primus t. (ex 4) prodiisse videtur, quae spirant devotionem et fidei dilatandae ardorem, Parisiis 1505 latine cura Jac. Fabri stapulensis una cum l. Blanchernae anachoretae *de amico et amato*, qui videtur esse l. meditationum totius anni; *de fine omnium disputationum* contra haereticos, Majoricae 1665; l. *quaestionum* super 4 ll. sententiarum, Lugduni 1491; Panormi 1507; item cum Thomae atrebatensis in eosdem ll., solutis quaestionibus secundum artem, Venetiis 1507, de quo ita Waddingus: „Opus theologicum in ll. 4 sent. eo majorem ingerit admirationem, quo copiosius miris et inusitatis modis loquendi omnia fidei comprehendit arcana et de singulis theologiae controversiis plures instituit quaestiones;“ Palmae 1749 t. 16. *L. de conceptu Virg. Mariae* ab omni culpa originali immuni seu disputatio inter monachum dominicanum et duos laicos Hispali 1491 in 4; Valentiae 1518; Bruxellis 1664 (a nonnullis in dubium vocatum), in quo doctrinam catholicam strenue tuetur. „In universis autem hominis operibus, scribit Wadding, stilus inconcinnus, inaequalis, non solum humilis, verum passim barbarus, idiotismis aliorum idiomatum ubique satis: quod plurima ubique sine studio aut librorum subsidio, in itinerum et peregrinationum perpetuo motu scribenti condonandum est. Methodus irregularis, inculta et confusa rerum gestarum neque seria neque lenis, sed levis et aspera et aliquando ridicula, vera tamen et sincera narratio. Modi et termini loquendi a communi dissident loquela theologorum et pleraeque ejusdem assertiones absonae a communi nostri aevi doctrina“. Salutatur tamen a suis *Doctor illuminatus;* instituta fuit in ejus honorem academia Lulliana, quae ab Hispaniae regibus magnis pri-

---

[1]) Cf. Waddingum l. c. pag. 201—6 ed. Romae 1806; sed praeprimis Acta SS., quae ad diem 30. Junii t. V plures exhibent Raymundi biographias, inter quas antiquissimam ab aequali conscriptam p. 661—668: vindicias orthodoxiae, varia encomia, acta hujus b. Martyris et miracula, librorum (321) elenchum, omnia annotationibus doctis Sollerii illustrata, qui plurimum ad illustranda Lulli acta commendat duas diss. Jacobi Custurer SJ. († 18. Febr. 1515), de quibus scribit: Prodiit a. 1700 Majoricae sermone catalano b. R. Lulli apologia seu diss. historicae binae altera *de cultu immemorabili b. R. L.* . . . altera *de immunitate a censuris*, qua gaudet doctrina . . . egregiis plurimorum doctorum non tam censura quam encomiis praedicata. Nec id immerito: etenim collegit illic Scriptor accuratus juxta ac diligens quidquid ad vindicias lullianas potissimum conferre potest tanta ingenii perspicacia, maturitate judicii et pondere rationum, ut nutantes nos impulerit ad Raymundi vitam omnino illustrandam,“ easque propterea latine vertit suoque commentario inseruit. Cf. etiam Nic. Antonium in bibl. vet. hisp. l. 9. c. 3, qui n. 176 ss. accurate artis lullianae admiratores et illustratores plures recenset; Mattes KL. VI, 638-43. Denifle in chart. univ. paris. I, 1. 140. 144. non solum Philippi IV. (a. 1310) ep. pro Raym. Lullo refert, sed et Officialis paris., qui declarat 40 magistros et baccalaureos artium et medicinae artem brevem a R. Lullo audivisse eamque expertem errorum contra fidem invenisse; André Le bienh. R. Lulle, Parisiis 1900; Littré et Hauréau Hist. lit. XXIX, 1-286; Zökler Realenc. XI³, 706—716.

vilegiis fuit aucta et proventibus; imo usque ad medium sec. XVIII. cathedrae institutae erant variis in academiis ut majoricensi, valentina, salmanticensi, complutensi ad ejus doctrinam profitendam. Plurimi ejus artem excoluerunt vel encomiis extulerunt, ut Jord. Brunus, A. Kircher S. J., qui examine serio instituto, ut Ferdinandi III. Caesaris quaestioni satisfaceret, eam commendavit adjuncta ad faciliorem et locupletiorem ejus usum combinatoria arte sive arte magna sciendi, Amstelodami 1669; Agrippa, Valerius de Valeriis, Lavinetha O. Min., cujus opera omnia, quibus tradidit compendiosam artis R. Lullii explicationem et ejusdem applicationem ad logica, rhetorica, physica, mathematica, mechanica, medica, metaphysica, theologica, ethica, juridica, problematica, edidit J. H. Alstedius, Coloniae 1611, qui et ipse auctor est *clavis Lullianae*, Argentorati 1633. De libris tamen ad eam spectantibus ita pronunciat Waddingus: »Artes magna et parva et inventiva veritatis admirabiles habent ambages et sinuosos anfractus, per quos nec Daedalo liceat incedere, nec ingeniosissimis aliquando viris etiam filum sufficiat Ariadne, quin in itinere vel judicio saepe deficiant. Paucos vel nullos invenies, qui hanc artem vel artium omnium secretissimum et mysteriosum quod fingunt, seminarium, vel ut alii vocant, ludibrium, perfecte assequantur. Quod si post immensos labores et fatigati cerebri vigilias, vellem scire quos tanti laboris hauriunt vel edunt fructus, vel quam singularem prae communi hominum sorte aut trita gymnasiorum doctrina imbutis viris doctrina, praeferant excellentiam, nihil reperio«. Nititur eliminare philosophiam aristotelicam ex theologia, illiusque terminis substituit alios hactenus inauditos, quibus saepe conceptus nullus nisi imaginarius respondet. Salzinger coepit Lulli opera colligere atque edere Moguntiae 1721—42 t. 10 in f., quae quidem editio est adeo rara, ut vix ejusdem exemplaria reperiantur, t. 7. et 8. ita desiderantur, ut videantur nunquam impressi; sed ea etiam est manca admodum, nam praecipua et genuina opera desunt, plura vero opera cabbalistica et alchymistica, quae cujusdam Raymundi de Tarrega catalani, neophyti, esse dicuntur et errores a Gregorio XI. notatos continent, in eam sunt recepta[1]).

248. Ex *ordine s. Dominici* paucos hac periodo reperimus, qui in theologia scholastica magnum sibi fecerint nomen et quorum opera lucem aspexerint. Praeter Thomam de Jorz, de quo jam egimus (p. 460), huc referri possunt: Henricus Ariminensis (fl. 1314), cujus exstat tr. *de quatuor virtutibus cardinalibus* totam fere philosophiam moralem complectens una cum exemplis et historiis ex divinarum Scripturarum auctoribus desumptis, Spirae 1472 in f. — Celebrior fuit Herveus Natalis (de Nedellec) seu Brito (quia ex Britannia minori), quem sodales summis ordinis theologis accensent. Magister in theologia eam Parisiis aliisque in conventibus docuit, et post obitum munus provincialis in Francia, electus est in magistrum (XIV.) ordinis ab omnibus concorditer in primo scrutinio († intra 6. et 7. Aug. 1323). S. Antoninus eum dicit »subtilissimum in logica et philosophia«[2]). Haec ejus-

[1]) Cf. Hartmann l. c. p. 751, et praeter auctores jam citatos Diss. historicas del Culto inmemorial del R. Lullo . . . y de la inmunidad de censuras, Mallorca 1700 scriptum authenticum universitatis lullianae regni majoricensis; Pelayo Hist. de los Heterodoxos Madrid 1880. I, 528 ss.

[2]) Hist. 23, 11, 2. Sein Hauptverdienst ist, daß er zuerst auf das Schärfste den Unterschied zwischen dem thomistischen und scotistischen Lehrbegriffe hervorhob und jenen im Gegensatz zu diesem begründete und vertheidigte. Namentlich beleuchtete er das Princip der Individuation, die haecceitas bei D. Scotus und wies deren Undenkbarkeit nach.

dem opera praecipua: *In 4 P. Lombardi ll. sententiarum* volumina scripta (subtilisssima dicuntur in op. titulo), Venetiis 1505 in f.; Parisiis 1657 cum tr. *de potestate papae*, qui prodierat jam ib. 1500; 1506 in 4; *quodlibeta IV* majora, Venetiis 1486 in f. (m. 18), quorum IV. est contra Petrum Aureolum; cum septem aliis ex his, quae parva dicuntur ib. 1513; additi sunt tr. 8 scil. de beatitudine, de verbo, de aeternitate mundi, de materia coeli, de relationibus, de unitate formarum[1]), de virtutibus, de motu angeli, ed. rarissima; tr. *de secundis intentionibus*, Parisiis 1489 in 4; Venetiis 1513. Si primum excipias opus, haec jam oblivioni data sunt. Ipsi a pluribus tribuitur opusc. 48. inter op. s. Thomae *Totius logicae Aristotelis Summa*. Per errorem tributus ipsi fuit commentarius in Pauli ap. epistolas, qui est Hervei Dolensis (cf. supra p. 122). Plura ejusdem scripta manserunt inedita. Tuetur doctrinam s. Thomae forte primus contra Scotum accurate determinans discrimen, etiam contra Henricum gandavensem et in primis contra opiniones audaces Durandi, de quo infra. — Joannes Parisiensis II. dictus, ut distingueretur a seniore, de quo supra egimus (p. 330 a.), vel de Parisiis, Quidort, de Soardis (Surdus), falso autem Pungensasinum cognominatus, juvenis ingressus est ordinem s. Dominici, nec parum in sacra facultate parisiensi inclaruit, ita ut subtilissimus sui temporis Aristotelicus haberetur. In causa inter Bonifacium VIII et Philippum regem hujus consilio scripsit (1403) *de potestate regia et papali* seu juxta aliam inscriptionem de sacerdotio et regno, Parisiis 1506 cum aliis ll. ejusdem argumenti, et in Goldasti Monarchia imperii II, 108—47 etc., in quo de regni Galliae independentia ab imperio et a sede apostolica (in rebus temporalibus) disserit[1]) contra celebrem bullam »Unam sanctam.« Controversias excitavit l. inscripto Determinatio *de modo existendi corporis Christi* in sacramento altaris alio quam sit ille, quem tenet Ecclesia, in quo nititur ostendere, esse possibile, ut corpus Christi adsit non solum commutatione substantiae panis in corpus Christi, sed etiam »per assumptionem substantiae panis vel paneitatis in Christo, nec credebat primum modum ponendi . . . esse ita necessario tenendum seu ab Ecclesia determinatum, quin etiam secundus possit teneri tamquam popularis et fortassis, ut dicebat, magis rationabilis et congruus veritati et per quem magis salvatur apparentia circa species sensibiles remanentes«[2]). Delata hac opinione ad facultatem theologicam Guilelmus episcopus cum aliis doctoribus sententiam reprobavit, Joanni silentium indixit sub excommunicationis poena, eumque lectura et munere praedicationis privavit. Appellavit Joannes ad sedem apostolicam, sed dum causae exitum praestolabatur, decessit Burdigalae, ubi tunc curia morabatur,

---

Leider hat noch keine Feder es versucht, in einer speciellen Arbeit einen klaren zusammenhängenden Abriß von seiner Philosophie zu geben . . . Doch wird allgemein zugegeben, daß H. in einigen Stücken dem Nominalismus zu viel Zugeständnisse gemacht hat. Die Unzulässigkeit dieser Concessionen hat besonders der Dominikaner Joh. v. Neapel († 1330) nachgewiesen. Braunmüller O. S. B. KL. V², 1916. A Scheeben dicitur l. 1 n. 1065 besonders klarer und gemäßigter Gegner von Scotus. Cf. Feret III, 387—90.

[1]) Hujus op. fragmentum prodiit cum *Summa philosophica* Cosmi Alamanni Parisiis 1639 s. inscriptum *de formis* (qq. 6) et habebatur ut opus genuinum s. Thomae. Sed Ehrle in proleg. t. III. novae illius op. edit. (cf. Nomencl. I², 256) illud spectare ad nostrum Hervaeum probabile censet.

[1]) Cf. Potthast p. 673; Finke Aus den Tagen Bonifaz VIII p. 170—177.

[2]) Ita anonymus apud Quetif I, 501. Cf. Feret III, 373—79; Hist. lit. XXV, 244—266.

22. Sept. 1306. Ea explicatio sane est erronea, sed fatendum, auctorem, ut liquet ex initio ipsius tractatus, tenuisse sententiam catholicam de transsubstantiatione illamque explicandi rationem proposuisse tantum ut possibilem suamque opinionem subjecisse judicio Ecclesiae. Illum l. edidit Petrus Allix Calvinianus, Londini 1686. Auctoris nostri praeterea sunt commentaria in magistrum sententiarum; quodlibeta etc. (inedita); *de adventu Christi* secundum carnem, et *de antichristo*, quo utroque scripto plurimum usus est Nicolaus Argentinensis in suo tr. *de adventu Christi*[1]), quem obtulit Joanni XXII., ut exhibitis fragmentis ostendit Denifle in Archiv IV, 312 ss. Posterior l. editus reperitur in Telesphori de Cusentia op. *de magnis tribulationibus in proximo futuris*, Venetiis 1516. Ipsi quoque a pluribus tribuitur *Correctorium corruptorii s. Thomae de Aquino* Guilelmi Lamarensis (cf. supra p. 387 a.), quod prodiit Coloniae 1516; Neapoli 1644 in f. sub nomine Aegidii Romani cura Angeli Mariae a ss. Sacramento. Certum quidem est illud non esse Aegidii: sed non aeque certum, num sit nostri Joannis, cum non desint rationes, quae illud Richardo Clapoel (p. 387a.) asserant.

249. Ex eodem ordine[2]) commentariis (ineditis) magistrum sententiarum praeter jam laudatos illustrarunt Joannes de Lichtenberg (de lucido monte) Teutonicus magister in theologia. — Bernardus de Alvernia[1]), aliis de Claromonte vel de Gannato, qui praefuit gymnasio Sanjacobeo Parisiis, et reliquit quodlibeta circa 15. S. Thomae doctrinam tum contra Henricum gandavensem, tum contra Godefridum de Fontibus, tum contra Jacobum de Viterbio O. S. Aug. tuetur. — Gualterus de Winterburn Anglus, cujus magna est laus apud ordinis scriptores: fuit enim orator, philosophus, poëta et theologus insignis, morum gravitate et puritate conspicuus, quem Eduardus I. Angliae rex

[1]) Nicolaus argentoratensis O. Praed. lector erat coloniensis, quem Joannes XXII c. 1326 constituit magistri generalis vicarium et visitatorem conventuum provinciae Germaniae. Denifle l. c. eum vocat plagiatorem, et collatione instituta inter utriusque scriptum veritatem accusationis probat. Anno 1329 erat adhuc vicarius in Germania. *Sermones 13* li gua patria reliquit, quos vulgavit Pfeiffer Deutsche Mystiker des 14. Jahrh. Lipsiae 1845. I, 261—305. Nicolaus ist weniger speculativ als Eckhart und Tauler, und vorwiegend praktisch: auch hat er einen sehr anschaulichen, volkstümlichen Vortrag. Ita N. Paulus KL. IX², 337.

[2]) Ejusdem ordinis sodalis est Theodoricus de Friburgo in Brisgoja, hinc Teuto seu Teutonicus dictus, Alberti M. discipulus, magister s. theologiae in facultate parisiensi (fl. c. 1310), qui plura opera, praesertim de philosophia naturali (cf. Denifle in Archiv II, 240 n. 105) inedita reliquit. Magnae quondam auctoritatis erat in sua provincia, postea tamen doctrinae erroneae, qua sua infecerit scripta, suspicionem effugere non potuit. Cf. Preger Allg. d. Biogr. V, 190-192; praesertim Engelb. Krebs in Studien über Meister Dietrich genannt v. Fr., Freiburg i. B, 1903, qui diligenter omnia ejus recenset opera (inedita).

[1]) Alius ab hoc est Petrus de Alvernia vir in academia parisiensi sec. XIII. clarus, s. Thomae auditor vel saltem ejus doctrinae fautor ac sectator studiosissimus, qui a legato apostolico, orto dissidio inter nationes de electione rectoris universitatis, constitutus est rector (1275). Socius fuit sorbonicus et canonicus parisiensis. *Supplementum* adjecit commentario s. Thomae in l. 3 de coelo et mundo, et commentarium in 4., quae edita habentur cum operibus s. Thomae. Cf. Quet.f I, 489, qui notat erronee quosdam eum dicere O. Praed. Alii eum dicunt factum esse episcopum claromontanum a. 1302. Revera sedit initio sec. XIV. in ea sede Petrus du Cros (1302—1304): num vero is sit idem cum nostro Petro Alverno non est omnino certum. Reliquit *commentarios* in varia Aristotelis opera, qui prodierunt Salmanticae 1497; Patavii 1493; Venetiis 1505; 1507; 1525; 1567; alii manserunt inediti, sicut et quodlibeta sex etc. Decessit post a. 1310. Cf. Feret III, 221—27; Esser KL. IX², 1886.

sibi in conscientiae arbitrum delegit, cui sodales curam provinciae detulerunt (c. 1290), et quem Benedictus XI. cardinalem creavit 1304. Obiit tamen jam a. sequenti (1305). — Albertus de Brixia, Mandugasinus a familia cognominatus, s. Thomae doctrinae sectator studiosissimus, ss. literarum in ordine professor († 1314), cujus laudantur etiam de officio sacerdotis ll. 3 sive summa casuum conscientiae (inedita) ex operibus doctoris angelici concinnata. — Thomas Norwod Anglus (fl. 1314). — Gaufridus de Ablusiis (Ablis) dioecesis carnotensis, strenuus quaesitor generalis fidei Carcassone, qui de miraculis Benedicti XI. juridice inquirere jussus est et quindecim ab eo patrata authentice comprobata ad curiam pontificiam transmisit. Multa passus est in munere obeundo decessitque Carcassone ejectus et exsul inter a. 1316—19. Ejus commentaria (inedita) dicuntur brevia quidem, sed optima, methodica et dilucida.

250. Ex *ordine s. Augustini* prodiit theologus classicus primis theologiae scholasticae luminaribus accensendus. Aegidius Columna (Colonna) ex nobilissima Columnensium familia natus est Romae a. 1247 (vel c. 1245), qui propterea ut distingueretur ab Aegidio de Fuscariis, Parisiensi etc., Romanus est dictus. Spretis seculi blanditiis et deliciis juvenis ingressus est ordinem eremitarum s. Augustini. Absolutis in Italia studiis philosophicis ab ordinis praeposito generali Clemente Auximano missus est Parisios, ut theologiae operam daret. Nactus s. Thomam praeceptorem cum sodalibus Aug. Triumpho et Jac. Viterbiensi miros in ejus schola fecit progressus, ut inter primos ejus discipulos numeretur. Hujus Summam maximo habuit in honore eamque citat sub nomine »scripta communia.« Cum vero post doctoris angelici mortem hujus doctrina graviter impugnaretur, pro ea tuenda strenue stetit[1]). Theologiae laurea honoratus talia praebuit magister solidissimae doctrinae argumenta, ut *doctoris fundatissimi* nomen sibi comparaverit. Penes sodales vero tantae fuit auctoritatis, ut illum adhuc inter vivos degentem generalia comitia Florentiae habita raro exemplo studiorum suorum principem constituerint ejusque doctrinam in toto ordine amplectendam declararint decreto a. 1287 (et a. 1290) hujus tenoris: »Quia ven. mag. nostri fr. Aegidii doctrina mundum universum illustrat; definimus et mandamus inviolabiliter observari, ut opiniones, positiones et sententias scriptas et scribendas praedicti mag. nostri omnes ordinis nostri lectores et studentes recipiant, eisdem praebentes assensum, et ejus doctrinae omni qua poterunt sollicitudine, ut et ipsi illuminati alias illuminare possint, sint seduli defensores.« Notandum tamen est, non in omnibus ejus doctrinam arisisse doctoribus parisiensibus. Hinc Stephanus Temperius episcopus parisiensis ex illorum consilio quasdam propositiones censuit reprobandas. Aegidius vero illas argumentis pluribus fulcire studuit. Hinc res Romam delata, et ipse ad retractationem paratum se exhibuit, si exigeretur. Honorius IV. Ranulpho Humblariensi Stephani successori scripsit, ut de theologiae doctorum consilio Aegidium juberet omnia retractare, quae de plurium sententia dannanda viderentur[2]): quod pius religiosus fecisse videtur, vel forte doctores illi sententiam mutarunt: nam

[1]) Ipsius tamen non est *Defensorium* sive correctorium seu castigatorium corruptorii ll. s. Thomae contra G. Lamarensis theol. Thomae mastigis *corruptorium* (cf. supra p. 387 a.). Ossinger vero illud Aegidio vindicat: ita et Feret III, 570 s.; Tiraboschi t. IV. l. 2 c. 1 n. 20 etc.

[2]) Cf. Raynaldum annal. a. 1285 n. 76; sed cf. etiam Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1880. 18, 309; ep. Honorii exhibet Denifle Chart. paris. I, 633 n. 522.

nil amplius de hac controversia auditur, nec minima inde macula doctori fundatissimo haesit, quare augustiniana schola aegidianae nomine deinceps nuncupari coepit[1]). Philippus III. ipsi filium regni heredem instituendum tradidit, et cum is thronum conscendisset, voluit hic, ut Aegidius universitatis nomine ipsum salutaret, quod egregie praestitit monita dans de servanda justitia. In comitiis generalibus Romae habitis 1292 cunctis faventibus suffragiis electus est in ordinis praepositum generalem, et a Bonifacio VIII. rogante Philippo IV. Galliae rege dictus est (1296) archiepiscopus bituricensis. Ferunt (sed immerito) eum jam a Bonifacio VIII. a. 1302, vel postea a Clemente creatum fuisse cardinalem, saltem ut ajunt in pectore (a. 1313), promulgationi vero obstitisse sive Philippi Pulchri contradictionem, quod magis pontifici quam regi patrocinari videretur, sive mortem, quae eum vivis eripuit 22. Dec. 1316. In conc. viennensi strenue tutatus est Bonifacii VIII. innocentiam conscripto eam in rem commentario, quo Philippi regis procerumque gallorum in se concitavit indignationem. Virtutum splendore ita eminuit, ut inter beatos numeretur.

251. Plurima reliquit opera[2]), ex quibus multa sunt inedita, quae vero edita sunt, nunquam simul collecta prodierunt; aliqua etiam admodum mendose et negligenter. Potiora sunt commentaria in Aristotelis opera, ut ll. *de anima*, Venetiis 1496; 1500; *quaestiones metaphysicales*, ib. 1499; 1501; 1552; *de esse et essentia* qq. 13 et qq. 24 *de mensura et cognitione angelorum*, Lipsiae 1493; Venetiis 1503; tr. *de gradibus formarum* cum qq. *de intellectus possibilis pluralitate*, Patavii 1500; 1502; 1552; commentarius in *Hexaemeron*, Patavii 1549; *de arca Noe*, *in Cantica cant.* lectiones 20; *in ep. ad Romanos*, haec tria inter ejus opuscula Romae 1555; *commentarius* in ll. sententiarum, qui tamen pertingit tantum usque ad l. 3. dist. 11; prodiit per partes, conjunctim Cordubae 1707 t. 5 cura sodalis Ant. de Aguilar, opus ejus praecipuum; *Quodlibeta VI*, Lovanii 1646, ed. bona; prodierant jam antea Bononiae 1481, cura sodalis Simonis de Hungaria; Venetiis 1496; 1502; 1504; qq. septem *de resurrectione mortuorum*, de praedestinatione, praescientia, paradiso, purgatorio et inferno, de peccato originali, de articulis fidei pro missionariis ad Tartaros missis etc., Viennae 1641; *de corpore Christi*, Bononiae 1481 curante Simone de Hungaria; theoremata *de hostia consecrata*, Coloniae 1490; *de renunciatione papae* (apud Roccaberti II, 1—64) sive apologia pro Bonifacio VIII; *de charactere sacramentali*; l. *contra exemptos* magna libertate scriptus: steterat enim ipse, etsi religosus et ex ordine Mendicantium, ex partibus praelatorum et universitatis in causa, quae suo tempore Parisiis agitabatur inter clerum secularem et fratres mendicantes ob horum privilegia. Impugnavit hunc l. Jacobus de Thermis O. Ci. abbas Caroli Loci (Charlieu) et Pontigniaci († 1321), cum a. 1311 interesset concilio viennensi, oblato Clementi V. tr. *contra impugnatores libertatum*, exemptionum et privilegiorum, qui exstat in bibl. PP. cisterc. IV, 261-315, Ejus quoque *compendium* confecit, quod legere licet apud Raynaldum in append. Annal. ad a. 1312. Pro principe hereditario Galliae scripsit Aegidius *de regimine principum ll. 3*, opusculum affine opusculis s. Thomae ad regem Cypri, et Peraldi de erudi-

[1]) Cf. de hac schola Scheeben in egregio articulo de nostro Aegidio KL. III², 670.

[2]) Cf. Ossinger p. 237—50; in primis vero Nic. Mattioli O. S. Aug. in Antologia Agostiniana t. 1: Studio critico sopra Egidio Romano, Romae 1896; Hist. lit. XXX, 421—566.

tione principum, quod saepius prodiit, Romae 1482; 1551; 1556; 1607; Venetiis 1498, 1502; 1585; 1598; 1617 etc.; illud in compendium redegit ejus sodalis Leoninus de Padua, quod compendium exhibet Herm. Müller in Zeitschr. für die gesamte Staatswissenschaft[1]), Tübingen 1888. XXXVI, 102 ss. Ex his opusculis plura collecta prodierunt Venetiis 1490; Neapoli 1525; Romae 1555, quae ed. complectitur eorum 20; Venetiis 1617. Quae paedagogiam spectant germanice versa sunt edita Friburgi 1904. Spuria videtur quaestio disputata *in utramque partem* ipsi tributa a Goldast in Monarchia rom. imp. II, 95-107 et a Richer in Vindiciis doctrinae Majorum, Coloniae 1683 I, 2 ss. edita: nam alius exstat tr. ejusdem Aegidii *de potestate ecclesiastica* alio prorsus sensu conscriptus, in quo jura primatus bene exponit et tuetur[2]). Nondum integer prodiit: illius tamen analysim et specimina exhibent Fr. X. Kraus österr. Vierteljahrsschr. für k. Theol. 1862 p. 1 ss. et Chr. Jourdain in Journal général de l'instruction publ. 1858 fol. 24. et 27. Febr. et seorsim in diss. *Un ouvrage inédit* de Gilles de Rome . . . en faveur de la papauté. Propter affinitatem bullae celebris „Unam sanctam" a Bonifacio VIII. in synodo romana a. 1302 editam, cui Aegidius interfuit, cum doctrina hujus tr., non desunt qui conjiciant, ipsum eam redegisse bullam. Laudantur in Aegidii operibus ingenium, claritas, concinnitas. In sua doctrina accedit ad s. Thomam, quin tamen in omnibus eum assectetur; magnam s. Augustini rationem habet, sed deceptus scripto, quod falso putaverat esse s. doctoris, non satis felix fuit, adeo ut affirmet, Adamum ante lapsum gratia non fuisse praeditum[1]).

252. Huic subjicimus alios ex eodem ordine sodales, qui sententiarum libros Commentariis (ineditis) illustrarunt Jacobus Capocci O. S. Aug. a patria Viterbiensis communiter dictus. Tirocinio absoluto Parisios fuit missus, ubi sub duobus splendidissimis theologiae scholasticae luminaribus d. Thoma et s. Bonaventura (saltem juxta Torelli) tantos fecit progressus, ut *theologi speculativi* nomen sit promeritus. Ibidem condiscipulum habuit Aegidium Columnam, cathedramque postmodum rexit. Propter vitae morumque candorem apud sorbonicos in magna erat aestimatione et honore. A Bonifacio VIII. instante Carolo II. utriusque Siciliae rege dictus est archiepiscopus beneventanus (1302) et ad finem a. 1303 neapolitanus († 1307). Reliquit plurima opera (omnia inedita), cujusmodi sunt: Lectura super 4 ll. sententiarum, seu compendium sententiarum, Summa summae a nonnullis dicta; Abbreviatio sententiarum Aegidii Columnii, sed multa de suo addidit; plurimae quaestiones et quodlibeta; recollectiones seu catena patrum supra epistolas Pauli; Expositio in Evangelium d. Matthaei: interpretatio in d. Lucam evangelistam; expositiones super epistolas d. Pauli; concordantiae psalmorum; de regimine christiano opus Bonifacio VIII. dicatum[2]) etc. Ob vitae sanctitatem a

[1]) Cf. Potthast p. 17.

[2]) Tempore Bonifacii VIII. et occasione controversiarum cum Philippo rege plures prodierunt tractatus de primatu pontificis. Ita Henricus de Casalocci, decretorum doctor, canonicus cremonensis, dein episcopus regiensis (1302-1312), hinc Reginus dictus scripsit ejus modi opus (ineditum) comprobans papam habere de jure auctoritatem plenam in temporalibus et spiritualibus ubique terrarum, de quo cf. Finke Aus den Tagen Bonifaz VIII p. 166—170.

[1]) Cf. praeter Scheeben Werner Der Augustinianismus im späteren Mittelalter, Wien 1883 p. 225 ss.

[2]) Cf. de hoc op. Finke Aus den Tagen Bonifaz VIII p. 163—167; de auctore praeter alios Feret III, 477—83; Mazzochi de ss. ecclesiae neap. episcoporum cultu; Hauréau in Hist. lit. XXVII, 24—63.

sodalibus inter beatos colitur. — Hujus sodalis Augustinus de Asculo, theologiae magister Patavii regens studiorum, quem Bonifacius VIII. constituit in toto orbe terrarum confessarium apostolicum (1297), reliquit praeterea lectiones plures super s. Scripturam, Moralia super Genesim, expositionem Evangeliorum totius anni etc. — Joannes Wilton O. S. Aug. Anglus, magister parisiensis, sacram theologiam cum laude Parisiis et Oxonii est professus († c. 1310).

253. Ex *ordine Carmelitarum* nobis occurrit Gerardus de Bononia »magister in theologia parisiensi valde solemnis. Hic scientiis et virtutibus ornatus rexit ordinem XXI (rectius XX) annis multum celebriter. Hic enim promovebat fratres ad studia multum ardenter, expensas vanas et vagas simpliciter vitabat et paucis contentus erat. Nam fuit parcissimus in cibo recipiendo, licet in donando largissimus. Iste enim post orationem et ante comestionem in lectione, in disputatione, in causarum ordinis decisione jugiter se exercebat[1]).« Decessit 17. Apr. 1317 Avenione. Insignis quoque erat concionator, ut liquet ex ep. card. Berengarii Fredole ita ad capitulum ordinis Londini 1312 habitum scribentis: »Religiosus vir Fr. G. de Bononia, prior gen. ejus ord. . . . modernis diebus apud Sedem apostolicam constitutus, apertis thesauris suae grandis scientiae, sic in conspectu D. N. S. Pont. et fratrum suorum, multiplicium odorositate virtutum redoluit morumque candore ac consilii maturitate complacuit, quod a multimodis scientiarum fluentis, quae de suo pectore velut de promptuario pleno fluunt, ab ipso D. N. et fratribus suis in reputatione non modica et pro uno de mundi hujus literatis elegantioribus reputatur, et ab illis quasi vasculum plenum aromatibus est dilectus[1]) etc.« Scripsit in ll. 4 sententiarum *commentaria,* Venetiis 1622 inf. cura P. Leandri Priuli O. Carm.; qq. ordinarias, quodlibeta varia (4) etc. inedita. Auctor est ingenio subtilis et eloquio clarus, qui mediam inter thomistas et scotistas viam inire et utriusque scholae opiniones conciliare nititur. — Praetermittimus Humfredum Nekon Anglum, primum ex carmelitis doctorem in academia cantabrigiensi († 1303), cujus mscr. aliqua memorantur. — Joannem Goldestonum (Glodestein, Glodston, Chrysolithum etc.) eboracensem, Parisiis et Oxonii professorem († secundum aliquos 1320), qui praeter commentaria in Ev. s. Matthaei, moralitates in Ev. s. Joannis, proposuit disputationes in magistrum sententiarum, quodlibeta varia, et etiam commentarios emisit in ll. sententiarum etc.

254. Commentarios in sententiarum ll. reliquerunt praeterea ex ord. ss. Trin. Richardus Vuyrem, doctor oxoniensis, episcopus sydoniensis in Phoenicia († 21. Mart. 1304). — Georgius Bruis genere, doctrina, pietate conspicuus († 21. Oct. 1319). — Galfridus Meldronius doctor oxoniensis (fl. c. 1317). — Guilelmus Blaro doctor oxoniensis, qui disputavit de fide orthodoxa. Hi omnes fuerunt natione Scoti. — Jacobus Hibernus, doctor cantabrigiensis († 7. Febr. 1324). — Quibus demum adde Robertum de Gabiano brixiensem (fl. c. 1322). — Joannem Dumbeton Anglum oxoniensem theologum (fl. circa 1320), qui in magistrum sententiarum scripsisse non videtur, summam tamen theologiae majorem ll. 10, et minorem l. 1 composuit nec non commentarium in Cantica etc. — Joannem de Po-

[1]) Ita Jo. Trisse O. Carm. in catal. Priorum gener. O. Carm. ed. a Denifle Archiv V, 379.

[1]) Cf. Speculum ord. carm., Venetiis 1507 p. 83; Fantuzzi IV, 105; Hauréau II, 383 ss.

liaco (Pouilly), cujus quodlibeta amplissimum sunt opus universam fere theologiam complectens († p. a. 1321). Quasdam ipsius opiniones, cujusmodi sunt, parochos jurisdictionem immediate a Christo accipere; pontificem, imo ne Deum quidem posse dispensare fideles ab obligatione confitendi paschatis tempore suo parocho etc., Joannes XXII reprobavit 24. Jul. 1321, auctor vero et in scholis et in praedicationibus retractavit[1]). Alii 13 errores ipsi objecti fuerant, quos tamen suos esse negavit. — Denique hic mentionem faciemus Guilelmi Baufeti Aureliacensis (Orilhac), quondam Philippi regis Galliae medici, qui professioni huic renunciavit seque theologiae studio dedit factusque est episcopus parisiensis hujus nominis IV. (1304—20). Scripsit dialogos septem *de septem Ecclesiae sacramentis*, quod opus saepissime prodiit, Parisiis 1489 in 4; 1494; s. l. et a. (c. 1495) 1500; 1550; 1587; Lipsiae 1512; Lugduni 1567; 1580; Florentiae 1579; etiam cum operibus Guilelmi Parisiensis (III; † 1249) etc. Profitetur se ex scriptis fr. Thomae Aq. et Petri de Tarantasia profecisse. Quetif[2]) autem vindicat hoc opus Guilelmo Parisiensi O. Pr., qui erat Philippo regi a confessionibus et quaesitor generalis fidei in regno Franciae. A rege quoque adhibitus fuit in causa contra equites Templi mota, cujus acta mscr. memorat Labbeus in biblioth. mscr. p. 13. Tribuitur ei tabula juris seu Repertorium breve ad inveniendum facile in decreto et decretalibus quaecunque notabilia (ineditum): quod tamen non adeo certo est Guilelmi parisiensis O. Pr. sed forte ejus sodalis Guilelmi de Parma. Decessit Parisiensis circa a. 1312 vel 1314.

[1]) Cf. Feret III, 229—31; Denifle Chartularii paris. univ. II. 1, 243 ss. exhibet Joannis XXII. constitutionem damnationis et cedulam revocationis.

[2]) Scriptores I, 518; cf. Feret III, 425-28. Alius ab eo est sodalis Guilelmus de Parisiis, de quo infra redibit sermo.

255. Theologis[1]) *polemicis* accenseri licet Ricoldum (Riculdum, Ricordum) de Monte Crucis O. Praed. Florentinum, quem studio fidei propagandae ardentem summus pontifex in terram sanctam aliasque plagas orientales misit. Ubique praeconem apostolici plane pectoris se exhibuit, multis pro religione laboribus gravibusque apud Mohammedanos persecutionibus toleratis illustris (1320). Scripsit itinerarium peregrinationis suae, quod italice versum editum fuit a Fineschi Florentiae 1793; latine prodiit cura Laurent in op. *Peregrinatores medii aevi quatuor,* Lipsiae 1864 pag. 101 ss.; gallice cura Lud. de Backer in op. *L'extrême Orient* au moyen âge, Parisiis 1877 pag. 256 ss. Ejus ep. 5 commentatorias *de perditione Acconis* ed. Röhricht in Archives de l'Orient latin, 1884. II. Documents p. 258 ss. Condi-

[1]) Theologis accenseri nequit Arnaldus de Villanova (Villanueva), Hispanus, quamvis de argumentis theologicis scripserit, quem R. Lullus peritissimum et scientiae fontem appellavit. Fuit enim professione medicus, qui medicinam et artem chimicam magno plausu variis in academiis est professus, et medicus fuit Jacobi II. regis Aragoniae, Bonifacii VIII. et Clementis V., qui eum tanti fecit, ut literis circularibus episcopos de ejus morte (c. 1311) admoneret juberetque perquirere Arnaldi l. *de re medica*. In theologia opinionibus Joachimi de Floris imbutus apocalypticum agit scripsitque de antichristi adventu (pro a. 1376), qua occasione plures errores protulit, quorum 14 Tarraconae praesentibus multis lectoribus diversorum ordinum 6. Nov. 1316 (Cf. Denifle in Chartul. univ. paris. II, 86 annot.) condemnati fuere, de quibus cf. Nat. Alexander H. E. sec. XV. ed. Bing. 1789 p. 186; De ejus fatis et operibus, quae magna ex parte collecta prodierunt Lugduni 1504; 1520 t. 2; Parisiis 1509; Venetiis 1514, fuse disserit Nic. Antonius Bibl. hisp. v. II. l. 9 c. 1 n. 31—62: Menendez Pelayo Arn. de Villan. medico catalan del siglo XIII, Madrid 1879; Streber KL. I², 1429; Finke in op. Funde und Forschungen, Münster 1902 pag. 191 ss., qui in appendice aliqua ejusdem scripta exhibet p. CXXVII—CCXI.

dit quoque *Propugnaculum fidei* adversus mendacia et deliramenta Saracenorum Alcorani, adjecta est *Panoplia catholicorum* contra haereticos auctore Renato Benedicto (cf. Nomencl. I², 199), Venetiis 1609. Hanc graece verterat Demetrius Cydonius (fl. sec. XIV), Basileae 1543, et in Migne Patrol. gr. CLIV, 1035 ss.; ex graeco in nitidiorem stilum Barth. Picenus de Monte arduo, Romae 1506; Parisiis 1509; 1511; 1513; Hispali 1550 etc.; et forte jam 1520 inscripta *Improbatio Alcorani;* Basileae graece et latine 1550. *Christianae fidei confessio* facta Saracenis, quae reperitur cum priore op. in collectione mahometicorum Theod. Bibliandri II. 184-192 Basileae 1543; 1550 s. l. ipsi quoque tribuitur[1]). — Porchetus Salvaticus (de Sylvaticis) O. Carth. Genuensis († c. 1320) composuit l., quem inscripsit *Victoria adversus impios Hebraeos,* in qua tum ex ss. literis tum ex dictis Talmud ac Cabbalistarum et aliorum omnium auctorum, quos Hebraei recipiunt, monstratur veritas fidei catholicae, quem edidit August. Justinianus, Parisiis 1520 in 4., opus rarum. Utitur plurimum Raym. Martini (p. 400), sicut Galatinus multa ex ipso derivavit. — Matthaeus de Aquasparta O. Min. Tudertinus, doctor insignis, lector s. Palatii, deinde ordinis minister generalis. A nonnullis accusatur, quod dum mitius et laxius ageret, paulatim attenuaverit regularem observantiam. Postea cardinalis (1288) est creatus et episcopus portuensis (1291), legatus apostolicus in Romandiola et rector Lombardiae: quo munere fungens multa loca a tyrannis occupata restituit Ecclesiae († 1302). Disputavit adversus Graecos *de aeterna Spiritus s. processione* ex Patre Filioque, quae diss. nostra demum aetate prodiit ad Aquas claras (Quaracchi) 1895. Pariter in collectione *de cognitionis humanae ratione* anecdota quaedam, ib. 1884, habentur quinque ejusdem tractatus. Multa alia tam super sententias quam Scripturam (Psalterium, Job, Danielem, Matthaeum, ep. ad Romanos, Apocalypsim) etc. manserunt inedita.

[1]) Cf. Quetif I, 504; Fabricius 5, 391; Esser KL². X, 1196.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

256. Non defuerunt qui sacris literis incumberent, sed plerorumque labores manserunt inediti. — Joannes de Sancto Geminiano a loco natali, Gorini a familia nuncupatus, O. Praed. Etruscus, celeber concionator, reliquit opusculum *de quibusdam materiis praedicabilibus,* scil. de operibus sex dierum. Parisiis 1512 in 4; *sermones quadragesimales* in epistolas et evangelia, ib. 1511; et aliis omissis *vitam s. Finae* († 1253) in actis SS. 12. Mart. II, 236—42; *Legendam b. Petri de Fulgineo* († 1323), cujus priora cc. (8) habes in Act. SS. 19. Jul. IV, 665—668; reliqua a. c. 9. in Anal. boll. VIII (1889), 365—369. In utilitatem vero concionatorum *Summam de exemplis et rerum similitudinibus,* Venetiis 1497; 1577; 1582; Antverpiae 1583; 1629; Coloniae 1665 etc. Dicitur obiisse 1323, quod omnino falsum esse censent Ann. boll. l. c. p. 359 s. Videtur enim adhuc vixisse 1364. — Simon de Corbeja O. Carm. magister parisiensis, provincialis et vicarius generalis in partibus Franciae (1319), claruit sapientia, doctrina, admirabili facundia, scripsitque glossas in utrumque T. — Nicolai Staufordi O. Ci. (fl. c. 1310) Angli moralitates in Genesim (argutae et solidae),

et Thomae Spermann O. Pr., qui pariter fuit Anglus et eodem fere tempore floruit, commentaria in Genesim (sicut et in ep. ad Hebraeos et s. Jacobi) non prodierunt. — Matthaeus de Rubeis Ursinus, Romanus ex nobilissima prosapia, cardinalis ab a. 1261-1306, qui duodecim pontificum electioni interfuit, exposuit psalmos; Job Thomas Langford O. Praed. Essexiensis, theologiae doctor cantabrigiensis (fl. c. 1314), cujus chronica ab o. c. usque ad suam aetatem pariter mansit inedita. — Ex laboribus et compilationibus in universam fere Scripturam Jacobi de Lausana (Lausanne) in Helvetia O. Praed., provincialis Franciae, qui Parisiis ss. literas et magistrum sententiarum interpretatus est († 1321), concinnavit anonymus *opus moralitatum* ... cunctis verbi Dei concionatoribus pro declamandis sermonibus per quam maxime necessarium etc., Lemovicis 1528 in 8. Excerptae in eo exhibentur moralitates super Pentateuchum, l. Job et super quinque ll. sapientiales, super Isaiam et Apocalypsim ex illius postillis. Ejus *sermones dominicales et festivales* per totum anni circulum prodierunt, Parisiis 1530, qui tamen videntur ex ore dicentis ab aliquo auditore reportati, ab auctore ultima manu non limati. Eos nugaces et pueriles vocat Oudin III, 739. Commentaria in plures ll. s. Scripturae reliquisse fertur, necnon in magistrum sententiarum, quae manserunt inedita. — Hieronymus Michael Carmellus O. b. M. de Merc. piissime scripsit[1]) in Cantica canticorum (fl. 1322). — Robertus O. Ci. abbas pontiniacensis, dein praepositus generalis totius ordinis, demum cardinalis († 1305) Psalmos illustrasse traditur.

257. Praetermisso Paulo Gualducci, de Pilastris cognominato O. Pr. florentino, insigni concionatore, patriarcha gradensi, qui tamen decimo quinto ab ingressu die morte abreptus est a. 1313, cui annotationes in N. T. tribuuntur, Albertus O. S. Aug. sermonibus magnam N. T. partem illustravit. Natus is est Patavii, et juvenis a. 16 ordinem est ingressus (1285). Studiorum causa missus fuit Parisios, ubi Aegidium a Columna magistrum habuisse ferunt, quod Ossinger in dubium vocat. Laurea theologica obtenta aliquamdiu ibidem ss. libros magna discipulorum frequentia explanavit: dein rediit in patriam, in qua orator maxime inclaruit, ita ut Bonifacius VIII. eum videre et cum cardinalium collegio audire voluerit. Postea Parisios reversus magistrum sententiarum explanavit. Decessit in patria sua a. 1323 (secundum alios 1328) tanti a concivibus ob eloquentiam factus, ut ei erexerint in patavino palatino statuam marmoream insigni illustratam encomio. A nonnullis dictus est „studiorum columna ac summus reipublicae christianae splendor,“ et ob sanctimoniam singularem beati nomine decoratus. Ex ejus operibus, quorum plura manserunt inedita, ut expositio in Pentateuchum, ll. 14 in omnes d. Pauli epistolas, in magistrum sententiarum, l. de veritate christianae religionis etc., lucem aspexerunt Libri quatuor *in quatuor Evangelia*, Venetiis 1476 in f.; expositio *in evangelia dominicalia* totius anni et aliquarum solemnitatum, Ulmae 1480; Taurini 1529; Parisiis 1544; 1550 in 8; *sermones quadragesimales*, Venetiis 1523; 1584; *de sanctis* ib. 1584; *sermones in festa nativitatis et purificationis b. V.* in bibliotheca virginea Petri de Alva et Astorga etc.

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. v. l. IX c. 4 n. 197.

[1]) In hoc Evangelium scripsit Guilelmus Lidlington O. Carm. anglus, doctor oxoniensis († c. 1310), cujus alia quoque opera (inedita) laudantur. Cum hoc idem videtur Guilelmus Lundtlinchton, qui tamen dicitur fuisse O. Carth. et obiisse a. 1109.

— *In evangelia dominicalia* exstant sermones morales Antonii de Azaro (Azario) O. Praed. oratoris illustris (fl. c. 1314), Coloniae 1482 in f.; Parisiis 1515 in 8. „Hi sermones, inquit Quetif I, 530, auctorem suum arguunt eruditum, sapientem, clarum, Evangelio cuilibet integre juxta utrumque sensum literalem et moralem explicando attentum, nihil extra dicentem, adeo ut ejus aetatis inter meliores et utiliores facile censeas.“ — In solum c. 5. Evangelii d. Matthaei commentaria sive *enarrationes fusiores* (Venetiis 1603 in f.) scripsit Nicolaus Bocasinus O. Praed. Tarvisinus, qui fuit electus in (9.) magistrum ordinis (1296) „venerabilis semper et omni laude dignus pater ac vere Israelita . . . virtutum jubar, religionis speculum, devotione sanctus, zelo fervidus, sapientia clarus, Deo et hominibus gratiosus. Lucebat insuper in ipsius exteriori homine veneranda humilitas, admiranda sanctitas, multa benignitas, mira in conversatione simplicitas, accepta maturitas in incessu.“ Magna pollebat auctoritate apud Bonifacium VIII., a quo „destinatus est cum generali O. Minorum ad pacem componendam cum regibus Romanorum et Angliae;“ et a. 1298 purpura decoratus atque episcopus ostiensis est factus. „Tandem[1]) post mortem Bonifacii supradicti assumptus est ad summum pontificatum omnibus cardinalibus in eum consentientibus et ut papatum reciperet supplicantibus (22. Oct. 1303),“ quem tamen non diu tenuit, morte sublatus non sine veneni suspicione jam anno proximo 6. Jul. 1304. Dictus est Benedictus XI. et beatis accensetur. Martyrologium romanum ad diem 7. Juli in eo laudat, quod „Ecclesiae pacem, disciplinae restaurationem, religionis incrementum mirifice promoverit“. Ejus constitutiones etc. prodierunt cura C. Grandjean in op. *Le Régistre de Bénoît XI.*, fasc. 1—4 Parisiis 1884—86 in 4; Regesta habes apud Potthast II, 2025—2038; 2134. Alia ejusdem opera, ut in Psalterium, Job et Apocalypsim manserunt inedita. — Petro Babion (Babyon) Anglo, oratori et poetae, qui secundum alios fl. a. 1317, secundum alios intra 1330—60, tribuitur a Raynaudo *commentarius in Matthaeum*, qui prodiit cum operibus s. Anselmi cantuariensis, ab aliis tamen tribuebatur Guilelmo parisiensi. — Philippus O. Min. Florentinus, ab aliis dictus Ultranensis, magnae scientiae lector multis annis in variis studiis generalibus (fl. 1313), concinnavit historiam seu concordantias evangeliorum (ineditas). — Expositiones in Evangelia et in 14 ep. s. Pauli Angeli de Camerino, episcopi caliensis (Cagli), dein fesulani, quam infulam resignavit a. 1301, manserunt ineditae, sicut alia ejusdem opera, ut lecturae in magistrum sententiarum etc. — Ita et gemina opera Radulphi Acheduni (Actoni) magistri oxoniensis (fl. 1320). — Hugonis de Prato (de Pratoflorido) O. Praed. Etrusci, concionatoris celebris († 4. Dec. 1322) „sermones quamvis aliquam ejus aevi simplicitatem oleant, etiam hujus politioris delicatiorisque seculi non displicent auribus avideque leguntur et conquiruntur a celeberrimis verbi Dei praeconibus ob eximiam methodum rationumque pondus[1]).“ *Sermones do-*

[1]) Haec et praecedentia sunt ex Bernardo Guidonis apud Quetif I, 445 s. Cf. plura de eo in vita concinnata a sodali Georgio Lazari de Tarvisio et praemissa ejus commentariis; Ant. Scoti in Memorie del B. Benedetto XI. etc., Trivigi 1737; Funke Papst Benedikt XI. in kirchengesch. Studien ed. a Knöpfler I (1891) 1; Kindler Benedikt XI, Posen 1893; vita ejus ante pontificatum in Mélanges d'archéol. et hist. 1888 p. 219—291; Grisar Ztschr. XII (1888), 152—156, Gautier Leon, Bénoit XI. Etude sur la papauté au commencement du XIVe siècle, Paris 1863; Hefele VI § 694.

[1]) Quetif I, 551 Alterius Hugonis de Prato Etrusci mentionem facit inter scriptores O. Min. Wadding, qui etsi

minicales super evangelia et epistolas per totum annum prodiisse videntur

s. theologiae doctor „factus minorita delegit vivere sub humili statu laicorum seu conversorum. A longa et severa poenitentia 40 annis ferens thoracem ferreum super nudam carnem dictus est Hugo de Pantiera.“ Missus est ad procurandam Tartarorum salutem c. a. 1312, et in Tar-

Lovanii 1484 in f.; cum sermonibus *de festis* (qui seorsim prodierunt Heidelbergae 1485) Lugduni 1511; 1528; Parisiis 1542; Antverpiae 1617 in 8; *quadragesimales* Venetiis 1578; 1584.

taria decessisse videtur. Prodierunt italice exarati duo tr. *Della Vita attiva e contemplativa*, Florentiae 1491; Genuae 1535.

III. Historia ecclesiastica.

258. Ex plurimis *chronicis* aliquot sufficiat nominasse. Jacobus Aquensis seu de Aquis O. Praed. dedit *chronicam imaginis mundi* ab o. c. ad a. 1290, cujus partem edidit J. B. Moriondus inter monumenta aquensia, Taurini 1790. II, 133—175; integram G. Avogadro in monumentis historiae patriae III, 1357—1626. — Sifridus parochus balnhusinus (Gross-Ballhausen in Thuringia), falso presbyter vel monachus misnensis cognominatus, compilavit sine judicio critico historiam universalem ad a. 1304, quam retractavit, auxit perduxitque ad a. 1306 atque inscripsit *Compendium historiarum*. Neutrum opus prodiit integrum. Omissis ed. antiquioribus[1]) utrumque admodum accurate quoad partem posteriorem a sec. XII. cura O. Holder-Egger prodiit in MG. XXV, 679—718. — Landulfus de Columna, quem aliqui confundunt cum Landolfo Sagaci (fl. c. 1000), canonicus carnotensis, concinnavit *breviarium historiarum* ab o. c. ad a. 1320, cujus fragmenta quaedam edidit Nat. de Wailly apud Bouquet Recueil XXIII, 193—98. Hoc opus non est idem cum *breviario historiali*, Pictavii 1479 in 8., quod pertingit ad a. 1428. Tribuitur nostro etiam Tr. *de translatione imperii* a Graecis ad Latinos sive de statu et mutatione imperii, qui etiam occurrit sub nominibus Ludolphi, Pandulphi, Radulphi[1]) etc. Prodiit apud Schard *de jurisdictione*, Basileae 1566 p. 284-97; Argentorati 1609 p. 161-67; 1618 in sylloge 161—67; apud Goldast, Monarchia II, 88—95 Francofurti 1614. — Joannes Parisiensis can. reg. O. S. Aug. s. Victoris[2]) gente Anglus scripsit *Memoriale historiarum* ab o. c. ad a. 1322. Initio praebet tantum excerpta ex aliis chronicis, sed cum attingit sua tempora, jam majoris est utilitatis, unde ex illo derivavit Baluzius vitam Clementis V. (studio partium pro Philippo rege concinnatam) et Joannis XXII., quas edidit inter vitas paparum avenionensium, Parisiis 1693 t. 1.; Muratori III. 2. 451 ss.; pars ab a. 1289—1322 exhibetur in Bouquet Recueil XXI, 633-76 cum anonymi continuatione ad a. 1329. Decessisse videtur auctor circa a. 1322. — Franciscus Pipinus O. Praed. bononiensis superiorum jussu *iter orientale* (ab a. 1250—68 et 1269—95) Marci Pauli veneti ex italico latine vertit, ut sodales in illas regiones fidei causa missi prius quam iter aggrederentur, descriptionem legere atque

[1]) Cf. Potthast p. 1015.

[1]) Cf. Potthast p. 709. Contra hunc l. scripsit Marsilius Patavinus suum opus *de translatione imperii* (Basileae 1555 etc.), ein oberflächliches und gehaltloses Machwerk (Wurm KL. VIII², 909).

[2]) Alius est a Joanne Boivin pariter canonico a s. Victore (1327; † 1351).

nosse possent. Ipse vero Franciscus ex interpretatione operis eo studio exarsit, ut missionem in terram sanctam impetraret. Transiit ergo a. 1320 in Palaestinam fideles sub Saracenorum jugo oppressos in fide confirmaturus et post plures annos in Oriente exactos reversus, suum descripsit itinerarium in tr. *de locis terrae sanctae visitatis;* germanice in op. *Dritte Wanderung nach Palästina* im J. 1057, Gothae 1859 p. 400—412 ed. Tit. Tobler; versio vero illa M. Pauli videtur mansisse inedita. Compilavit praeterea[1]) *magnum chronicon* ad a. 1314 in ll. 31 distributum ex integro nunquam editum, quia ll. priores 21 nihil novi continent. Majoris jam pretii est ab a. 1176: hinc Muratori cap. 199 ex ll. 22—24 exhibet in SS. rer. it. IX, 587—643; l. 25, quinarrat bella sacra, (per errorem) sub nomine Bernardi Thesaurarii VII, 659; ll. 26—31, ib. IX, 644-752. — Leo Urbevetanus O. Praed. (fl. 1313) praeter *chronicam imperatorum* collegit quoque *romanorum pontificum chronicam* ad a. 1294., quam reperies apud Jo. Lami in deliciis erud. Florentiae 1737 t. II; priorem, resectis quae aetatem Caroli M. praecedunt et adjectis historicis observationibus (800—1289), ib. t III. — Gervasius Ricobaldus Ferrariensis, canonicus ravennatensis (fl. 1312), *Pomerium* ravennatis ecclesiae seu chronicon totius orbis compilavit ex pomeriis, ut ipse fatetur, Hieronymi, Prosperi, Mileti, Isidori, Eutropii, Pauli diaconi, Rufini, Petri trecensis, Pauli Orosii et T. Livii in sex ll. divisum, quorum tres priores ab o. c. ad Christum n., tres posteriores a Christo nato ad a. 1300 progrediuntur, ita ut 4. exhibeat gesta imperatorum aliorumque principum; 5. orbem terrarum describat; sextus denique successionem pontificum sediumque illustrium antiochenae, hierosolymitanae, alexandrinae et ravennatensis. Integrum non prodiit, sed historiam pontificum romanorum inseruit Eccardus in corpus hist. medii aevi I, 1189—1224; compilationem chronologicam ad a. 1312 (si est ipsius), ib. p. 1225—98; historiam imperatorum a Carolo M. ad a. 1298, ib. 1150—90; et plenius Muratori cum *pomerio ravennatis ecclesiae* (ab a. 700—1297) Script. rerum ital. t. IX, 107—262. Chronicon continuavit Jo. Phil. de Lignamine typographus romanus ad a. 1469, Romae 1474; 1476; apud Eccard I, 1299—1314; Muratori IX, 263-276. Cf. Tiraboschi IV. l. 2 c. 6 n. 5.

259. Haython (Aytonus, Hethoun, Haito etc.) Armenus, Haythonis regis Armeniae ex matre nepos, post bello partas victorias abjecto cingulo militiae secularis vitam monasticam in monasterio ord. Praem. insulae Cypri elegit (1305; † c. 1308). Dictavit[1]) ex opere patrui *historiam orientalem*, quam Nicolaus Falconi primum gallice ex-

[1]) Cf. Potthast p. 466.

[1]) Cf. Paulin Hist. lit. de France XXV, 479—507. — Petrus Dubois advocatus constantiensis (Coutances), qui stetit ex parte Philippi regis in controversia cum Bonifacio VIII., scripsit (1305-1307) *de recuperatione terrae sanctae.* Es ist, scribit Grauert hist. Jahrb. XII (1891), 807, eine kirchliche und politische Reformschrift im großen Stil, die in ihren theilweise kühnen und radikalen, für die kirchliche Disciplin, wie für die politische Machtstellung Deutschlands gleichmäßig bedenklichen Vorschlägen, dann anderseits mit ihren höchst merkwürdigen Plänen einer Schulreform und Kolonisation des hl. Landes der eigenen Zeit weit vorausgeeilt. Prodiit inter Bongarsii Gesta Dei per Francos et cur. Ch. V. Langlois in Collection de textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'histoire fasc. IX. Parisiis 1891. Reliquit et scriptum Summaria brevis et *compendiosa doctrina felicis expeditionis* et abbreviationis guerrarum ac litium regni Francorum, cujus prolixa fragmenta exhibet Nat. de Wailly in Mémoire de l'institut de France, Académie des inscript. et belles lettres XVIII (1849), 2, 435-494 et Langlois in annot. ed. suae op. supra laudati.

cepit (Parisiis 1522) et deinde latine vertit. Prodiit cura Menradi Molther inscripta *liber historiarum partium Orientis* sive Passagium terrae sanctae, Hagenoae 1529 in 4; cum Marci Pauli itinerario ed. Reineccius Helmstadii 1585 in 4. opus rarum; Andreas Müller, Berolini 1671 etc.; saepe jam olim gallice[1]). — Nicolao Vischel O. Cist. in sancrucensi coenobio tribuit Hier. Pez in Script. austriacis I, 707-38 continuationem ab 1301—10 *chronici austriaci* Paltrami sive Vatzonis consulis viennensis a n. Chr. ad a. 1301, et quod anonymus continuavit ad a. 1454. Plura Nicolai opera manserunt inedita ut ll. 12 de laudibus s. Mariae V., l. de incarnatione Verbi contra Catharos, tr. contra perfidos Judaeos; tr. de eucharistia etc. — Eberhardus Altahensis, magister, canonicus et archdiaconus ratisbonensis, continuavit *annales* Hermanni Alt. ab a. 1273-1305, additis epistolis pretiosis, quos exhibet Jaffé in M. G. SS. XVII, 591—605, in quibus attingit res gestas non solum in Bavaria, sed et in regionibus adjacentibus. Anni posteriores quinque praesertim aestimantur. Prodierunt jam antea in Canisii lectionibus ant. IV[2], 216—34; Boehmer fontibus II, 526-53. — Gentilis cardinalis narrat acta legationis suae 1307—11, quae habes in monumentis vatic. historiam regni hungarici illustrantibus, Budapestini 1885 scr. I. t. 2. Porro Gentilis[2]) cognomine de Montefloris, patria Picenus, professione Minorita, ex lectore s. Palatii renunciatus est a Bonifario VIII. cardinalis a. 1300, ejusdem pontificis postea fuit propugnator acerrimus contra quoscunque adversarios, in primis Philippum Galliae regem. A Clemente V. missus est legatus in Hungariam, ut Hungaros Carolo regi conciliaret. Post legationem hungaricam aliis legationibus in Gallia et Sicilia perfungitur, et jam antea constitutus fuerat inquisitor haereticae pravitatis in primis contra fraticellorum sectam († 27. Oct. 1312).

260. *Annales s. Ruperti salisburgenses* (1—1286) continuavit ab a. 1280—1307 Weichard de Polhaim archiepiscopus salisburgensis († 1315), quos (cum continuatione alterius ab a. 1308—27) prius Pez SS. rer. austr. I, 382—494, dein W. Wattenbach in M. G. SS. IX, 758—810—18—823 publicae luci dedit. Eum continuasse etiam Hermanni Contracti chronicon ab a. 1279—1310 et hanc continuationem cum aliis auctoribus editioni parasse Lambecium scribit Fabricius (VI, 610). — Thomas eichstettensis (fl. 1321) narrat *gesta* aliquot episcoporum eichstettensium, quae exhibentur in M. G. SS. XXV, 591-93, et in *tabula leonrodiana eystettensi* explicata et illustrata. Accedunt vitae pontificum eystettensium ad sec. usque XVI. ex pontificali gundecariano descriptae, Eichstaett 1867. — Ellenhardo magno argentinensi fabricae procuratori et gubernatori praebendariorum pauperum s. Spiritus († 1304) tribuuntur, saltem ut auctori mediato, plura accurate concinnata, quae referuntur ad historiam ecclesiae argentoratensis, cujusmodi sunt *Annales argentinenses* (1132—1297); *annales hospitalis argentinensis* (1279-82, quibus postmodum adjecti sunt a. 1372-89); *bellum waltherianum* (scil. inter episcopum Walther et cives urbis 1260-62); *catalogus episcoporum argentinensium* (346—1299); *chronicon* a Chr. n. — 1299, *Miracula* s. Mariae argentinensis a. 1280 acta, quae omnia[1]) edidit Jaffé in M. G. SS. XVII, 91—141 et aliqua Boehmer Fontes t. III.

[1]) Cf. Potthast p. 572; Röhricht Bibl. p. 65 ss.

[2]) Cf. plura de eo apud Eggs in Purpura docta II, 259—64.

[1]) Cf. Potthast p. 402 s.; Michael III 323—335 et Ztschr. f. k. Th. XXVI (1902) 522 s.

Aliquorum horum scriptorum auctor est Godefredus de Ensmingen curiae episcopalis notarius. — Antonius de Godis (Godius) nobilis vicetinus († c. 1313) composuit *chronicam rerum vicetinarum* (ab a. 1194—1260), in qua plurimum utitur historiis de rebus gestis Eccelini et dominorum de Romano et marchiae tarvisinae, quibuscum edita fuit a Felice Osio (et cum historia Henrici VII. Albertini Mussati † 1329) Venetiis 1636; a Graevio in thes. antiq. Italiae t. VI p. 1; aucta et emendata a Saxio inter Muratorii SS. rerum It. VIII, 71—90. — Julianus Forojuliensis cum Joanne fratre suo collegit *annales forojulienses* ab a. 1252 usque ab a. 1331, forte et ultra ad a. 1364, quae tamen continuatio judice Mansi videtur esse alterius auctoris anonymi[1]). Eas Bern. de Rubeis in Monumentis eccl. aquilej. primum edidit append. p. 20—37; cum annotationibus historicis (in a. 1344—64) Petri Passerini tabellionis utinensis, ib. 37—42; Muratori inter SS. rer. It. XXIV, 1193—1230 (cum additamentis ad a. 1364), ed. in pluribus diversa a 8 ed. priori; Arndt in M. G. SS. XIX, 194—222. — *Chronica astensia* coepta ab Ogerio Alferio archivario ab a. 1070—1293 continuavit Guilelmus Ventura civis ab a. 1260 ad a. circiter 1325 sub. tit. *Memoriale de rebus gestis Astensium*, quibus postmodum 1419—57 Secundinus Ventura historica quaedam adjecit, quae prodierunt apud Muratori SS. rer. It. XI, 139—282; apud Promis in Miscellanea di Storia Ital. Taurini 1870 IX, 110—341; Cipolla e Manno Tabula metodica, ib. 1884. XXIII, 121—231. — Guilelmus Major (le Maire) gallus ex canonico poenitentiario episcopus andegavensis (1290; † 13. Maj. 1314) descripsit *gesta* episcopatus sui, quae edidit D'Achery in spicilegio II², 159-207; sicut et ejus *statuta synodalia*, ib. I², 735—747. Hujus est etiam votum Clementi V. oblatum de argumentis in concilio oecumenico viennensi (a. 1311) tractandis, quod legitur apud Bzovium ad a. 1311 n. 2 ss.; Mansi. XXV, 414, qui illud tribuunt Durando juniori, de quo mox p. 534 a. Cf. Hefele VI², 317. — Edmundus de Hadenham OSB. monachus anglus reliquit *annales ecclesiae roffensis* (Rochester) a prima sedis fundatione a. 604—1307 apud Wharton Angliae sacrae I, 341—55, qui derivati sunt ex ampliore ejusdem opere (inedito) scil. ex historia ecclesiastica ab o. c. ad a. Christi 1307. — Joannes de Schalby canonicus lincolniensis narrat *vitas episcoporum lincolniensium* a fundatione ecclesiae ad a. 1324, quas edidit Jac. F. Dimock in Giraldi Cambrensis op. Londini 1877. VII, 193—216.

261. Alexander O. Ci. monachus Casae novae in Aprutio regni neapolitani circa a. 1300 scripsit *chronicon* sui monasterii s. Bartholomaei de Carpineto ll. 6 ab a. 962 usque ad 1159, quod edidit Ughelli[1]) in Italia sacra IX, 1231 (ed. novae X, 349-82). — Conradus de Ranshofen Can. reg. s. Ang. praepositus († 1311) dicitur collegisse *annales wessofontanos*, quorum reliquiae sat tenues (ab a. 1195-1279) exhibentur a Leutner in historia wessofontana II, 26—35. — Werner (Wirnher) de Saulheim O. Min. scripsit Erzählung über die Stiftung des Klosters Clarenthal bei Wiesbaden (1314) apud Kremer Orig. Nassoic. II, 405; Schliephake Gesch. von Nassau II, 225. — Joannes de Ellenbogen (a Cubito, oppido bohemico) O. Ci. ex priore waldsassensi abbas (1313—1325), in observatione regulae strenuus et vigil, narrat quaedam de vita venerabilium monachorum monasterii sui, apud Pez bibl. ascet. VIII, 465—91. Sed in narrando credulum nimis se exhibet refert-

[1]) In Fabricii bibl. latin III, 226 ed. Florentiae 1858.

[1]) Vide et V. Bindi Monumenti storic ed artistici degli Abruzzi Neapoli 1889 p. 552.

que plane incredibilia[1]). — *De gestis abbatum monasterii s. Germani autisiodorensis* ab a. 998-1285 scripsit Guido Burgundus de villa Mymo O. S. B., abbas ejus monasterii ab 1285—1309, quo a. dignitati abbatiali renunciavit († 23. Febr. 1313). Ea Labbeus in bibl. nova mscr. I, 570—93 edidit, subjuncta vita Guidonis scripta ab Aymone de Bordis ejusdem monasterii sodali, qui eum plurimum laudat a diligentia indefessa et solertia, qua noctes agens insomnes chartas monasterii sodalibus ob literarum vetustatem et varietatem parum claras charactere legibili descripserit atque ordinaverit. — Stephanus Maleu Comodoliaci canonicus († 1322) scripsit chronicon Comodoliaci ad Vigennam sive veteris abbatiae ss. Juniani et Amandi (ab a. 500-1316, quod recentiori aetate prodiit: *Chronique de Maleu* ... publiée pour la première fois etc., cura Arbeillot, Saint-Junien et Paris 1847 in 8. — Walterus (Gualterus) de Whytleseye scripsit *historiam coenobii burgensis O. S. B.* ab a. 1246—1321, quae est continuatio op. Roberti de Swapham (cf. p. 365), apud Sparke hist. anglic. SS. p. 125—216.

262. Inter *hagiographos* referri possunt: Petrus Calo (Calotius) Venetus Fossae Clodiae (Chiozza), qui exacte, sed nimis fuse narrat *vitas sanctorum* t. 2 ingentis molis, quarum aliquae prodiisse videntur[2]). Obiit c. 1310. — Juncta de Bevegna (Bevegnati) O. Min. Italus concinnavit Legendam *de vita et miraculis b. Margaritae Cortonensis* († 1297), cujus fuit confessarius. Ea prodiit (sine c. 12. de miraculis) in actis SS. ad diem 23. Febr. cum notis et additionibus Henschenii (III, 300-56); italice cum annotationibus et dissertationibus Ludovici de Pelayo; iterum edita a P. E. Crivelli, Senis 1897, editio bona. — Joannes de Orta de civitate Trani, Apulus ut testis oculatus, profuse et accurate conscripsit (c. 1316) *vitam s. Ludovici* ep. tolosani, filii Caroli II. Siciliae regis († 1297), cujus erat archidiaconus, eleemosynarius, capellanus domesticus ac familiaris et aliquamdiu confessarius. Eam habes in Anal. boll. IX (1890), 281—353. Hujus vitae veluti compendium est bulla canonizationis s. Ludovici. - Hugolinus de Monte Giorgio (de s. Maria in monte) firmanae dioecesis oppido († p. 1322) auctor est *Floreti,* quod accurate edidit P. Sabatier, Parisiis 1902, ex quo prodiit mirabilis et incomparabilis libellus, unctione plenus, stilo classicus[1]), cui titulus: *Fioretti,* miracoli ed esempli devoti del glorioso poverello di Cristo messer s. Francesco e d'alquanti suoi santi compagni, quod primum prodiit Mediolani 1472, et dein saepius, saltem quindecies eodem adhuc seculo; Veronae 1822 cur. A. Cesari ed. optima et fidelis, Romae 1889, quae exhibet textum originalem versionis italae minus fideliter; et 1900; gallice cur.

[1]) Cf. Michael III, 201.

[2]) Cf. Potthast p. 183; Archivo Veneto III. (1892), 1, 117—118; Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. III, 443.

[1]) Cf. Zeitschr. für k. Theol. IV, 389; VI, 189; Aloisi Archivio storico ital. IV. disp. VI. 1879 p. 488 ss. Opusculum ipsum Fioretti Sbaraglia tribuit Joanni a s. Laurentio seu de Marignolis (Marignola) a s. Laurentio nobili familia Florentiae nato, quem Innocentius VI. episcopum bisinianensem in Calabria a 1354 creavit, quique stili puritate adeo excelluit, ut ejus auctoritate uterentur scriptores Vocabularii florentini vulgo *della Crusca* dicti: quod de opusculo italo, non de opere originali latino conceditur. Composuit quoque *chronicam* ab Adam usque ad a. 1362, quam ediderunt Dobner in Monumentis II, 79—282 et Emler in fontibus rer. boh. III, 492—604. Missus quoque fuerat legatus apostolicus in Asiam 1354. Relationem de hac sua legatione ex ejus chronica collegit, in ordinem redegit vertitque J. G. Meinert in Abh. der k. böhm. Gesellschaft der Wissensch. Pragae 1820. Ceterum ejus *Itinerarium orientale* ed. Dobner in Monum. hist. Boh., Pragae 1768 XI, 113 ss., et Aug. de Gubernatis Viaggiatori Italiani 1875 p. 142—161.

Chaulin Romae 1901; germanice singulari cura et diligentia Kaulen, Moguntiae 1880 ed. 2; hispanice Matriti 1887. — Guilelmus de Tocco (Thoco) Siculus, s. Thomae discipulus et canonizationis ejus praecipuus promotor, cujus invocatione praesentissimum naufragii evasit periculum, cum inquisitionis jam factae processum et acta deferret ad Joannem XXII. Scripsit etiam *s. Thomae Aq. vitam*, Venetiis 1588 in 4; italice Firmi 1577; in actis SS. ad 7. Mart. I, 657—86. — Arnaldus Fulginas O. Min. consanguineus et a confessionibus b. Angelae Fulginatis († 1309) hujus *vitam* scripsit, quae una cum opusculis ab ipsa dictatis vulgata legitur in actis SS. t. 1 ad d. 4. Jan. — Petrus de Monte Rubiano auctor est *vitae s. Nicolai tolentinatis* († 1305), cui erat coaevus. Exstat ea in Actis SS. 10. Sept. III, 644—664. — Clemens, presbyter ut videtur, narrat *vitam b. Thomae Heliae* presbyteri Bivillae in Normannia inferiori († 1257), in Actis SS. 19. Oct. VIII, 606—618 (cum ejus miraculis); in Léop. Delisle Mémoires de la Société acad. de Cherbourg 1861 p. 203—38; Pontaumont, Vie du b. Th. Hélie Cherbourg 1868 p. 26-57. Dicitur Clemens coaevus Th. Heliae et tamen vitam produxisse ad a. 1316. — Philippus Rodhamsusanus, alsata, doctor theologus parisiensis, abbas O. Cist. in monasterio Alsatiae Pairis vel Péris, dein episcopus eichstettensis (1305-22) scripsit post Wolfhardum OSB. (fl. circa 890) *vitam s. Walburgis* († c. 780), quam ediderunt Canisius in lect. antiq. IV², 238; in actis SS. 25. Febr. III, 553—63 et Gretserus cum ejusdem Philippi l. *de ecclesiae eichstettensis tutelaribus* ss. Richardo, Willibaldo, Wunebaldo et Walburga commentario, notis et observationibus illustrato, Ingolstadii 1617 et inter ejusdem op. t. X. — Eynwicus praepositus canoniae s. Floriani in Austria (1289—1313) Can. reg. s. Aug. absque judicio critico scripsit *vitam v. Wilburgis* virginis reclusae, cui fuerat a confessionibus († 1289), quam vulgavit cum diss. isagogica et notis Bern. Pez sub titulo *Triumphus castitatis* seu acta et vita etc., Augustae V. 1715, ed. rara; 1754 etc[1]).

[1]) Pro historia culturae hujus temporis aliqua colligi possunt ex carmine satyrico sub *Occulti* nomine edito (v. 2441) Nicolai de Bibra (Bibera) forte magistri erfordiensis et custodis ecclesiae biberacensis († p. 1307), in quo invehitur praeter alia in mores corruptos sui temporis, acriter vero in Martinum IV. Hinc Flacius eum recepit in catalogum testium veritatis, sed praepostere. Edidit illud primum Höfler 1861; accuratius Fischer Nic. de Bibera Occulti erfordiensis carmen satyricum inter Geschichtsquellen der Prov. Sachsen, Halle 1870 I. Cf. Michael III, 308—310.

IV. Theologia practica.

263. Ex romanis pontificibus in jure canonico nominatissimi sunt Bonifatius VIII. et Clemens V. Ille patria erat Anagninus, et vocabatur antea Benedictus Cajetanus, quia parentes ejus diu degerant Cajetae. Insignis evasit in jure canonico. Postquam varia obierat munera atque in variis negotiis adhibitus fuerat ecclesiasticis, dictus est cardinalis a Martino IV. a. 1281. Post abdicationem Coelestini V. electus est in pontificem 24. Dec. 1294. Multa passus est a Philippo Pulchro, rege praepotente. Hinc coactus est plures contra eum edere literas et constitutiones, inter quas celeberrima est constitutio „Unam sanctam“[1]): demum

[1]) Cf. de hac bulla Grauert hist. Jahrb. 1888 p. 137 ss.; Scheeben Katholik 1888

anathemate devinctum declarare. Quare regis ira in eum fuit succensa adeo, ut inaudito facinore eum caperet[1]). Nimio propterea pontifex moerore confectus et vel a suis asseclis desertus Romae decessit 11. Oct. 1303 a. aetatis 80. Verum nec mors pontificis iram regis lenivit, vel mortuum est persecutus nullum non movens lapidem, ut Clemens V. Bonifatii memoriam damnaret. Pontifex negotium distulit et protelavit, donec rex a sua iniqua desisteret postulatione. Concilium demum viennense Bonifatium fuisse catholicum declaravit nulloque modo se haeresi affinem reddidisse[2]). *Bullas, epistolas* ejus et diplomata collegerunt Geo. Digard, Maurice Faucon et Ant. Thomas: Les Régistres de Boniface[3]). Recueil des bulles de ce pape publiées ou analysées etc. Parisiis 1884—1890; Regesta exhibet Pötthast II, 1923-2024. 2133. Praeprimis vero innotuit promulgatione *libri sexti decretalium*, quae scil. prodierunt post a 1234, in quo componendo usus est opera, ut infra dicemus p. 511 card. Richardi Petroni, Guil. de Mandegoto et Berengarii Fredoli. Optima intentione cogitavit magna, sed ob temporum iniquitatem multorumque adversariorum praepotentiam haud felici exitu. Ipse primus solemniter celebravit seculare jubilaeum incredibili fidelium concursu. — Bonifacio VIII. suffectus est Benedictus XI, de quo jam egimus p. 493. Hoc brevi post e vivis sublato (6. Jul. 1304) electus est post conclave longum 5. Jun. 1305 absens Bertrandus de Goth (Gauth) archiepiscopus burdigalensis, natione Gallas n. 1264, a Bonifatio VIII. ad hanc promotus sedem. Nimis facilem et indulgentem se gessit erga Philippum Galliae regem infensum Bonifatii adversarium, cui quidem hujus pontificis damnationem urgenti non cessit remissis tamen omnibus in hujus pontificis hostes merito statutis poenis ecclesiasticis. In templariorum vero suppressionem regi consensit: quem in finem etiam synodum convocavit universalem Viennam (1310). Causae agitatissimae exitus erat, ut pontifex ordinem non abrogaret per sententiam judicialem, sed per modum provisionis seu administrationis apostolicae (22. Mart. 1312). Bona illius contra pontificis provisionem rex sibi usurpavit! Dolendum vero maxime est, pontificem occasionem, si non causam, fuisse, ut exinde pontifices per tot decennia Avenione consisterent Roma relicta (1309—1377). Decessit[1]) Clemens V. in itinere 20. Apr. 1314. Ipse Coelestinum V. sanctorum adscripsit catalogo (5. Maj. 1313). In jure tamen canonico propterea est nominandus, quod constitutiones Clementinas dictas in unum coegerit volumen divisum in ll. V sub congruis titulis (52). Haec compilatio a pluribus dici solet *liber septimus*, sed citari solet sub titulo *constitutiones Clementinae* vel Clemen-

t. I, 449—483; 561—602; et Hötzl pluribus fasc. in hist.-pol. Bl. 1888, qui omnes scripserunt adversus J. Berchtold.

[1]) Cf. de hoc infami ausu Revue des qq. histor. XI (1872), 511 ss.

[2]) Cf. Finke Aus den Tagen Bonifatius VIII. Funde und Forschungen, Münster 1902; Küpper KL. II, 1037—1062, qui copiosam exhibet literaturam; L. Tosti OSB. Storia di Bonifazio VIII e de suoi tempi, Monte Casino 1846 t. 2; germanice Tübingen 1848. Diarium quoddam Laurentii Martini parochi de iis, quae in Bonifatii VIII. aula contigerant a 12. Jan. — 21. Mart. 1302 edidit Finke in op. cit. p. XXXVIII—L append.; Hefele VI² § 684 ss.; qui de variis hujus pontificis constitutionibus accurate disserit; Balan, qui in app. suarum diss. de processu Bonifacii VIII. apologiam hujus pontificis a cardinalibus editam luci dedit.

[3]) Cf. de hac collectione Grisar in Zeitschr. f. k. Theol. XII (1888), 144-152.

[1]) Cf. Küpper KL. III, 462-473; Hefele VI² § 695 ss.; de ejus decretalibus § 701. Sex biographias hujus pontificis antiquas edidit Baluzius in suis vitis PP. aven., de quarum tamen pretio historico cf. W. Otte in diss. inter kirchengesch. Abh. editas a Sdralek 1902 p. 1—73.

tis V. Ea promulgata fuit a Joanne XXII ed. 25. Oct. 1317. Inter eas reperiuntur constitutio salutaris, ut in singulis universitatibus majoribus cathedrae instituantur linguarum hebraicae, arabicae et chaldaicae; et damnatio errorum sectae Beguardorum et Beguinarum, necnon et definitiones contra errores Jo. Petri Olivi, et de effectibus baptismi. Clementinarum collectio edita fuit saepissime, ut per se liquet, in Corpore juris canonici, et seorsim. Textus editionis romanae 1582 est authenticus. *Regestum* ejus constitutionum etc. editum fuit cura et studio monachorum OSB. Romae 1885-1890. Bulla, qua templariorum ordinem suppressit, diu eruditos latuit, donec eam Pius Gams reperit in opere raro Joach. Laur. Villanueva Viage literario a las iglesias de España, Matriti 1806 t. V append. p. 207-221; inde illam Hefele edidit in theol. Qtlschr. 1866 pag. 63 ss.

264. Guido de Baysio (Baisi, quae est arx in ditione regiensi, per errorem de Bayfo), juris canonici clarissimus doctor[1]), Gerardi episcopi parmensis sacellanus, dein a. 1296 a Bonifacio VIII. archidiaconus bononiensis constitutus, docuit prius privatim, dein postulantibus discipulis et magistratim publice jus canonicum. Inde transiit Avenionem, ubi Benedictus XI. eum recepit inter sacellanos et scriptorem literarum contradictoriarum esse voluit († 10. Aug. 1313). Compilavit apparatum in decretum, quem *Rosarium* inscripsit, in quo excerpta exhibet ex aliis, praesertim ex Huguccione, et glossam complet, hinc plures additiones ad glossam ordinariam transierunt in editionem decreti cum glossa Parisiis 1505. Saepius prodiit, aliquoties s. l. et a. Argentorati c. 1475 et Romae 1477; Venetiis 1480; 1513; 1601 etc. *Apparatus* sive glossae sive Commentarius *ad Sextum*, Mediolani 1480, Venetiis 1577, accuratus et plenus, sed nimis diffusus; tr. *de haeresibus et aliis criminibus* in causa (templariorum), in cujus p. altera tuetur Bonifatium VIII. ab accusationibus: quam Bonifatii VIII. apologiam recepit Mansi in coll. conc. XXV, 415—426; alteram cf. in Mansi suppl. coll. conc. VI, 357—386. — Eodem a. (22. Aug. 1313) decessit Joannes cognomine Monachus (Le Moyne, le Moine) alias Des Cranches e Creciaco pago (Crécy) haud procul ab Abbatis villa dioecesis ambianensis oriundus. Cum jus pontificum optime nosset, Romam profectus variis ibidem muneribus cum plausu functus est sub pontificibus Nicolao IV. et Coelestino V., demum in collegium cardinalium relatus 18. Sept. 1294. A Bonifatio missus legatus in Galliam multum egit pro componendis controversiis inter pontificem et Philippum Pulchrum regem, quo tamen in negotio frustra fere laboravit ob regis malam voluntatem: dein fuit vicecancellarius Ecclesiae romanae et legatus avenionensis († 1313). Protulit insigne peritiae suae monumentum commentarium seu apparatum inscriptum *Glossa aurea* super VI. Decretalium l., Parisiis 1535 ed. rarissima; pleraeque glossae receptae fuere in corpus juris canonici continens l. VI, Lugduni 1571. Ejus glossae sunt concisae, practicae, clarae. Reliquit et apparatum seu *glossas ad extravagantes* sat copiosas, in illorum editione, quam Joannes Chappuis Parisiis 1500 curavit, et in sequentes receptas; *commentarium ad reg. 81.* de reg. jur. in VI, qui tamen non videtur esse nisi segmentum ex apparatu in l. VI. Amplissimum collegium a suo nomine le Moyne nuncupatum[1]) Parisiis con-

[1]) Ejus frater pariter canonista reliquit quaestiones quasdam ineditas. Cf. de utroque Fantuzzi I, 316—22; Schulte II, 186—90; Tiraboschi V. l. 2 c. 5 n. 2.

[1]) Cf. de hoc collegio Feret III, 18-23; de ipso cardinali Finke op. cit. p. 507 a., pag. 126—145 et 177—86, ubi eum a turpi

didit in theologiae studiosorum commodum.

265. Tres jam occurrunt canonistae insignes, quorum opera usus est Bonifatius VIII. ad compilandum l. VI. decretalium (cf. p. 509). Horum unus fuit Berengarius Fredoli (de Frédol) etiam Stedellus (Stedelius) dictus[1]), qui juvenis electus est canonicus et succentor s. Nazarii biterrensis (Béziers), dein abbas s. Aphrodisii et inter capellanos pontificios receptus est. Anno 1294 episcopus biterrensis renunciatus est. Interfuit invito rege concilio romano sub Bonifacio VIII. a. 1302, in quo prodiit celebris bulla „Unam sanctam". Ob scientiae eminentiam a Clemente V. in prima cardinalium promotione 1305 purpura fuit insignitus et a. 1309 ad sedem tusculanam translatus et factus poenitentiarius major. Clemens V. ei commisit examen causae tum templariorum, tum fraticellorum († 11. Jun. 1323). Scripsit *Elucidarium summae Hostiensis* (cf. p. 367), per seriem alphabeti, *Oculus* ab auctore inscriptum, quod prodiit cum hac summa Basileae 1573; eodem scopo *Inventarium* (seu Repertorium) *ad Speculum Durantis* (cf. p. 444), quod cum hoc prodiit Romae 1474; Mediolani 1478 etc. — Alter est Petronus de Senis, juris doctor, Ecclesiae romanae vicecancellarius et cardinalis († 1313). — Tertius et forte praecipuus est Guilelmus de Mandagoto (Mandagozzo) natione Gallus, patria Sebennas, discipulus Berengarii Fredoli, quem in dedicatione suae Summae carissimum appellat magistrum. Adhuc juvenis factus est canonicus nemausiensis, dein archidiaconus, mox capellanus pontificius et ecclesiae tolosanae praepositus; a Bonifacio VIII. ecclesiae metropolitanae ebredunensi (1295), a Clemente V. a. 1311 aquensi praefectus, demum a. 1312 purpura honoratus fuit. Defuncto Clemente V. cardinales itali de eo ad sedem apostolicam eligendo cogitarunt, sed suffragiis datis electus est Joannes XXII. Scripsit l. *super electione facienda* et ejus processibus ordinandis, Parisiis 1506 in 4; 1523 in 8; cum additionibus N. Boërii; Coloniae 1573; etiam inter tr. juris universi XV, 1, 407—440, monographia solida, in qua exhibet textum succinctum cum glossa commentarii instar, quem Jo. Andreae aliorum doctorum precibus ad nova jura exegit et reformavit, dein Nic. Boërius complevit, cum quibus additionibus prodiit Coloniae 1601.

266. Dinus (Dynus) de Rossonibus a patria Mugello agri florentini oppido Mugellanus dictus, juris utriusque peritus Bononiae et Pistoriae docuit († 1303). Ipsi tribuuntur *regulae juris* (88) adjectae libro VI. decretalium ex jure romano fere derivatae, super quibus scripsit *commentarium* admodum diffusum ab aliis saepe adhibitum. Plures ejus exstant editiones, Romae 1472; Lugduni 1530 in 8; cum additionibus Nic. Boërii 1556; Coloniae 1551; 1569; 1594; 1617; Venetiis 1518 castigatus per Th. Diplovatacci etc. — Lapus Tactus (Tuctus) Podiebonizus (de Podioboniti in Etruria) abbas ad montem s. Miniati florentinus OSB. doctor decretorum (fl. 1320), lecturam *super Sexto* reliquit, quae teste Fabricio prodiit Romae 1589;

---

vindicat duplicitate, ac si post Bonifatii VIII. mortem in contrarium glossaverit sensum bullam „Unam sanctam" ac eodem vivente pontifice. Glossam ei suppositam habes ib. in append. pag. C—CXVII.

[1]) Ab hoc distinguendus est Berengarius Fredoli junior, qui pariter fuit canonicus et episcopus biterrensis (1312), demum cardinalis et episcopus portuensis (1317), et hoc quoque tempore mortuus est. Cf. de utroque Kreutzwald KL. IV², 1943; de nostro Schulte II, 180; Sarti I, 490; Eggs Purp. doctae l. II § 13.

[1]) Cf. Sarti l. c. I, 488 s.

additiones ad tr. *de beneficiorum mutationibus* Federici de Senis, de quo infra. — Alexander Fasitelli a s. Elpidio, quod est oppidum marchae anconitanae, O. S. Aug., Parisiis Aegidii romani discipulus, s. theologiae magister, theologus insignis et praedicator celeber, Viterbii in capitulo generali communi applausu in ordinis praepositum generalem 14. Maj. 1312 fuit electus et quater in munere confirmatus. A Joanne XXII. pluries ad diversos principes pro tuenda ecclesiastica jurisdictione fuit missus legatus, et 1325 electus episcopus melphitanus, sed eodem anno jam decessit. Rem augustinianam consilio et opere plurimum adjuvit, ordinem instauravit, regularem observantiam promovit, studia in Italia ampliavit. Haec ejus opera: *De ecclesiastica potestate ll. 3* ad Joannem XXII., in quo op. probat summi pontificis auctoritatem se extendere tum ad spiritualia, tum ad temporalia, Taurini 1494; Lugduni 1498; 1538; Arimini 1624 cura sodalis Angeli Vantii. Opus hoc receptum quoque est in bibliothecam pontificiam Th. Roccabertit. II. Hujus op. velut continuatio *est de jurisdictione imperii et auctoritate summi pontificis ll. 2*, Lugduni 1498; 1538 in causa Ludovici Bavari. Expositio in Ev. s. Joannis mansit inedita, sicut et plura alia ejusdem scripta[1]).

267. Joannes Rumsik Lector cognominatus de Friburgo in Brisgoja O. Praed., quamvis in theologia scholastica excelleret, morali tamen et juri canonico potissimum incubuit, illi scil. parti, quae ad tribunal poenitentiae regimenque spectat animarum († 10. Mart. 1314), quare inter praecipuos medii aevi moralistas et casuistas est numerandus. Adjecit Registrum seu tabulam super textu et apparatu seu glossa Raymundi secundum ordinem alphabeti; additiones ad summam Raymundi, quaestiones casuales ex aliis doctoribus collectae. Haec tria scripta leguntur tantum in codd. mss. Concinnavit bonam et utilem *Summam confessorum* (Augustae V.) 1476; Reutlingae 1487; Lugduni 1518 in f. etc., quae est quaedam retractatio Summae Raymundi suarumque quaestionum casualium pluribus additionibus utilibus aucta: cui adjecit tabulam seu indicem juxta alphabeti ordinem. Auctor in afferendis casibus est sobrius, prudens, in judicando stilo utitur nitido, hinc vulgatissima facta est. Alia quae sunt hujus Summae additamenta vel compendia etc. manserunt inedita[1]). Summam illam sodalis Bertholdus in epitomen alphabetico ordine dispositam admodum utilem germanice redegit[2]), rationemque in ea redigenda habuit juris canonici et civilis, consuetudinum usuumque popularium. Prodiit inscripta Summa aus dem h. Dekretbuch, Augustae 1472 ed. rara; saltem undecies adhuc exeunte sec. XV; Basileae 1518. Hujus autem Bertholdi sunt forte etiam libelli piissimi *Horologium devotionis* circa vitam Christi s. l. et a. (Coloniae c. 1480 m. 300); c. 1500 (Monachii m. 200); Coloniae 1577; 1610; germanice Oeniponti 1589 in 12; *Thesaurus verae pietatis* sive meditationes de vita et beneficiis Salvatoris J. Christi, qui cum

[1]) Cf. Feret III, 497—99; Morus Bibl. picena I, 79 ss.

[1]) Cf. Streber KL. VI, 1675; Michael III, 237 ss.; Quetif I, 523 ss.; Schulte II, 419 ss.; praesertim Finke in diss. Die Freiburger Dominikaner und der Münsterbau, Freiburg i. Br. 1901.

[2]) De ea ita Schulte II, 423: Diese Summe ist eine sehr klare, vortreffliche Arbeit, welche als ein ihrer Zeit vollständig entsprechender Laienkatechismus zur Orientierung über geistliche Dinge und insbesondere über die rechtlichen Gesichtspunkte für das christliche Leben bezeichnet werden darf. Aliam epitomen seu Summam confecit Guilelmus de Kajoco vel Cajoco (Cayeux-sur-mer) O. Pr,. qui fuit prior s. Josephi Parisiis et provinciae praepositus (fl. 1302), de quo cf. ib. p. 425.

priori prodiit Coloniae 1577. — Metrice ut memoriam juvaret, concinnavit prolixum, sed nitidum carmen Rudolfus de Liebegg Helvetus, doctus canonicus et scholasticus beromonasteriensis, inscriptum *Pastorale novellum* constans v. 8748 seu Summam sacramentorum, rituum, vitiorum ll. 5, in qua praesertim de baptismo agit, ordine et matrimonio, cujus introductionem exhibet Gall Morell in Geschichtsfreund XXI (1866), 122—143, ubi fusius de nostro disserit auctore[1]), qui ineunte hoc seculo floruit et pluribus auctus est beneficiis, ut praepositi Episcopicellae (Bischofszell) et canonici constantiensis († 16. Jul. 1332).

268. Illustre ord. seraphici decus huic finem imponat periodo, scil. Joannes Guallensis (Valleis, Wallius, Wallensis), Anglus, coenobii wigorniensis alumnus, vir in sacris et profanis literis excellenter doctus. Propter uberes, quos protulit eruditionis fructus et ad spiritualem alimoniam idoneos *Arbor vitae* cognominari solebat. Oxonii diu studuit, mire floruit. Nam ibi primum, deinde Parisiis s. theologiae doctor et professor utrobique magno plausu docuit. Erat ei promptum ingenium, solidum judicium, lingua diserta, eloquium clarum[2]). Sedit inter judices doctrinae Petri Jo. Olivi. Sed fata vitae sunt sat incerta, dum alii eum s. Bonaventurae faciunt aequalem, alii eum vitam protraxisse ferunt ad a. usque 1300 vel 1303. Ita circa ejusdem opera genuina non levis est controversia. Plurima reliquit, ex quibus potiora forte sunt: *Commentarius in 4 ll. sententiarum*, Lugduni 1511, si fides Lipenio; *Postilla in Ev. Joannis*, et *Collationes* in Joannem utrumque inter opera s. Bonaventurae ed. rom. 1589 t. 2., cujus tamen non sunt: sed judice Jeiler revera nostri[1]). Ineditus mansit commentarius in Apocalypsim s. Joannis; *Communiloquium* seu summa collationum pp. 7, Augustae 1475; Argentorati 1489; Parisiis 1516 concionatoribus admodum utilis, in qua tradit praecepta et exempla vitae variis hominum conditionibus accommodata; Compendiloquium *de viris illustrium philosophorum pp. 10* (quibus p. 8. adnumerat etiam poëtas), *Florilegium* vel Floriloquium ab aliquibus dictum cum sequenti editum 1655; Breviloquium *de sapientia sanctorum;* Breviloquium *de virtutibus antiquorum pp. 4; Ordinarium vitae religiosae* distinctum in diaetarium, locarium, itinerarium, in quo officia et regulas religiosis praescribit, qua ratione se gerere debeant circa victum, variis in monasterii locis et extra illud. Haec quinque opera conjunctim prodierunt cura Petri Arrivabenii sub titulo De regimine vitae humanae seu Margarita doctorum ad omne propositum; Venetiis 1498; Lugduni 1511; Parisiis 1516 in f.; Argentorati 1550; *de poenitentia* (una cum Ordinario) cura Haroldi, Moguntiae 1673; *de origine, progressu et fine Mahumetis* et quadruplici reprobatione prophetiae ejus, Argentinae 1550; Coloniae 1551; *de oculo morali,* Venetiis 1496, quod tribuebatur Petro Lacepière vel probabilius est Joannis Peachami: Waddingus illud asserit, sed immerito, judice Jeiler, nostro Joanni adversus Theoph. Raynaudum S. J., qui illud ediderat 1641 et tribuerat Raymundo Jordano. Prodiit cura Waddingi Romae 1655; Viterbii 1656; *de sex aetatibus hominis,* non

[1]) Cf. Schuman Allgem. d. Biogr. XIX, 802 s.

[2]) Cf. Wadding Scriptores sub h. n., qui tamen duos Joannes Guallenses secundum Sbaralea confundit. Unius supra jam fecimus mentionem p. 249: alter qui junior dicitur, prae quo noster senior cognominatur, floruit c. 1368 et reliquit praeter alia Lecturam in 4 ll. sententiarum (ineditam).

[1]) Cf. KL. VI², 1689. Cf. de operibus hujus auctoris Sbaralea p. 427 ss.; Feret II, 271—79.

videtur nisi epitome summae collationum prodiitque s. d. Alia manserunt inedita ut Summa de virtutibus et vitiis, Sermones etc., vel sunt nonnisi tituli alii operum, quae supra indicavimus. Inde revera auctus est numerus operum nostri auctoris, quod idem opus sub alia atque alia inscriptione laudetur vel citetur.

269. Denique mentione dignus est poëta haud spernendus Hugo de Trimberg natus Wernae (Werneck) in Franconia inferiori, laicus eruditus, rector scholae Bambergae († 1315), qui jam a. 1280 duodecim composuerat opuscula. Laudem meret propter *Vitam b. V. Mariae et Salvatoris* rythmicam, quam auctore nondum cognito edidit Ad. Vögtlin in Bibl. des liter. Vereins in Stuttgart t. CLXXX, Tübingen 1888. Opus nostro Hugoni asseruit A. Jaecklein in programmate pro gymnasio bambergensi a. 1900—1901. Illud medio aevo fuit aestimatum atque diligenter lectitatum, et germanice redditum tum a Philippo O. Carth. (fl. sec. XIV. ineunte), cujus Marienleben (v. 10133) edidit Heinr. Rückert in Biblioth. der deutschen Nationalit. t. XXXIV, Quedlingburg 1853; tum a Waltero OSB. rhenaugiensi[1]) (fl. ineunte sec. XIV.), cujus versionem edidit Adalb. de Keller in Wissenschaftl. Beigabe zum Dekanatsprogramm der philos. Fak. an der Univ. Tübingen 1849. 1852. 1853 et 1855. Aliud prolixum Hugonis carmen inscribitur *der Renner*, quia voluit, ut universam percurreret regionem sapiens annuncians (v. 24472). Prodiit Francofurti 1549 et iterum Bambergae 1833. 1834 cura societatis literariae bambergensis. *Laurea sanctorum* (v. 422) ed. a Grotefend in Anzeiger für Kunde der deutschen Vorz. 1870; *Registrum* multorum auctorum seu elenchum scriptorum classicorum veterum pro scholarum usu, ed. Huemer, Viennae 1888 etc.

[1]) Cf. Vögtlin Walther von Rheinau und seine Marienlegende, Aarau 1886; hist.-pol. Bl. CCXXVIII (1901. II.), 356—368 ed. Heimbucher.

IX.

Theologi annorum 1326—1350.

I. Theologia dogmatica.

270. Sicut praecedenti periodo ita et in hac, quae scriptorum numero priores longe praecellit, ordo *seraphicus* inter ceteras familias religiosas emicuit numero, celebritate, ingenii subtilitate virorum illustrium, quorum plerique Scoti vestigia presserunt, haud pauci tamen ultra progressi nominalismum foverunt et promoverunt ruinamque solidae theologiae scholasticae praeparārunt. Franciscus Mayron (de Mayronis) Dignae in Provincia natus sub Joanne Scoto multum profecit primusque subiit actum sorbonicum i. e. disputationem theologicam[1]), quae inciperet hora 5. mane et sine intermissione duraret ad h. 7. vespere (secundum alios ab h. 6 — ad h. 6.) contra plures sibi invicem succedentes adversarios (60) sine praeside, sine socio, sine prandio et pastu in eadem perpetuo corporis sede. Baccalaureus diu docuit in universitate parisiensi, intercedente autem Roberto Siciliae rege Joannes XXII. scripsit universitatis cancellario, ut eidem magistralem conferret docendi honorem. Vir fuit vere doctus, in theologicis disciplinis et sacris literis bene versatus, ut nomen doctoris *acuti* et *illuminati*[1]), sed et „Magistri abstractionum“ sit adeptus († 26. Jul. 1327; secundum alios 1325). Haec ejusdem (potiora) opera[2]): *Commentaria in 4 ll. sententiarum,* Venetiis 1504—1507 pp. 5 in 1 v. cura Mauritii Hibernici; 1519; 1520 studio Hippolyti O. Carm.; 1526; 1556; 1567; quo in op. (in 4. dist. 19 q. 2) in dubium revocat thesaurum supereffluentem meritorum Christi et sanctorum. Auctorem a censura nititur tueri Mich. de Medina tr. de indulg. disp. 8 c. 40. Commentarius in 1. l. *Conflatus* dictus seorsim prodiit Basileae 1489; 1498; 1579 et jam Tarvisii —

[1]) Denifle tamen in Chartul. univ. paris. II. 1, 273 in annot. ad fabulas referenda censet, quae de certamine a Francisco introducto narrantur.

[1]) Ohne Zweifel deshalb, weil er die wichtigsten Lehrpunkte seines Meisters einer eindringenden Durcharbeitung unterwarf, um sie für die Zwecke der Schule zu formuliren und gegen mancherlei Angriffe und Einwendungen si herzustellen. Werner der h. Thomas III, 99.

[2]) Cf. Sbaraglia p. 267 ss.; Jo. a s. Antonio bibl. franc. I, 405 ss.; Feret III, 323—30.

1476; a quo opere distingui debet *Conflatile* seu opus variarum quaestionum in 1. l. Sententiarum, Lugduni 1579; *Quodlibeta* (16) fere semper impressa cum commentario in ll. sententiarum, et cum Conflato Venetiis 1517. 1520; *de univocatione entis* ex prologo op. *Conflatus* a q. 2—14 ad verbum desumptus saepe seorsim prodiit, ut Venetiis 1517 cum annotationibus Hier. Nucciarelli; *de divinorum nominum explanatione* al. de terminis theologicis, Parisiis 1605 in Gymnasio scholastico Aeg. Gothutii; *Theologicae veritates* in s. Augustinum de civitate Dei, Tarvisii 1476; Tolosae 1488; Venetiis 1489; Lugduni 1520, etiam sub inscriptione *Flores s. Augustini; Veritates* collectae ex ll. s. Augustini de Trinitate seu expositio hujus operis impressa cum ipso s. Augustini opere Lugduni 1520 in f.; *Flores* in s. Augustini l. de confessionibus cum commentariis s. Thomae impressis Tolosae 1488; 1489; *commentaria* in ll. Aristotelis, in 8 ll. physicorum, super universalia et praedicamenta, Venetiis 1517, in f., cui ed. adjecta sunt aliqua opuscula; *qq. 2 de conceptione Virginis,* 1507; 1520, receptae a Petro de Alva inter seraphica monumenta pro immaculata conceptione, qui sub ejus nomine edidit etiam tr. diffusum *de conceptione V.;* commentarius *in Magnificat,* Basileae 1498; *Explicatio decalogi,* Basileae 1498; Parisiis 1619 in f.; *sermones* de adventu cum quadragesimali (92), Venetiis 1491, alii 1493; Basileae 1498, inter quos reperitur ejus tr. *de indulgentiis,* et alii tr. subtilissimi etc.; *de laudibus sanctorum,* Venetiis 1493; Bononiae 1498 in 4. Tr. *de formalitatibus* sub ejus nomine impressus cum annotationibus Hier. de Nucciarellis, Venetiis 1520; 1556; 1557 etc. non est ejus, sed ex Scoto et ipso compactus. Reliquit etiam multa inedita, ut commentaria in Genesim, de communicatione idiomatum in Christo, tr. de virtutibus et vitiis capitalibus; commentarius in Dionysium Areop. de mystica theologia, de coelesti hierarchia, in aliquot ll. s. Anselmi et alios s. Augustini; mille quingentae qq. de variis locis s. Scripturae et dubiis theologicis etc. Ipsius forte est commentarius *de celebratione missae,* de quo agit Franz die Messe p. 498 s.

271. Guilelmus de Rubione O. Min. Hispanus ex oppido Villafranca in Aragonia, qui Scoti discipulus existimatur (fl. c. 1333), reliquit *Commentaria in 4 ll. sententiarum,* Parisiis 1517. 1518 t. 2 in f., quae edidit Alph. a Villasancta O. Min., hispanus episcopus auxiliaris et coadjutor Henrici Stendic O. Min. episcopi asaphensis. — Joannes de Bassolis (Bassoliis, Bassolius) Campanus, secundum alios Hispanus vel Scotus, pariter Scoti discipulus et quidem praecipue dilectus, cui, cum reliqui aliquando deessent, solusque ipse adesset, hic dixit: „En auditorium est," clarissime, candide et ordinatissime (hinc *ordinatissimi* vel ornatissimi doctoris cognomen promeruit) posteris transmisit: *Commentaria in 4 ll. sententiarum,* Parisiis 1517 t. 4 in f. cura Anastasii Turrioni de Sanmarino, castigata ab Orontio Fineo. Lector fuit Rotomagi et Mechliniae et decessisse fertur circa a 1347. — Joannes de Colonia (Coloniensis, Agrippinus) O. Conv. perdoctus Scoti discipulus reliquit *commentaria* in 4 ll. sententiarum typis antiquis cusa; *quaestiones* (430) magistri Jo. Scoti *abbreviatae et ordinatae* per alphabetum super 4 ll. sententiarum, reportatis, quodlibetis, metaphysica, impressae initio nascentis typographiae s. l. et a. (Venetiis 1473); Basileae 1510 in 4. ed. mutata numero et loco, cum decisionibus cujusdem Fratris Min. Obs. quaestionum capitibus adjunctis, notisque marginalibus, directorio praevio, necnon ingenti tabula et indice per Mich. Wildeck s. paginae professorem et majoris ecclesiae basileensis quon-

dam concionatorem et s. Petri canonicum elaborato, cura sodalis Danielis Meyer concionatoris theologiaeque professoris. De quodam correctorio s. Scripturae ipsi tributo cf. Denifle Archiv IV, 545 ss.

272. Nimis tamen in rebus theologicis, ut de sentiendi ratione politica taceamus, ad sinistram, si ita fas est loqui, declinavit Guilelmus de Ockam[1]) quod est locus nativitatis in Anglia) n. c. 1280, qui juvenis ordinem s. Franc. est ingressus. Scoti dicitur a Waddingo discipulus, sed postea acerrimus impugnator (sicut etiam s. Thomae). Parisiis praesertim (ab a. 1315) docendo innotuit, atque Nominalium inchoavit vel maxime stabilivit scholam[2]): hinc salutatur a suis „Venerabilis incoeptor et singularis doctor", a nonnemine „invincibilis", „princeps et caput Nominalium." Vir quidem erat acris ingenii, sed minime sobrii, imo rebellis, plus enim volebat sapere quam oportebat, nec timuit in coelum os suum ponere et sacram deprimere pontificis nimiumque extollere caesaream auctoritatem[1]). Insipienti zelo et nimis ardenti defendere voluit franciscanae paupertatis (cum fraticellis) excellentiam, et timens incidere in manus Joannis XXII., qui ipsum Avenionem 1323 citaverat ibidemque detinuerat, scriptaque ejus examinanda tradiderat theologorum judicio, quod propositiones 51 censura dignas notavit, fugit cum Michaele Caesenate[2]) ad

[1]) Alius a sodali Nicolao Occamo Anglo, viro magnae eruditionis et virtutis, cui tribuuntur commentaria in ll. sententiarum, quodlibeta etc. (fl. c. 1320), et Joanne Occam, Anglo, cujus est *Directorium juris,* opus magnum et doctum (fl. c. 1344).

[2]) Contra Nominalium scholam plurimi tunc scripserunt, quorum tamen opera manserunt inedita; ita Joan. Lutterellus Anglus, oxoniensis academiae cancellarius (fl. 1340) — Gualterus Burleigh (Burlaeus) O. S. Fr. magister celeber oxoniensis († 1337) ex discipulo Scoti, Scotistarum adversarius ac Nominalium hyperaspista, institutor Eduardi III. Plurima opera philosophica (in Aristotelem, Porphyrium, Gilbertum) et physica, reliquit: ex quibus inter alia prodierunt *de intentione et remissione formarum,* Venetiis 1496; 1519; *de materia et forma,* Oxonii 1500 in 4; commentaria in varia Aristotelis opera, ut *in ethicam* Venetiis 1481; 1521 in f.; *super 9 ll. physicorum,* Venetiis 1509, 1524 in f.; *in ll. posteriorum,* Oxonii 1517 in 4; Venetiis 1494: 1537; 1559; *Summa totius logicae,* Venetiis 1508 in 4; *de vitis et moribus philosophorum,* Coloniae 1472; 1475; Norimbergae 1477; 1479; Hagenoae 1510; Argentinae 1516 in 4; etiam in alias linguas versum; *metaphysicales quaestiones* et defensiones Thomae Aq., Venetiis 1494 in f. etc. Lanterius in postremis sex sec. religionis augustinianae I, 195 eum suo adnumerat sodalitio. Dictus autem est *Doctor planus* et *perspicuus;* ab aliis „potentissimus sui temporis sophista." Etiam in magistrum sententiarum scripsit, unicum ejusdem opus theologicum, quod cum tot aliis ejusdem ll. mansit ineditum. Cf. Feret III, 242—47, secundum quem vitam ultra a. 1337 protraxit. Neque immerito tot theologi insignes in Nominalismum insurrexerunt. Dies System, inquit Ehrle, Stimmen aus Maria Laach 1880. 18, 314, war so recht eine Ausgeburt jener maßlosen, einseitigen Speculation, welche schon bisher den ruhigen Entwicklungsgang der wahren Wissenschaft so häufig gestört hatte. Der Reiz der Neuheit, ein gewißer Schein höherer Wissenschaftlichkeit, den sich diese Afterweisheit zu geben verstand, der dünkelhafte Muthwille, mit dem sie sich von der altväterlichen Weisheit der früheren Zeit emancipirte, übte einen großen Einfluß aus und richtete arge Verheerungen an. Er war so recht der Cartesianismus des 14. Jahrhunderts.

[1]) De ejus doctrina de Ecclesia et societate civili disputat Silbernagl histor. Jahrb. 1886, VII, 423—33; de doctrina philosophica Stöckl Geschichte der Philos. des MA. II, 986 Mainz 1866; Siebeck Archiv für Philos. 1897. X, 317 ss.

[2]) Qua in fuga socium quoque habuit Franciscum Asculanum O. Min. (de cujus resipiscentia cf. Waddingus annal. t. III. ad a. 1344 n. 7), cujus exstant mscr. commentaria in ll. sententiarum, in ll. Metaphysicorum, qq. super Matthaeum, V. matris praeconia etc. Scoti erat discipulus, doctor parisiensis,

Ludovicum Bavarum pertinacem pontificis adversarium (25. Maj. 1328), cui dixisse fertur: »imperator, defende me gladio, et ego defendam te calamo«. Hinc pontificiam incidit excommunicationem et ordine (1331) fuit expulsus: commorari tamen solebat, si non erat apud Caesarem, apud fratres Minores Monachii. Exinde coepit quam maxime acuere calamum adversus pontificem, cujus jura et praerogativas impugnat, omnique conatu Ludovici Bavari causam tuetur. Senex reconciliationem cum Ecclesia cogitavit, Clemens VI. quantum potuit illam reddidit facilem; incertum tamen est, num reconciliationis formulam morte praeventus subscribere potuerit: secundum Waddingum tamen vinculo excommunicationis solutus obiit a. 1359 (juxta alios 10. Apr. 1347). Si foedam rebellionis maculam adversus Ecclesiae auctoritatem non incurrisset, insigni inter theologos, inquit Wadding[1]), nomine audiret. Vir enim erat vastae eruditionis, ingenii sagacis et critici, quo tamen nimis abreptus, aequi limites excessit. Ceterum ejus op. theologica antiquata sunt. Nomen ejus aeri incisum conspiciebatur Coloniae in circuitu tumbae Duns Scoti. — Haec potiora ejusdem opera: *Super Magistrum sententiarum ll. 4 subtilissmae quaestiones earumque decisiones,* Lugduni 1495. 1496. 1497. Hujus op. epitomen concinnavit G. Biel, ut infra dicemus. Comentarius in l. 1. jam prodierat 1483 estque prolixior commentariis in ll. reliquos. Hujus op. appendix veluti est *Centiloquium theologicum* omnem theologiam speculativam sub centum conclusionibus complectens, quod cum praecedenti prodiit opere. *Quodlibeta VII*, Parisiis 1487; Argentinae 1491. Cum his prodiit, et Parisiis s. a.; Venetiis 1516 *de sacramento altaris* et *de corpore Christi. De praedestinatione* et futuris contingentibus, cum expositione aurea mox citanda, Bononiae 1496. — Sequuntur jam opera polemica et politica: *Decisiones octo qq. de potestate summi pontificis,* Lugduni 1496, in quibus origines potestatis ecclesiasticae et secularis inquirit, sed nil certi determinat. Operis expositionem scripsit Jac. Almainus, quae prodiit Parisiis 1526 et in appendice op. Gersonii t. 2., Antverpiae 1706; tr. *de jurisdictione imperatoris in causis matrimonialibus;* Heidelbergae 1598; apud Goldast Monarchiae I, 21-24. — Praecipuum vero Occami opus seu tractatuum collectio inscribitur *Dialogus* inter magistrum et discipulum in 3 pp. distinctus, quarum 1. de haereticis, 2. de erroribus Joannis XXII; 3. de potestate papae, conciliorum et imperatoris agit, quod nunquam integrum prodiit, forte nunquam integrum exstitit. In p. 1. agit libris 7 de magisterio ecclesiastico, de haeresi et infallibilitate pontificia. Prodiit Parisiis 1476 t. 2 in f., apud Goldast III, 392—957. Eo in opere data occasione totum virus adversus sedem apostolicam effundit, nititurque ostendere pontificem haereticum esse posse et quid tunc faciendum; Joanni XXII. varios exprobrat errores,

---

nominatissimus in theologia magister, dictus *Doctor succinctus,* et praedicatione clarus. Idem est ac Franciscus Rubeus de Pignano et Franciscus de Marchia, neque enim haec nomina tres distinctos sodales designant. ut Waddingus opinatus est. Cf. Sbaraglia p. 243. — Michael Caesenas quondam ordinis minister generalis ob suam adversus pontificem oppositionem excommunicatus, exauctoratus et ordine pulsus decessit ut videtur contumex 29. Nov. 1342. Cf. Wurm KL. VIII, 1489. Reliquit 3 tractatus contra varias haereses et errores Joannis XXII. circa Christi paupertatem et duplicem appellationem adversus Joannem XXII. in forma majori et minori: illius fragmentum et hanc in extenso exhibet Eubel in bullario franc. V, 408. Cf. hist. Jahr. XX (1900), 767 s.

[1]) Cf. Wadding t. 3. annal., qui ejus fata fuse prosequitur, eum in multis excusat et a calumniis adversariorum defendere nititur; Feret III, 339-51: Wurm KL. XII². 1614—1621; Seeberg Realenc. XIV. 260—280.

deque auctoritate ecclesiastica et laica perverse disputat[1]). Plures quoque alios *libros contra* pontificis jura scripsit: *Disputatio* tamen *super potestate praelatis Ecclesiae atque principibus commissa,* in forma dialogi inter clericum et militem, Parisiis 1598, non est ipsius. Praetermittimus ejus scripta in causa de paupertate Christi tunc agitatissima. Dum esset junior, plura composuit opera philosophica, edita et inedita, v. gr. *Summa totius logicae,* Parisiis 1488; Bononiae 1498 in f.; Venetiis 1508 in 4; 1532; 1591; Oxonii 1675 in 8; *Major summa logices,* Venetiis 1508. 1522; *summulae* in ll. physicorum Aristotelis, Venetiis 1506; inscripta *Philosophia naturalis* cur. Bonav. Theulo O. Min. Romae 1637 in 4; et *quaestiones* in 8 ll. physicorum, Argentinae 1491; *expositio aurea* et admodum utilis super totam artem veterem, seu *commentaria in categorias et ll. de interpretatione Aristotelis,* in isagogem et communitates Porphyrii, Bononiae 1496 in f.; cui ed. adjectus est l. *de praedestinatione.*

273. Praeter hos plures alii ex ordine seraphico, Angli praesertim, sententiarum libros commentariis (ineditis) illustrarunt. Richardus Conington us, qui Oxonium missus sub eximiis praeceptoribus in bonarum literarum studiis et virtutum exercitiis sedulo nutritus est. In illa vehementi et irreverenti contentione Guilelmi Occam cum Joanne XXII. pontifici fideliter adhaerens contra Occamum scripsit. Cum doctissimis viris sui temporis summa ei intercessit necessitudo. Suae provinciae praefuit disciplinae religiosae observantia illustris († 1330). — Gualterus Catton (Gathon, Cauton, Cepton etc.), in mathematicis etiam versatus, Avenionem vocatus est summi pontificis poenitentarius a Jo-

[1]) Addimus Occamo ejus in hac rebellione socios. Joannes de Janduno (de Gendino, quod est Galliae oppidum) juris magister famosus ob opus pessimum: *Defensor pacis,* seu dictiones vel ll. 3 adversus usurpatam r. pont. jurisdictionem, quod cum Marsilio Patavino composuit. Hic Parisios adierat omnibus facultatibus daturus operam et a. 1312 rector erat universitatis. In dissensu Ludovici Bavari a sede apostolica pro illo stetit factusque est ejus medicus; et postea in itinere romano vicarius urbis romanae. In illo libro pestifero Ecclesiae constitutionem funditus aggreditur: Die Theorie über die Macht des Staates . . . übertrifft alle Angriffe, welche die Weltstellung und Verfassung der Kirche bis dahin erfahren hatten. Ihre Ausführung wäre gleichbedeutend mit der Auflösung von Kirche und Staat gewesen. Wenn irgend einer, so ist M. ein Vorläufer Luthers und Calvins; besonders das System des letzteren zeigt eine so augenfällige Verwandtschaft mit den Ideen des Defensor pacis, daß eine direkte Einwirkung desselben nicht unwahrscheinlich ist; doch geht M. in einigen Punkten noch über ihn hinaus (Wurm KL. 8², 910). Quinque errores inde excerptos (cf. Denzinger Enchiridion n. 423 ss.) damnavit Joannes XXII. constitutione 23. Oct. 1327, Marsilium vero cum Joan. de Janduno nominatim excommunicavit. Cum Ochamo composuit tr. *consultationis super divortio matrimonii* inter Joannem et Margaretham celebrato per D. Ludovicum IV. imp., in quo imperatori nimium juris in matrimonium vindicat. Decessit quin Ecclesiae reconciliaretur ante 10. Apr. 1343. Cf. Feret III, 193—200; Potthast p. 768, Tiraboschi V, l. 2. c. 1 n. 27 ss. — Joannes vero de J. obiit episcopus ferrariensis a Ludovico Bavaro dictus (schismaticus) 1328. Ab eo distinguendus videtur Joannes de Gandavo (Gand), qui cum illo saepe confunditur, ut a Stöckl KL. VI², 1691. Feret vero III, 273—75 distinctionem tuetur et huic tribuit opera philosophica, quae alioquin alteri tribuuntur s.il qq. in Averroem *de substantia orbis,* Venetiis 1486; 1514 etc.; *qq. in ll. animae* (Aristotelis), ib. 1473; 1480; 1487 etc.; *in ll. physicae* ib. 1488; 1501 etc. saepissime. Fuit philosophiae et theologiae magister parisiensis, dictus princeps Averroistarum, et revera in ejus ll. reperiuntur specimina errorum ipsis propria. Cf. Stöckl l. c. Decessisse videtur circa a. 1320.

anne XXII. vel a Clemente VI. († 1343). — Joannes Canonicus (Marbres), s. theologiae doctor et professor oxoniensis[1]), clarus Scoti discipulus, »semper imitator« (fl. c. 1329) ex cujus operibus tantum prodierunt *Quaestiones in 8 ll. physicorum Aristotelis*, ad mentem Scoti Parisiis 1475 in f.; Venetiis 1481; 1492; 1516 (m. 15); 1520. — Robertus de Leicestria (Lecestrius), qui didicit et docuit Oxonii († 1348), multa praeterea inedita reliquit, ut lecturas s. Scripturae, quodlibeta, de computo hebraeorum et latinorum etc. — Radulphus Radimptorius (Rodulfus Rodimpton) academiae oxoniensis doctor theologus ob sermonis elegantiam »facundus Apollo« dictus, cujus sunt etiam in plures ll. s. Scripturae commentaria, quaestiones ordinariae etc. (fl. c. 1350). — Joannes Guentius Camber, oxoniensis doctor, provinciae praepositus († 1348) scripsit praeterea qq. disputatas. — Robertus Conton (Cotton, Cowthon) doctor sorbonicus, vir acuti ingenii et solidi judicii, *doctor amoenus* appellatus, immaculatam Virginis conceptionem strenue defendit, quod illi gravium concertationum frequentes praebuit occasiones. Duplex in magistrum sententiarum composuit opus (fl. c. 1340). Et hi omnes natione erant Angli.

274. Aliarum nationum erant: Bertrandus de Turre ex Cambolico (Camboulit) cadurcensis dioecesis, vir doctus, *Doctor famosus* salutatus, ex ministro provinciae aquitanae assumptus est a. 1319 ad archiepiscopatum salernitanum, et sequenti a. ad cardinalatum, demum ad episcopatum ostiensem. Multas obivit legationes in Italia circa res fidei stabiliendas et principes pacificandos. In revocandis vero Minoritis, qui arctioris vitae specie domesticam disciplinam pertaesi relictis coenobiorum suorum septis denegataque superioribus legitimis obedientia Narbonam ac Biterras migrarunt ac separata illic domicilia constituerunt, frustra laboravit. Exauctorato Michaele Caesenate O. Min. ministro generali (cf. p. 527 a.) ipse a pontifice administrator ordinis in ejecti locum a. 1328 fuit substitutus a pontifice († 1334). Plurimos reliquit etiam sermones, quorum *sermones epistolares*, scil. in epistolas Missalis excusi fuere Argentinae 1501; sermones epistolares *de sanctis*, ib. 1502; *conciones et sermones*, ib. 1621 t. 4 in 4. — Robertus Eliphat (Alifas), quem alioquin Lanterius cum aliis inter Augustinianos recenset, Gregorium Ariminensem audivisse, evasisse eruditissimum s. theologiae Parisiis doctorem, et ibidem tum etiam Oxonii docuisse narrat. Appellatus est a nonnemine *doctor invincibilis* (fl. c. 1340). — Antonius Aribaudi Valentinus, quia Valentiae in Insubria natus, episcopus cajetanus (1341; † 1348), legatus missus est cum Jo. Pisano archiepiscopo ad Armeniae regem. — Gerhardus Odonis (Othonis, Gerald Eudo) Gallus, magister theologiae parisiensis, electus in ministrum generalem ordinis loco Michaelis Caesenae mandato Joannis XXII. a capitulo generali depositi (1329), quem idem pontifex, cui admodum erat familiaris, primo misit in Siciliam, secundo in Angliam, tertio in Bosniam, ex qua plurimos pepulit haereticos, quarto iterum in Siciliam. A Clemente VI. factus patriarcha antiochenus atque administrator perpetuus ecclesiae catanensis in Sicilia, peste abreptus decessit a. 1348 (secundum alios 1349). Sub ipso demum finem accepit diuturna controversia de paupertate, quae ordinem adeo turbaverat: ipsi vero exprobratur, quod ordinis disciplinam et paupertatis

[1]) Secundum Sbaralea videtur esse Catalanus. Alius est a Joanne canonico Orvietano, qui *vitam* scripsit *s. Petri Parentii M* († 1199), a Papebrochio editam in Actis SS. 21. Maj. p. 86—97.

custodiam praxi et inductis non sine sodalium contradictione novis constitutionibus (quae postea ab ordinis comitiis revocatae fuere) satis laxaverit. Praeter commentaria in ll. sententiarum plura alia composuit opera, ut quodlibeta, postillas super Psalterium et ep. ad Galatas, reportationes in 1. ep. ad Corinthios; opera philosophica, in quibus dicitur defendisse atomismum, ex quibus tantum prodiit *commentarius in 10 ll. Ethicorum Aristotelis;* Venetiis 1488; 1500. a quo opere dictus est »Doctor moralis.« Officium quoque composuit pro sodalibus in festo ss. stigmatum s. Francisci Seraphici adhibendum[1]). — His adde alios, qui quidem in ll. sententiarum scripsisse non leguntur, insignes tamen fuerunt theologi, quorum labores manserunt inediti, ut Joannes Winchelsaeus Anglus, oxoniensis doctor, qui novitius O. S. Franc. decessit (1326); Franciscus Toti de Perusio in Tuscia inquisitor contra haereticam pravitatem, dein episcopus sarnensis (1333), qui etiam disputavit de potestate ecclesiastica et contra Ludovicum Bavarum. — Martinus de Alvewick Northumber doctor et magister theologiae oxoniensis († 1336). — Joannes de Ripa (Ripis) theologus nominatissimus, de quo legimus, eum »suo tempore nullum habuisse verbo et ingenio potiorem, ut ejus scripta testantur (fl. 1325*).«

275. Inter theologos O. Praed. hac epocha nominatissimus est Guilelmus (?) Durandus[2]) a s. Porciano (Saint Pourçain in Arvernia). In fide et obedientia romanae Ecclesiae nutritus juvenis ingressus est ordinem s. Dominici et in conventu s. Jacobi parisiensi studiis incubuit. A Clemente V. Avenionem a. 1313 vocatur lector curiae et magister s. Palatii, qui et ibidem ss. literas interpretaretur. Idem praestitit sub Joanne XXII. singulari pontificis approbatione, qui ipsum a. 1318 ad sedem aniciensem (Le Puy-en-Velay) promovit, inde a. 1326 ad meldensem transtulit († 10. Sept. 1334). »Vir fuit, inquit Quetif, ingenii praestantia clarus, omni scientiarum genere excultus, tenacis memoriae, facili praeditus eloquio, quo mire ac feliciter mentis conceptus exprimebat: sed qui tantis dotibus fretus, privatis suis sensis nimium adhaesit. Unde relicta quam in scholis inbiberat s. Thomae doctrina, hoc freno coerceri non patiens, genio se totum permisit suo.« Hinc a Trithemio dicitur »Scriptorum s. Thomae primum defensor, postea vero acerrimus impugnator.« Sed non solum recessit a doctrina s. Thomae, sed a pluribus placitis communi scholae consensu defensis opinionum singularium patronus: ideoque controversiis et oppugnationibus prae-

[1]) Cf. Jeiler KL. V, 374.

[2]) Ab hoc distingui debet sodalis Durandus de Aureliaco (Aurigac, Orillac pariter in Avernia) a nonnemine habitus consobrinus nostri, et forte ut ab eo distingueretur, Durandellus dictus, ejus suppar (fl. 1334), qui contra ipsum tamquam corruptorem Thomae edidit *argumenta,* quae excipit in eodem codice *correctorium corruptorii,* de quo, num etiam ipsius sit, dubitatur. Strenue propositiones ex Durandi operibus exceptas tamquam s. Thomae contrarias quasi pro matre contra filium prodigum pugnans aggreditur et refellit. Cf. Quetif I, 587; Oudin III, 797. — Distingui etiam debet a Guilelmo Durando canonista, de quo supra p. 442 egimus; et ab alio Guil. Durantis (Durando), hujus ex fratre nepote et in episcopatu meldensi successore, qui hinc junior dictus est († 1328), cui tribuitur l. *de modo celebrandi concilii* et corruptelis in Ecclesia reformandis jussu Clementis V. ut fertur scriptus, Lugduni 1531 in 8: Parisiis 1545 in 8: 1671 etc., sed ut alii statuunt nonnisi per errorem; a Durando Campano O. Min. († c. 1340) reginae Galliae a confessionibus, cujus laudantur opus in 4. sententiarum, Summa pulchra de casibus conscientiae, et directorium confessorum.

buit occassionem. Ita negavit concursum Dei cum causis creatis immediatum, causalitatem sacramentorum, quibus non inest „virtus causativa gratiae, characteris vel cujuscunque dispositionis seu ornatus exsistentis in anima,“ cum sint tantum causa, sine qua non confertur gratia; matrimonium esse vere proprieque dictum sacramentum, characterem esse aliquid reale et physicum, contendens eum esse tantum relationem rationis et denominationem mere moralem etc. Noluit quidem fidei mensuram excedere, sed neque attribuere fidei illud, quod de fide non est. Non ducebatur theologorum auctoritate, sed inquisitionis liberae voluit frui jure: quare nomen meruit *Doctoris resolutissimi.* Hinc quidam ironice hoc posuit eidem epitaphium:

Durus Durandus jacet hic sub marmore duro,
An sit salvandus ego nescio, nec quoque curo.

Post mortem ita inclaruit, ut in nonnullis academiis propriam obtinuerit sicut s. Thomas, Bonaventura, Scotus cathedram. Haec ejus opera: *Commentaria in 4 ll. sententiarum,* quae juvenis inchoavit, senex complevit. Duplicem eum elaborasse commentarium legimus: breviorem prius, qui contra auctoris voluntatem publici factus est juris. Eum ipse reprobavit aliumque illi substituit prolixiorem a priori haud parum differentem. Prodiit autem ejus commentarius saepe admodum: Parisiis 1508 in f.; 1515; 1533; 1539; 1547; 1550; Lugduni 1533; 1569; Antverpiae 1567; Venetiis 1571; 1586. Ea prae primis inter alia commentaria cum commentariis s. Bonaventurae et Guilelmi antissiodorensis theologis Navarraeis commendabat Gersonius[1]). De origine jurisdictionum sive *de jurisdictione ecclesiastica et de legibus* (quo in op. succincte, clare et methodice agit de jure naturae, gentium et civili), Parisiis 1506 cum aliis operibus ejusdem argumenti Petri de Palude, Jo. Parisiensis, Hervei Natalis. Adversus opinionem, animas ante resurrectionem non videre clare divinam essentiam, in quam Joannes XXII. propendebat, scripsit tr. *de statu animarum sanctarum,* postquam resolutae sunt a corpore, qui mansit ineditus, cujus tamen fragmentum exhibet Raynaldus Annal. a. 1333 n. 49. Displicuisse videtur hic tr. Joanni XXII; hinc theologorum examini fuit subjectus, qui et XI ex eo notarunt articulos censura dignos[1]). Inedita manserunt Summa notabilis, quodlibeta (4), quaestiones theologicae (16) varii argumenti, postilla in Evangelium etc. Ejus Statuta synodi dioecesanae aniciensis a. 1320 celebratae leguntur apud O. Gissey SJ. Discours historiques de la devotion à N. D. du Puy-en-Velay, Lugduni 1620.

---

[1]) I, 586. Etiam ab aliis Durandus commendatur. Ita Guilelmus Parvus de eo scribit: „Durandus post d. Thomam Aq. primus petit campum, qui ex fonte tam beato tamque largo praedicatoriae videlicet religionis veluti rivus limpidissimus pleno jam alveo fluens proluit sacris totum dogmatibus orbem. Ita enim sententiarum ubertate fluviatur pressoque stilo gaudet ac divite vena, ut undique in se animos simul et oculos convertat.“ Cf. Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. II, 206 ss.; Fritz KL². IV, 43: Der Vorwurf, daß er die Philosophie mit dunkeln und spitzfindigen Fragen und Distinctionen verdorben habe, ist zum wenigsten ungerecht; seine philosophischen Untersuchungen tragen vielmehr bei aller Kürze und Präcision den Ausdruck, das Gepräge gro[ß]er Deutlichkeit und Bestimmtheit an sich . . . Wegen dieser nominalistischen Richtung, die jedoch seine Theologie noch nicht mit allen ihren Consequenzen durchdringt, läßt man gewöhnlich mit Durandus die 3. Periode der Scholastik beginnen. S. M. Deutsch Realenc. V, 95—104; Feret III, 401—8; fuse de ejus doctrina quatenus differt ab ea s. Thomae disserit Werner III, 156 ss.

[1]) Cf. documentum authenticum apud Denifle Chartul. par. II, 1. pag. 418 ss.

276. S. Thomae vestigiis pressius inhaeserunt: Joannes de Neapoli, qui magistrum sententiarum Parisiis interpretatus est 1315, et in patriam reversus variis apud sodales functus est muneribus annisque pluribus in studio neapolitano cathedram rexit theologiae. Ex ejus operibus prodiisse tantum videntur *quaestiones* variae Parisiis disputatae (42). Parisiis 1618 cura sodalis Gravinae. Commentaria in ll. sententiarum, quodlibeta etc., typis non fuerunt impressa († 1323—30). — Petrus de Palude (de la Palu), hinc Paludanus dictus, Gallus nobilibus parentibus ortus, magnum ordinis gentisque suae et aetatis erat ornamentum, omnium prope scriptorum commendatione clarus. Sacrae theologiae laurea in universitate parisiensi adepta cathedram rexit. In capitulo generali definitorum ordinis 1317 Pampelonae celebrato electus est, generali absente et impedito, capituli vicarius. A Joanne XXII. missus est legatus ad Flandros pro pace componenda cum Francorum rege et post decennium (1329) patriarcha hierosolymitanus electus. In Palaestinam trajiciens Soldanum accessit iram ejus et rabiem in Christianos leniturus, sed frustra. Redux in Galliam Philippi VI. regis dynastarumque animos vehementer ad bellum sacrum succendit, sed horum promissis non respondit eventus. Ceterum magna erat ejus apud regem illum auctoritas et gratia, magnumque nomen ob singularem pari cum integritate morum et vitae innocentia eruditionem, unde rex in arduis negotiis praesertim a. 1331 et 1333 usus est ejus opera et consilio († 31. Jan. 1342). Haec potiora ejusdem opera[1]): *Commentaria in 3. l. sententiarum,* Parisiis 1517; *in 4. l.,* Venetiis 1493; Parisiis 1493; 1514; 1518, et cum praecedenti op. 1530 t. 2 in f. Hunc commentarium (in 4. l.) ob practicam casuum conscientiae solutionem plurimum laudat et aliis omnibus praefert s. Antonius p. 3. tit. 23 c. 11 § 2. Commentaria in 1. et 2. l. manserunt inedita. Ad summam s. Thomae adjectae sunt *concordantiae,* quibus uterque auctor commode conferri possit, Salmanticae 1552; tr. *de causa immediata ecclesiasticae potestatis,* hinc ex ordine disserit de potestate Petri, apostolorum et Christi discipulorum, papae[1]), episcoporum, curatorum; qui prodiit cum aliis ejusdem argumenti, Parisiis 1506 in 4. Is tamen tr. videtur esse Guil. Petri de Godino, de quo infra. *Sermones de tempore et de sanctis,* sub nomine Thesauri, Argentinae 1485; 1491 et 1493 t. 3; pluribus fabulosis historiis praecisis Parisiis 1572. 1573 t. 3; 1574; hactenus sine nomine auctoris. Lugduni 1575. 1576 t. 3 in 8., sed num ipsius sint, saltem omnes, est valde dubium: videntur potius esse cujusdam Minoritae. Ipse praesedit facultatis theologicae parisiensis consultationi, in qua examini subjecta fuit opinio, cui Joannes XXII. favebat, de sanctis ante resurrectionem nondum fruentibus visione beatifica, quae unanimi doctorum consensu reprobata fuit. Sententia literis fuit consignata et ab omnibus subscripta. Typis prodiit in Bulaei hist. acad. parisiensis t. 4. p. 236; in Launoii hist. gymnasii nav. p. 61 etc. Interfuit quoque cum aliis theologiae magistris consultationi, qua confessario Roberti attrebatensis (male) insinuatum fuerat, ipsum revelare posse quidquid de falsis literis dicti Roberti (quibus ipsi asserebatur comitatus attrebatensis) sciret, quam-

[1]) Cf. Morgott KL. IX², 1321 ss.; Quetif I, 603; Oudin III. 897.

[1]) Inscribitur etiam *de potestate ecclesiastica,* vel de regimine clavium vel tr. de principe et praelatorum Ecclesiae potestate. Ex eodem ordine Guido Vernani disseruit (c. a. 1327) *de potestate summi pontificis* et de reprobatione monarchiae compositae a Dante Alligherio florentino, qui l. demum prodiit Bononiae 1846 in 8.

vis asserat se omnia sub sigillo confessionis scire, cum sola peccata cadant, sub sigillo confessionis, nam hic non agi de peccato, sed potius de manifestanda illustrandaque veritate. Scripsit idem Petrus copiosissime juxta omnes sensus commentaria in totam fere s. Scripturam, quae manserunt inedita.

277. Robertus Holcoth Northamptoniae in Anglia natus, in universitate oxoniensi vel potius cantabrigiensi s. theologiae magister, acerrimi vir ingenii, literarum humanarum divinarumque studiosissimus, multique laboris, industriae incredibilis tantaeque lectionis, ut antiquiores melioris notae theologos pene omnes perlustraverit, peste illa luctuosa, quae totum fere orbem medio seculo XIV. invasit, correptus interiit a. 1349. Plurima reliquit suae eruditionis monumenta: *Super 4 ll. sententiarum quaestiones,* Lugduni 1497 in f.; 1510. 1518, adjectae sunt *conferentiae* super art. 6 impugnatis; *de imputabilitate peccati* et determinationes quarundam aliarum qq. In qq. de scientia et praedestinatione videtur juxta Quetif (I, 629) descivisse a s. Thomae placitis „nisi excusetur dicendo has qq. ab eo non recognitas nec ultima manu finitas, quod et initio monetur," hinc forte a discipulis sunt collectae et ita editae. Accusatur[1]) etiam quod ad Occami Nominalismum deflexerit. *De studio s. Scripturae,* Reutlingae 1489; Venetiis 1483. 1500. 1515; 1586; in *Proverbia Salomonis,* Parisiis 1510; 1515 in 4; Lavingiae 1519: quod tamen ab aliis tribuitur Thomae Wallensi; *in Cantica canticorum et 7 cc. Ecclesiastici* lect. 88, s. l. et a.; Venetiis 1509 in f.; *in l. Sapientiae praelectiones 213,* s. l. 1481, hac inscriptione: Opus praeclarissimum eximii D. Mag. R. Holkot s. theol. moralissimi et doctissimi professoris O. FF. Praed. supra Sapientiam Salomonis, quam Philo dissertissimus collegit, continens postillam accurate ac summa enucleatione elaboratam cum singularibus qq. ad omnem materiam tam scholasticam atque disputabilem, quam ad populum praedicabilem utilissimis, atque solemnes non modo divinarum literarum, verum et philosophorum atque famosorum poëtarum ad easdem materias congruenter applicatas allegationes. Hujus op. prodierunt circa 20 editiones, ita Venetiis 1483; 1500 etc. Spirae 1483; 1486; Parisiis 1486; 1489 etc.; Basileae 1488 etc.; Reutlingae 1489; Hagenoae 1494; Coloniae 1689 forte ultima ed. Cum ed. basileensi 1586 prodierunt *moralizationes historiarum,* et etiam cum tabula aurea d. Thomae super evangelia et epistolas totius anni curante Matth. Mantuano O. Praed., Venetiis 1505; Parisiis 1507; 1513 etc.; *de origine, definitione et remedio peccatorum,* Parisiis 1577 in 8; *Philobiblion*[1]) seu de amore librorum et institutione bibliothecarum, sub nomine Richardi de Bury episcopi dunelmensis et Eduardi III. cancellarii († 24. Apr. 1345), qui Oxonii multis expensis in studentium utilitatem bibliothecam fundaverat insignem, quae huic l. occssionem praebuit. Ipse episcopus epistolam operi praefixit, unde hic l. etiam sub ejus saepe nomine prodiit, ut Spirae 1483; Oxonii 1590 recognitus a Thoma James etc.; The philobiblion edited by Ern. C. Thomas, London 1888 collatis 28 codd. msc. Reliquit plura inedita, ut commentaria in alios ll. s. Scripturae; Quodlibeta, sermones etc. — Praeterea ex ordine praedicatorum ll. sententiarum commentariis (ineditis) explicarunt Bernardus Lombardi ita a familia, non a patria vocatus, fuit enim,

[1]) Cf. Stöckl Geschichte der Philosophie des M. A. II, 1022; Werner der h. Thomas III, 22, qui plures opiniones minus probandas ei tribuit.

[1]) Cf. de hoc l., quem viri eruditi laudant quique saepe prodiit, Fabricius I, 284.

ut videtur Gallus, provinciae (Provence) prior praepositus, magister parisiensis (fl. a. 1327). — Guilelmus de Southamptonia dioecesis wintoniensis Anglus, cujus est etiam postilla in Isaiam etc. (fl. c. 1340). — Joannes Christophori de Meleberch Germanus a capitulo generali Lemovicis 1334 habito ad legendum sententias Parisiis destinatus, cui tribuuntur etiam postillae in 4 Evangelia, epistolas Pauli et septem ep. canonicas. — Joannes de Prato Gallus pariter designatus a. 1312 ad legendas sententias Parisiis, episcopus ebroicensis (1328), qui tamen muneri episcopali renunciavit (1334; † c. 1338).

278. *Ex ordine s. Augustini* praecipuus forte hoc tempore est beatus Henricus de Frimaria[1]) (Vrimaria, Vrimach, Frimel etc., quod est oppidum prope Gotham in Thuringia). Lutetiam Parisiorum profectus summo in honore ob insignem ingenii praestantiam atque honestissimam vitae conversationem ab omnibus habebatur, propter flagrantissimam erga Deum caritatem, qua se totum in verbis et scriptis succensum ostendebat, *doctor seraphicus* appellatus. Laurea doctorali obtenta ibidem diu philosophiae et theologiae cathedram rexit. In Germaniam reversus in praestantioribus civitatibus cathedras illustravit egitque regentem studiorum Pragae et suae provinciae praepositum. Arimini a. 1318 in capitulo generali examinator studentium promovendorum pro quocunque studio Germaniae constitutus fuit: erat enim teste Guil. Eisengrein vir moribus et doctrina insignis, omni literatura suae aetatis nobilissimus, philosophus, orator atque poéta celeber, juris consultus clarissimus, theologus ss. legum exercitatissimus. Usque ad provectam aetatem studiis erat deditus, sed non minus omnibus pietatis officiis virtutumque exercitio intentus. »Inter orandum, solebat dicere, Deo se loqui, inter studendum Deum sibi.« Post saevissimos morbi dolores triennio patientissime toleratos prope octogenarius decessit a. 1334 (secundum alios c. 1340, vel 1354, imo c. 1357). Ob vitae sanctitatem a sodalibus et aliis quoque beatis, imo sanctis accensetur[1]). Haec potiora ejusdem opera: *L. de quatuor instinctibus* divino, angelico, diabolico, mundano, Venetiis 1498; Hagenoae 1513; Parisiis 1514 in 12; *de spiritibus* eorumque discretione (forte ex praeced. op.) Antverpiae 1652 (cum aliis aliorum ll. et Henrici vita); *additiones ad ll. sententiarum* (una cum commentario Aegidii romani), Basileae 1497; Coloniae 1513 in f.; tr. *pro conceptione b. V. Mariae* (cum 19 aliis aliorum tr.) curante Petro de Alva, Lovanii 1664; *Expositio triviaria decem praeceptorum* sive Praeceptorium seu expositio triviaria in decalogum (quae ab aliis Nicolao Lyrano tribuitur, sub cujus etiam nomine prodiit), Coloniae 1498; 1505; *Passio D. N.* literaliter et moraliter explanata, Parisiis 1514; Hagenoae 1517; opus sermonum exactissimorum *de sanctis*, Hagenoae 1513; Parisiis 1514; tr. *de origine fratrum Eremitarum*, Venetiis 1514. Multa manserunt inedita, ut commentaria in s. Scripturam, in ll. Ethicorum Aristotelis, quodlibeta etc.

279. Ex eadem hac sacra familia ll. sententiarum exposuerunt: Gerardus senensis qui pariter Lutetiam Parisiorum fuit missus ibidemque baccalaureus factus quaestiones quodlibetales exponere jussus est. Aegidianae doctrinae fuit sectator atque defensor strenuus, necnon et juris utriusque

[1]) Notat Denifle in Chartulario II, 1 pag. 536 plures distingui debere, qui hoc nomine designentur, et aliquos libros, qui nostro ab Ossinger tribuuntur, forte esse aliorum.

[1]) Cf. Lanterius I, 115—19; Streber KL. V, 1703; Feret III, 511—15.

peritus. Bononiam profectus munus lectoris exercuit, inde in patriam ad docendum reversus brevi post decessit († 1336), et quia vivus magisteriali laurea non fuit insignitus, instante populo atque episcopo inaudito exemplo in feretro jacens ea redimitus est. Reliquit *Lecturam in 1. l. sententiarum,* Patavii 1598; lecturae in reliquos ll. manserunt ineditae; *quodlibetum primum,* Viterbii 1587; Arimini 1636 in 4; *quodlibetum secundum* seu qq. variae de philosophia et s. theologia, Cesenae 1630; *l. de restitutionibus et usuris,* Viterbii 1587, a quo distinguitur tr. *de usuris et praescriptionibus,* Romae 1556; Cesenae 1630; Bononiae 1671. Plura alia manserunt inedita, inter quae commentarius in decr. „cum Marthae," in quo dat expositionem sacrificii missae. — Prosper de Regio, cujus supersunt etiam commentaria in Evangelia (inedita) et quaestio sumpta ex qq. ab eo Parisiis disputatis *supra prologum l. magistri sententiarum,* Bononiae 1503; Cesenae 1626. — Alexander de Marchia (fl. 1336) — Alexander de Vergh Germanus, qui eodem tempore floruit — Stephanus Forestus Hungarus († 1332) — Joannes Forestarius Gallus (fl. c. a. 1342) — Lucas de Messana Siculus (fl. c. 1342) — Dionysius de Robertis a Burgo s. Sepulcri Hetruscus, doctor parisiensis, episcopus monopolitanus (1339; † 14. Jan. 1342), cujus memoratur et postilla in ep. s. Pauli ad romanos[1]). — Guilelmus de Lignago Italus (fl. c. 1350) — Robertus Worsop (Wersop) eboracensis, theologiae doctor († c. 1350) — Joannes de Lana Italus, qui Parisiis magistrum sententiarum est interpretatus († 22. Jul. 1350 a. aetatis 93). — His addatur Rogerius Glacton natione Anglus, patria huntingtonensis, doctor cantabrigiensis et suae provinciae praepositus († 1340), cujus varia laudantur opera inedita.

280. Incipit jam splendescere *Carmelitarum familia,* cujus illustrissimus sodalis hac epocha fuit Joannes Baconis (de Bacon, Bacco, de Baconthorp etc.) ex pago nordfolciensi Baconthorp oriundus[1]). Oxonium primum, Parisios dein studiorum causa fuit missus, ubi utriusque juris et s. theologiae lauream promeruit, tantoque successu docuit, ut *doctor resolutus* et Averroistarum princeps salutaretur. In Angliam reversus praefuit ter suae provinciae (1327. 1330. 1333). Romam vocatus est, ut consilium daret in quaestionibus matrimonialibus: sed admirationem movit, eum rom. pontificis circa impedimenta matrimonii adeo extendisse potestatem, ut ei dispensandi facultatem circa impedimenta dirimentia vel juris divini vindicaret. Verum cum tot alii theologi graves ei refragarentur, modeste suam retractavit sententiam. Rediit in patriam ibique decessit 1346, „minimus, ut dicitur[2]), in persona, sed maximus sapientia et doctrina." Haec ejus opera: *Commentaria* seu qq. super quatuor ll. sententiarum, Lugduni 1484; Mediolani 1511; Venetiis 1527; Parisiis 1484. 1518; Cremonae 1618, cum qua ed. prodierunt ejus *Quodlibeta,* ed. optima cura Jo. Chrys. Marascae O. Carm. t. 2 in f. *Compendium legis Christi,* cum quodlibetis, Venetiis 1527; commentaria in qq. Scoti *de universalibus,* 1489; Venetiis 1483; 1492;

---

[1]) Cf. plura de eo apud Tiraboschi V. l. 2 c. 1 n. 5 ss.

[1]) Distingui debet a celebri Rogerio Bacon O. S. Fr., de quo egimus p. 392.

[2]) A Trisse († 1363) in catal. magistrorum theol. O. Carm. Parisiis edito a Denifle Archiv. V, 372. Cf. de Bacone in primis Villiers in bibl. carm. I, 743—53; Scheeben KL. I, 1838. Ejus doctrinam, in primis de praedestinatione et gratia, quae ad doctrinam Societatis Jesu accedit, plurimum illustravit ejus sodalis Didacus de Castilla in Speculo theologiae baconianae. Cf. Nomencl. II², 976.

compendium historiarum et jurium *pro defensione ordinis b. Mariae V. de monte Carmelo*, in speculo ord. carmelitani, Venetiis 1507; Antverpiae 1680 t. I. Quam plurima sunt inedita, nam »fecit optimas postillas super epistolas Pauli et super Evangelia, specialiter super Matthaeum;« tr. varii contra Judaeos, commentaria in Augustinum de Trinitate et de civitate Dei; in Anselmum de incarnatione et Cur Deus homo, in pleraque Aristotelis opera; de beatorum visione contra Joannem XXII.; de conceptione Mariae ll. 4, quam immaculatam fuisse tuetur, sicut etiam in prolixo quodlibeto; disseruit de variis theologiae, juris canonici et philosophiae argumentis etc. In quaestionibus philosophicis et theologicis dissentit a s. Thoma[2]) magisque accedit ad Scotistas et Nominalistas, ac singularum opinionum est patronus. Sua doctrina et auctoritate novam fundavit scholam et comitiorum generalium decreto sodales obligantur ejus doctrinam tenere et sectari, nam ita praescribitur in capitulo gen. Romae 1704: »Diligenter studeant doctores nostri ordinis determinationes sustinere, sequi sententias et allegare, praesertim Jo. Baconii doctoris resoluti nuncupati[2]):« sed haud efficaci successu: praevaluit enim in Carmelitarum scholis s. Thomae doctrina. Nactus est aliquot discipulos. qui ejus doctrinam illustrare et commendare nisi sunt, ita Dionysius Blasco (cf. Nomencl. II[2], 5), Elisaeus a Garcia, et in primis Jos. Zagaglia (ib. p. 654), Did. de Castilla (ib. p. 976) etc.

281. Aliud illustre hujus ordinis decus fuit Guido de Perpiniano a loco nativitatis, Terrena (Terreni) a familia, Parisiensis a studiorum et magisterii loco, simpliciter Carmelita a professione dictus, »qui omnium[1]) studia literarum adeptus atque sanctorum imitator factus plures libros ad fidei christianae defensionem inspirante Domino conscripsit, nam quatuor evangelistas, qui aliquando discrepare videntur, multum egregie in unum collexit, ideo intitulatur *Quatuor unum* (h. e. concordia evangelica in 4 evangelistas, Coloniae 1631 m. 30; 1655 cum Summa, de qua mox), liber est magni valoris et necessitatis. Continet enim bene 24 sexternos 60 punctorum. Item edidit unum Commentatorium (Correctorium) super decretum magni valoris et excellentiae (ineditum, in quo scil. auctoritates N. et V. T. ac SS., quas Gratianus in suo decreto allegat, suis locis inscribit et unde accepta sint, fideliter denotat). Item fecit unum tract. contra haereticos summae utilitatis fidei christianae, ubi nominat (subinde non satis accurate) omnes sectas haereticorum a principio mundi usque ad tempus praesens et improbat (aliquoties parum feliciter), qui l. intitulatur l. *de haeresibus* (Summa de haeresibus et earum confutationibus, Parisiis 1528; Coloniae 1631; 1655 in f.). Item fecit alium perpulcherrimum tr., qui intitulatur l. de perfectione vitae (ineditum ad Joannem XXII.), ubi tractat an Christus (et) apostoli habuerint proprium, et sic de aliis consiliis evangelicis, et an praelati possint aliquid habere in communi, qui l. est valde utilis. Item fecit scripta diversa super sententias, et multa alia quae omitto brevitatis causa. Hic enim suo tempore famosissimus fuit super omnes magistros parisienses, imo super omnes, qui tunc in clero universo florebant. Hic enim in priorem generalem

[1]) Dissensionum capita recenset Aquarius in ed. op. Capreoli, Venetiis 1588. IV, 142—53, quorum summam exhibet Werner der h. Thomas v. A. III, 245 ss.

[2]) Cf. Engelb. a s. Francisca in Brevi serie omnium capit. gen. in Ord. b. M. V. de Monte Carm., Romae 1765 p. 91.

[1]) Ita in catal. supra cit. Cf. Villiers I, 581—88; Stanonik KL. V[2], 1358; Nic. Antonius bibl. hisp. vet. l. 9 c. 5 n. 252 ss.; Raynaldus Annal. ad a. 1332 n. 28.

rite et canonice eligitur (1318); postmodum vero per sedem apostolicam in episcopum majoricensem (1321) seu (1232) cunensem (i. e. ad elnensem est translatus), sicque in Avinione (recte Parisiis) cum pontificali honore glorioso fine quievit in pace (21. Aug.) a. D. 1342.« Reliquit etiam quodlibeta, quaestiones, commentaria in aliquot ll. s. Scripturae, commentaria (accurata) in plures ll. Aristotelis (inedita), praesertim in 8 ll. Ethicorum.

282. His ex eadem familia adde Petrum de Casa (de Casis, Cesis, Caesis, Cassia, Des-Maisons etc.) Lemovicensem, qui »doctrina et sapientia insignis fuit[1]). Unde quam plurima scripta super 4 ll. sententiarum conscripsit. atque pulcherrimas collationes ad status edidit. Hic in priorem generalem rite et canonice eligitur (1330, praefuit a. 11½). Postmodum vero tempore papae Joannis (XXII.) pro fide catholica graviter affligitur (ob controversiam de visione Dei ante resurrectionem), sed Domino adjuvante tribulatio illico vertitur in gaudium, nam D. P Benedictus XI. (potius XII.) attendens in eo doctrinae catholicae constantiam, eum episcopum vasionensem creavit (a. 1341), postmodum (1342) vero P. Clemens VI. in patriarchalem dignitatem Jerosolymitanam salubriter sublimavit († 3. vel 4. Aug. 1348).« — Sibertus de Beka (corrupte Belteus) Geldriensis n. c. 1270 († 29. Dec. 1333), provinciae praepositus a. 1327, concinnavit etiam Summam censurarum novi juris et scripsit in regulam ordinis sui, qui l. exstat postremus in Phil. Ribot ll. 10 *de institutione et peculiaribus gestis Carmelitarum* Venetiis 1507 excusis. — Joannes de Alerio Tolosanus, magister parisiensis, »doctrina et morum honestate insignis ordinem rexit (1321) novem a. multum humiliter et virtuose: non enim erat acceptor munerum, nec acceptor dignatus est esse personarum: erat enim in judicio rectus, in dispensatione industrius, in recipiendo discretus. Iste est enim qui ordinis regulam et caeremonialia ad unguem observari faciebat, expensas supervacuas supreme vitabat, bonos exaltabat et malos misericorditer puniebat. Hic enim tantum dilexit vitam contemplativam, quod ut liberius lectioni aut divinae contemplationi vacaret in capitulo generali celebrato Valenchenis resignavit officio generalatus. Postmodum vero in Dei timore et laudibus perseverans Tolosae incontaminatum reddidit spiritum Domino (23. Nov. 1342).« Ita l. c. p. 379. Tribuitur ipsi etiam lectura notabilis in Ecclesiasticum. — Guilelmus de Sanviliaco Tolosanus († 1348), cui tribuuntur ll. 2 super 4 decretales, expositio missae, et secundum Fabricium (III, 154) *Chronicon breve* de amissione monasteriorum terrae s. et de multiplicatione O. Carm. per Syriae provincias ac adventu Carmelitarum in Europam, insertum l. IX. Phil. Riboti *de rebus carmelitanis* in Dan. a V. Maria armamentario Carmel., Antverpiae 1680; et cum notis Pabebrochii in proleg. ad acta SS. t. 3. Maji p. LX—IV. etc. Fabricius eum assignat sec. XIII. — Osbertus (Otbertus) Pickenghamus Anglus, theologus parisiensis († 1330), cui tribuuntur praeterea postillae in s. Biblia, quodlibetorum ll. 2, tr. 2 de conceptione b. M. V. Tantae fuit celebritatis »ut ingens auditorum numerus ad ejus praelectiones tamquam ad sacrosanctum oraculum convolaret.« — Adamus de Bodromo (Vodromo, Bodmen) Suevus (fl. c. 1350). — Joannes de Walsingam (Walsinghamus, Walsigham, Walgram etc.) Norfolciensis, Parisiis, dein Oxonii docuit, provinciae in Anglia praepositus († c. 1339), »vir in divinis Scripturis eruditus et seculari philosophia nobiliter doctus, ingenio subtilis et acutus (Trithemius),« Joanni XXII. et Benedicto XII. carus,

[1]) Ita in eodem catalogo l. c. pg. 372.

reliquit praeterea commentaria in Proverbia Salomonis, quodlibeta, de ecclesiastica potestate contra Occamum et Marsilium Patavinum etc. — Godefridus Cornubiensis, doctor oxoniensis et parisiensis, Parisiis diu floruisse et docuisse videtur (fl. c. 1340). Reliquit praeterea decem quodlibeta, commentaria in aliquot Aristotelis libros, in sex principia Gilberti Porretani etc. — Neque praetermittendi sunt Joannes de Claravò sive de Claravalle (Claranus, corrupte Clararabus) Catalanus, Monspelii creatus doctor, narbonensis provinciae praepositus et assumptus (1327) a Joanne XXII. episcopus bossensis in Sardinia († 1340). Praeditus enim dicitur[1]) »scientia et doctrina mirabiliter atque facundia incomparabili.« — Hugo de Verneco »nobilis genere[2]), sed scientia et doctrina nobilior in mente: unde inter ceteros doctores Parisiis suo tempore in speculativa famosior fuit, qui ibidem regens feliciter migravit ad Dominum 23. Mart. 1340.« — Joannes de Bloxam vicarius generalis ord. et visitator monasteriorum per Hiberniam, Eduardo II. et III. carus et in negotiis adhibitus († 1334), reliquit quoque annotationes in Apocalypsim de apertione septem sigillorum[3]) etc.

283. Praeter eos, quos hactenus ex ordine seraphico, praedicatorum, s. Augustini et carmelitarum recensuimus, commentaria (inedita) in ll. sententiarum reliquerunt[4]) Robertus Cervinus Anglus, cui etiam tribuuntur commentaria super varios s. Scripturae textus (fl. c. 1326). — Petrus de Lutra Caesarea (Kaiserslautern) O. Praem. (fl. 1330) plurima reliquit mscr., inter quae etiam commentaria in Evangelium s. Joannis, de septenis candelabris; de summi pontificis eminentia ll. IV, de sacramento altaris etc. — Guilelmus de Montinduno O. ss. Trin. Anglus s. theologiae doctor († 5. Sept. 1327). — Sodalis fuit Joannes Jedburgius Scotus, doctor sorbonnicus, archiepiscopus damascenus († 7. Maji 1328). — Hanibaldus Cajetanus (Gaetani) sive de Ceccano Italus, canonicus fuit parisiensis et archidiaconus atrebatensis, theologiae doctor parisiensis et Sorbonnae provisor[1]), dein archiepiscopus neapolitanus, demum cardinalis et episcopus tusculanus (1330), saepe legatus apostolicus, decessit veneno sublatus († 1350). — Guilelmus Powell (de Paul) episcopus midensis (Meath 1327—49).

284. Summam quandam universae theologiae de tribus punctis religionis christianae i. e. de articulis fidei, de praeceptis decalogi, de septem peccatis capitalibus et per modum appendicis de clavibus Ecclesiae et censuris (Lubecae 1496 sub inscriptione *Religio munda*) concinnavit Thomas Palmeranus sive Hibernicus sive Palmerstonus dictus, quia natus apud Palmerstown juxta le Naas in agro kildariensi. Is neque fuit O. Praed. neque

[1]) Cf. Catalogum cit. Archiv V, 373.
[2]) Cf. ibid. p. 374
[3]) Cf. Bellesheim I. 541.
[4]) Mentione praeterea alii digni sunt, quorum opera lucem non aspexerunt, ut Thomas de Baillaco cancellarius academiae parisiensis († 1328), cujus laudantur commentarii de rebus theologicis, quodlibeta etc.; Edmundus Albonus (Albanus) O. SS. Trin. Anglus († 21. Jan. 1340), qui disputavit de ss. Trinitatis arcano in commentariis ad Boëthii opus de hoc mysterio. — Praetermittimus Nicolaum de Ultricuria (Antricuria, d'Autrecourt) philosophum, cujus errores 61, quibus praeludit philosophis recentioribus, praesertim Hume et Kant, damnati fuere 1346 a Clemente VI. et academia parisina, et quos revocare debuit. Ii accurate et emendate cum actis exhibentur a Denifle in Chartulario univ. paris. II, 576 ss. Aliquos reperies apud Denzinger Enchiridion symb. et definitionum n. 457 ss. Cf. Cl. Baeumker Bericht über die abendländ. Philos. im M. A. in Archiv. für Gesch. der Philos. 1897 p. 252 ss.
[1]) Cf. Feret III, 251—55.

O. Min., sed Sorbonnae socius vixitque ad a. usque 1330. Complevit quoque opus a Jo. Guallensi coeptum *Manipulus* (ordine alphabetico dispositus) *florum* seu flores doctorum insignium (36) tam graecorum quam latinorum, qui in theologia ac philosophia floruerunt, saepe editum; Venetiis 1480; 1492; 1550; Parisiis 1556 etc.; quem Dominicus Nanus multum auxit, 1503; iterum Amantius 1576; Fr. Tortius 1628; demum Silvius Insulanus ultimam apposuit manum sub titulo *Polyanthea novissima,* Viennae 1758; recentissime prodiit cura Jo. Thomae Ghilardi O. Praed. Monteregali 1858 in 12. *Flores bibliorum* sive loci communes omnium fere materiarum V. ac N. T. ordine alphabetico digesti, de quo opere edendo non cogitavit, prodiit tamen saepius, Parisiis 1556; 1662; Lugduni 1678. 1679. Plura opera manserunt inedita, ut commentaria in duos priores ll. sententiarum, tr. de tribus hierarchiis tam angelicis quam ecclesiasticis; commendatio theologiae secundum triplicem sensum anagogicum, allegoricum et moralem [1]).

285. Contra *Judaeos*[2]) disputarunt Petrus de Pennis (Penna) Aprutinus O. Pr. (c. a. 1342), cujus l. contra Judaeos inscriptus *Talamoth* et tr. *contra Alcoranum* et Mahommed recepit Petrus Suberti, de quo infra, tamquam p. 8. in insignem suum tractatum *de visitatione episcopali.* Alterum opus cc. 22 constans docens vias, quibus comprehendi possit terra sancta et quare deperdita fuerit et qualiter recuperari possit, ineditus videtur. Cf. Quetif I, 569. — Alphonsus Bonihominis (Buenhombre) O. Praed. Hispanus, linguarum arabicae et hebraicae erat peritus, quas addidicerat, quia Judaeis et Mahommedanis, quibus plena tum erat Hispania, ad Christum adducendis erat sollicitus: unde eum pro fide ab illis plura perpessum esse referunt. Ex arabico (potius ex hebraica, quae ex arabico facta erat, versione) latine reddidit *epistolam R. Samuelis Israelitae* ad R. Isaac seu rationes ad reprobandos Judaeorum errores, quibus prophetarum testimoniis Christum D. verum Messiam venisse, passum, mortuum esse, resurrexisse, ad coelos ascendisse ejusque futurus secundus adventus demonstratur. Cum ea dicatur scripta sec. XI, Alphonsus colligit eam a Judaeis per tria fere secula ex industria fuisse occultatam: sibi autem cum in manus casu fortuito obvenisset, vertere ac edere operae pretium visum est. Prodiit Mantuae 1475; s. l. et a. (Tarvisii 1476); cum Pontii Pilati *de Hiesu resurrectione* ep. ad Tiberium (Metis c. 1498), ed. rara (m. 120); Antverpiae 1486; Coloniae 1483; 1536; Parisiis, Lugduni 1527; Antverpiae (Lipsiae) 1711 etc. (etiam in bibl. PP. lugdunensi XVIII, 519). Dicitur postea factus a Clemente VI. episcopus Marochii (fl. 1339). — Alphonsus Burgensis, quem alii Vallisoletanum appellant, Hispanus Burgis vel Pinciae ortus, professione medicus, primum Judaeus nomine Rabbi Abner, postea Christianus et in baptismo Alphonsus nominatus, christianae religionis propugnator egregius, emisit hebraice opus inscriptum *bella Domini,* quod in hispanum ipse transtulit sermonem, in quo ever-

---

[1]) Cf. Feret III, 238—41; Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irland I, 476, ubi et Petrum de Hibernia laudat, magistrum quondam s. Thomae Aq. Neapoli (1243), cujus ait *Quodlibeta* prodiisse.

[2]) Contra hos disputarunt etiam Lauterius de Batineis (de Valdinis, Ubaldinis) Etruscus O. Pr. (fl. c. 1335), qui scripsit *Capistrum Judaeorum,* ex quo aliqua affert Quetif I, 589. — Bernardus Oliverius O. S. Aug. Hispanus, doctor et magister parisiensis, episcopus oscensis (1336), dein a. 1344 barcinonensis, demum 1346 dertosensis, regi Aragoniae a consiliis et legationibus († 14. Jul. 1348), cui etiam tribuuntur commentaria in magistrum sententiarum, l. de divinis officiis etc.

tit argumenta R. Jos. Kimchi fidei christianae objecta. Excerpta exhibet Alph. de Spina in suis ll. *Fortalitii fidei*, Lugduni 1525. Causa suae conversionis legitur ibidem l. 3 c. 27, nempe mirabilis illa apparitio crucis in Judaeorum palliis, ubilibet essent, per totum Castellae regnum a. 1295. Decessit[1]) sacrista seu aedituus burgensis a. 1346. — Joanni Baptistae Gratia Dei Asculano, qui dicitur fuisse O. Praed., sed a Quetif inter sodales non recensetur, et obiisse 1341, tribuitur a nonnullis l. (rarus) *de confutatione hebraicae sectae*, Argentinae 1500 in 4, qui tamen probabilius videtur esse Jo. Baptistae de Veracruce medici et philosophi romani. Tribuuntur nostro Joanni commentaria *in totam artem Aristotelis*, in praedicabilia Porphyrii ac sex principia Gilberti Porretani, Venetiis 1481; 1493; qq. theologicae et metaphysicae, quas disputavit in studio patavino. Eae dicuntur prodiisse ib. 1484.

286. Thomas Bradwardinus (de Bradwardina, etc. quod est oppidum com. Hereford) Anglus n. c. 1230, nec Dominicanus, nec Franciscanus, Oxonii studiis operam dedit, et prae primis delectabatur astronomia et mathesi, in quibus plurimum profecit, ut testantur ejus de hisce disciplinis opera, promeruitque nomen *doctoris profundi*. Oxonii cathedram rexit, munus dein obiit cancellarii ecclesiae londinensis s. Pauli. Virum admodum pium Stratford archiepiscopus cantuariensis commendavit Eduardo III. regi, qui eum secum duxit in Galliam ad bellum, ut sibi esset a concionibus et confessionibus, tantique fecit, ut ejus electioni in archiepiscopum cantuariensem noluerit initio assentiri, ne ejus privaretur praesentia. Cum vero capitulum mox defuncto Ufford, quem loco ejus elegerat, ipsum iterum in successorem postularet, cessit illius voto: sed vix in archiepiscopum consecratus obiit 26. Aug. 1349. Versatus erat in operibus non solum patrum, sed et scriptorum romanorum, inque iis graecorum et arabum auctorum, quae latine essent versa. Plurimum tamen utebatur in disputando rationibus dialecticis. Huc spectat propter opus *de causa Dei* contra Pelagium et de virtute causarum ll. 3, quod scripsit a. 1344 ad Mertonenses suos sive ad custodem et socios aulae mariodunensis: primum prodiit cura Henr. Savile Londini 1618. Dum autem Bradwardinus queritur totum mundum post Pelagium abiisse, atque huic malo vult occurrere, ipse parum abest, quin ad alteram extremam partem et sententias Godescalci atque Wiclefi deflectat[1]). Quare non desunt qui huic tamquam principi auctori sententiam de ineluctabili praedeterminatione adscribant, quique suspicantur Wiclefum ab ipso didicisse, solam coactionem libertati repugnare. Sane Anselmum, Lombardum, Thomam aliosque scholae doctores solam admittentes necessitatem consequentiae in actibus liberis relate ad causas superiores vix non diserte affirmat Pelagianismo favisse. Hinc nonnulli ex protestantibus eum accensent testibus veritatis i. e. praecursoribus Wicleffi et Calvini: sed immerito, cum Brad-

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. vet. l. IX c. 4 n. 234 ss.

[1]) Cf. sententias 36, quibus Bradwardinus ad calcem operis complexus est epitomen, apud Fabricium I, 249 ss.; Knittel KL. 2², 1175 ss.; D'Argentrè in collect. judic. ad a. 1330, qui eum revera circa libertatem praelusisse censet haereticis posteriorum temporum; Stöckl Lehrb. der Gesch. der Philos. I³, 469. A Scheeben n. 1066 proponitur als gelehrter, tiefsinniger Vertreter einer schroff ausgebildeten Gnadenlehre. S. Hahn Th. Bradwardinus u. s. Lehre von der mensch. Willensfreiheit. Münster 1904. Bradwardini vestigia sectabatur Joannes de Mirecuria (Mirecourt) O. Ci. theologiae baccalaureus et lector in universitate parisiensi, cujus 40 articulos per 43 magistros in theologia tamquam erroneos reprobatos a. 1347 cf. in Denifle Chart. paris. II, 1. 610 ss.

wardinus saltem suum subjiciat opus judicio Ecclesiae, apud quam totius christianae doctrinae auctoritas et imperium manent. Praeterea multa subtiliter disputat adversus ethnicos, philosophos et Judaeos, contra quos et religionis naturalis et christianae dogmata erudite, sed minus solide, passim tuetur. Alia dicitur reliquisse opera, quae sunt inedita.

287. Barlaam (Barlaha) monachus sec. XIV celeber, ob vitae et doctrinae vicissitudines et mutabilitatem ab eruditis subinde in duos divisus[1]) fuit. Natus est Seminariae in Calabria et ingressus juvenis monasterium s. Eliae de Copasino O. S. Basilii. Admodum delectabatur studio operum Aristotelis. Ut vero illum in lingua posset legere originali, ad discendam bene hanc linguam transiit in Graeciam. Lingua hac bene instructus et Graecorum imbutus literatura Constantinopolim se contulit, ibique specimina suae eruditionis dedit: verum et illorum erroribus contra processionem Spiritus s. ex Filio et contra primatum fuit infectus, quos et scriptis (circa 23) propugnavit. Hinc magni factus ab Andronico juniore imperatore missus est legatus ad Benedictum XII. Avenionem (1339) pro componenda aliqua unione inter utramque ecclesiam[2]), sed frustra. Magis adhuc innotuit ob impugnationem Hesychiastarum, quorum errores ridiculos aperuit et impugnavit, atque ad synodum 1341 habitam detulit, successu tamen infelici. Quapropter in patriam rediit, errores abjuravit rediitque in sinum Ecclesiae. Factus est Neapoli bibliothecarius regius (1342) et episcopus hieracensis (Gieraci) in Calabria, scripsitque jam adversus graecos *epistolas* (5) pro unione cum romana Ecclesia, pro primatu et de processione Spiritu s. etiam ex Filio[1]), in patrol. gr. Migne CLI, 1256—1330, et jam prius in Canisii lect. ant. t. IV. († 1347).

288. His denique addimus Engelbertum OSB. n. nobili genere c. 1250, abbatem monasterii admontensis ab a. 1297—1327, quo a. muneri resignavit († 12. Maj. 1331). Hic plurimis inclaruit scriptis (38), quorum haud pauca publicae luci donavit Bernardus Pez in thes. anecdotorum novissimo (cum diss. isagogica de vita et scriptis Engelberti) et in bibl. ascetica. Potiora sunt[2]): *De gratiis et virtutibus b. et gloriosae semper V. Mariae* pp. 4 (t. I. p. 1. Anecd. p. 503—762) saepissime editus; ll. 12 qq. *de rebus ad fidem spectantibus; de libero arbitrio* (ib. IV, 2, 121-147); *de providentia Dei* (bibl. asc. VI, 51—150); *de statu defunctorum* (ib. IX, 113—195); *de causa longaevitatis hominum* ante diluvium (Thes. I, p. 1. 437—502), opus secundum Pez egregium; *de regimine principum*, quod edidit Hufnagel cum

[1]) Cf. Stein KL. I², 2012; Tiraboschi V. l. 3 c. 1 n. 4 ss.

[2]) Cf. ejus hac de re consilia apud Fleury H. E. l. 95 § 1; et duas pulchras quas habuit orationes pro unione apud Raynaldum ad 1339 n. 20.

[1]) Cf. Werner Gesch. der apol. und pol. Literatur III, 50 ss.; G. Mandolori Fra Barlaamo Calabrees, maestro del Petrarca, Roma 1888.

[2]) Cf. Fabricius II, 507; Schroedl KL. IV², 536, qui Pezii de scriptis Engelberti judicium ita enunciat: Aus allen leuchtet ein scharfsinniger und umfassender Geist hervor; schwierigere Fragen werden von Grund aus erschöpfend behandelt; kein dem menschlichen Forschungsgeist zugänglicher Gegenstand auch der verwickeltesten Art ist von dem Versuche der Lösung ausgeschlossen, und dazu kommt daß E. von aller Superstition entfernt ist, insofern er, was mit der h. Schrift oder der Vernunft oder Auctorität großer Männer nicht zusammenhängt, verwirft, und daß er, wenn auch im scholastischen, doch in einem besseren Stile schreibt, als es zu seiner Zeit gewöhnlich war. Cf. Wichner Geschichte des Benediktinerstiftes Admont III, 1-30; 511-45; Ziegelbauer III § 18; Michael III, 125 s.; 248—251.

aliis ejusdem opusculis, Ratisbonae 1725 in 4; *de ortu, progressu et fine imperii romani,* quem mundi finis proxime est insecuturus [1]), ed. a Bruschio, Basileae 1553; Moguntiae 1603; Offenbaci 1610 in 8; recognitus ab A. Schotto, unde recusus prodiit in suppl. bibl. PP. col. 1622; lugd. XXV, 362-378; *speculum virtutum* pro Alberto et Ottone Austriae ducibus (bibl. asc. t. III.), et *super passionem* secundum Matthaeum (bibl. asc. VII, 67—112); tr. de q. illa *utrum Deus adhuc incarnatus fuisset,* si primus homo non fuisset lapsus, opus doctum; tr. *de miraculis Christi; de gratia salvationis* et justitia damnationis humanae, *de summo bono hominis* in hac vita contra philosophos ethnicos; *Dialogus concupiscentiae et rationis;* tr. *utrum sapienti competat ducere uxorem.* Haec tria opuscula habes inter *opuscula philosophica* Engelberti ed. a Jo. Conr. Peez, Ratisbonae 1725; Tr. *de officiis et abusionibus eorum* non amplius exstat; tr. metricus *de consilio vivendi* etc.

[1]) Cf. Michael Ztschr. f. k. Theol. XXVI (1902) 275—279.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

289. Plurimi sunt theologi, qui in interpretandis ss. literis versati sunt quorum tamen labores fere omnes manserunt inediti [1]). Pauca opera prodierunt eaque plerumque non tanti pretii. Prae ceteris tamen innotuit Nicolaus

[1]) Ita Guido Vicetinus a patria, a familia vero de Pileo (de Capello) nuncupatus illustri comitum Montisbelli stirpe natus, qui sua eruditione, facundia praeclareque gestis patriam ordinemque Praed., quem est ingressus, illustravit. Ferrariae fuit adversus haereticos generalis inquisitor, dein et episcopus (1304; † 1332). Petrum de Riga (cf. supra p. 229) imitatus metricam concinnavit *Margaritam biblicam*, qua breviter v. 1500 exhibet ex ordine Scripturae librorum (usque ad l. Ruth) singulorumque capitum argumentum ad juvandam memoriam. Num unquam prodierit, sicut fertur, nobis non liquet. Cf. Quetif I, 574. — Petrus Bruniquellus (Brunichellus, e Bruniquello) O. S. Aug., ut videtur Gallus, episcopus Civitatis novae in Istria (1311-28), concinnavit l. super historiis N. et V. T. juxta ordinem alphabeti, commentaria in Proverbia, Ecclesiasten, Cantica canticorum etc. — Arnaldus Royardi O. Min. Petragoricensis, archiepiscopus salernitanus primum, dein sarlatensis († 1334) reliquit distinctiones in s. Scripturam alphabetice dispositas; opus theologicum morale etc. — Michael de Massa O. S. A. theologus et concionator insignis († 20. Maj. 1337) scripsit in omnes ll. V. T., in quatuor Evangelia et in ll. sententiarum. — Nicolai Petri de Senis O. Serv. b. M. V. doctoris parisiensis, praepositi provinciae Thusciae, insignis concionatoris († 1349) laudatur elegantissima explicatio in Pentateuchum Moysis. Ejus *sermones* de sanctis prodierunt 1501. — Henricus de Careto O. Min. a Bonifatio VIII. dictus episcopus lucanus (1300), sed Ludovico Bavaro insectante ejectus († 1330), scripsit prolixe super visionem rotarum Ezechielis prophetae hoc titulo *Logica* et modus atque resolutio s. Scripturae in Ezechielem Pr. — Dominicus Grenier (Grinia, Grima) O. Praed. Tolosanus, licentiatus per Joannem XXII. et magister s. palatii constitutus 1324, dein 1326 episcopus apamiensis († c. 1347) sacris literis exponendis totus incubuit scripsitque commentaria juxta literalem et mysticum sensum in sacra biblia, et quidem, ut ajunt, universa t. 5 in f. — Thomas Straversham us (Stravesham) O. Min. Bristoliensis, a Benedicto XII. Avenionem accitus est a. 1341 et constitutus poenitentiarius apostolicus. Ei tribuuntur expositiones in plures ll. V. T. ut in Isaiam, Job, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium etc. — David O'Bugey O. Carm. Kildarensis Treviris magistrum agebat et a nonnemine dictus „bibliotheca vivens, nationis hibernicae lucerna, speculum et decus", scripsit in aliquot s. Scripturae ll. Cf.

de Lyra (Lira) neutiquam Anglus, ut multis visum, nec Flander, sed Normannus, Lyrae in dioecesi ebroicensi natus 1270, secundum multos genere Judaeus (quod tamen probari nequit). Mature literis hebraicis dedit operam, ut earum peritiam sibi compararet. Ordinem s. Francisci ingressus circa a. 1291 adepta Parisiis laurea theologiam docuit magno plausu, ut *doctor planus* et *utilis* diceretur. Judaeorum conversioni impense institit, eorumque sex millia sub Alphonso XI. Aragoniae rege ad fidem convertisse fertur. Praefuit provinciae Burgundiae et cum aliis doctoribus parisiensibus subscripsit votum de visione beatifica in controversia, cui Joannes XXII. occasionem praebuit. Decessit vitae etiam sanctitate eximius 2 s. Oct. 1340. Opus egregium composuit, quod *postillam* nuncupare decrevit in universam s. Scripturam, in qua succincte et nitide sensum literalem prosequitur ll. 50, paucas valde et breves expositiones, mysticas aliquando, sed raro, interponens. *Moralitates* i. e. allegoricas et tropologicas Scripturarum interpretationes ll. 35 volumine separato edidit, s. l. et a. (c. 1479) Coloniae 1478; Mantuae 1481 etc. quae postea postillarum editionibus insertae sunt. Utitur dictis doctorum catholicorum, sed etiam hebraeorum, maxime Rabbi Salomonis Jarchi (Raschi). S. Thomam libenter sequitur in commentariis in Isaiam, Evangelium s. Joannis et epistolas paulinas; commentarium doctoris angelici in Job fere excerpsit. Postilla sane utilissima reddidit Nicolaum celeberrimum, adeo ut vel protestantes ejus agnoscant meritum, sed rem exaggerant qui dicant, ipsum unicum fuisse medii aevi interpretem[1]).

Saepissime prodierunt *postillae* vel seorsim in singulares s. Scripturae libros, vel in integram s. Scripturam sed sine textu sacro Coloniae 1478; Norimbergae 1479 etc.; auctae moralitatibus ll. 85 Romae 1471—1472 t. 5 in f.; cum textu sacro latino, Venetiis 1482, unica editio, ut videtur, admodum rara; cum additionibus Pauli Burgensis et Replicis Matthiae Doering, Norimbergae 1481; 1485; 1487 etc.; Venetiis 1481; 1482 (ed. alia a supra laudata), Argentinae 1492 etc.; cum Glossa ordinaria, Venetiis 1485; 1495 etc.; Basileae 1498 et ita saepissime ed.; cum glossa interlineari, Venetiis 1588 etc.; Duaci 1617; Antverpiae 1634 ed. optima. Additiones et Replicae seorsim semel prodierunt Venetiis 1683. Postillae receptae etiam fuerunt in Biblia maxima, Lutetiae P. 1600. — Alia

---

Bellesheim I, 541. — Galfridus Alevi antus Ca. Anglus, doctor oxoniensis (fl. 1340).

[1]) Rich. Simon Hist. des principaux comment. du N. T. p. 477 de eo affirmat, neminem ante ipsum Scripturae sensum literalem tam recte investigasse et detexisse. „Notum quoque est, scribit Wiest introd. in hist. liter. p. 438, illud dictum commune de Lyrano: „Nisi Lyra lyrasset, totus mundus delyrasset," quae verba apud M. Mich. Lilienthal (Bibl. exeg. Bibliothek s. 1 c. 8) germanice redduntur ita: Hätte Lyra nicht über die Bibel geschrieben, wäre mancher Doktor ein Esel geblieben. Non minus obtinet: „Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset," eo quod Lutherus ipsius interpretatione praesertim in Genesim multum fuerit usus. Sed cf. Cornely n. 249; prae primis Hoberg KL. IX², 321 ss., qui accurate de ipso opere, editionibus variis ejusque pretio disserit, notatque: Seine wahre Bedeutung für die Exegese besteht vielmehr darin, daß er den richtig erkannten Unterschied zwischen Literalsinn und mystischem Sinn auch in der Praxis durchführte, und daß er die ganze hl. Schrift mit geringer Ausnahme (exceptis partibus deuterocanonicis l. Esther) commentirte und auf diese Weise ein Handbuch schuf, welches über den Literalsinn jeder Stelle Auskunft gab. Auch war seine Postilla die erste gedruckte Bibelerklärung, was zur weitern Verbreitung viel beitrug. Cf. Feret III, 331—9; Fabricius V, 114 ss. Katholik 1859. II, 940 ss.: Nik. v. L. und s. Stellung in der Gesch. der mittelalt. Schrifterkl.

auctoris nostri opera sunt: *Libellus* qq. judaicam perfidiam in catholica fide improbantium (etiam sub inscriptione: *Contra Judaeos,* vel Disp. contra perfidiam Judaeorum) cum postillarum ed. Venetiis 1481; 1482; 1485; Antverpiae 1492; cum quo forte idem sunt qq. *de incarnatione Verbi* adversus Judaeos, in ed. postillarum, Norimbergae 1485; 1487 etc., Lugduni 1520 etc.; Basileae 1498 etc.; Parisiis 1524; Antverpiae 1634; cura E. C. Thomas Londini 1888. Tractatulus *contra Judaeum* ex verbis Evangelii secundum Matthaeum Christum et ejus doctrinam impugnantem per modum appendicis plurium ed. postillarum, ut Basileae 1508; Antverpiae 1634 etc. *Probatio adventus* Messiae per Scripturas a Judaeis receptas, cum op. Hieronymi de s. Fide *Hebraeomastix,* Francofurti 1602. — Postilla seu *expositio literalis et moralis super epistolas et evangelia quadragesimalia* cum quaestionibus Antonii Bitontini, Venetiis cura Nicolai Mutinensis O. Conv. 1492 etc.; in ep. et evang. *de tempore et sanctis* s. l. 1481; forte idem cum ejus sermonibus. Tr. *de differentia nostrae translationis ab hebraica litera*[1]) *in V. T.,* Rotomagi s. a.; *Quaestiones V. et N. T.* (etiam sub titulo L. differentiarum N. et V. T. cum explicatione nominum hebraicorum), ib. s. a.; Contemplatio *de vita et gestis s. Francisci,* Antverpiae 1623 ed. L. Waddingo; Parisiis 1641; *de corpore Christi,* Parisiis 1513; *praerogativae gloriosae V. Mariae,* Lugduni 1500 ad calcem postillae super Psalterium; *Praeceptorium* seu manuale ac triplex expositio in praecepta Decalogi, Coloniae 1504 et alibi vel cum postillis; *de cura clericali,* Parisiis 1513; *de arte bene vivendi et bene moriendi,* ib. 1617. Inediti mansere praeter alia commentarii in 4 ll. sententiarum; tr. de visione beatifica etc.

290. Vitalis (secundum alios Joannes Vitalis) a Furno O. Mi. Vasatensis, Vasco sive Aquitanus, s. theologiae magister, dum Aquitaniae provinciam regeret, Petri Olivi doctrinam examini subjecit. A Clemente V. creatus est 1312 cardinalis, deinde 1320 a Joanne XXII. episcopus albanensis, sub quo suscepit causam suorum sodalium de paupertate Christi tuenda († 16. Aug. 1327), quae apologia (ex parte) reperitur apud Raynaldum ad a. 1322 § 67. Collegit *speculum morale totius s. Scripturae,* in quo universa ferme loca V. et N. T. mystice explanantur, Lugduni 1513; 1563; Venetiis 1594; 1600; 1603, concionatoribus utile, de quo P. Mich. Carbonellus Aragoniae regis archivarius in limine ed. moguntinae 1513 testatur: „Non memini inter tantos ss. Scripturarum libros impressis literis scriptos me unquam conspexisse librum profecto tam animabus salutiferum et religioni christianae proficuum quam hunc memoratu dignum“ etc. Scripsit praeterea *postillam in Apocalypsim,* quae cum commentariis in Proverbia Salomonis et in 4 Evangelia a card. Sarnano castigata fertur prodiisse, Venetiis exeunte sec. XVI. in 4 ll. sententiarum, quodlibeta aliaque (inedita). Probabiliter ipse auctor est[1]) *commentarii in Apocalypsin,* qui prodiit sub nomine Alexandri de Hales (cujus certo non est), Parisiis 1647, et sub nomine s. Bonaventurae (cujus pariter non est) cura Bonelli in suppl. ad opera s. Bonaventurae t. II.

[1]) Cf. R. Simon Critique de la Bibliothèque des auteurs eccl. par M. E. Du Pin, Paris 1730. I, 353—57.

[1]) Id saltem conjiciunt editores op. s. Bonaventurae t. VI praef. p. IX—XIV ad Claras Aquas 1893. In Apocalypsin laudatur etiam Expositio Arnoldi Bernardi O. Praed. Cadurcensis († 1334) compilata et ordinata per lectiones (inedita).

291. Thomas Walleis (Vallensis, Gualensis, Anglicus) vir fuit dum vixit pietate, eruditione sacra et profana, fidei ardenti studio et invicta animi constantia conspicuus. Sacrae theologiae magister Oxoniae renunciatus academiam illam suis lectionibus illustravit, tum et ad aulam pontificam, quae Avenione morabatur, se conferens, tempore Joannis XXII. intrepide stetit pro sententia sanctorum animas jam ante resurrectionem Deum intuitive videre, cui pontifex adversari videbatur: et revera concione 3. Jan. 1333 de hoc argumento habita[1]) in carcerem fuit conjectus, sed paullo post in mitiorem translatus. Vixit adhuc a. 1349. Ejus opera exegetica in *Genesin, Jeremiam, Threnos, Danielem, ll. Machabaeorum* juxta Sixtum senensem inter opera angelici doctoris saepius fuere impressa; qua de re tamen dubitat Quetif. *Postillae in duos nocturnos psalmorum,* quae prodierunt sub nomine Thomae Jorze Venetiis 1611, ab aliis ipsi asseruntur. *In decem primos ll. e XXII de civitate Dei s. Augustini expositio,* Moguntiae 1473; Friburgi 1494; Lugduni 1520. Plura commentaria reliquisse scribitur, ut in Ecclesiasten[1]), canticum canticorum[2]), in XII prophetas minores, Matthaeum, ep. ad hebraeos, in 4 ll. sententiarum aliaque opera (inedita). — Rollus Richardus de Hampoole Eboracensis, s. theologiae doctor, qui prope monasterium sanctimonialium hampolense (hinc ejus cognomen, corrupte Pampolitanus) vitam eremiticam virtutibus illustrem egit sanctitatisque fama decessit 1349. Ossinger illum ordini s. Augustini accenset aliis reclamantibus. Frustra vero posteriores Lollardae ejus auctoritate abutebantur, fuit enim vita et doctrina probe catholicus[3]). Ejus opera edidit Joannes Faber O. Praed. Coloniae 1536 in f., quorum potiora sunt: *De emendatione peccatoris* et de regula vivendi, Parisiis 1510 in 4; Coloniae 1535; in bibl. PP. lugdunensi XXVI, 609 ss.; anglice Londini 1896 in Early English Text Society CVI; *enarratio compendiosa* (ex variis auctoribus collecta) *in psalterium universum,* anglice versum interprete Bramley, Oxonii 1884. Ceterum ipse Richardus psalterium anglice vertit, sed lingua rudi. Explanationes notabiles *super lectiones l. Job;* accedit sermo b. Augustini de misericordia et pia oratione pro defunctis, Parisiis 1510 in 4; Coloniae 1536; enarratio compendiosa *in threnos* sive lamentationes Jeremiae, Parisiis 1542; *commentaria* in orationem dominicam, symbolum apostolorum et Athanasii, in bibl. PP. Lugd. XXVI, 618 ss., aliaque ascetica, ib. p. 627 ss. — Armandus de Bello-

[1]) Cf. ejus fragmentum apud Quetif I, 599. Sed „non propter hoc, ut Joannes XXII. iteratis vicibus solemniter testatur, ut in ep. 18. Nov. 1333 ad Philippum VI., quod de animabus sanctorum diceret, quod ante resumptionem corporum videbant facie ad faciem divinam essentiam, fuerat detentus a supradictis inquisitoribus, sed quia in eodem sermone plura praedicare praesumpserat, quae per plures magistros in theologia sunt judicata sic erronea, quod ea pertinaciter asserens haereticus est censendus . . . Nec his contentus, dum detineretur a dictis inquisitoribus, quendam libellum composuit, in quo ultra 16 dicuntur haereses continere“ etc. Denifle in Chartul. paris. II, 1, 428. Et revera ibidem reperies septem art. ex eo sermone desumptos p. 421, quos magistri in theologia in curia exsistentes plus minus gravi censurae subjecerunt. Cf. de hac controversia acriter tum agitata documenta authentica ib. 414 ss.; Zeck KL. XI, 1625 s.

[1]) In Ecclesiasten memoratur etiam commentarius Guilelmi Encourt (Dencourt) O. Praed. Angli theologiae magistri et clari divinarum literarum interpretis Cantabrigiae (fl. a. 1340).

[2]) In hoc canticum scripserunt etiam Henricus de Aquila O. Carm. Germanus, doctor parisiensis († 1345), cujus sunt et quodlibeta etc.; Joannes de Sulmone O. S. Aug. neapolitanus, qui et in Apocalypsin composuit commentarium.

[3]) Cf. Zeck KL². X. 1243.

visu (Bellevue) O. Praed. a Joanne XXII. laurea magisterii donatus et sacri palatii magister institutus († 1340), reliquit *sermones* (98) *plane divinos* (ita in titulo libri ed.) assumtis ex solo psalterio David thematis per totum fere annum declamabiles, Parisiis 1519 in 4; Lugduni 1525; Brixiae 1610; quarum omnes de b. Maria V. (de ejus conceptione in favorem piae sententiae immutatos) intulit Alva in suam bibliothecam marianam III, 166—242. »Ceterum hoc opus, inquit Quetif I, 584, etsi eruditionem ac pietatem exhibeat auctoris, stilum tamen, qualem ea ferebant tempora, sapit simpliciorem, non qualem editor repraesentat ita politum, tersum, mundum, concinnum, ut nihil insulsum, incongruum, insipidum et imbelle sit in eo.« *Declaratio difficilium terminorum* tam theologiae quam philosophiae ac logicae, s. l. a. et typographi nomine; Venetiis 1584 inf.; Argentorati 1605; Witembergae 1623 etc. Ineditus est ejus commentarius in s. Thomae opusc. de ente et essentia. Scripsisse etiam dicitur commentarios in 4 ll. sententiarum aliaque. — Philippus de Monte Calerio (Moncaglier oppido dioecesis taurinensis) O. Min. theologiae lector et poenitentiarius pontificius (1336) fecit *postillam* valde notabilem *super Evangelia dominicalia* (et quadragesimalia), quae in epitomen redacta a Jonselmo Canova prodiit Mediolani 1498; Lugduni 1510; 1515; 1541; conciones *de eucharistia,* ib. 1515.

292. Forte huc referri potest Bartholomaeus Simonis de Carusis (Carusius, apud Eubel, Hominis de Anuci) O. S. Aug., qui praeceptores habuit Augustinum Triumphum et Dionysium Mutinensem ordinis praepositum generalem. In parisiensi academia doctoris gradum assecutus ibidem primum, postea vero Bononiae s. theologiam docuit totumque se dedit ss. patrum lectioni, hinc *Milleloquium s. P. Augustini* ordine alphabetico digestum a magistro suo Aug. Triumpho coeptum egregie complevit, Lugduni 1555; Parisiis 1645 t. 2 in f.; 1672, et simili modo *Milleloquium d. Ambrosii,* Lugduni 1656 in f.; *Commentaria* tam in V, quam N. T. ex omnibus s. Augustini lucubrationibus[1]), Basileae 1542 t. 2 in f.; Venetiis 1543 t. 2 in 4: 1545: sed teste Sixte senensi haec commentaria Joannes Gastius, deleto veteris auctoris nomine in voluminis fronte et proposito suo, satis impudenter usurpavit, et quod gravius est, transpositis, detruncatis ac detortis quibusdam ejusdem operis locis ad lutheranam haeresim utilissimum ac piissimum auctoris opus contaminavit[2]). Scripsit Bartholomaeus praeter alia (omnia inedita) etiam tr. contra errores, qui inventi fuere tempore Ludovici Bavari, scil. Occami, Marsilii etc. A Clemente VI. factus est episcopus urbinas (1347; † 1350).

293. Ludolphus (Leutholfus) Saxo (ita dictus a patria, secundum alios a familia) vir piissimus[3]), mysti-

[1]) Jacobus Folquerius ejusdem ord. Tolosanus, s. theologiae doctor, absolvit circa a. 1345 *Viridarium Gregorianum* (ineditum) quod complectitur allegorias in ll. s. Scripturae verbis s. Gregorii M. expositas.

[2]) Cf. Tiraboschi V. l. 2 c. 1 n. 13. qui idem contra Oudin de hoc plagio dubitantem statuit.

[3]) Ab hoc distingui debet Ludolfus rector ecclesiae parochialis in Sudheim (Suthem, Sutheim, Suchen) paderbornensis dioecesis, qui invisit terram sanctam ab a. 1336—1341 descripsitque suum itinerarium in l. *Weg zu dem h. Grab,* s. l. (Ulmae) 1477 (m. 145) et saepius recentiori aetate editum a Deyks Bibl. des litter. Vereins in Stuttgart. ib. 1851 t. XXV. Das beste Itinerar des 14. Jahrh. . . . mit tief frommer Gesinnung in klarer, oft erhabener und echt dichterischer Darstellung. Kaulen KL². X, 996. Multum lectitatum fuisse medio aevo testantur tot ejus codices ubique diffusi et versiones ejus, quae supersunt. Latine jam

corum religiosorum, qui tum in ordine s. Dominici florebant consuetudine captus, familiam illam sacram est ingressus. Postquam diu (a. 26 vel 30) in eadem omnium virtutum studio excelluit, ut divinorum contemplationi commodius deinceps vacaret totus, ad Carthusianos transiit (c. 1330). Vix novam militiam professus erat, cum pii illi eremitae hominem videntes egregiis dotibus ornatum ac ingenii superioris, eundem sibi priorem praefecerint, quo munere videtur ad mortem usque functus († post a. 1340). Conflavit *Vitam D. N. J. Christi* ex quatuor evangelistis atque aliis scriptoribus ecclesiasticis cum commentario, cujus utilitatem et unctionem innumerae produnt editiones. Prodiit enim sec. XV. octies, primum Argentorati et Coloniae 1474; sec. XVI. forte ultra vicies; a Joan. Datrago notationibus illustrata Venetiis 1581 in f.; adhuc recentiori aetate Parisiis 1865 in f.; et cura L. M. Rigollot, ib. 1870 t. 2 in 4. Utitur pius auctor multum, subinde verbotenus, s. Bonaventura aliisque patribus usque ad s. Anselmum et Bernardum; abundat piis sensibus et copiosam praebet meditationi materiam. Collegit insuper ex patribus latinis *commentarium in psalmos davidicos* juxta spiritualem sensum, Spirae 1491 ed. princeps, Parisiis repetita 1500; 1506; 1513; 1521; 1529 etc.; Lugduni 1645 et saepe alibi.

294. Simon Fidatus de Cassia (de Cascia, oppido Umbriae), unus ex praecipuis linguae patriae cultoribus seu parentibus, magno fervore incredibilique cum fructu verbum Dei populosis in urbibus annunciavit († 2. Febr. 1348). Ob pietatis virtutumque splendorem a Gregorio XVI. a. 1833 inter beatos fuit relatus. Disseruit ll. 15 *de gestis Christi* humani generis assertoris, quod opus prodiit s. l. a. et typographi nomine cura Steph. Sutorini sodalis; Basileae 1517; Coloniae 1533; 1540; Ratisbonae 1733; *Expositio super evangelia*[1]), quadragesimalia italice Fr. Guidone interprete, Venetiis 1486; Florentiae 1496 in f.; sed ed. praestantissima est, quam curavit N. Mattioli inscripta: *Gli Evangeli del b. Sim. da C.* esposti in volgare dal suo discepolo

saepius prodiit s. l. et a. (c. 1475 m. 500). Cf. plurimas ed. in Roehricht biblioth. geogr. Palaestinae, Berlin 1890 p. 76 ss.

[1]) Franciscus de Abbatibus O. Min. Ostensis reliquit postillas super evangelia dominicalia totius anni et quadragesimalia. — Michael de Furno (du Four) O. Praed. Insulensis, doctor parisiensis scripsit super Lucam et Joannem, super Cantica, Apocalypsin etc. (fl. c. 1340). — Petrus de Palma (Beaume, oppido in Gallia) O. Praed. theologiae magister, electus concorditer in ordinis magistrum a. 1343, qui tamen nondum elapso biennio decessit 1. Mart. 1345, composuerat postillas in quatuor Evangelia. — Joannes de Fabriano O. S. Aug. philosophiae et theologiae Bononiae professor († 1348) composuit ll. 4 expositionis Evangeliorum et l. de concordia Platonis ad s. Scripturam etc. — Ejus sodalis Joannes de Carcassona praeco validissimus pariter ll. 4 in Evangelia scripsit (fl. 1350). — Guilelmus Nottinghamus primum eboracensis ecclesiae canonicus, deinde O. Min. theologiae doctor et professor, demum minister provincialis, vir pius, prudens, doctus a scriptoribus sui temporis laudatus († 5. Oct. 1336) studiorum suorum plurimos protulit fructus, sed ut videtur nullus typis fuit impressus. Concordantiam quatuor Evangeliorum a Clemente Langthono (fl. 1170) coeptam ad finem perduxit; ll. 4 commentariorum in Evangelia; qq. in Evangelia; in omnes d. Pauli ep. ll. 14; supra magistrum sententiarum ll. 4 etc. — Angelus de Furcio O. S. Aug., Aegidii de Columna Parisiis auditor, a quo lector est institutus, lector dein in studio neapolitano, suae provinciae praepositus, ad infulas expetitus, quas tamen modeste recusavit († 6. Febr. 1327), scripsit commentarium super Matthaei Evangelium. — Joannes Cochinger OP. Friburgensis (fl. 1350) reliquit lectiones in ep. ad Romanos. — Hugo (vel Thomas) Virlejus O. Carm. Anglus, professor clarus oxoniensis († 1344), plura reliquisse in s. Scripturam legitur etc.

Fra Giov. da Salerno. Opera del sec. XIV (Testo di lingua) dilucidata con prefazione e glossario, Roma 1902; opera devotissima *ordine della vita cristiana*[1]), Mediolani 1521, linguae patriae et pietatis thesaurus, Taurini 1779; Romae 1898; *de b. Virgine,* Basileae 1517 in 4; aliaque ascetica reliquit inedita[2]). Cf. Nic. Mattioli in op.: Il B. Sim. da Cascia . . . e i suoi scritti editi ed inediti, Romae 1898 opus eruditum et doctum, quo continentur etiam *epistolae* ejusdem ineditae (c. 50 ex millenis deperditis). Idem auctor in op. Fra Giovanni da Salerno dell'Ord. Romitano di s. Ag. del sec. XIV e le sue opere volgari inedite ora pubblicate con uno studio comparativo di altre attribuite al P. Cavalca, Roma 1901, nostro adscribit ut auctori saltem mediato *Specchio di croce, Disciplina degli spirituali* et alia octo, quae dein secundum illius ideas literis consignaverit Jo. de Salerno. Verum Laur. Franceschini in diss. Tradizionalisti e concordisti in una questione letteraria del sec. XIV, Roma 1902 a Mattioli dissentit et opuscula Joanni asserta, ab aliis Cavalcae O. Praed. tribuit Simoni nostro. Joannes de Salerno (de quo infra), fidissimus erat Simonis discipulus (n. 1317) ac individuus ipsius a. 17 comes, qui ejus vitam descripsit, quam habes in op. supra cit. Nic. Mattioli . . . De controversia vero num illa opuscula sint Dom. Cavalcae O. Pr. (fl. exeunte sec. XV) cf. Franceschini Frà Sim. da C. ed il Cavalca, Romae 1897, et op. mox cit., necnon Ad. Morini Le opera di Frà S. da C. attribuite al Cavalca, Perugia 1899 Studio letterario.

[1]) Quem in l. cf. Jo. B. Audifredi prolixum opusculum: Saggio di Osservazioni de G. Ces. Bottone sopra il discorso (Jo. B. Moriondi) premesso all'opusc. della Vita crist. del b. Simone Cascia ecc.

[2]) Memorandus saltem hic est coronidis loco B. M. F. Bartholomaeus Parvus O. Praed. Armenorum schismaticorum doctor in fide et veritate, quem Joannes XXII. ob insignes dotes in Armeniam misit circa a. 1320 pro curanda Armenorum cum Ecclesia romana reconciliatione, atque maragacensem primum episcopum, postea archiepiscopum Nakschiwanensem constituit. Pio huic operi solerter institit magno fructu verbo seu scripto seu versione plurium librorum ad mortem (1333) usque, ejusque sepulcrum miraculis inclaruit, adeo ut ab omnibus circumquaque populis ceu sanctus coleretur. Ipsius documentis et exemplis debetur celebris illa fratrum unitorum congregatio sub regula s. Augustini et constitutionibus O. S. Dominici militans, quae per vastam illam regionem fidem propagavit. Convertit etiam plures Mohammedanos et infideles. Ipsius propterea hic mentionem facimus, quod non solum libros liturgicos, sed etiam l. psalmorum armenice verterit, quae tamen versio non videtur typis prodiisse. Cf. Neher KL. I, 2054; Quetif I, 581 etc. Ipse distingui debet a sodali Bartholomaeo de Pisciali Longobardo, qui eadem fere aetate vixit, cui tribuuntur commentarium in Ev. Lucae et alia.

III. Historia ecclesiastica.

295. Haud pauci chronica composuere[1]). Ita Bartholomaeus, per sycopen Tholomaeus, corrupte Pto-

[1]) Joannes de Victring (Victoriensis) O. Cist. in monasterio Victringae in Carinthia abbas (1314—12. Nov. 1348) ducibus Carinthiae et patriarchae aquilejensi a secretis, hinc in rebus gestis sui temporis admodum versatus, composuit *librum certarum historiarum* (1231—1341), in quo prae primis agit de ducibus Austriae et Carinthiae, quod postmodum ampliavit pluribus additis in *imperii chronico* ab a. 1217, ed. a Boehmer inter fontes rer. Germ. I, 271 ss., secundum aliam recensionem ab H. Pez. Script. rer. Austr. I, 755 s. inscriptum *Anonymi Leobiensis chronicon.* Cf. Fournier Allg. d.

lomaeus[1]) Lucae natus c. 1236 ibidemque ordinem praedicatorum ingressus. Humanis divinisque literis egregiam navavit operam, unusque illorum felicium fuit, qui sub b. Thomae disciplina educati ex ejus schola fortissimi pro Ecclesiae defensione athletae prodierunt. Saepius ejus confessionem audivit et cum ipso multo tempore conversatus est familiari ministerio. Bibliothecarium pontificium fuisse quidam tradunt, quibus Quetif libenter assentitur, quia bibliothecam pontificiam apprime eum novisse ex ejus scriptis colligitur. Ferunt eum Joanni XXII. fuisse a confessionibus: pergratus ei sane erat, nam dictus ab eo est episcopus torcellanus. De quibusdam tamen accusatus excommunicationem in concilio gradensi incurrit (1321), qua mox solutus decessit a. 1327. Collegit primum *annales* ab a. 1060—1303, Lugduni 1619 etc., qui post varias ed. minus integras[2]) nunc primum a mendis innumeris purgati et ad integram lectionem ad fidem codd. restituti prodierunt cur. Car. Minutoli in Documenti di Storia ital., Florentiae 1876. VI, 35-115. *Historia ecclesiastica nova* ll. 24 a n. Chr. usque ad a. 1294, inter Scriptores Muratori XI, 735—1242 cum additionibus duorum continuatorum (ad a. 1312), quae laudatur quidem a brevitate et sinceritate, sed caret judicio critico, hinc etiam Joannae papissae fabellam refert. Opusculum s. Thomae *de regimine principum* a l. 2. c. 4. complesse dicitur additis etiam libris 3. et 4., qui tamen constituunt novum velut opus: neque enim s. auctoris exsequitur consilium. Alia manserunt inedita ut ejus historia tripartita, quam citat et ad quam lectores remittit. Ex ejus historia derivata sunt *acta Benedicti XII.* († 1342) in Act. SS. ed. Papebrochio mens. Maji V, 83*—86*; et ex ejus et Bern. Guidonis msc. *acta Joannis XXII.* († 1234) ib. 75*-80*; *vita Clementis V.* apud Baluze vitae pap. aven. I, 23—56. Nostra aetate ed. Masetti ejus *Exaemeron* seu de opere sex dierum.

296. Guilelmus ex capellano brederodensi egmondanus monachus OSB. et procurator († 1338), anonymi *chronicon Egmundae et Hollandiae* ab a. 647—1205 progressum continuavit ad a. 1332. Illud jam ediderat cum aliis Franc. Swertius Francofurti 1620, sed minus emendate; cum hac continuatione Antonius Matthaeus Analect. p. 496 ss., Lugduni Bat. 1700 additis etiam notis. Etsi stilus est impolitus, acer admodum praesertim in Joannem XXII., opus tamen laudatur a diligentia et accuratione. — Thomae Sprotti Norwicensis OSB. Cantuariae in coenobio s. Augustini *chronicam* ab o. c. ad a. 1272, cum additionibus anonymi ad 1339 edidit cum aliis Thomas Hearne, Oxonii 1719 in 8; anglice versa a Guil. Bell prodiit Liverpool 1851 in 4. Scripserat idem etiam *historiam cantuariensem* et abbatum sui coenobii vitam et res gestas, quam continuavit ad a. 1397 Guilelmus Thornus OSB. ediditque Twysden inter Hist. angl. Script. p. 1758—2202 subjuncta ejusdem coenobii chronologia ab a. 597—1419. — Joannes de Vignay ord. hospit. s. Jacobi (fl. c. 1330) Primati (forte monachi s. Dionysii, qui

---

Bi. XIV, 476, Abt Johann v. V. und s., liber certarum hist., Berlin 1875; Revue des qq. hist. XIX, 629; Mahrenholtz, Zur Kritik von J. v. V. liber certarum hist., Halle 1878 (Progr.) etc.

[1]) Alius ab hoc est Bartholomaeus de Tolomaeis O. Min. Senensis, cujus *vita b. Luchesii ord. tertiarii* juxta Podium Bonitii in Hetruria († 1260) legitur in Actis SS. 28. Apr. III, 597—610. Scripsit autem Bartholomaeus circa a. 1370; ex conjectura Papebrochii jam a. 1320. Cf. de nostro Dietrich König Tolomeo v. L. ein biogr. Versuch, Harburg 1878 (Programma). Pt. v. L. und die Flores cronicarum des Bern. Guidonis, eine Quellenunters., Würzburg 1875.

[2]) Cf. Mansi in addit. ad Fabricii bibliothecam mediae lat. V, 326. Cf. Potthast p. 945; Tiraboschi V. l. 2 c. 1 n. 31.

fl. c. 1275) *chronicon* in linguam francogallicam vertit, cujus excerpta (1253-75) exhibent MG. SS. XXVI, 639—71. — Joannes Vitoduranus (Winterthur) O. Min. Helvetus n. 1300 narrat sincere et fideliter, quamvis subinde nimis credulus *historiam universalem* a temporibus Friderici II. ad a. 1347, quam edidit plene Jo. Ge. Eccardus inter SS. medii aevi t. 1. n. 24, qui de eo scribit: „Opus egregium, eo pluris aestimandum, quod auctor priora ex chronicis variis nondum vulgatis et relatione hominum fidorum: posteriora visu proprio et auditu vel communi voce et fama celebri accepta distincte in literas retulerit. Ab a. praesertim 1330 se sibi ipsi nota scribere affirmat[1])". Prodiit et in thes. hist. helv., Tiguri 1735; optime cura G. de Wyss, ib. 1856; germanice interprete B. Freuler, Winterthur 1866. Videtur decessisse c. 1348, quia post a. 1348 nulla ejus occurrit memoria. — Hermannus O. Min., quem aliqui dixerunt erronee ord. s. Wilhelmi vel Januensem vel (gratis) Gygas, continuavit ab a. 1292—1349 *Flores temporum* ab o. c. ad 1292, quos plures cum Sbaraglia tribuunt cuidam Martino O. Min. Germano[2]). Mich. Eysenhart eos continuavit[3]) ab a. 1349—1513 praemisso glossario. Illos edidit Eccard in Corp. hist. med. aevi I, 1551-1640, sec. VIII. Holder-Egger in MG. SS. XXIV, 226—50. Hujus operis Compendium germanica lingua conscripsit Henr. Steinhöwel medicus ulmensis († 1482) continuavitque ad suam usque aetatem, Ulmae 1473, primum opus historicum idiomate germanico typis editum; Francofurti 1531 in 4. ed. nonnihil auctum. — Paulinus O. Min., hinc Minorita, vel de Venetiis dictus[1]), Joannis XXII. poenitentiarius, vir doctus et gravis, rerumque gerendarum gnarus, cui ponderosissima negotia, potissimum apud Venetos, commisit idem pontifex et quem ad puteolanam sedem evexit (1324; † 1344), composuit *historiam satyricam* rerum gestarum mundi, *speculum* etiam dictam, cujus excerpta dederunt Muratori Antiq. It. IV, 951-1034 scil. ab a. 950-1320, sed sat mendose et cum lacunis, Bouquet Recueil XXII, 12—15.

297. Vir admodum laboriosus et sagax, insignis plane historicus et de republica literaria optime meritus erat Bernardus Guidonis (Gui, de la Guyenne, quod est nomen gentilitium a castello prope La Roche l'Abeille derivatum non multum Lemovicis distanti) O. Praed. Gallus n. 1260, qui „tamquam nardus odorifera vita pariter et doctrina odorem suavissimum Deo et hominibus emanavit[2]). Fuit si-

[1]) Cf. Streber KL. VI, 1789; Potthast pag. 677; G. v. Wyss Allg. d. Biogr. XIV, 482; Lorenz I § 5.

[2]) Hic Martinus confundi non debet cum alio, qui satis dubie Martinus cum apposito Fuldensis communiter appellari solet, et cui tribuitur *chronicon* pontificum et imperatorum a Christo usque ad a. 1379, quod ab a. 716 exhibet Eccard op. cit. I, 1642—1732, et de quo cf. Hoogeweg H. Die Chronik des M. Fuldensis Münster 1883. Cf. Lorenz Die Geschichtsq. 1 § 5, qui scribit: So legen wir die Persönlichkeit des Martinus Min. getrost zu den literarischen Fabeln.

[3]) Alia continuatio ab a. 1366—1444 est Reinholdi Slecht argentoratensis *Chronik*, quae prodiit ed. Fester in Zeitschr. für d. Geschichte des Oberrheins 1894. IX, 79—145. Cf. Potthast pag. 451.

[1]) Idem est cum eo, quem alii Jordanum O. Min. appellant. Cf. Potthast 896.

[2]) Ita antiquus auctor brevis chronicae de vita et moribus ac scriptis et operibus D. ep. lemovic. etc. praemissae ejus Speculo Sanctorali apud Quetif I, 576. Cf. de ipso plura apud Pohle KL. II, 430 ss., praesertim apud Delisle, qui in op. mox citando accuratissime de ipso agit: Arbellot Etude biogr. et bibliogr. sur B. Guidonis, Limoges 1896; Haupt Realenc. VII³, 230—233 — Ab eo distingui debet Petrus Guidonis ejus nepos et sodalis, theologiae lector et tolosanae pro-

quidem vir magni consilii, magnae experientiae expertaeque prudentiae ac religionis probatae: vir modestus atque sensatus, ac humilitate profundus, fama, gratia, scientia ac eloquentia clarus, gesta quoque sanctorum atque illustrium virorum, atque antiquitates notabiles et memorabiles gerens in pectore et promens in tempore opportuno, ac commendans per scripturam memoriae cum diligentia ne perirent. Assimilatus insuper in fidei fervore in zelo ac sinceritate religionis patribus primitivis. Hic ex lectore ff. Praedicatorum albiensium factus est ibi prior (1304), dein in aliis conventibus. Fuit inquisitor tolosanus contra Albigenses (1307), quo munere functus est a. 18; procurator etiam ordinis in curia romana (1316). Obitis laudabiliter variis legationibus nominatus (1323) est a Joanne XXII. tudensis episcopus in regno Castellae, mox (1324) translatus ad sedem lodovensem. Innocentissimam duxit vitam decessitque 30 (26.) Dec. 1331. Opera ejus impleverunt in bibliotheca tolosana t. IX in f., quorum haud pauca manserunt inedita. Omnia produnt industriam in notitiis colligendis, sedulitatem, judicium sanum et sobrium et praeter morem illius aetatis criticum, accurationem, cum aliqua iteratis retractaret curis. Horum potiora sunt: Catalogus[1]) seu *chronicon summorum pontificum* a J. Chr. D. N. ad Joannis XXII. (1331); catalogus alius brevior seu *chronica* quaedam, ut ipse loquitur, quasi *manualis pontificum romanorum* ac imperatorum[2]) et regum Francorum, ex quibus typis dederunt Muratori *vitam Innocentii III.* inter SS. rer. It. t. III; duplicem *Clementis V.* Muratori et Baluzius inter papas avenionenses I, 55 ss.; Papebrochius ante acta SS. Maji V, 71* ss., qui exhibet etiam p. 80*—83* *acta Nicolai antipapae* († 1333) ex eodem; *vitam Joannis XXII.* pariter l. c.; *Vitam b. Benedicti XI* habes in Anal. bolland. XIX (1900) 14—20. Partem priorem ad Gregorium VII. usque, quae plene concordat cum Martino polono (p. 335), exhibet Mai in Spicilegio rom. VI, 1-270; a Victore III. ad Joannem XXII., Muratori III, 351 ss.; ab a. 1234—1327 Bouquet XXI, 691 ss. — Tr. brevis, qui non caret pretio (sed ineditus) *de temporibus et annis celebrationis generalium et particularium conciliorum* (cum app. conc. generalium tempore schismatis avenionensis habitorum a pisano ad basileense). — Vitae quorundam episcoporum sanctorum ecclesiae tolosanae, nempe ss. Saturnini, Exsuperii, Germerii, Papuli M. et Berengarii (ined.); *Nomina ac gesta episcoporum lemovicensium* in Labbei Bibl. nova mscr. tr. II, ubi prodierunt ejus tr. *de sanctis* lemovicensibus, et tr. *de fundatione ord. grandimontensis,* ord. Artigiae et monasterii s. Augustini lemovicensis. — Tr. *de ordinatione sacrificii missae* a D. J. Chr. et ss. ejus discipulis et demum per summos rom. pontifices successive (ut videtur ineditus); *casus qui in celebratione missae accidere possunt,* qualiter ipsis occurrendum fuerit, si contingant, ex dictis ven. d. fr. Thomae in ultima p. summae

---

vinciae praepositus († 1347), qui collegit vitas illustrium ord. virorum ad suam usque aetatem, atque auctor est vitae nostri Bernardi, quam Delisle primum integram edidit.

[1]) De hujus continuatione anonyma disserit Glasschroeder hist. Jahrb. 1890 p. 259—63. Cf. etiam Douais un nouveau manuscrit de B. Gui et des chroniques des papes d'Avignon, Parisiis 1889 in 4.

[2]) Hoc tempore floruit etiam Micha Madius de Barbazanis Dalmata, Spalatensis, de quo tamen notitias accuratiores nullas reperire potuimus, auctor historiae *de gestis romanorum imperatorum et summorum pontificum,* cujus pars tantum (1290—1336) prodiit (in qua tamen agit fere de historia patria) in Jo. Lucii ll. 6 de regno Dalmatiae et Croatiae, Amstelodami 1666 p. 370-80; Schwandtner SS. rer. hung. III, 636—53; et quam cum notis edidit Brunelli in progr. del Ginnasio super. di Zara 1878.

q. 83, qui libellus prodiit sine l., a. et nomine typographi in cunis typographiae. Prolixum admodum est ejus opus *Speculum sanctorale* t. 4 in f. complens, in quo agit de festis Domini et vitis SS. per annum magis sobrie et accurate Jacobo a Voragine (p. 433). Illud nunquam integrum prodiit; segmenta quaedam et praefationem exhibet Labbeus l. c.; inde inter acta SS. prodiit *vita s. Fulcranni* ep. lodovensis (949—1006) et conf. t. II. Febr. d. 13 p. 711—17; *vita s. Sacerdotis* ep. lemovicensis (711—20), ib. ad 5. Maj. et a Baluzio ed. Tutelae 1656; *vita s. Licerii* seu Glycerii ep. conserantini (sec. VI.), ib. 27. Aug. VI, 47. *Legenda s. Thomae de Aquino* (fusior quam vita in Speculo exhibita, fere verbotenus ex vita Guil. de Thoco et ex actis canoniz., cujus l. 2. (de miraculis et operibus) partem intulerunt editores actorum SS. ad diem 7. Martii I, 716—23. Prae primis vero nominanda ejus *practica contra infectos labe haereticae pravitatis,* primum integra edita[1]) a Douais canonico Parisiis 1886, opus magni momenti pro cognoscendis modo procedendi inquisitionis poenisque reis illatis, et ob copiosam segetem notitiarum de gestis et erroribus Waldensium, Catharorum, Apostolicorum, Beghardorum et Judaeorum apostatarum etc. Fragmenta quaedam hujus operis jam antea dederunt Baluzius in Miscell. t. I et Delisle in Notices et extraits de manuscrits de la bibl. nat. t. XXVII p. 2 p. 169—451 (etiam seorsim Parisiis 1879). *Liber sententiarum inquisitionis tolosanae* (1307—23) seu acta causarum (14) coram illo tribunali gestarum, quae typis dederat Phil. a Limborch in append. suae historiae inquisitionis, Amstelodami 1692. Etiam quaedam ad historiam ordinis spectantia reliquit, ut *notitiam provinciarum et domorum O. Praed.* apud Quetif I p. IV—XV; libellus seu *tr. de tribus gradibus praelatorum in O. Praed.* necnon et priorum provincialium prov. Provinciae, Galliae, Tolosae, Daniae ex parte in Martene ampl. collect. VI, 397—436; *historia fundationum conventuum O. Praed.* tolosanae et provinciae provinciarum, ib. sed imperfecte p. 437—540; libellus *de ordine Praed.* cf. ibidem et fragmenta in Bouquet Recueil XXI, 735—51, qui videtur idem esse ac tr. de quatuor, in quibus Deus Praed. ordinem insignivit, quem ipse ex schedis Stephani de Salanhaco (cf. p. 457) recollegit, ipsum compingens noviter reformavit, pluraque superaddidit in locis suis secundum exigentiam materiae, quam invenerat in eodem, ut ipse B. Guidonis testatur (cui subjicitur tr. *de tribus gradibus praelatorum* in ord. Praed.). In hujus tr. p. 3. *de illustri prole* reperitur catalogus magistrorum in universitate parisiensi[1]). Ex notitiis tam diligenter ab eo collectis Cél. Douais jam laudatus plura concinnavit opera ad illustrandam historiam ord. praedicatorum per Galliam meridionalem, cujusmodi sunt: Les sources de l'histoire de l'inquisition dans le midi de la France, 1881. Essai sur l'organisation des études dans l'ordre des frères prêcheurs, 1884; Les frères precheurs en Gascogne, 1885; à Pamiers, 1885; de Limoges, 1892; l'Albigéisme et les frères prêcheurs a Narbonne, 1894 etc. Collegerat Bernardus *Acta capitulorum generalium ordinis,* quae demum prodierunt in Monumentis O. Fr. Praed. t. III. ed B. M. Reichert, Romae et Stuttgardiae 1898; *Acta capitulorum provincialium* O. Fr. Praed. ab ipso collecta publicavit

[1]) De qua tamen editione, quae non videtur omnibus numeris absoluta, cf. Schroers Lit. Rundschau 1888 c. 331 ss.: de ipso opere disserit Ad. Wach Zeitschr. für die gesammte Strafwissensch. 1889.

[1]) Cf. Denifle, qui in Archiv II, 165—248 accuratissime de hoc catalogo disserit eumque eruditissimis notis illustratum exhibet.

Douais Tolosae 1894. Chronica suae dioecesis lodovensis, quam concinnavit cum documentis, periisse videtur; ejus *Synodale* luci publicae demum dedit Douais in l. Un nouvel' ecrit de B. Gui *le Synodal de Lodève,* Parisiis 1894. Disputavit quoque *de Virginis conceptione* l. ut videtur ineditus.

298. Nicolaus Trivetus (de Treveth, Traveth, Trivet) O. Praed. Anglus, Norvicensis n. circa a. 1258, Oxoniis philosophiae et theologiae operam dedit, et postquam has disciplinas aliquamdiu apud suos est professus, pro temporis more Parisios missus est perficiendus, Oxonii tamen promeruit magisterii gradum († 1328). Insignis erat rhetor, poëta, historicus, mathematicus, philosophus et theologus suaeque eruditionis quam plurimos ostendit fructus. ad quos componendos Ioannes XXII. suppeditavit expensas, qui magna ex parte manserunt inediti. Ita commentaria in plures ll. V. T., in Genesim, Exodum, Leviticum, ll. Paralipomenon etc.; de computo Hebraeorum; *in ll. s. Augustini de Civitate Dei,* qui commentarius distinguitur a commentario Thomae Wallensis (cf. p. 563), in priores 10 ll. tantum. Nunquam integer prodiit, sed ex Triveti opere notariorum industria commentarius Th. Wallensis completus fuit; et cum hoc complemento prodiit Moguntiae 1473; Tolosae 1488; Venetiis 1489, Friburgi 1494; cum op. s. Augustini Basileae 1515 etc. In ll. de consolatione philosophiae Boëthii commentarii; de officio missae ll. 7 seu speculum sacerdotale, quodlibeta theologica. Annales ab origine mundi usque ad suum tempus. *Annales regum (6) Angliae* (1136—1307), qui a comitibus andegavensibus suam traxerunt originem, magna diligentia compilati, in Dacherii spicil. VIII, 411—728 seu t. III, 230 ss.; emendatiores cura Ant. Hall, Oxonii 1719, cum continuatione 1722; quo in opere gesta anglicana potissimum persequitur, ita tamen ut pontificum et imperatorum res regumque Galliae plerumque conferat, et gesta sui ordinis per Angliam diligenter narret. Accurate denique prodierunt Londini 1845. Cum nostro auctore edidit Ant. Hallius etiam Adami Murimuthensis (Miremuth, Myrimuth) O. Cist. londinensis ecclesiae s. Pauli canonici († 1347) *chronicon* sive historiam sui temporis sive annales rerum anglicanarum ab a. 1302—47, ab alio auctore continuatos ad a. 1380; Londini 1846 in 8., in quibus etiam quae in curia romana contigerunt referuntur, cura Thom. Hog; cum aliis inter rerum brit. medii aevi SS. n. 93., ib. 1889 ed. Ed. Maunde Thompson. — Thomas Chesterfeld (Chesterton) canonicus lichfeldensis (1347) collegit *seriem episcoporum* coventrensium et lichfeldensium adjecta historia ecclesiae ab a. 656 ad sua tempora, quam edidit Wharton Angliae sacrae I, 423 ss. — Ad historiam ecclesiae lundensis spectant *actiones adversariae Erici regis Daniae et Joannis Grand* archiepiscopi lundensis († 1327) coram curia et sede romana institutae a. 1296—99, quas edidit Langebeck inter Script. rer. Dan. 1786. VI, 275—372.

299. Joannes Hocsemius (ita a loco nativitatis in Belgio appellatus) n. 1278. literis optime institutus juri praesertim dedit operam. Canonicus factus est leodiensis et praepositus collegiatae ecclesiae s. Petri legumque egit professorem. Cum juris admodum esset expertus, in negotiis publicis et legationibus pro bono patriae saepius fuit adhibitus et a viris summae dignitatis consultus. Intrepide stetit pro juribus capituli et pro bono communi († 2. Oct. 1348). Praeter digitum florum utriusque juris sub ordine alphabetico, et flores auctorum et philosophorum (inedita) accurate collegit *historiam et res gestas pontificum leodiensium* (1246—1348), opus insigne et pretiosum,

cum secunda ejus parte ea referat, quorum ipse fuit testis, imo et pars. Neque solum res leodienses narrat, sed et regionum aliarum facta attingit: stilus est comptus, ordo tamen non semper satis servatus[1]). Edidit illam Chapeaville in suis gestis pontificum tungrensium, trajectensium et leodiensium, Leodii 1613. II, 273—514. — Joannes de Beka, Becanus, Brabantinus († c. 1346 vel 1350), canonicus reg. s. Martini monasterii ultrajectini scripsit accurate documentis innixus, *chronicon de episcopis ultrajectinis* (690—1346), modo adhuc magni pretii, quod anonymus continuavit[2]) ad a. 1393. (et alius ad a 1426.), post ed. Bern. Furmerii vitiosissimam Franekerae 1612 in 4, editum melius a Gisb. Lappen hac inscriptione: J. Beka ... et Wilh. Heda[3]) praepositus arnhemensis *de episcopis ultrajectinis* recogniti et notis historicis illustrati ab Arn. Buchelio (optimi auctoris pessimo scholiaste, inquit Schüz), Ultrajecti 1643; prodiit et iam belgice versum cum notis et observationibus ed. A. Matthaei Vet. aevi annal. III[3], 1—407. — In *collectione formularum* (Formelbuch) Arnoldi de Protzan canonici wratislaviensis († 1338) edita a Wattenbach in codice diplom. Silesiae, Wratislaviae 1862 in 4. documenta pretiosa reperiuntur pro historia Nanker episcopi wratislaviensis († 1341). — Petrus de Dusburg O. Teut. sacerdos et vir pius scripsit *chronicon Terrae Prussiae*, in quo ordinis teutonici origo et res gestae continentur[4]) ab a. 1226 potissimum ad a. 1325, oculatus multorum quae retulit testis: illud anonymus continuavit ad a. usque 1426. Prodiit cura Christophori Hartknochii Francofurti et Lipsiae (etiam Jenae) 1679 in 4., qui adjecit notas atque diss. 19 antiquitates prussicas illustrantes: ed rara, sed admodum mendosa; Töppen in Scr. rer. Pruss. Lipsiae 1861 I, 21-213. — Ad ejusdem ordinis teutonici historiam spectat Livländische Reimchronik (1315-1348) Bartholomaei Hoeneke illius ordinis sacerdotis. Ea laudatur a notitiarum copia et narrationis sinceritate, adeo ut praecipuis fontibus pro historia hujus regionis habeatur. Prodiit cura Const. Höhlbaum, Lipsiae 1872. — Bernardus OSB. cremifanensis monachus Noricus dictus aliquamdiu prior († 1327) scripsit praeter alia *de ordine episcoporum laureacensium* (inter Pezii Script. rer. austr. I, 1296, sed minus accurate); *de catalogo abbatum* (ib. II, 58, haud integre), quem plures continuarunt ad a. 1488; *narratio de ecclesia chremsmunstrensi*, quae est pars 1. *de origine et ruina monasterii cremifanensis* (quam exhibet) cum catalogo Rauch inter rer. austr. SS. II, 381—428, quae reperies cum aliis auctoris nostri (scil. de ordine ducum Wawariae sive regum et origine et ordine ducum Austriae) in MG. SS. XXV, 638—678 ed Waitz, ubi etiam p. 617—22 *historia episco-*

---

[1]) Cf. Kurth Biogr. nat. de Belgique IX, 395—404.

[2]) Cf. Janning in Act. SS. t. VII. Jun. p. 2 suppl. in peculiari disquis. in Chronicon Jo. de Beka.

[3]) Guil. Heda fuit Philippo I. a secretis, praepositus arnhemensis et canonicus ultrajectensis († 1525), qui opus continuavit ad a. 1521.

[4]) Nicolaus de Jeroschin sodalis c. 1335—41 chronicam hanc germanicis reddidit versibus (27738), quae versio a philologis magni aestimatur ob linguam. Prodiit cura Strehlke Lipsiae 1861; in Beiträge zur Gesch. der mitteldeutschen Sprache u. Lit. ed. Pfeiffer fragmenta, Stuttgart 1854. Cf. Potthast p. 646. 916. Mentio hic fieri posset et *fontium olivensium*, qui complectuntur *Exordium* ordinis Cruciferorum seu chronica de Prussia; *chronicam olivensem* (seu de prima fundatione monasterii Olivae a. 1170); *tabulas* fundatorum et benefactorum. auctore abbate Stanislao, quibus subjiciuntur *Annales* olivenses 1356—1545, quae omnia prodierunt in Mon. Polon. t. VI. cura W. Ketrzyński. Cf. Potthast p. 453 s.

porum pataviensium ad a. 1254 legitur, quae eidem Bernardo tribui solebat[1]). Horum tamen aliqua tribuuntur et Sigmaro cellerario cremifanensi. Ea reperiuntur etiam in J. Loserth Die Geschichtsquellen von Kremsmünster im 13. und 14. Jahrh., Wien 1872. — Hermannus de Bibra (Bybera) decanus s. Mariae erfordiensis, provisor allodii ecclesiae moguntinae ibidem (fl. 333), collegit *Reditus, obventiones et jura moguntinae ecclesiae* per partes Thuringiae, quod scriptum reperies apud Alfred Kirchhoff die ältesten Weisthümer der Stadt Erfurt über ihre Stellung zum Erzstift Mainz, Hallae 1870 p. 37 ss. — Michael de Leone canonicus neomonasteriensis panegyrice sed bene refert de laudabilibus gestis recolendae memoriae D. Ottonis Wolfskel ep. herbipolensis (1335—1345) apud Boehmer Font. rer. Germ. t. I.

300. Bonifacius de Morano († 1349) reliquit *chronicon mutinense* (1306—42), quod exstat inter Muratorii SS. rer. it. XI, 93-130. — Joanni degli Oddi (fl. 1335) judice Affò[2]) tribui non immerito possunt *Annales et notae parmenses et ferrarienses,* quae ediderunt Barbieri in Monum. hist. ad prov. parmensem spectantibus III, 1—322, et Jaffé in MG. SS. XVIII, 662—790. — Inter historicos, qui de Insubriae rebus ex professo scripsere, non injuria censendus est Galvagnus (Galvagni) de la Flamma Mediolani claro sanguine genitus. Circa a. 1317 ingressus est ordinem s. Dominici absolutoque studiorum curriculo publicam in archigymnasio ticinensi cathedram sacrorum canonum illustravit, Mediolani vero postea primus in suo conventu Aristotelem est interpretatus atque philosophiam docuit († c. 1340). Studiis historicis in primis vacasse constat ex tot operibus partim editis, partim ineditis, quae reliquit[1]). Prodierunt: *Chronica civitatis mediolanensis* ab origine urbis usque ad a. circiter 1336 compilata et extracta ex quam plurimis libris et historiographis, praesertim ex Jo. de Cermenate et Jo. Codagnello, etiam appellata *Manipulus florum,* ab alio continuata ad a. 1371. Prodiit inter SS. rer. it. XI, 537—740. De ejus auctore Wattenbach acerbam nimis censuram profert. Ejus veluti continuatio est: Opusculum *de rebus gestis ab Azone,* Luchino et Joanne Vicecomitibus ab a. 1328—42, adjectis aliquot annotationibus . . . . . Jos. A. Saxii apud Muratori ib. XII, 991—1050. Ex chronico extravagante *de antiquitatibus* Mediolani exhibet Ant. Ceruti in Miscellanea di Storia Italia 1869 fragmenta prolixa VII, 445—505, et simul ib. exhibet p. 506—773 sub ejus nomine magnam partem *chronici majoris* ad a. 1341, quae dein simul edidit Augustae Taur. 1869. Chronica ordinis ab a. 1170—1333 prodiit cura Reichert inter Monumenta ord. ff. Praed. hist. II fasc. 1., in qua post vitam s. Dominici, vivendi rationem fratrum virtutumque variarum commendationem disserit de prioribus et capitulis provincialibus prov. Lombardiae, de prioribus conventus s. Eustorgii mediol. rebusque ad eundem conventum spectantibus. — Andreas Dei scripsit *Cronica Sanese* ab a. 1186—1328, quam continuavit Angelus Turae (di Tura) ad a. 1352; prodiit cum notis Humberti Muratori apud Benvoglienti SS. rer. it XV, 11—128.

301. Ad *historiam missionum* spectant epistolae Joannis a Montecorvino O. Min., quem Nicolaus IV. legatum in remotissimas Orientis partes a. 1288 misit, quique vel imperium

[1]) Cf. Potthast p. 608. 618; Hagn Das Wirken der Benediktinerabtei Kremsmünster, Linz 1848 p. 23 ss.

[2]) Memorie degli Scritt. parmig. I, 281—87.

[1]) Cf. Potthast p. 489; Argelati bibl. script. med. I. p. 2 p. 625 ss.

sinense penetravit, ubi archiepiscopus a Clemente V. creatus ad mortem usque (1330) substitit innumerosque Christi fidei est lucratus, magno in honore ab imperatore habitus. Exhibet has epistolas Wadding in annalibus ad a. 1305. N. T. et psalterium in fidelium usum e latino in linguam tamulicam vertit[1]). — Philippus Brusserius pariter O. Min. nobilis Savonensis, Nicolai Lyrani socius (fl. c. 1326), Clementi V. et Joanni XXII. perquam carus et familiaris missus fuit nuncius apostolicus ad Sultanum Babyloniae. *Descriptionem terrae sanctae,* quam reliquit, demum edidit Neumann in Oester. Ztschr. für k. Theol., Wien XI (1872), 1—79; 165-174. — Paschalis Victoriensis O. Min. Hispanus missus in Tartariam c. a. 1336 post multos labores et discrimina scripsit brevem relationem sui itineris rerumque a se gestarum per modum epistolae ad fratres conventus victoriensis, quam publicarunt Marcus olisiponensis in Chronico s. Francisci p. 2. l. 8. c. 46, Wadding annal. ad a. 1342 n. 10 etc. — B. Odoricus de Pordenone (Portunaonis), quod oppidum est in Foro-Julii, O. Min., vir apostolicus a Benedicto XIV. Beatis adnumeratus, iter ad remotas regiones instituit, quod etiam descripsit in egregio Itinerario[2]) *de mirabilibus orientalium Tartarorum* seu historia peregrinationis suae 16 a. Eam ediderunt Ponticus Virunius (italice) Pisauri 1513 sub inscriptione: *De rebus incognitis;* Bollandus in actis SS. t. II. ad d. 14. Jan., ubi prostat etiam ejus vita († 14. Jan. 1331); G. Venni in Elogio storico delle geste del b. Odorico, Venetiis 1761 p. 46—83; gallice Cordier, Parisiis 1891, ed. optima codd. 73 innixa, in qua relationem vindicat et annotationibus illustrat[1]). In ea exstat relatio quatuor martyrum O. Min., Thanae quam invenies in actis SS. ad 1. Aprilis. Ex ejus chronico compendioso a mundi exordio usque ad 1331 (inedito) plura in rem suam decerpsit Waddingus, ut ipse testatur in sua bibl. Ord. Min. Baluzius chronicon hoc alterius esse censet; Sbaralea vero illud tribuit ex levibus tamen indiciis Joanni de Mortiliano, de quo infra.

302. Ad *historiam terrae sanctae* bellorumque cruciatorum referri possunt scripta Marini Sanuti cognomento Torselli (ab instrumento musico ab eo in usum sacrum invento vel saltem inducto Torselli ab italis dicto) patricii veneti, qui claruit quinque itineribus in Palaestinam et Orientem institutis, unde natum ipsi opus, quod a. 1321 Joanni XXII. regibusque Franciae, Angliae et Siciliae pluribusque cardinalibus dicatum et in 3 distinctum ll. *Secreta fidelium crucis* super terrae sanctae recuperatione et conservatione seu de expeditione in terram s. seu opus terrae s. seu historia hierosolymitana inscribitur editumque a Jac. Bongarsio in gestis Dei per Francos t. posteriore, quem prope integrum complet, subjunctis p. 289 ss. ejusdem Marini ep. 22 ad pontificem, Andronicum Palaeologum imp. aliosque principes, quos ad expeditionem in terram sanctam novis viribus suscipiendam

[1]) Cf. KL. VI², 1719 col. VIII, 1770 ss.

[2]) Cf. Kunstmann in accurata diss. in hist.-pol. Bl. XXXVIII, 507—37. scripto ris veracitatem tuetur contra plures, qui putant, eum narrationes suas fin isse; de variis mss. et operis recensionibus et editionibus disserit et nomina urbium annotationibus illustrat; Kaulen KL. IX 697 ss.; Tiraboschi V. l. 1 c. 5 n. 2; Röhricht bibl. geogr. Pal. p. 69 ss. Hic idem in Ztschr. des deutschen Palästina-Verein 1890 edidit *das Itinerarium ad sepulcrum Domini* des Ant. de Reboldis de Cremona a. 1327.

[1]) Cf. Savi Della patria e della nazionalità del b. Odorico de P. in Nuovo archivio Veneto XI (1896), 301—325; Luigi Tinti Vita e missioni nel Indo-Cina del b. O. de P. de Fr. Minori (1285—1331), Roma 1901.

hortatur. Tractat ipsum opus de terrae sanctae recuperatione et conservatione, illiusque historiam ad a. 1320 usque persequitur cum ejusdem Palaestinae et vicinarum regionum descriptione geographica et mappis geographicis tribus. Obiit post 30. Dec. 1337. Distingui debet a Marino Sanudo juniore pariter patricio veneto († 1535), qui celeber fuit historiographus venetus[1]). — Etiam duo sodales O. Min. Simon Fitz Simeon et Hugo Illuminator iter agressi sunt in terram sanctam et Palaestinam (1320), cujus descriptio prodiit[2]) Cambridge 1778, et ex parte in Retrospective Review 1828 p. 232—54. — Tertius sodalis Nicolaus da Poggibonsi (a Podiobonitio) oppido ditionis florentinae descripsit culto sermone suum iter (1342-1345) in terram sanctam in *libro Oltramare* cur. Alb. Bacchi della Lega, Bononiae 1881 t. 2 in 4; et jam antea absque auctoris nomine, ib. 1867; Imolae 1872 etc. — Guilelmus de Boldensele) (Boldensleve) nobilis germanus, antea dictus Otto de Rienhus, qui deserto ordine Praed. et absolutione hujus desertionis impetrata a pontifice, petiit terram sanctam scripsitque Hodoeporicon ad eam, quod habes in Canisii ant. lect. V, 95—142; ed. 2. IV, 332-357 et in Ztschr. des hist. Ver. für Niedersachsen, Hannover 1855 p. 226-28[c]. Alias editiones et versiones exhibet Roehricht p. 73 s.

303. In *historia ordinum monasteriorumque* versati sunt: Christianus[3]) Kuchimeister civis sangallensis, cujus est scriptum Nüwe Casus monasterii s. Galli (1226—1329) in Mittheilungen zur vaterl. Geschichte ed. J. Hardegger, SS. Galli 1862 p. 1-64; et St. Gallische Geschichtsquellen ed. Gerold Meyer von Knonau, ib. 1881 fasc. 8. Auctor laudatur a fidelitate, sinceritate et a narrationis amoenitate, unde ejus opus melioribus fontibus historicis medii aevi adnumeratur. Huic adde Rudolfum de Radegg OSB. patria schafusiensem, scholasticum sangallensem, qui carmine inscripto *Capella heremitarum* depingit hostilem invasionem hujus monasterii, in qua et ipse captus est (1314), quod edidit Gall Morel in Geschichtsfreund X, 170 ss. — Udalricus et Conradus Welling OSB., qui ex aliorum chronicis *annales ss. Udalrici et Afrae augustenses* ab a. 1106—1334 compilasse dicuntur, quorum pars (1266—1300) falso Henrico Steroni tribuebatur et sub ejus nomine prodiit. — *Chronicon Ammenslebiense OSB.* ab a. 1120-1339 scripsit ejusdem abbas Arnoldus Kolnen (Kolner † 1344), continuavit ad a. 1486 Gregorius de Quedlinburg alter ejus abbas († 1518), alii vero illud prosecuti sunt ad a. 1608. Prostat cura Fr. Winter in Neue Mittheilungen aus dem Gebiete hist.-antiq. Forschungen des Thüring.-Sächs. Vereins 1874 XIII, 260—94 cum introductione et annotationibus. — Bertholdus[1]) Nederhofer O. Praem. vir in scribendis libris laboriosus, sub-

[1]) Cf. Potthast p. 997 s.; Roehricht p. 67 s.; Tiraboschi V, l. 2 c. 5 n. 43; Foscarini Letterat. venet p. 343; Simonsfeld Studien zu Mar. Sanuto dem Ältern, in N. Archiv f. ält. d. Gesch. VII, 43—73.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. I, 541.

[3]) Eodem fere tempore vixit Christianus Campoliliensis, de quo cf. Dreves Christian v. Lilienfeld Hymnen, Officien, Sequenzen und Reimgebete († 1332). Plures ejusdem *hymnos, sequentias* etc. edidit in Analectis hymnicis medii aevi XLI (Lipsiae 1903) p. 1. Et cum jam poëtae meminimus, addamus ei Boncore de s. Maria clericum, ut videtur basilicae vaticanae, minoris artis Christiano (fl. c. 1340), cujus *Novum l. hymnorum* ac orationum in eodem t. reperies.

[1]) Alius a Bertholdo de Brombach (fl. 1350) cujus est *Leben der sel. Luitgard* Stifterin von Wittichen O. S. Clarae (1291-1348) ed. a Mone Quellensamml. der badischen Landesgesch. III, 442—468; et a Bertholdo, de quo supra egimus p. 516.

prior, dein abbas scheftlariensis († 1349) concinnavit *Chronicon breve scheftlariense*, quod Fel. Oefele inseruit rerum boic. SS. t. 1. — Petrus de Zittavia (Sittavia) O. Ci. abbas Aulae regiae (haud procul Praga) patria Zittaviensis († 1339) continuavit *chronicon Aulae regiae* seu die Königsaaler Geschichtsquellen ll. 3. Constant hi fontes ex pp. 3, scil. ex annalibus Aulae regiae ab a. 80—1330; ex vita Wenceslai II. coepta ab Ottone de Thuringia abbate († 1334) et continuata a c. 52 ab ejus successore Petro nostro; 3. ex memoriis Petri ab a. 1305—37, quo defuncto Joannes IV. episcopus pragensis jussit Franciscum pragensem canonicum († 1362) opus ex integro retractare, qua de re cf. Potthast p. 508. Complectitur illud historiam bohemicam ed. a Gel. Dobner inter monumenta hist. boh. t. V, 19—501 Pragae 1764; Emler in Fontibus rer. bohem. 1884. IV, 3—337. — Gundecharus OSB. abbas seittenstettensis (1319—30) narrat *historiam fundationis monasterii seittenstettensis*, quam reperies apud Pez Script. rer. austr. II, 301—8. — Joannes de Bayon O. Praed. Lotharingus fuit Mediani monasterii OSB. historiographus (fl. 1326) edita *historia seriei abbatum* (ad a. 1166) intermixtis rebus lotharingicis, cujus fragmenta prostant apud Humb. Bellhomme *Historia Mediani* in monte Vosaga *monasterii* OSB., Argentorati 1724. 1733 p. III. pag. 229; *epitome* in Calmet Histoire de Lorraine 1728. II. LXII—XC. — De Guilelmo de Sanvilliaco O. Carm., cui plura (inedita) tribuuntur ad ordinem Carmelitarum spectantia, cf. Fabricius II, 154—155. Floruisse dicitur 1348. Ceterum plura de eo sunt incerta. Cf. (Villiers) Bibl. Carm. I, 613.

304. Magni momenti pro historia non solum ordinis s. Francisci, sed vel Ecclesiae, praesertim ineunte seculo XIV., sunt documenta, quae spectant ad illustrandam historiam illius fractionis, quae fractio spiritualium dicebatur[1]). Inter hos eminebat Angelus de Clarino (Clareno, a nativitatis oppido) vel etiam de Cingulo (ut videtur a monasterio, in quo vestem s. Francisci induit) O. Min. „praedicator insignis sanctitate et paupertate praeclarus, qui divinitus linguam graecam accepit et grammaticam graecam et Jo. Climacum de graeco transtulit in latinum, dialogum b. Macarii pulcherrimum et quendam l. devotissimum b. Joannis Chrysostomi, qui qualis fuerit eorum stilus profundus evidenter declarat[2]). " Admodum addictus illorum parti, qui ordinis reformationem in primis circa paupertatem urgebant, perpetuo carceri fuit addictus: unde tamen liberatus est a Raymundo Gaufrido ministro generali a. 1289. Cum aliquot sodalibus passionum sociis missus fuit a. 1290 in Armeniam; neque tamen ibi requiem habuit, nam illorum con-

[1]) Inter eos, qui in apertum schisma proruperunt non solum adversus ordinem, sed adversus rom. pontificem, et Ludovico bavaro adhaeserunt et prae primis Fraticelli dicebantur (cf. Ehrle l. mox cit. p. 511), fuit praeter Occam et Mich. de Caesena (de quibus cf. p. 525) Bonagratia (Boncortese antea dictus) de Bergamo ordinis generalis procurator, laicus tamen, qui nomine aliquot sodalium praeter omne fas restitit Joanni XXII. in controversia de paupertate Christi. Hinc in carcerem conjectus et post annum inde liberatus ad Ludovicum Bavarum confugit 25. Maj. 1328. Decessit in sua oppositione adversus pontificem et excommunicatus 1343. Ejus *articulos probationum* contra fr. Ubertinum de Casali (spiritualium ducem) inductarum edidit Baluzius Misc. t. I. Aliud ejusdem scriptum in causa sua cf. editum ab Ehrle Archiv III, 36—41. Cf. Grammer KL. II, 1008 et XI, 643 ss. — Fuit inter eos etiam Henricus de Chalhelm O. Min., ut videtur Germaniae minister, de quo cf. Sbaraglia p. 336. Ipse tamen postea a. 1333 resipuit.

[2]) Ita Bartholomaeus de Pisa in op. de conformitate vitae b. Francisci ad vitam D. N. J. Chr., Mediolani 1510 l. 1 p. 2. conf. 11.

fratrum, qui laxiori observantiae adhaerebant, vexationibus coactus est in patriam remeare. Vix autem sedem stabilem reperit turbatamque satis vitam degit. Avenionem se contulit (1311) sub tutela Jacobi Columnae cardinalis pro tuenda suae fractionis causa coram pontifice. Rediit postmodum in Italiam mutataque subinde sede senex 15. Jun. 1337 demum cum fama sanctitatis obiit quietemque reperit[1]). Ob ejus virtutes et religiosae perfectionis studium actum est de eo inter beatos referendo, sed sine effectu. Pro historia controversiarum magni momenti est ejus *epistola excusatoria* ad papam de falso impositis et fratrum calumniis (1317), quam primum edidit, sed satis imperfecte, Flaminius da Latera in suo supplemento ad bullarium franciscanum: admodum accurate annotationibus criticis et historicis illustratam Ehrle in Archiv für Literatur und KG. 1885. I, 521—33, qui ib. 533—70 alias ejusdem epistolas vel earum fragmenta ad has controversias spectantes in publicam lucem protrahit. Ipsi pariter tribuitur et merito quidem, ut ostendit Ehrle[2]), *historia septem tribulationum Ord. Min.*, quae ad eandem controversiam spectat et primum edita fuit maxima ex parte ab eodem Ehrle, quamvis alio ordine l. c. p. 125—55 (cui inserit hic p. 156—64 quatuor documenta utilia ad historiam hanc illustrandam); II, 256-327. Duo capita sextae tribulationis exhibet Felice Tocco in Archivio storico Ital. XVII (1886) 12—36.

305. Pro communitate O. Min. contra conatus spiritualium stetit Raymundus de Fronsac (de Fronciacho) ordinis procurator, qui (cum Bonagratia de Bergamo) nomine communitatis Clementi V. obtulit libellum accusationis contra spirituales, in primis adversus Petrum Joannis Olivi (1. Martii 1311), quem exhibet Ehrle l. c. II, 365—374. Mox „responsionem ad praedictum libellum diffamatorium“ sane sagacem et accuratam Ubertinus (de Ilia) de Casali spiritualium dux et orator opposuit, in qua pro viribus Petrum Jo. Olivi tuetur vel excusat. Eam primus annotationibus doctis illustratam exhibet Ehrle ib. II, 377—416. Porro Ubertinus n. est circa a. 1258 vel 1259 et sub s. Bonaventura ingressus ordinem Minorum 1273. Vir erat pius et doctus, acerrimus, saepe et fanaticus paupertatis propugnator, familiaris Petri Jo. Olivi. Missus Lutetiam Parisiorum legit et docuit per annos novem, sed ita laxatis habenis et dimissis spiritualibus exercitiis, ut ei per somnium Christus appareret ad perfectiorem vitam revocaturus. Regressus in Italiam scripsit a. 1305 trium mensium et septem dierum spatio in monte Alverniae devotum et prolixum, aliquanto tamen pro illius temporis ratione indigestum et minime ad incudem redactum opus (nunc rarum), quod *arborem vitae crucifixae Jesu* inscripsit, ll. 5, (Venetiis 1485 in 4; italice per Laur. de Tosano ib. 1564), in quo plura ad verbum derivavit ex s. Bonaventurae Breviloquio. Merito vero aliqua caute legenda monet Jo. Gerson tacito auctoris nomine in l. de susceptione humanitatis Christi, eoque expresso in tr. de caute legendis quorundam libris: nimis enim propendet in Joachimi opiniones. *De septem statibus Ecclesiae* juxta septem visiones Apocalypseos, est epitome initii prioris operis, et prodiit insertus *Expositioni magni prophetae Joachim* in l. Cyrilli *de magnis tribulationibus* cum compilatione Telesphori de Cusentia. Num ipse Ubertinus hanc confecerit epitomen, est dubium. Prodiit Vene-

[1]) Ejus miracula narrat Philippus, ejus familiaris, quam habes in Act. SS. 15. Jun. II, 1100—1102, cum Papebrochii commentario 1091—1100.

[2]) Archiv II, 106 ss, prae primis contra Affò Vita di frate Elia Parmae 1783 p. 18; et iterum ib. II, 406—8 contra F. Tocco.

tiis 1516 in 4. (cura Silv. Mencii O. S. Aug. veneti † 1535, qui opera Joachimi de Floris, de quo cf. p. 225, edidit); 1525. Eo in opere defenditur chiliasmus spiritualis. Alia ejusdem scripta edita et inedita referuntur ad causam, quam contra communitatem ordinis agebat, ut *responsio* ss. P. D. N. Clementi divina providentia papae V. tradenda scil. ad 4 qq. spiritualibus propositas, quam publicae luci dedit Ehrle l. c. III, 51—89; rotulus a. 1310 seu „*articuli* accepti *de regula,* contra quos saepe transgressiones fiunt, quos tradiderunt fratres vocati per D. papam vel ejus auctoritate obstricti ac requisiti per obedientiam et per juramentum, ut suam sententiam super his plenius explicarent," ib. III, 93—138, ubi inserta reperies responsionis Raymundi nomine communitatis fragmenta; responsum breve, sed doctum ad q. *de paupertate Christi et apostolorum* jussu Joannis XXII. a. 1321 (cf. Wadding ad eum a. n. 18) ed. a Baluzio in Miscellaneis I, 293 ss. „Cum videret ordinem suum, narrat Trithemius SE. c. 525, a prima institutione deficere, novas quasdam sub specie reformationis separationes incepit, et eas a summo pontifice confirmari obtinuit, quae tamen ad petitiones custodum et ministrorum statim per eundem Papam fuerunt revocatae, quoniam in grave scandalum et scissuram ordinis videbantur praesumptae." Quare jam a. 1312 cogitavit paupertatis strictioris amore a communitate secedere, id tamen impetravit nonnisi a. 1317. Num revera transierit ad Benedictinos, mox ad Cistercienses (non ad Carthusianos, ut quidam referunt), non satis liquet. Confugisse vero ad Ludovicum Bavarum eique adhaesisse cum Occamo, Mich. de Caesena et Bonagratia recentiores referunt, imo partem habuisse in componenda sententia romana adversus pontificem[1]).

Quo vero a. obierit est incertum. Raymundus praeterea prospectum exhibet omnium actorum, quae ad hanc magnam disceptationem inter communitatem et spirituales in primis ab a. 1309—17 referuntur, quem primus edidit Ehrle l. c. III, 7—33, scriptum magni momenti pro hac controversia. — Causam spiritualium defendit Raymundus Galfredus (Gaufredi) Massiliensis, qui in ordine s. Francisci adeo profecit, ut ordinis minister generalis eligeretur (1289—95). Sexennio expleto oblatus fuit ei a Bonifacio VIII. episcopatus patavinus, mox archiepiscopatus mediolanensis, utrumque recusavit († 1310). Pro spiritualibus postmodum scripsit, cui *responsionem* opposuerunt Raymundus de Fronciaco et Bonagratia, ad defensionem ordinis minorum, quam edidit Ehrle l. c. III, 141-160. Huic responsioni et defensioni mox (a. 1311—1312) occurrit Ubertinus in „*Declaratione* fr. Ubertini et sociorum ejus contra falsitates datas per fr. Raymundum procuratorem et Bonagratiam de Bergamo et sociorum," quam reperies ab Ehrle ib. editam III, 162—195. — Cuidam Joanni (aliis Nicolao) Minoritae tribuitur *chronicon de gestis contra fraticellos,* quod complectitur acta ad a. 1331, editum a Baluze in Miscell. III, 206—358 ed. Mansi[1]); italice editum ex parte a Franc. Zambrini inscriptum *Cronica della questione insorta nella corte di papa Giovanni XXII.* a Vignone circa la povertà di Cristo, in op. Storia di fra Michele Minorita come fu arso in Firenze nel 1389, Bononiae 1864 in 8. p. 59—115.

306. *Hagialogis* accensere licet Joannem de Tynemouth monasterii

[1]) Cf. Felten KL. XII, 167—172. Huck Ubertin v. Casale und dessen Ideenkreis, Freiburg i. B. 1903; E. Knoth Ub. v. C. Ein Beitrag zur relig. Literaturgesch. des Franziskanerordens Marburg 1902 diss.

[1]) Cf. Potthast p. 853 s.; accuratissime vero de codd. mscr. operum hujus minoritae disserit Eubel hist. Jahrb. 1897 p. 375 ss.

s. Albani monachum OSB. († 1348/49), qui diligenter collegit opus inscriptum *Sanctilogium Angliae, Walliae, Scotiae et Hiberniae,* quo juxta calendarii ordinem 156 notitias sanctorum complectitur seu vitarum compendia adjectis quibusdam narrationi legendis, anecdotis etc. Haec collectio sec. XV. a quodam, forte a Io. Capgravio († 1464), de quo infra redibit sermo, juxta ordinem alphabeticum fuit redacta, sed omissis narratiunculis etc. illis adjectis. Demum aucta 15 notitiis prodiit sub inscriptione: *Nova Legenda Angliae,* Londini 1516; 1527. Ea iterum accurate ad exemplar originale quantum fieri potuit expressa restitutis narrationibus alias omissis cum quibusdam additamentis et docta introductione, in qua de primo auctore erudite disseritur p. XXXIII—LXVI, prodiit [1]) cur. Car. Horstmann Oxonii 1901 t. 2 in 8. — Israel Erlandi O. S. Dom. Suecus, quem aliqui Franciscanum, sed immerito, dicunt. Cognatione Sueciae reges attingebat, sed pietate, eruditione, rerumque praesertim ecclesiasticarum peritia longe illustrior, juvenis ordinem est ingressus. Archiepiscopis upsalensibus acceptus eos in visitationibus dioecesis comitabatur. Conventui sigroniensi prior praefuit, quo ex munere promotus est ad ecclesiam arosiensem (Westeraes a. 1311; † 1332). Collegit *acta s. Erici* regis Sueciae et M. († 18. Maj. 1151) tum ejusdem miracula, quae exhibent acta SS. 18. Maj. IV, 188—96; plenius Jo. Scheffer Holmiae 1675 in 8; Fant SS. rer. suec. II. 1, 272—77. — Stanislaus de Cracovia O. Pr. scripsit *vitam et miracula s. Hyacinthi,* quam edidit demum Ludov. Cwikliński in Mon. Pol. hist. 1884 IV, 841—94. Ad ea miracula provocatum fuit in causa canonizationis ejusdem. — Fabianus O. S. Franc. Hungarus, qui a. 1330 et 1337 contra haereticam pravitatem erat inquisitor in Hungaria et Bosnia, creditur [1]) auctor *speculi vitae b. Francisci et sociorum ejus,* Venetiis 1504; Metis 1509, cui adjecti sunt catalogus sanctorum FF. Min., catalogus ministrorum generalium, capitulorum generalium et ministrorum atque capitulorum provinciae Hungariae usque ad a. 1504. (continuatus). Hoc speculum Guil. Spoelbergius O. Min. Recoll. bruxellensis in duas partes divisum, a mendis expurgatum, in meliorem stilum redactum et notis brevibus illustratum publicavit Antverpiae a. 1620 in 8; Phil. Boschierus Coloniae 1623 — Garinus de Giaco (vulgo Guy l'Evêque, quod est castrum dioecesis antissiodorensis) O. Praed. Parisiis sententias legit atque magisterii gradum est consecutus. Postquam egit provincialem Franciae, electus est in magistrum generalem ordinis a. 1346 († 31. Jul. 1348). Scripsit *vitam b. Margaretae* regis Hungariae filiae O. Praed., quam Bollandus actis SS. Jan. II, 900-906 inseruit. — Hermannus de Fritzlar in Hassia insignis hujus aevi asceta, de quo alioquin nihil scimus, nisi eum sanctuaria Germaniae, Italiae et Hispaniae pie visitasse, et in his peregrinationibus collegisse (intra 1343—1349) lingua patria ex concionibus, traditionibus localibus, libris utilem mirabilique unctione plenam *vitam sanctorum* annotationibus piis ipsius auctoris inspersam [2]), quam primum in lucem protulit Lipsiae 1845 Fr. Pfeifer in suo op. Deutsche Mysti-

[1]) Cf. Anal. boll. XXI (1902), 85—89; Potthast p. 185.

[1]) Cf. Sbaraglia p. 233.

[2]) Schroedl KL. V², 1810: Man trifft hier erhabene Speculation und einfache Kindlichkeit, tiefe und klare Gedanken, klare und bündige Begriffe und Definitionen; Glaube, Vernunft, Kunst und Wissenschaft reichen sich die Hände: die reinsten Ideale des Herzens, Tugend und eine echt katholische Exegese ohne blinde und dunkle Gefühlsüberschwenglichkeit spiegeln sich in jeder Zeile ab; überall wie auf dem Gebiete der katholischen Lehre, so auch im Bereiche der Moral zeigt sich das rechte und billige

ker des 14. Jahrh. t. I, qui propterea ipsum ab oblivione vindicavit. Ea continentur vitae SS. distributae per octoginta sex dies cum iis, quae spectant ad varia festa Domini et b. Mariae V. Conjiciunt tamen nonnulli opus hoc prodiisse ex collectione concionum parum antiquiore cujusdam Giseler OP. lectoris[1]). — Albertus OSB. oberaltahensis descripsit *vitam s. Alberti* sive Adalberti OSB. in monasterio Oberaltaich, quondam comitis de Haigerloch († 1301), quam Pez in thes. anecd. I, 3. p. 535—566 publicae luci dedit. — Bertramus[2]) Reoldus O. Cist. monasterii morimundensis in agro mediolanensi (fl. 1326) refert *acta s. Francae abbatissae* O. Cist. Placentiae († 1218), quae exhibet Papebrochius in actis SS. 25. Apr. III, 282—99. — Dominicus Bonaventura Fessis (Festi) de Fabriano O. Min. Picenus describit (c. a. 1347) *vitam s. Francisci Fabrianensis* († 1322), quam invenies in Act. SS. 22. Apr. III, 984—91. — *Vitam b. Francisci de Senis O. Serv. b. M. V.* († 1328) conscriptam ab ejus familiari et confessario Christophoro de Parma post a. 1348, reperies in Analectis bollandianis XIV, 167—97. Ipsius quoque probabiliter est Vita ac *Legenda b. Joachimi* O. Serv. b. M. V. senensis, quam ib. habes XIII, 383—397.

Maß, denn wo die Kirche nicht definirt, definirt auch er nicht . . . Diesen köstlichen Inhalt umschliest auch eine ungemein anziehende, zarte und naive Form; die Rede gleicht einem lautern, friedlichen, himmlischen Bache, liebliche Bilder verleihen ihr oft einen hohen Reiz; Wort und Sprache stehen hoch über dem spätern Stile des Reformationszeitalters.

[1]) Cf. Realenc. VII[3], 708.

[2]) Alius ab eo videtur Bertram de Massilia (fl. ineunte sec. XIV), qui lingua provinciali *vitam* narrat *s. Enimiae V.* et Francorum Clotarii II. regis filiae († 628), abbatissae in dioecesi mimatensi (Mende), quam primum integram edidit C. Sachs Berolini 1857.

IV. Theologia practica.

307. Duo hac epocha occurrunt pontifices Joannes XXII et Benedictus XII. digni mentione speciali. Postquam sedes apostolica defuncto Clemente V. (20. Apr. 1314) ultra biennium vacaverat, demum electus est 7. Aug. 1316 Jacobus de Ossa, qui voluit dici Joannes XXII. Erat porro Jacobus de Ossa (Oza, Dueza, Duèse, Eusius, de Eusa, corrupte Deusa, Elusanus etc.) Cadurci n. 1249, studio juris et medicinae Montepesulis et Parisiis se dicaverat et in urbe patria magistrum egerat. Ad Caroli II. preces a Bonifacio VIII. a. 1300 episcopus forojuliensis (Frejus) est dictus, pro qua ecclesia ipse librum *institutionum* et *Rituale* composuit. Interim auctus est et munere cancellarii apud Carolum II. A Clemente V. translatus est Avenionem (1310). Stetit fortiter pro Bonifacii VIII. memoria integra servanda contra ausus Philippi Galliae regis, quamvis foverit hujus consilia adversus Templarios, propugnavitque bullam „Unam sanctam“ hinc forte in meritorum praemium creatus est cardinalis portuensis 23. Dec. 1314. Admodum turbulentus fuit ejus pontificatus ob prolixas controversias cum Ludovico Bavaro, quas persequi non est nostrum. Eae ad tantam excreverunt acerbitatem, ut et pontifex Ludovicum excommunicaret, hic vero Italiam invaderet, atque antipapam Petrum de Corbaria sub nomine Nicolai V. legitimo opponeret pontifici. Accesserunt turbae molestissimae et diuturnae, quae obortae sunt in ipso s. Francisci ordine de paupertate. Tanto enim multi, qui Spiritua-

les dicebantur, zelo imprudenti et fanatico extremam aemulati sunt paupertatem, ut pertinacia abrepti in aperta defecerint schismata, ad pontificis transierint hostes, in rebellione adversus legitimam auctoritatem contabuerint. Non defuit tamen pontifici fortiter laboranti omnis successus. Nicolaus V. antipapa in se reversus humiliter se subjecit funem circa collum gestans et ad legitimi pontificis pedes prostratus in verba filii prodigi prorupit: *Pater, peccavi in coelum et coram te* (Luc. 15, 18). Benigne a Joanne susceptus post tres annos poenitentiae liberali custodia detentus[1]) Avenione 1333 decessit. Controversiae quoque de paupertate gravibus pontificis literis et prudentia demum imminutae saltem sunt. Verum nova oborta est controversia eaque dogmatica haud leves eidem molestias creans. Controvertebatur nimirum, num animae justorum, quibus nihil luendum post mortem esset, statim admitterentur ad visionem Dei beatificam, an ipsis exspectandum esset usque ad judicii universalis diem. Huic posteriori assertioni favisse videtur pontifex, hinc multorum incurrit contradictiones: nullam tamen hac de re edidit sententiam, imo supra mortis lectum positus coram cardinalibus adstantibus palam professus est 3. Dec. 1334: »Confitemur et credimus animas a corporibus sejunctas purgatasque in coelo ac sede beatitudinis esse cum Christo et angelis ac frui adspectu divinitatis claro et a facie ad faciem, ut fert status animae separatae. Si quid contra scripsimus aut protulimus e suggestu sacro expresse revocamus[2]).« Solerter invigilavit puritati fidei, hinc edita constitutione 29. Oct. 1327 tutatus est jura Ecclesiae et primatus adversus errores Marsilii Patavini et Joannis de Janduno; damnavit errores Fraticellorum (1318), Joannis de Polliaco de sacramento poenitentiae; reprobavit propositiones 28 Eckhardi etc.; sollicitus fuit de dilatanda vera fide missis viris apostolicis in Persiam, Jndiam, Turkestan, imperium sinense, Aethiopiam et institutis novis dioecesibus; de resarcienda unione cum ecclesia graeca cogitavit; vigilans fuit in promovenda disciplina ecclesiastica, saepe ipse Avenione concionabatur. Doctus cum esset, nitebatur quoque quaquaversus literaria fovere studia eaque ampliare, viros juvare literatos. Manu forti rexit Ecclesiam Dei procelloso tempore ultra annos 18, sobrius vitam agens monachi, industrius, operosissimus, nullum iter vel deambulationem sibi permisit. Grandaevus decessit, annos scil. natus nonaginta (4. Dec. 1334). Hujus operositatis testes sunt circa 60.000 constitutiones, diplomata, literae, quarum vix decima pars eruditis est explorata. Eae enim hactenus collectae nondum prodierunt, sed dispersae exstant per plura opera. Nostra aetate G. Mollat coepit edere ejus *Lettres communes*, Parisiis 1904. Constitutiones viginti receptae sunt in corpus juris canonici sub inscriptione *Extravagantes*[1]).

308. Defuncto pontifici cardinales mox substituerunt, sed forte praeter suam intentionem, Benedictum XII. (20. Dec. 1334), qui antea dicebatur Jacobus Furnarius (Fornerius, Fournier) Saverduni in Fuxensi comitatu patre pistore (unde ejus cognomen Furnarius juxta nonnullos derivatur)

[1]) Cf. haec fusius narrantem praeter alios Eggs Purp. doctae l. II. pag. 344 ss.
[2]) Cf. Hefele § 704.

[1]) Cf. Felten KL. VI, 1584—1595 ubi copiosam reperies de eo literaturam; Coulon Lettres secrètes et curiales du P. Jean XXII. relatives à la France, Paris 1901; Preger Über die Anfänge des kirchenpol. Kampfes unter Ludwig d. B. Mit Auszügen aus Urkunden des vatik. Arch. von 1315—1324 in den Abh. der hist. Kl. der k. b. Ak. der W. XVI (1882) Abth. 2 p. 113—284, ubi multa (199) exhibet excerpta ex Regestis.

natus. Ingressus est in adolescentia Cisterciensium ordinem in abbatia bulbonensi dioecesis Mirapicinae. Parisios studiorum causa missus theologiae laurea fuit donatus atque electus abbas Fontis frigidi (1311), dein (1317) episcopus apamiensis (1317). A Joanne XXII. creatus est cardinalis (1327) dictus communiter Blancus (Candidus) ab habitu ordinis albo, quem retinuit. Pontifex factus diremit (1336) peremptorie controversiam de animabus justorum, quibus nihil luendum superesset, mox admittendis ad visionem beatificam. Sanguine junctis nihil contulit solitus dicere, pontificem debere esse sicut Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia, atque interdum ea verba repetere Ps. 18, 14: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Decessit 25. Apr. 1342. *Registrum* epistolarum et constitutionum ejus in X tomos divisum asservatur in bibliotheca vaticana: harum plures prodierunt, non collectae, sed dispersae per Acta Conciliorum, Annales Waddingi etc.; aliquot prodierunt ll. 2 Parisiis 1517; J. M. Vidal coepit edere *Lettres communes* analysées fasc. 3 Parisiis 1902-3. Antequam ascendisset ad dignitates altiores elaboraverat expositionem eruditam et prolixam in Matthaeum in tr. 132 distinctam t. 4 in f., tract. 6 de statu animarum ante judicium generale etc., quae tamen manserunt inedita[1]). Reprobavit 117 Armenorum errores, qui voluerant cum sede apostolica inire unionem, de quo consilio, quod forte caruit effectu reali et diuturno cf. Hefele op. cit. § 707.

309. Inter canonistas[2]) hoc aevo forte praecipuus est Joannes Andreae »fons et tuba juris, rabbi doctorum« salutatus, Mugelli in Etruria vel probabilius Bononiae natus c. 1270. Bononiae studiis operam dedit, jure canonico sub celebri Guidone de Baysio maxime delectatus, qui ipsum ob pecuniae inopiam gratis ad lauream promovit. Juris canonici interpretem egit primum Bononiae; cum vero ea urbs sub interdicti censura gemeret, transiit Patavium ibique munus docendi prosecutus est (1307). Rediit a. 1309 atque inde ad mortem usque cathedram rexit. Magna erat ejus auctoritas, ut in publicis negotiis ejus consilium et opera invocaretur. Gratia fruebatur Joannis XXII., a cujus partibus fideliter stetit. Doctam habuit uxorem Melanciae nomine, quam in controversiis juridicis consulebat, doctam et filiam natu minimam Novellam appellatam, quae patris aegrotantis vicem in praelectionibus supplebat et cujus nomen operi inscripsit. Etsi juvenis liberioris fuisset vitae, provectior aetate vere christianam duxit vitam magnaeque beneficentiae fuit erga ecclesias et pauperes. S. Hieronymum singulari prosequebatur cultu, ut a s. doctore voluerit appellari de s. Hieronymo, quod nomen deinde et familiae haesit. Peste correptus decessit 7. Jul. 1348. Plurima, plane docta et utilia reliquit opera: *Glossa in Sextum,* quam retractavit adjectis additionibus ad apparatum ad Sextum et Novella (seu commentaria) in Sextum, quae prodierunt hoc titulo: *Commentaria in decretales et Sextum,* Romae 1476 in f.; Papiae 1484; Venetiis 1489; 1491; 1499; 1581 t. 5 in f. Glossa illa mox

[1]) KL. II, 311—314; Realencycl. II³, 566—568; Hefele § 706.

[2]) Guilelmus de Pagula, Anglus, vicarius winfeldensis (fl. c. 1350) concinnavit Summam summarum sive repertorium juris canonici ll. 5; Speculum praelatorum; Speculum religiosorum; Oculum sacerdotis dexterum, oculum sinistrum etc., quae manserunt inedita. Eorum codices mscr. diligenter recenset Oudin III, 867. — Celeber fuit decretorum doctor et professor Venetiis et Bononiae Ubertus de Caesena can. r., postea (1333) episcopus Concordiae († 22. Aug. 1334), cujus tamen nullum superesse videtur opus. Cf. de eo Tiraboschi V. l. 2 c. 5 n. 18; Trombelli Notizie di s. Maria di Reno p. 295.

pro ordinaria habita est. Summa *de sponsalibus et matrimonio,* magna ex parte ex Summa Jo. de Anguissola derivata (cf. p. 441), saepius s. l. et a. edita; Parisiis 1489 in 4; 1492; 1494 etc.; Summa *de consanguineitate* sive lectura arboris consanguineitatis, Norimbergae 1477; innumeris vicibus edita, seorsim et cum l. Sexto et decretalibus edita, in varias linguas versa, additionibus ex. gr. cognationis spiritualis et legalis, casibus etc. aucta. *Quaestiones mercuriales* (ita appellatae a die Mercurii, quo tractatae fuere), in quibus agit de regulis juris in Sexto, saepissime editae, Papiae 1483; 1491; 1495; Mediolani 1508; Lugduni 1550 in 4; Lugduni Bat. 1551 in 8. etc.; *Apparatus ad Clementinas,* qui habitus est mox pro glossa ordinaria et illarum editioni fere semper additus fuit, Argentorati 1471; Moguntiae 1476; Lugduni 1572 in f.; cum commentario Aeg. Perrini, Parisiis 1612 in 4., opus prae ceteris accuratum; *Hieronymianus* sive vita, facta, dicta, prodigia s. Hieronymi, 1482 in f.; *Novella in decretales Gregorii IX.,* Romae 1476; Venetiis 1489; Papiae 1504; 1505; Venetiis 1581. etc., opus diligens, in quo undique ex plurimis aliorum laboribus colligit quidquid glossam ordinariam complere et perficere possit; *Additiones* (copiosae, eruditae, pretiosae) ad Speculum[1]) Guilelmi Durantis (p. 443), Argentorati 1473; Basileae 1574 etc. Tractatus varii, quaestiones, consilia etc., quorum aliqui fuere impressi, alii supersunt mscr. Schulte in nostro auctore prae primis miratur eruditionem copiosissimamque cognitionem operum et auctorum, qui tam in jure canonico quam civili versati sunt: adeo ut ejus opera fontium instar sint, in quos congestum reperiatur quidquid vetustiores scriptores de argumento aliquo statuerint; non adeo vero laudat ingenii sagacitatem, cum allegationibus contentus minus speculetur, ultra non progrediatur.

310. Huic subjicimus Henricum Bohic (Boyk, Boich, Bonhic, Voich etc.) leonensis dioecesis in Britannia minori n. 1310, professor parisiensis et praefectus capellae s. Ivonis, quem vitam produxisse dicunt ad a. 1390, quod tamen Schulte falsum censet, cum eum non diu post a. 1350 mortuum esse opinetur. Non desunt qui dicant eum fuisse O. Carm. et etiam Herveum Boye (Boyo, Herenum Boyc) appellent. Laudantur ejus *distinctiones* (Lectura) *in ll. 5 decretalium,* opus castigatum per Franc. Josserandi, Lugduni 1498 cum hujus tabula; 1537; Venetiis 1580 in f., opus eruditum et accuratum[1]). Bibliotheca carmelitana

---

[1]) Schulte, qui II, 205—30 accurate de nostro auctore disserit, de hoc opere censet: Man darf diese Zusätze für das bedeutendste Werk des Johannes erklären, jedenfalls hat für die Geschichte der Literatur und Dogmatik kein anderes von ihm eine höhere. Wir erhalten hier an Notizen über Personen, Ereignisse, Zustände, Inhalt von Büchern, Verhältnis von Schriften und Verfassern zu andern, alles was Johannes in einem langen thätigen und erfahrungsreichen Leben gesammelt hatte. Das Buch ist eine wahre Fundgrube um die Autorschaft von Schriften und Quästionen zu bestimmen etc. Cf. Fantuzzi I, 246—57; Tiraboschi V l. 2. c. 5 n. 5 ss., qui eum censet il piu celebre Canonista non solo di questo secolo, ma forse ancor d'ogni tempo, finchè i nuovi lumi sparsi su ogni sorta di Scienza non fecero quasi dimenticare i più antichi Scrittori, che senza la loro colpa ne furono privi; Mehus Vit. Ambros. Camald. p. 184 ss.; Mazzuchelli Scritt. Ital. t. I. p. 2 n. 695 ss.; Scherer KL. VI, 1600.

[1]) Schulte l. c. p. 269: So stellt sich auch dies Werk als ein sehr gelehrtes heraus, das sich durch seine Klarheit, Fülle von Citaten und stellenweise zur Schau getragenen Selbständigkeit und die Kunst durch die distinguirende Dialektik jedem das Passende zu bieten, äußerst empfahl. Man muß sagen, daß es zu den besten Leistungen seiner Zeit gehört. Man begreift daher, daß diese

ei tribuit opus insigne (ineditum) in magistrum sententiarum. — Joannes de Zinna (Scynna, Cinna, Stynna, Stinna) O. Ci. abbas monasterii Colbaz (1339-42) in Pommerania, qui Parisiis juri canonico operam dederat, composuit *Speculum abbreviatum*, manuale scil. quoddam juris canonici, praesertim de modo agendi causas, utile, in quod plura derivavit ex Speculo Durantis (cf. p. 443), beneque disserit[1]) de regulis juris, 1511 in f. s. l.

311. Jura potestatis ecclesiasticae asseruit[2]) Augustinus Triumphus ex praeclarissima Triumphorum familia a. 1243 Anconae ortus, hinc etiam Anconitanus dictus, qui juvenis 18 annorum ordinem eremitarum s. Augustini est amplexatus. Missus Parisios nactus est magistrum Thomam Aquinatem et condiscipulum Aegidium Columnam. Laurea obtenta cathedram in Sorbonna est adeptus tantaque doctrinae fama eam rexit, ut jubente Gregorio X. in locum Thomae in itinere defuncti concilio lugdunensi interesset, licet annos aetatis tantum 31 numeraret. Patriae restitutus operibus semper magis inclaruit, ut a Carolo II. Neapolitanorum rege ejusque filio Neapolim fuerit postulatus et consiliis intimis adhibitus, et pro gravibus negotiis expediendis legatus ad principes missus. Post multos labores decessit anno aetatis 85 die 2. Apr. 1328. In ejus epitaphio legimus: „Sanctus in vita et clarus in scientia: unde omnes debent sequi talem virum, qui fuit religionis speculum.“ Et revera ejus sodales beatum illum salutant: concives vero sui Anconae ei statuam posuerunt, et omnia ejus opera, quae mscr. complent 36 vol., publico descripta sumptu bibliothecae donarunt vaticanae. Inter haec eminent: Summa *de potestate ecclesiastica* (qq. 112) ad Joannem XXII., quam jussu pontificis[1]) exaravit, ut schismaticorum Petri de Corbaria antipapae sectatorum petulantiam retunderet, Romae 1473; 1479; 1582 ed. A. Rocca cum auctoris vita concinnata a sodali Aug. Fivizano; Augustae 1473; Coloniae 1475; Venetiis 1487; s. l. (Venetiis) c. 1490 t. 2 in f. — Tr. super *Missus est*, Lugduni 1506; Romae 1590; 1592; Matriti 1648 in bibl. mar. Petri de Alva; ubi invenies ejus tr. *in salutationem angelicam* et cant. Magnificat (Lugduni 1506); tr. in orationem dominicam, Romae 1587; 1590.

Distinctionen im 14. und 15. Jahrhundert sehr viel benutzt und auch einzelne Stücke daraus abgeschrieben wurden.

[1]) Cf. Landsberg allg. d. Biogr. XXXVII, 99. Schulte II, 314 s. conjicit huic Joanni tribui posse opus inscriptum *Defensorium juris*, quod etiam sub nomine Gerardi (quo forte ante suum in ordinem ingressum appellabatur) monachi cisterciensis comparet in codd. Porro hoc defensorium est „collectum ex variis tractatulis juris sive juristarum, praecipue ex l. intitulato *ordo judiciarius*, quem composuit Bartholomaeus brixiensis (cf. p. 370), et ante eum Tancredus bononiensis et ex *l. cavillationum*, alias dicto *doctrina advocatorum*, judicium et reorum, quem composuit mag. Jo. de Deo hispanus (cf. p. 370). Et materia praedictorum librorum fere continetur in isto libello.“ Ita auctor in fine l. Agit porro in eo de exceptionibus. Si vero Gerardus non est idem ac Joannes, videtur esse seculi ineuntis XV.

[2]) Eadem asseruit Joannes Stratfordus ex episcopo wintoniensi archiepiscopus cantuariensis (1333—38), qui cum Eduardo III exactiones quasdam graviores clero imponenti restitisset, hinc ipsum offendisset, apologiam pro se composuit scripsitque quoque literas ad episcopum exoniensem, mandantes, ut regii graviorum illorum tributorum exactores censuris coerceantur, et alias contra exactiones laicorum, quae omnia leguntur in Wilkins Conc. Britanniae II, 663 ss. Reliquit etiam decreta synodalia, statuta et constitutiones etc., quarum aliquas reperies in Spelmann conc. anglican. ad 1341. Cf. Fabricius IV, 430.

[1]) Joannes XXII. ei annuum subsidium de pecunia camerae solvendum assignat, ut liquet ex literis ejusdem 18. Jan. 1326, quas exhibet Denifle in Chart. univ. paris. I, 1, 289.

— Tr. *de cognitione animae,* excerptus ex ejus ll. Metaphysicae, Bononiae 1503; *de praedicatione generis et speciei,* ib. 1503; *destructio arboris porphyrianae,* ib. 1503. — Expositio decretalis *de duabus naturis in persona Christi* figuratis in arca Noe, ib. 1508; *Novella* super V. et VI. decretalium, Papiae 1484. Multa manserunt inedita, ut commentaria in Matthaeum, epistolas canonicas et alios ll. s. Scripturae: catena PP. in Apocalypsim; tr. de resurrectione mortuorum, philosophica etc. Coeperat etiam compilare *Milleloquium s. Augustini* ex s. doctoris ll., quod dein absolvit Barthomaeus Urbinas (cf. supra p. 565).

312. Petrus Bertrandi, senior est dictus, ut distingueretur a suo ex sorore nepote P. Bertrandi de Colombario (Colombiere), qui fuit episcopus atrebatensis (1339) et a Clemente VI. creatus cardinalis (1344) et ab Innocentio VI. 1359 Romam missus ad coronandum Carolum IV. imp. († 1361). Ortus est e vico Annonciaci (Annonay). Jus utrumque docuit Avenione, in Monte Pessulo, Aureliae et Parisiis. Johannae reginae erat cancellarius, factusque est 1320 episcopus nivernensis et a. 1322 augustodunensis. Concertationem[1]) habuit 1329 praesente rege Philippo VI., clero et nobilitate cum Petro de Cugneriis (Cugnières) advocato regio conquerente de jurisdictione ecclesiastica, eam cunctas causas absque delectu ad se trahere: in ea 66 adversarii argumentis respondit. Magnam in ea partem habuit etiam Petrus Rogerius, qui postmodum electus est in rom. pontificem sub nomine Clementis VI. Hinc scripsit l. contra P. de Cugneriis *pro ecclesiae gallicanae libertate,* Parisiis 1495; 1513; 1589; 1594; 1610 in 4; 1721 cur. Burnet; qui receptus est in bibliothecam PP. parisiensem V, 881 ss. ed. 1; V, 1055 ed. 3. etc. Anno 1331 factus est cardinalis a Joanne XXII. interventu precum regis et reginae Galliae († 24. Jun. 1349). Aliud ejusdem opus est *de spirituali et temporali seu ecclesiastica et seculari jurisdictione* vel de origine et usu jurisdictionis, in bibl. PP. paris. V, 1091 ed. 3; inter tractatus jur. III, 29; XII, 408, Venetiis 1584. Reliqua ejusdem scripta multis voluminibus comprehensa et Parisiis asservata dicuntur cujusdam furciferi malitia periisse«. — Guilelmus Petri de Godino O. Praed. bajonensis (n. 1275), vir »quamquam esset modicae, imo quodammodo deformis staturae, fuit multum literatus et cordatus ac virtuosus in omnibus factis suis[1]).« Philosophiam et theologiam professus est Bajonae apud sodales, et ob concionandi talentum munere praedicatoris generalis honoratus a capitulo provinciali narbonensi (a. 1284). A capitulo generali 1304 Parisios fuit missus, ibidemque licentiatus renunciatus per biennium sententias est interpretatus et studium rexit ad 1306, quo a Clemente V., cui eximiae ejus dotes jam erant perspectae, Avenionem arcessitus est s. palatii magister et lector. Idem pontifex a. 1312 eum cardinalem creavit, et Joannes XXII. episcopum sabinensem 1317 dixit misitque legatum a latere in Hispaniam rebus tum regni componendis tum Ecclesiae resarciendis invigilaturus. Solemne habuit concilium provinciale Pinciae 1222, cujus constitutiones, quae a sacrorum canonum peritis magni aestimantur, habentur in coll. conc. Hispaniae a card. D'Aguirre adornata XI, 1682—1707. Avenionem reversus semper in summis Ecclesiae negotiis adhibitus fuit atque inter eos fuit, quibus examinanda et discutienda scripta P. Jo. Olivi Min. (cf. p. 404) tradita fuere († 4. Jun.

[1]) Cf. de ea Fleurii hist. eccles. l. 94 § 2 ss.

[1]) Ita vetustus anonymus apud Quetif I, 593.

1336). Ejus tr. *de principe et praelatorum Ecclesiae potestate* prodiit sub nomine Petri Paludani (cf. supra p. 537) Parisiis 1506 cum aliis ejusdem argumenti tr. cura Joannis Petit. Bulla Clementis V., qua Coelestinus V. sanctis accensetur, saltem ex parte ipsius videtur esse opus.

313. Praetermissis Jacobo de Belvisio[1]) bononiensi, qui jus civile pluribus in academiis est professus nihilque fere ad jus canonicum spectans tractavit († 1335) — Oldrado de Ponte[2]) vel de Laude (Lodi) Dini auditore, amico Joannis Andreae, juris utriusque consultissimo, qui docuit Bononiae, Patavii aliisque in academiis et advocatus consistorialis defunctus est Avenione 1335, et cujus laudantur *consilia* (333), Roman 1472; Venetiis 1499 etc, — Bonincontro (Bonicontio) filio Joannis Andreae, professore juris civilis Bononiae et juris canonici Patavii ob proditionem urbis, quam cogitaverat, capitis poena multato (1350) — Guilelmo de Monte Lauduno, professore tolosano, elegantissimo decretorum doctore, abbate monasterii novi Pictaviensis (Neuf-moutiers) OSB. (1334—43), cujus sunt *Sacramentale*, interpretatio *in Sextum* (ined.), apparatus *in decretales*, Tolosae 1524; super Clementinis Parisiis 1517; ad extravagantes Joannis XXII, ex quo prodiit tantum *apparatus ad tres extravagantes Joannis XXII.* cum quibusdam additionibus Fr. de Pavinis, Romae 1745; et receptus in ed. illarum constitutionum, quam curavit Chappuis — Federico Petrucci senensi[1]) juris professore tam Senis quam Perusii (fl. 1343) cujus copiosus et utilis tr. *de permutationibus beneficiorum*, bis prodiit sine l., a. et typ., Papiae 1478; Mediolani 1506 etc., et *consilia*, Romae 1472; 1479; Senis 1488; Venetiis 1490; 1498; 1566; 1576; 15[illegible]0; *disputationes et quaestiones* plurimum adhibitae et allegatae a canonistis posteris — Azone de Ramenghis, Joannis Andreae genero et juris canonici professore bononiensi († 1346), qui subinde confunditur cum celebri juris consulto hujus nominis sec. XII., et reliquit *repetitiones super l. decretorum*, Mediolani 1507; 1513 in f. — Jacobo de Tonnerra (Tonnerre in Burgundia) O. Praed., cujus quaestionarius super 5 ll. decret. opus est valde notabile secundum methodum s. Thomae in Summa servatum[2]) per quaestiones super quolibet capitulo tituli decretalium et arguendo pro et contra, decidendo dubium in corpore quaestionis juxta intentionem et sententiam decretalis et postmodum respondendo ad contraria juxta veritatem juris (ineditus): ordini canonistarum finis imponant Zenzelinus (Genselinus, Jesselinus, Gaucelinus etc.) de Cassanis Gallus, doctor decretorum celeber, qui Tolosae et Montepessulis docuit. Erat canonicus biterrensis, Joannis XXII. capellanus et s. palatii causarum auditor († c. 1350). *Apparatum* condidit *ad Extravagantes Joannis XXII.*, s. l. a. et typogr. n., qui ut glossa dein receptus fuit post Jo. Chappuis (1500) in omnes editiones glossatas. Ejus lectura super VI. decretalium et apparatus super Clementinis manserunt inediti[3]). — Hugolinus Zanchinus (Zanghinus) senensis clarissimus juris consultus, electus est officialis inquisitionis Aemiliae a. 1302 († 1340) et ad-

[1]) Cf. Fantuzzi, qui II, 44—60, fuse et accurate de ipso agit.

[2]) Cf. Tiraboschi V. l. 2 c. 4 n. 5. Alius est ab Oldrado seu Odoardo Bisdomino (Visdomino) O. Praed. senensi, qui cum tribus sodalibus jussu Honorii IV. scripsit 1287 *vitam b. Ambrosii Sansedonii* O. Praed. († 1285), quae exstat in actis SS. d. 20. Mart. III, 181—200; italice reddita a Sim. Nicolao Cartulario prodiit 1509.

[1]) Cf. Oudin III, 1139.

[2]) Cf. Quetif I, 635.

[3]) Cf. de his passim Schulte l. c.

junctus Donato de s. Agatha O. Min. inquisitori haereticae pravitatis, in cujus utilitatem concinnavit aureum tractatum *de haereticis,* quem Camillus Campeggi O. Praed. inquisitor cum locupletissimis additionibus et summariis edidit Mantuae 1567; Romae 1568; 1579.

314. Ad theologiam *moralem* et *pastoralem*[2]) referri debent: Anonymus ut videtur O. Min., sed a loco patrio vel professionis Asti in subalpinis urbe communiter Astesanus, Astexanus dictus, vir doctus et in utroque jure versatus, hortante maxime Theodoro Gaetano card. concinnavit (c. 1317) magnum volumen ll. 8 distinctum de casibus conscientiae, dictum *Summa astesana,* quae ob suam utilitatem saepe prodiit, primum Venetiis 1468; sine l. et a. (Argentorati 1473); iterum Venetiis 1478 ut dicitur correcta et emendata per sodales Barth. de Bellatis et Gometium olisiponensem; 1480; Coloniae 1479; Norimbergae 1482; 1528; Lugduni 1519; Romae 1728. 1730 t. 2 in f.; ex l. 5. tit. 32. derivati sunt *canones poenitentiales* (47 ex confessionali Bonaventurae excerpti), qui cum notis Ant. Augustini prodierunt Venetiis 1584; et in fine decreti Gratiani emendati Romae 1578; Venetiis 1595 sine auctoris nomine; apud Schmitz Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche I, 800—808. L. VIII. tit. 47 verborum juris canonici et romani significationes utiliter exponit, unde in eo habes secundum Schulte breve Manuale latinitatis corporis juris utriusque. Decessisse videtur auctor c. a. 1330. — Similem *Summam* de casibus conscientiae concinnavit ordine alphabetico Bartholomaeus de Sanctoconcordio seu de Pisa[1]) O. Praed. († 1347), quae appellata fuit Pisana, Pisanella, Bartholomaea, Magistruccia, in qua sequitur multum Summam confessorum Joannis Friburgensis (cf. p. 516) ratione habita novi juris atque constitutionum novarum. Ea ob suam utilitatem, concisionem et claritatem saepius fuit impressa s. a. sub tempus incunabulorum typographiae; 1473; 1475 s. l.; Parisiis 1470; Venetiis 1476; 1481; 1483 etc., Lugduni 1519. Nicolaus Auximanus (Osimo) ei adjecit *Supplementum* circa a. 1444, quod habetur in ed. veneta a. 1481; 1484. Collegit praeterea opusculum *de documentis antiquorum,* quod Alb. Clarius O. Min. edidit Tarvisii 1601 in 8; idem prodiit italice: *Amaestramenti degli antichi,* Florentiae 1662, et plurimum a puritate linguae etruscae commendatur. Alia ejusdem opera ut Summa de virtutibus et vitiis non prodiit. — Guido de Monte Rotherii seu Rocheri (Montrocher) ut videtur, Hispanus, parochus teruelensis (1330) collegit *Enchiridion sacerdotum* seu *manipulum curatorum* copiose officia sacerdotum secundum ordinem septem sacramentorum complectentem, Augustae V. 1471; s. l. et a. Andegavi 1477; Parisiis 1488; Venetiis 1491; Antverpiae 1570 etc. saepissime editum, sec. enim XV numerantur saltem ed. 56; reperitur in eo etiam brevis sed utilis declaratio liturgiae missae[2]).

---

[1]) Wolframo de Wolfskeel-Grumbach episcopo wirceburgensi (1322-1333) debentur plura statuta cap. 106 comprehensa ed. in synodo dioecesana a. 1329, quae cf. apud Würdtwein Nov. subs. diplom. II, 241 ss., alia in synodo a. 1331, quae cf. apud Hartzheim Conc. Germ. IV, 310 ss.

[1]) Hic distingui debet a Bartholomaeo Albizzi O. Min., qui etiam Pisanus, de Pisa vel de Pisis dictus est, de quo infra. Cf. de nostro Quetif 1, 623; Zeno in Note al Fontanini II, 336 s.; Manni in vita praemissa editioni eleganti a se adornatae *De documentis antiquorum* Florentiae 1734.

[2]) Cf. Franz die Messe im d. M. I, 490 s.

315. De singulari prorsus argumento scil. *de anno Centesimo sive jubilaeo* disseruit (prosa et metro) Jacobus Cajetanus de Stephaneschis Romanus, cardinalis[1]), vir insigniter doctus (1295; † 1343). Prodiit ille tr. in bibl. PP. parisiensi t. VI; coloniensi t. XIII; lugdunensi XXV, 936—42. Scripsit et *de vita et canonizatione s. Coelestini V.,* ut supra p. 450 a. diximus. *Ordinarium caeremoniarum* seu ritum romanae Ecclesiae, quem l. exhibet Mabillon Musei it. II, 243—443, in quo agit cc. 118 de electione et consecratione pontificis, deque hujus functionibus, de electione et functione cardinalium, de coronatione et unctione regum, de canonizatione[2]) etc. — De s. liturgia praeterea meruit Bernardus de Parentinis O. Praed. Benearnus Ortesii natus, Albigae in ecclesia cathedrali ss. literarum interpres, ob doctrinae famam a Clemente VI. magisterii laurea insignitus, in l. cui titulus: *Lilium Missae,* in quo omnes difficultates officii missae sacrique canonis secundum s. Thomam summopere enodantur, vel etiam *Elucidarius omnium difficultatum* etc., Coloniae 1484; Parisiis 1510; 1517; 1531. Fructus est haec officii missae totiusque canonis expositio, ut etiam inscribitur, praelectionum, quas de hoc argumento habuit coram episcopo albiensi et frequenti auditorum corona. Cf. Franz l. c. p. 502 ss. — Scriptis B. de Parentinis usus est, saepe fere ad verbum Henricus de Perching (Perchting, Berching vico dioecesis eichstettensis), theologiae professor pragensis, qui ortis turbis 1409 cum aliis transiit ad universitatem erfordianam. De ejus expositione missae (inedita) cf. Franz p. 523—527. — Conradus monachus weingartensis O. S. Ben., ab a 1315 — 1336 composuit pro suo monasterio *Ordinem divini officii,* quem substantiam si spectes vulgavit G. Hess in Prodromo monum. Guelf. seu Catalogo abb. monast. weingart., Augustae V. 1781 p. 98 ss.

316. *Ascesin* excoluerunt Hermann de Gotschah canonicus voraviensis, auctor alioquin ignotus, qui concinnavit (1332) *librum moralitatum* elegantissimum, *lumen animae* dictum cum septem apparitoribus necnon ss. doctorum orthodoxae fidei professorum, poëtarum etiam ac oratorum auctoritatibus per modum pharetrae secundum ordinem alphabeti, quem l., cum in mscr. adhuc informis esset, simplicioribusque rudis et obscurus appareret, Matthias Farinator de Vienna O. Carm. lector s. theologiae in titulos et titulos in paragraphos distinxit. Prodiit Augustae V. 1477 t. 2. — Malachias Mac-Aeda Hibernus O. Min. episcopus anagdunensis, dein archiepiscopus tuamensis (1328; † 10. Aug. 1348), theologiae doctor, strenuus quondam divini verbi illustrator necnon vitiorum objurgator acerrimus, cujus est libellus *septem peccatorum mortalium venena* eorumque remedia describens, qui dicitur *Venenum Malachiae,* Parisiis 1518. — Joannis Gobii O. Praed. Gallus, junior dictus, ut distingueretur a seniore avunculo suo, pariter O. Praed. Ejus laudatur *Scala coeli* de diversis generibus exemplorum, Lubeccae 1477 in f.; Ulmae 1480; Argentinae 1483; opus historiis fere ex Vincentio Bellovacensi et libro magno de septem donis desumptis et ad mores aptatis constat, quas simpliciores alias cum voluptate et fructu legerint, sed quas non facile sustineant viri acrioris judicii ac criterii, inquit Quetif (I, 633). Floruit c. 1350. — Henricus de Calstris

[1]) Cf. Punkes KL. II², 1681.

[2]) De ejus *Caeremoniali,* qui mscr. asservatur in bibliotheca avenionensi cf. Ehrle Zur Gesch. des päpstl. Hofceremoniells im 14. Jahr. in Archiv f. L. u. KG. V, 565—587; Labande in Bibl. de l'Ecole des chartes LIV (1893), 45—74, ubi exhibentur excerpta.

O. Praed. Belga, Joannis Tauleri familiaris, qui magna sanctitatis laude fulsit apud sodales († 18. Oct. 1340). Vitam ipsius a Jo. Gillemans adornatam exhibet Choquet (Nomencl. I², 394) in l. de SS. Belgii O. Praed. Plura Henrici operibus Tauleri permixta prodierunt a Surio latinitate donata. In his est epistola (inter Tauleri 29): *De sex quibusdam,* quae faciunt hominem immobiliter in divina unione persistere, Coloniae 1553 in f.; 1613 in 4; Parisiis 1623; seorsim Lovanii 1647 in 8. inscripta *Epistola aurea b. Henrici de Calstris . . .* omnem vitae spiritualis doctrinam continens[1]).

317. Prae primis vero memorandus est Eckart (Eckhardus, Eccardus) O. Praed. celeber theologus mysticus, quem Hochheimii non procul ab urbe Gotha circa medium sec. XIII. natum esse Denifle argumentis haud spernendis[2]) evincit. Anno 1298 fungebatur prioris munere Erfordiae; mox destinatus est qui Parisiis sententias legeret (1300) pro obtinendo gradu magisterii: sed exorto gravi dissidio inter Bonifatium VIII. et Philippum IV. regem ipse secundum Bernardum Guidonis per pontificem fuit licentiatus a. 1302 vel ab universitate, ut alii censent. A capitulo electus est a. 1303 in Saxoniae provincialem et post quadriennium in munere confirmatus, insuper in comitiis ordinis Argentinae a. 1307 habitis constitutus vicarius generalis in provincia Bohemiae, »cum plenaria potestate tam in capite quam in membris in omnibus et singulis, etiamsi de eis oporteret facere mentionem specialem, ut ipse ordinet et disponat secundum quod sibi videbitur expedire.« Postmodum rediit 1311 Parisios ad regendam cathedram impetrataque magistri dignitate Argentorati docuit; inde Coloniam translatus magisterio functus est. Hic in eum motae sunt de doctrina querelae, quam ob rem et Henricus archiepiscopus coloniensis et Joannes XXII. ejus doctrinam in examen vocarunt. Eccardus tamen non exspectata sedis apostoliae sententia palam et solemniter in ecclesia revocavit, si qui in suis scriptis reperirentur errores. »Quapropter, inquiebat, si quid erronium *(sic!)* repertum fuerit in praemissis scriptum per me, dictum vel praedicatum, palam vel occulte, ubicunque locorum vel temporum, directe vel indirecte, ex intellectu minus sano vel reprobo, expresse hic revoco publice coram vobis universis et singulis in praesentiarum constitutis, quia id pro non dicto vel scripto ex nunc haberi volo[1])«. Non diu postea a. 1327 decessit. Inquisitione interim absoluta Joannes XXII. edita 27. Mart. 1329 bulla art. 28 Eccardi ex ejus scriptis latinis excerptos damnavit ut haereticos (1—16; 27. 28), vel ut male sonantes, temerarios et de haeresi suspectos (17—26), mentione facta laudabilis subjectionis auctoris. Plurima confecit opera, in quibus se theologia scholastica bene imbutum ostendit[2]), inter quae opus magnae molis tripartitum, cujus 1. p. complectebatur opus propositionum distributum in 14 tract. cum thesibus ultra mille argumenti philosophico-theologici; p. 2 seu opus

[1]) De sermonibus ineditis Nicolai de Landau O. Cist. in monasterio otterbergensi in palatinatu cf. Hochendoerffer in Allg. d. Biogr. XVII, 587. Floruit medio hoc seculo.

[2]) Archiv V, 349—64., ubi etiam ejusdem sermonem in commendationem b. Augustini Parisiis habitum (1302 vel 1303) exhibet.

[1]) Apud Denifle Arch, II, 631, ubi acta hujus processus exhibet, simulque plura corrigit, quae historici de querelis jam prius in Eckehard motis satis inconsiderate narrant.

[2]) Hoc plurimum urget Denifle l. infra cit. p. 423 ss. contra plures recentiores, qui eum adversariis theologiae scholasticae accensent, imo vel Lutheri praecursoribus vel recentioribus philosophis germanis.

quaestionum complectitur quaestiones, ut Summa s. Thomae; p. 3 est opus expositionum, quae complectebatur sermones et commentaria in plures s. Scripturae libros vel horum locos potiores. Illud fere periit, sed fragmenta aliquot scil. prologos et commentaria in aliquot loca Genesis, Exodi, Ecclesiastici et l. Sapientiae exhibet Denifle, qui Archiv III, 417—687 accuratissime de illius doctrina et operibus disserit, sed juxta quem qua theologus mysticus supra meritum extollitur. Prodierant inter Tauleri sermones aliquot ipsius; plures edidit Pfeiffer in op. Deutsche Mystiker des 14. Jahrh. t. II., Lipsiae 1857, scil. *sermones 110* (quorum tamen non omnes sunt genuini), seu potius instructiones breves mysticae sine ornatu rhetorico, stilo simplici, nitido, candido, cordiali; *tractatus 18* et sententiae (60) aliaque breviora scripta. In his praesertim scriptis, non ita in scholasticis, ejus continentur errores, in quos exaggerata loquendi ratione magis quam studio incidit[1]).

Recentissime Fr. Jostes in op. *Meister Ekhard und seine Jünger,* ungedruckte Texte zur Geschichte der deutschen Mystik, Freiburg i. B. 1895 nova quaedam profert, scil. 86 sermones, plurium tantum epitomen, ex quibus ultra 35 videntur novi. Alii alia quaedam tamquam ab Eckart scripta repererunt et ediderunt. Sed quod scripta attinet lingua germanica, de paucis certo constat, ea esse genuina. Plura forte sunt ab aliis excepta, hinc in codd. saepe magna varietas, forte etiam sunt versiones ex lingua latina.

---

[1]) Cf. Baumgartner KL. IV², 112 ss., qui copiosam de ipso exhibet literaturam, de ejus op. censet: Der Grundirrthum E. liegt in pantheistischer Auffassung, deren letzte Consequenzen er zwar nicht zieht, deren Äußerungen sich im Zusammenhange seiner Reden häufig mildern, auf die er aber bei Betrachtung Gottes und der Menschenseele immer wieder zurückkommt. Von den Begharden und anderen Sectirern seiner Zeit als geistesverwandt angesehen und tendenziös ausgebeutet, mögen seine Schriften zum Anstoß gereicht haben; in Kreisen dagegen, wo eine gründliche scholastische Bildung ihre Irrthümer beseitigte und unschädlich machte, haben sie durch das in ihnen enthaltene Gute anregend und fördernd gewirkt. Die fromme Innigkeit, Gemütstiefe, echtdeutsche Herzlichkeit seiner Betrachtungsweise, die schlichte ungesuchte Einfachheit und Klarheit seines Stiles, die Reinheit und ungeschminkte Schönheit seiner Sprache haben sich auf Tauler und Seuse vererbt und sind auf die übrige geistliche Literatur des ausgehenden Mittelalters nicht ohne Einfluß geblieben. Lasson Mag. E. der Mystiker, Berlin 1868; Jundt Essai sur le mysticisme speculatif du M. E., Straßburg 1871; S. M. Deutsch Realencycl. V³, 142—154.

X.

Theologi annorum 1351—1375.

I. Theologia scholastica.

318. Palma hac periodo videtur deberi *sodalibus s. Augustini.* Haud pauci enim inter eos nominis fama inclaruerunt. Thomas de Argentina n. Hagenoae in Alsatia, Argentinensis communiter dictus a cathedra argentinensi, quam gloriose moderatus est, doctor fuit parisiensis, a doctrinae profunditate magnopere commendatus, sed etiam ob pietatem et prudentiam ita illustris, ut concordibus suffragiis quater in supremum totius ordinis praesidem primus e natione germanica fuerit electus, cujus bonum admodum fovit difficillimis illis temporibus, quibus schisma a Ludovico Bavaro suscitatum omnia turbavit. Ordinem visitans jam Viennam in Austria attigerat, sed ibidem decessit atque cum Gregorio ariminensi jacet sepultus a. 1357. Reliquit *Lecturam* in 4 ll. sententiarum, Argentorati[1]) 1490, accedunt decisiones et quaestiones, quae a diversis theologis pertractantur, cum auctoris vita, Venetiis 1564; 1588; Genuae 1585; Genevae 1635 in f., de quo opere scribit Franc. Macedo in concentu euchologico: „Aureus hic doctor argenteam suam doctrinam Aur. Augustini sententiis inauravit.“ Ob concinnam brevitatem magni factum et saepe adhibitum fuit in veteri schola aegidiana. — Hujus in magisterio ordinis successor fuit Gregorius Ariminensis, lector quondam primarius et regens studiorum Arimini patria sua, inde Parisios translatus cathedram rexit tanta nominis fama, ut inter Nominalium principes numeraretur, et lucerna splendens, doctor acutus, praesertim *doctor authenticus* cognominaretur. „Singulariter fuit Parisiis honoratus a tota universitate propter opera sua notabilia, audiebatur libenter et omnibus erat speculum tam in moritur cum humanistis; inter discipulos numeravit Jac. Wimpheling et Phil. Melanchton. Cf. Hartfelder Allg. d. Biogr. XXXV, 32. Cf. de Thoma Morgott KL. XI², 1689.

[1]) Hanc editionem curavit Pallas Spangel facultatis artium decanus et quater rector academiae heidelbergensis, in qua magna gaudebat auctoritate: hinc aliquoties ejus erat apud summos viros interpres († 1512). Familiariter conversaba-

bus quam in scientia[1]).« Hinc ob insignem pietatem meruit a nonnullis scriptoribus *beati* titulo honorari. Non diu rexit ordinem: obiit enim jam anno sequenti pariter Viennae 1358. Typis prodierunt: *Lectura in l. 1. et 2. sententiarum*, Parisiis 1482 in f.; 1487; Mediolani 1494; Valentiae 1500; Venetiis 1518; *de usuris*, Arimini 1622; *de quatuor virtutibus cardinalibus*; commentaria *in ep. s. Pauli et s. Jacobi* dicuntur pariter ibid. prodiisse 1522. Dum Fr. Macedo l. c. eum impense laudat ut fidelissimum s. Augustini discipulum, imo ut verae aquilae Augustini pullum, qui ad eum et cum eo volat: Fontana strenuus Jansenistarum debellator notat[2]): »De Gregorio ariminensi fatendum est, eum placita subinde secutum esse duriora et singularia, quae, si tot pontificum contra Bajum et Jansenium definitiones ipsi videre licuisset, castigasset indubie, ut cum Ecclesia sentiret.« Ob suam duriorem de infantium non baptizatorum sorte opinionem, cui favebat, dictus est »infantium tortor.« — Alphonsus de Vargas y Toledo Toletanus e nobilissima oriundus familia, studiorum causa Parisios fuit missus, ibidemque decennio philosophicas et theologicas disciplinas professus et lauream doctoralem adeptus est. Reversus in patriam primus factus est episcopus pacensis (Badajoz), dein 1356 oxamensis. Cum Innocentius VI. cardinalem Aeg. Carillum de Albornoz legatum in Italiam misisset ad urbes et loca ditionis pontificiae recuperandas, is Alphonsum sibi ascivit socium, cujus consilio et opera feliciter utebatur. Tandem ad archiepiscopalem sedem hispalensem evectus est a. 1363. Bellum jam spirituale iniit cum Mohammedanis, quorum haud paucos ad veram convertit fidem († 27. Dec. 1366). Scripsit *Lecturam supra 1. l. sententiarum*, Venetiis 1490; in qua saepe citare dicitur Alphonsum de Portugalia, secundum aliquos sodalem suum, qui et ipse magistrum est interpretatus (c. 1345). Quaestiones super libris *de anima*, Florentiae 1477; Venetiis 1565; 1568 in f.; Romae 1609 etc. A sodalibus »venerabilis« salutatur[1].)

319. Aliorum sodalium commentarii non aspexerunt lucem[2]). Ita Joannis Magiri al. Dencock seu Klencock, qui patria fuit Saxo et tam in universitate oxoniensi quam pragensi doctrinae fama claruit. Hic idem est cum Joanne Klenke, sodali coenobii erfordiensis, qui in l. *Decadicon* (quia 10 a. impugnat) speculum Saxonum (Sachsenspiegel) est agressus ejusque leges aliquot censuit juri divino, ecclesiastico et caesareo contrarias, hinc multa in civitate magdeburgensi perpessus in sporta per murum demissus manus insidiantium evasit, ut ipse refert in ep. ad Joannem XXII. Causam detulit ad sedem apostolicam: qua expensa Gregorius XI. articulos quatuordecim (ex 21 delatis) illius speculi reprobavit 1374. Eodem hoc a. Joannes noster decessit poenitentiarius apostolicus et auditor s. palatii[3]). Huic tribuuntur commentaria in ll. sententiarum duplici stilo literali et quaestionali, in quibus dicitur ostendere magistrum saepe errasse in citando Augustino; commentaria in Ev. Matthaei et acta apostolorum, quodlibeta juris aliaque scripta adversus illud speculum etc. — Guilelmus Amidanus vir nobilis cremonensis, s. theologiae doctor et

---

[1]) Ita b. Jordanus de Saxonia apud Tiraboschi et Lanterium postr. sec. sex rel. christ. I, 288.

[2]) Constit. Unigenitus theologice propugnata t. 1. ad prop. 44.

[1]) Cf. Nic. Antonius l. IX. c. 6. n. 305 ss.

[2]) Aegidii Boni episcopi vicetini (1348; † 25. Jun. 1361) exstabant tria volumina de theologia inedita.

[3]) Cf. Streber KL. VII² 790; Homeyer J. Klenkok wider den Sachsenspiegel, Abh. der Berl. Akademie 1855, 377.

professor, canonista peritus, facundus concionator vitae sanctitate clarus, sextes in ordinis magistrum electus (1326—1342), demum 16. Jul. 1342 ecclesiae novariensi praeficitur a Cemente VI. Episcopus factus nolens fratrum suorum consortium deserere, duodecim semper fratres in domo episcopali secum habebat, quibus de victu et vestitu copiose providebat: cum quibus ipse divinum officium diurnum pariter et nocturnum, sicut antea in ordine consueverat, omni nocte surgens persolvebat († 29. Jan. 1356). Tribuuntur ipsi praeterea ll. 4 expositionis super quatuor Evangelia et l. de auctoritate apostolica contra errores Marsilii Patavini et Joannis de Janduno. — Eodem a. 27. Jul. decessit Gerardus Carrara de Vasconibus seu Varonibus dictus in castello Serina alta natus, sodalis et in episcopatu collega, fuit enim a Clemente VI. dictus episcopus savonensis (1342). Reliquit praeterea l. in cantica canticorum, commentaria in omnes ep. Pauli, concordantias ep. d. Pauli cum Salomone, concordantias, N. cum V. T., l. in VI. decretalium etc. — Clemens Mercatoris Tolosanus interpretatus est l. l. sententiarum (fl. c. 1360). — Jacobus Perusinus a Clemente VI. s. theologiae doctor declaratus et episcopus Tarracinae (1352; † 1362) exposuit etiam Threnos seu lamentationes Jeremiae. — Thomas Radcliffus Leicestrensis, qui a suis dicitur episcopus lincolniensis (c. 1370), sed in serie episcoporum illius sedis a Gams et Eubel exhibita non comparet, scripsit pro introitu sententiarum. — Hugolinus Malabranca Urbevetanus Gregorio Ariminensi in cathedra Parisiis, et a. 1368 in praefectura totius ordinis successor. Ab Urbano V. dictus est episcopus ariminensis et patriarcha constantinopolitanus et saepe adhibitus in legationibus († 1374). Ejus commentaria dicuntur opus altum, solemne, magno in pretio habendum ipsique tributum a nonnullis nomen *acutissimi doctoris*. Plura alia reliquit inedita.

320. *Ordo Minorum*[1]) gloriatur Petro de Aquila (qui est locus patrius), qui in doctrina Scoti egregie erat versatus, *doctor sufficiens* salutatus, Joannae reginae Siciliae sacellanus, inquisitor fidei apud Florentinos circa a. 1344, dein 1347 episcopus s. Angeli in regno neapolitano, mox (1348) ad sedem triventinam translatus[2]). Ad a. 1370 vixisse videtur. Abbreviavit opus Scoti satis pulchre et sententiose, ejusque *quaestiones in ll. 4 sententiarum* prodierunt Spirae 1480; Venetiis 1501; 1584, cura Const. T. Buccafoci cardinalis cum annotationibus et indice copioso; 1600; Parisiis 1585. Opus dictum est *Scotellus*, quod nomen dein transiit in auctorem forte non tam propterea, quod Scoti fuerit discipulus vel assecla, sed quod ingenii sagacitate et subtilitate ipsum fere sit assecutus. — „De Neapoli fuit magister Landulfus (ex nobilissima Caraccioli familia) magnus praedicator ad populum et clerum, qui postillam pulcherrimam incoepit super omnia Evangelia et super epistolam ad Hebraeos et super Zachariam; et multos sermones scholasticos et collationes fecit. Scripsit multum luculenter super 4 ll. sententiarum vestigia sequendo Scoti ipsum in omnibus declarando[3]),“ subinde ta-

[1]) Hujus ordinis sodalis fuit Ludovicus de Padua, qui plures statuerat propositiones, quarum aliquae notatae sunt ut erroneae, aliquae ut suspectae, aliquae ut male sonantes in fide et contra sanam doctrinam. Eas revocare debuit Parisiis 1362. Cf. Denifle Chartul. III, 95—97. Alia de ipso non innotuerunt.

[2]) Cf. Tiraboschi V. l. 2. c. 1 n. 17.

[3]) Ita Barthol. Pisanus Conform. VIII. p. 2 de script. O. Min. Alius ab eo est Jacobus Caraccioli O. S. Aug. pariter Neapolitanus, patriarcha aquilejensis ab Innocentio VI. dictus, verum jam ante consecrationem defunctus a. 1357. Scripsit in tres priores ll. sententiarum aliaque opera theologica.

men etiam ab ipso dissentit. Doctor fuit et lector parisiensis, Scoti auditor, regni Siciliae logotheta, episcopus Stabiarum in regno neapolitano, inde promotus ad archiepiscopatum amalphitanum (1330; † 1351). Prodiit tantum *commentarius in 2. l. sententiarum,* ut videtur sine l. et a; *commentaria moralia in 4 Evangelia,* Neapoli 1637 in 4. Alia ejus opera manserunt inedita. — Singularissimam plane opinionem somniavit Nicolaus Bonet (al. Bovet) gallus, Scoti discipulus, magister theologiae parisiensis. Censuit enim Christum verbis *Mulier, ecce filius tuus* Joannem evangelistam transmutasse et velut transubstantiasse in filium Mariae V. naturalem, hinc in seipsum, cui figmento Franc. Maroji, (non Mayronis) inhaesisse fertur. Contra hunc errorem scripsit Nic. Eymerich tr. (ineditum) contra haereticaliter asserentes b. Jo. Evangelistam fuisse b. Mariae V. filium naturalem[1]). Eum postea Guilelmus Vorilongus Romae ausus est propagare. Vir fuit alioquin Bonet in subtilitate nulli secundus, doctor *pacificus* vel *proficuus* salutatus. A Benedicto XII. missus est[2]) cum tribus sodalibus ad Tartarorum imperatorem aliosque principes gentesque illarum regionum fidei dilatandae causa (1338), qui Peckingum usque pervenerunt. Reversus dictus est episcopus melitensis († 1360). Ex ejus operibus prodierunt tantum *super praedicamenta l. 1, in ll. 8 physicorum, in ll. 9 metaphysicorum* (Barcinone 1493) *et in theologiam naturalem ll. 7,* uno volumine Venetiis 1505 in f.; *formalitates in viq Scoti,* s. l. et a. in f.; Venetiis 1489 in 4. cum aliorum opusculis — Dionysius Foullechat (Soulechat) gallus, doctor parisiensis in suis commentariis in 4 ll. sententiarum et aliis occasionibus quaedam in quaestione famosa de paupertate Christi protulit, quae minus pie et male sonare dicebantur. Hinc jussu universitatis et Urbani V. iteratis vicibus ea revocare debuit (1364. 1369). Exstat ejus palinodia in bibl. pp. parisiensi t. IV; coloniensi t. XVIII et lugdunensi XXVI, 488—90 et passim alibi[1]). — Plurimum innotuit Alvarus Franciscus Paez, Alv. Pelagius (Pelajo, Pajo) communiter dictus, Hispanus, qui Bononiae juri operam dedit, et doctor creatus illud etiam est professus. Post suum in ordinem Min. ingressum (1304) Parisios fuit missus, ubi Scotum audisse dicitur. Poenitentiarius factus Joannis XXII. scripsit apologiam pontificis contra Petrum Corbarium, Marsilium Patavinum et Guil. Ockam stetitque pro errore, sanctorum animas non admitti ante diem judicii ad visionem beatificam. Factus est episcopus coronensis in Achaja (1322), dein (1335) silvensis in Lusitania, unde a. 1346 fuit expulsus († 25. Jan. 1352). Ejus in ll. sententiarum commentaria non prodierunt. Innotuit Summa theologiae inscripta *de planctu Ecclesiae* ll. 2, Reutlingae 1473; Ulmae 1774 ed. rarissima; Norimbergae 1489; Lugduni 1517; Venetiis 1560, editiones mendosae, quae judice Mansi haud parum dissonant a codd. mscr. L. 1 reperitur etiam in bibl. maxima pontif. Roccaberti III, 23—266, in quo ore apostolico et libero conqueritur de misero tam ecclesiasticorum quam secularium statu, atque remedium reperit contra tot mala in urgendis juribus et praerogativis sedis romanae, quas

[1]) Scripsit contra eam et Andreas Carnificis (Bouctier) O. Pr. Flander, vir legum ordinis observantissimus, reformationis propugnator invictus, Martialis Auribelli magistri ordinis aliquandiu socius (fl. 1457). Ejus tr. mansit inedita. Cf. Quetif I, 866.

[2]) Cf. de hac missione Grammer KL. 2², 1027.

[1]) Cf. D'Argentré in coll. judic. ad a. 1363; Fleury l. 97 § 12: acta vero accurate exhibita in Denifle Chartul. univ. paris. III, 114—124; 182—186.

tuetur et admodum extollit adversus Marsilium Patavinum et Joannem de Janduno. Scripsit praeterea collyrium (ineditum) adversus haereses, in quo recenset haereses 66; commentaria in Ev. s. Matthaei[1]) etc. — Adamus Godham (Goddam, proprie dicendus Wodehamensis, Wodheam), Occami discipulus, et huic doctrina fere aequalis, s. theologiae doctor oxoniensis, in multis ordinis coenobiis lector publicus, plurimum suo tempore inclaruit et inter principes numerandus est nominalismi fautores († 1358). Ejus *commentarii in magistrum sententiarum* prodierunt Parisiis 1512 in f. — His addantur alii ex eodem Minorum ordine, quorum labores typis non fuerunt editi. Ita Guilelmus de Bellomonte, de quo ne patria quidem et natio notae sunt. — Guilelmus Almoinus (de Almut, Almoit, Almuchiae), cui etiam tribuuntur commentarius in Apocalypsin et quodlibeta 28. — Joannes de Rupescissa (Roquetaillade) propheta infelix, qui, »nescio quo spiritu seductus inquit Trithemius de SE. c. 511, ne dicam inductus, desolationem Ecclesiae catholicae, et alia quaedam terribilia praedicere quasi propheta exorsus, in carcerem a ministris sui ordinis conjectus est et inventus est spiritus mendax in ore ejus[2]).« Obiisse videtur in carcere 1362. Aliquae ex ejus revelationibus et visionibus habentur in fasc. rerum expetendarum et fugiendarum, Londini 1690, II, 494 ss.

321. *Ex ordine Praedicatorum* nullum alicujus auctoritatis seu nominis reperimus theologum. Pauci tantum nominari possunt, qui sententiarum libros commentati sint, nullius opera typis digna habita sunt. Ita Henricus Hazer Germanus († 1360), cujus quondam sententia ceu oraculum Coloniae habebatur. — Henricus de Hums (de Hunis, Hunnis) Trevirensis, per pontificem licentiatus gradu donatus, lector coloniensis († 1361). — Thomas Lyld Anglus, magister cantabrigiensis et episcopus ellensis (1344), qui Avenione exsul obiit 23. Jun. 1361. — Joannes Cuzin (Cussim) Luxemburgensis, qui alia quoque reliquisse legitur (fl. 1168). — Guilelmus Romani Gallus, doctor parisiensis, sub Innocentio VI. s. palatii magister, (fl. 1370) etc.

322. *Ex carmelitarum familia* magnum sibi nomen fecit Franciscus de Bachone (de Bacho) Catalanus, professor parisiensis et provinciae catalanae praepositus, *doctor sublimis* appellatus († 8. Aug. 1372), cujus *commentaria in 4 ll. sententiarum* edidit ejus sodalis Franciscus de Medicis, praepositus provinciae romanae et vicarius generalis totius Italiae, Romae 1484 in f. — Arnoldo de Biscalis[1]) Germano, episcopo (1366) galteliensi (Galtelli-Nuovo) tribuit bibliotheca carmelitana *distinctiones* in magistrum sententiarum in epitomen redactas, quae impressae dicuntur, Parisiis 1541. — Aliorum commentaria in magistrum manserunt inedita, ut Nicolai Durham Durhami vel Dunelmi nati, cujus memoratur et l. contra Wiclefi articulos (fl. 1360); — Tilmanni de Aquisgrano (de Hohenstein, de alto lapide), prioris provincialis Germaniae inferioris, qui docuit Parisiis et Coloniae, qui insuper reliquit lecturam in Ev. Matthaei et qq. disputatas. — Henrici de Dollendorp professoris parisiensis († 1366). —

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. vet. hisp. l. IX c. 4 n. 220 ss.; Grammer KL. 1², 667.
[2]) Cf. Oudin III, 1011; Sbaraglia p. 495.

[1]) Tam Trithemius quam Hartzheim bibl. col. p. 22 mentionem faciunt Arnoldi de Bessalis O. Carm. theologiae professore, qui floruerit Coloniae († 1436), cui plura tribuunt opera inedita. Hic forte idem est cum nostro, etsi sit dissensus circa aetatem et opera.

Petri de Perpiniano (a patrio solo) cognomento Rimes (de Rivo, Riu, Rimi) Catalani, parisiensis academiae doctoris, qui scripsit et in psalmos etc. — Godescalchi de Grüe Coloniensis, de Meschede oppido archidioecesis coloniensis doctoris [1]) et professoris parisiensis († 1373). — Guilelmi de Sancta Fide (Sanctofidensis) Angli, inter primos sui ordinis per Angliam theologos numerati et concionatoris celebris († 1372), qui disseruit de conceptione b. V. Mariae et quodlibeta proposuit. — Petri Raymundi de Grassa doctrina et pietate insignis, qui in priorem generalem fuit electus (1342) et generalatus officio a. 15 diligentissime est functus († 22. Nov. 1357). — S. Petrus Thomae Gallus „in divinarum Scripturarum scholis Parisius inter ceteros doctores suo tempore ibidem floruit. Hic postillam mirabilem super Matthaeum (commentaria in 4 ll. sententiarum, l. de purissima b. V. Mariae conceptione) composuit. Praedicator maximus fuit, quoniam eloquentiae et facundiae altum gradum obtinuit. Hic factus est magister regens in curia romana magno tempore. Postmodum factus est sedis apostolicae legatus ad D. regem Apuliae et ad dominos de Mediolano pro arduis negotiis religionis christianae. Sicque diligenter exsequens suam legationem et ad finem intentum deducens, assumptus est per sedem apostolicam ad episcopatum (pactensem 1354; et a. 1359) coronensem prope Venetias ad mediam diaetam. Transacto vero parvo tempore iterum missus est a sede apostolica ut legatus a latere ad infidelem regem Rasiae, ut eum et populum ejus ad fidem veram converteret. Qui prompto animo iens et ad dictum regnum perveniens quam plures gentes baptizavit et ad fidem Christi convertit. Sed quia ante adventum ejus rex praedictus obierat, ideo eum ad Christum convertere non poterat[1]). " Decessit 6. Jan. 1366. In tr. de b. purissima V. Maria hujus immaculatam conceptionem tuetur. — Praetermittimus Joannem Fuist (Fuistgen) crucenacensem, aliquamdiu professorem theologiae Coloniae (1363) — Fridericum Stocher vel Schokerum (fl. 1368) etc.

323. Ex aliis ordinibus laudem merent Petrus de Ceffona O. Cist. monachus et abbas claraevallensis, qui praeter commentarium in 3. et 4. l. sententiarum et l. de auctoritate summi pontificis, traditur scripsisse a. 1353 ep. J. Christi divisam in cc. 100 ad Innocentium VI. sive *centilogium J. Christi* contra ep. Luciferi ad mundanos de non apostolicis quorundam moribus, qui in apostolorum se locum successisse gloriantur, scriptam ab eodem Petro a. 1351, editamque in Wolfii lectionibus memorabilibus I, 654. Disputavit quoque contra Judaeos. — Benedictinus erat Gualterus Bederichwortus Anglus, scriptor commentariorum in 4 ll. sententiarum (fl. c. 1360). — Denique inter commentatores magistri sententiarum nominari adhuc merent: Sibertus de Boppardia (de Troistorp) episcopus titularis malvasiensis († 1359), et Joannes de Imenhusen Germanus, doctor parisiensis (fl. 1360). — Joannes Buridanus, Gallus, non erat theologus, sed philosophus haud infimus scholae nominalium, Occami discipulus, philosophiae professor parisiensis nominatus magnaeque auctori-

[1]) Alterius Godescalci de Meschede oppido archidioecesis coloniensis meminit Hartzheim in bibl. col. p. 106, qui toto seculo posterior fuit. Eum dicit magna cum laude multis annis gloriose in gymnasio erfordiensi docuisse eique praeter alia tribuit etiam qq. sententiarum.

[1]) Ita in antiqua serie magistrorum theol. O. Carm. Parisiis ed. a Denifle in Archiv V, 376. Cf. A. Parraud Vie de S. P. Thomas de l'O. des Carms, Avignon 1895.

tatis et aliquoties universitatis rector. Ejus *Summula de dialectica* seu Compendium logicae saepe prodiit, Parisiis 1487; Venetiis 1489; Oxonii 1637; Londini 1640; alia opera, quae sunt *commentaria* librorum Aristotelis[1]), prodierunt collecta cura Jo. Dullardi Parisiis 1500; 1516; 1518 in 4. Ejus discipuli et asseclae coacti sunt post ejus mortem (c. 1358) Parisiis secedere: quorum plures Viennam confugerunt ac ita induxerunt in facultatem philosophicam academiae viennensis nominalismum.

324. Inter theologos *polemicos* referri possunt[2]): Richardus Fitzralph (Fitzrauf, Filioradolphus i. e. Radulphi filius) Hibernus, patria Dundalkensis, Oxonii Joannis Baconthorpii discipulus, postea professor, ad cujus praelectiones auditores tamquam apes ad alvearia convolabant, dioecesis lincolniensis cancellarius. Ab Eduardo III. rege primum archidiaconus cestrensis, dein decanus lichfeldensis (1337) dictus est, tandem a. 1347 a capitulo archiepiscopus armachanus electus. Composuit summam seu ll. XIX in quaestiones Armenorum et Graecorum, Parisiis cura Jo. Sudoris 1512, ed. rarissima, sed admodum mendosa. Eum hoc in op. Wiclefi erroribus favere affirmant nonnulli[1]), sed judice Mansi dogmata catholica in eo egregie exponit et tuetur. Eo majoris pretii censeri debet hoc opus, quod teste Kaulen auctor legitima proponat principia, juxta quae solida revisio et emendatio versionis vulgatae temporum lapsu tot mendis scribarum aliorumque oscitantia inquinatae perfici potuisset[1]). Huic editioni additi *Sermones IV* sunt ad crucem londinensem a. 1356 habiti atque alii de laudibus Deiparae. Acriter jurisdictionem episcoporum et parochorum propugnavit adversus ordines mendicantes: hinc malae doctrinae et fere haereticus ab aliquibus est habitus, et apud pontificem Innocentium VI. accusatus Avenionem vocatus fuit ibique coram pontifice et cardinalibus defensionem curatorum contra eos, qui se dicunt privilegiatos, suscepit, quae *Defensio* seu Defensorium curatorum prodiit s. l. a. et typ.; Parisiis 1496; 1511; 1625; 1632; optime apud Brown in Appendice ad fascic. rerum expetendarum p. 466—86. Dum vero causae suae insisteret, Avenione decessit 16. Nov. 1360. Plurima tri-

[1]) Stöckl KL. II², 1538: Einen weiter gehenden Einfluß auf die Entwickelung der Philosophie seiner Zeit hat Buridan nicht ausgeübt. Er steht in der nominalistischen Strömung jener Zeit und leitet dieselbe fort; originelle Gedanken dürfen wir bei ihm nicht suchen. Und insofern die nominalistische Strömung eine Hauptschuld an dem Rückgang der Scholastik am Ausgange des Mittelalters trug, muß Buridan als Nominalist sogar unter diejenigen gerechnet werden, die an dem Verfall der Scholastik in damaliger Zeit arbeiteten. Cf. Aschbach Geschichte der Wiener Univ. I, 81; etiam Denifle Chartularii II, 1, 646.

[2]) Nonnulla typis haud indigna contra Graecos reliquit Philippus de Pera (suburbio constantinopolitano) parentibus genuensibus ortus, qui continuas cum Graecorum primoribus collationes et disputationes habuit, ut eos ad concordiam revocaret. Sunt quidem pro seculi more inculta, sed plura de rebus Graecorum refert, quae historiam ecclesiasticam illius seculi haud parum illustrant (fl. 1358). Cf. Quetif I, 646.

[2]) Ita testatur Bellarminus de script. eccl. sub Rich. Armacano, hinc censet ejus „libros caute esse legendos, in pluribus enim peccavit.“ „Hic cum aliquando de materia mendicitatis praedicaret populo, novem conclusiones protulit, quibus offensi fratres ordinis mendicantium, ad sedem apostolicam coram plebe appellaverunt“. Ita Trithemius c. 653. Et revera in suo op. *de pauperie Salvatoris ll. 7*, in quo forma dialogica de paupertate Christi occasione controversiarum in ordine Min. fuse disserit, de rerum dominio ejusque origine, haud pauca habet, quae Wicleffi erroribus hac in materia favere possint. Cf. Poole J. Wycliffe *de dominio divino*, Londini 1800, qui priores 4 ll. illius operis exhibet.

buuntur ei inedita[1]), inter quae versio s. Scripturae in linguam hibernicam (sed tantum ex conjectura), commentaria in ll. sententiarum, in Evangelia, vita s. abbatis Manchini (qui vixit a. 640) etc. — Responsionem ad errores Armenis impositos tempore Benedicti XII. composuit Daniel de Taurisio O. Min. Armenus, lector et vicarius fratrum O. Min. in Armenia existentium, nuncius a Leone Armeniae rege ad Benedictum XII., necnon ab ejus successore Guidone, necnon a Catholico ceterisque episcopis armenis ad Clementem VI. missus. Creatus est a. 1346 archiepiscopus bostrensis in Arabia superiore. Ejus responsio legitur secundum Sbaraglia in ampl. coll. veterum scriptorum et monum. Martene et Durandi VII, 313—413.

325. Opus egregium adversus hujus seculi novatores Joan. de Polliaco (p. 486) et Jo. Wiclef potissimum, sed et adversus Richardum primatem armachanum opposuit pro fratrum mendicantium juribus Henricus Bictwel O. Pr., Anglus ut videtur, e quo fragmenta prolixa adducit Raynaldus in suis annal. ad a. 1321 n. 20 ss. et 1358 n. 6. — Conradus[2]) de Megenberg (Madgenberg, Maydenberg, Mainburg de monte puellarum) Parisios adiit studiisque dedit operam, et magisterii laurea adepta ibidem etiam a. 8 s. theologiam docuit. Redux in Germaniam Viennae in schola ad s. Stephanum docuit eique rector praefuit. Ratisbonae coram altari s. Erhardi a morbo articulari sanatus gratitudinis ergo hujus sancti *vitam* scripsit, quae recepta est in acta SS. 8. Jan. I, 541—46. Substitit illa in urbe magnoque fructu concionatus est et factus ibidem plebanus ad s. Udalricum, tum canonicus. Magna erat apud omnes auctoritate: hinc in causa monasterii s. Emmerami Avenionem ad pontificem fuit missus (1357) eamque bene composuit († 14. Apr. 1374). Quam plurima scripsit, quorum non multa prodierunt: inter haec tr. *de erroribus Begehardorum et Beginarum*, cujus fragmentum edidit Gretserus inter scriptores contra sectam Waldensium, Ingolstadii 1613 in 4; etiam in bibl. PP. lugd. t. XXV, 310; carmen inscriptum *planctus Ecclesiae* in Germania occasione tristissimae conditionis Ecclesiae tempore Ludovici Bavari[1]), cujus aliquot versus edidit Labbe in bibl. mscr. p. 235; tr. *de electione Caroli IV.* sive tr. pro romana Ecclesia et pontifice Joanne XXII. contra Guil. Ockam (1354), cujus argumentum exhibet Höfler in Abhandl. der böhm. Gesellsch. der Wissenschaft ser. VI p. 29—31, Pragae 1868; *de translatione imperii*, cujus fragmenta exhibet

[1]) Cf. Gesch. der Vulgata p. 293 ss.; Zenner Zeitschr. für k. Theol. 1891, 350 ss., qui segmenta huc spectantia ad codicem sec. 14. emendata proponit.

[1]) Cf. Oudin III, 1030, qui plurimos eorum codices recenset. Causam mendicantium defendit Rogerus Conewajus (Conovay, Conway, Chonnoe etc.) O. Min. patria Cambrensis, doctor oxoniensis, primarius theologiae professor et provinciae praepositus († 1360) in op. *Confessio et pulchritudo pro fratribus* contra Armachanum, una cum hujus op. edito Parisiis 1511; 1625; 1632 et in Goldasti Monarchiae II, 1410—40. Cf. Mich. a s. Joseph Bi. crit. IV, 68, prae primis Felten KL. X, 1174—80 et Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. I, 520-30.

[2]) Alius ab eo est ejus aequalis Conradus can. reg. canoniae Waldhausen in Austria, concionator acer contra abusus irrepentes in varios hominum classes, etiam in ordines mendicantes, unde vel ejus orthodoxia in dubium fuit vocata. Decessit vero 8. Dec. 1369, antequam causa Romae finiretur. Cf. Luksch KL. VII², 966. De nostro cf. Braunmüller ib. p. 955 ss.: Diemer Sitzungsbericht der philos.-hist. Classe der k. Ak. der Wissensch. VII, 76 ss. 1851 et kleine Beiträge zur ält. deutschen Sprache, ib. 1851. I, 60—76; Riezler Allg. d. Biogr. XVI, 648—650.

[1]) De hoc carmine fusius disserit Grauert hist. Jahrb. XXII (1901), 631-687, argumentum exhibet ejusque editionem lectoribus promittit.

Höfler Aus Avignon, Prag 1868 p. 26—29; *de limitibus parochiarum civitatis ratisbonensis*[1]*; Oeconomica ll. 3* (1352—62), in quibus agit de oeconomia seu relatione inter Ecclesiam et imperium, cujus argumentum decribit Struve in actis lit. fasc. IV p. 81—91, Jenae 1706; *chronicon* quoque concinnasse ex variis indiciis colligitur, ex quo derivatum fuit *chronicon episcoporum ratisbonensium* (794—1296), quod habes in Eccard Corp. hist. med. aevi II, 2243—52. Germanice vertit Jo. de Sacrobosco (Holywood) l. de sphaera; composuit ipse l. *Buch der Natur* qui est prima historia naturalis fusior lingua patria, in qua utitur l. de natura rerum Thomae Cantipratani, saepius olim edita, recenter a Fr. Pfeiffer Stuttgart 1861, introductione et dictionario illustrata; recentissime cura Hug. Schulz Greifswald 1897. Magistrum sententiarum commentariis (ineditis) quoque illustravit[1] etc.

[1]) De hoc scripto (inedito) fusius disserit Phil. Schneider in hist. Jahrb. XXII, 609—631.

[1]) Praetermittimus Joannem de Latone et Petrum de Bonageta, quibus tribuuntur errores de eucharistia, quos Gregorius XI vivae vocis oraculo et ejus jussu cardinales inquisitores decreto damnarunt. Cf. eos in Denzinger Enchir. n. 471—473.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

326. Studium s. Scripturae neglectum non fuit; opus tamen fere nullum typis ereptum est oblivioni. In universam s. Scripturam laboravit Petrus Berchorius (Becharii, Becheure, Berchoire, Bersuire etc.), prius O. S. Franc., dein OSB. et quidem variis in monasteriis[1]) magister literarum politiorum, prior s. Eligii parisiensis, „vir in divinis Scripturis valde eruditus et studiosus ac declamator verbi divini valde insignis,“ auctor[2]) multorum operum, in quibus usus est stilo simplici et incomposito. Scatent illa barbarismis et quod ad modum docendi spectat, plena sunt divisionibus, distinctionibus, definitionibus, argumentationibus et allegationibus, († 1362). Collegit *Repertorium morale,* quod est quaedam encyclopaedia alphabetica argumentorum seu dictionum s. Scripturae moralium cum reflexionibus concionatoribus destinatis, opus immenso labore concinnatum, quod saepe prodiit, Coloniae 1477 t. 3; Norimbergae 1489; Lugdini 1517; Parisiis 1521; Venetiis 1589; Antverpiae 1609 etc.; *Reductorium morale* super tota biblia ll. 34 ordine ll. V. et N. T., Argentorati 1474 (m. 175), Ulmae 1474 sub inscriptione *Liber bibliae moralis expositionum interpretationumque historiarum ac figurarum V. Novique T.* peroptimus; Basileae 1515; Lugduni 1536. In ejusdem p. altera disserit ll. 14 de Deo universaque natura et rebus naturalibus; in quibus nititur omnia piis considerationibus in sacrum convertere usum. L. 14. videtur contineri cosmographia, quae ipsi tribuitur. *Inductorium morale biblicum ll. 3.* Haec conjunctim quoque prodierunt Lugduni 1520; Venetiis 1583; 1631; Coloniae 1650; 1669; 1684; 1712; 1730 t. 6, quae est editio optima. Ipsius quoque dicitur esse commentarius sub nomine Incogniti, dein Michaelis Aiguani editus (de quo infra) — *De genuinis rerum coelestium, terrestrium et infernorum proprietatibus* sive de

[1]) Cf. Ursmer Berlière in Revue Bénéd. XIX, 317—320.

[2]) Cf. Braunmüller KL. II², 389; Ziegelbauer § 20; praesertim Leop. Pannier in Biblioth. de l'École des Chartes 1872 p. 325—364.

allegoriis et tropologiis in utrumque T. ll. 19 disputavit Bartholomaeus de Glaunvilla ex comitibus suffolciensibus O. Min. Anglus addito l. 20. de rerum accidentibus, numeris, mensuris, ponderibus et sonis et l. de proprietatibus apum, Coloniae 1480; 1482; 1488; Norimbergae 1483; 1492; 1519; Argentinae 1488; 1491; 1496; 1505; Francofurti 1601 ed. optima; Venetiis 1571; Parisiis 1573 in f.; prodiit etiam varias in linguas versus. Obiit diligens auctor a. 1360; Sbaraglia tamen documentis innixus eum seculo juniorem censet. Exstat adhuc ejusdem *sermonum liber*, Argentorati 1491; 1495 in f. — Manfredus Terdonensis O. Min. collegit Polylogium dictionum Scripturarum, ne non et postillam super Matthaeum, utrumque opus ineditum (fl. c. 1360). — Petro O. Min. e Castello Porpetto in Forojulio, qui utinensis dictus est, forte a conventu († 1368), tribuitur *biblia pauperum* Venetiis 1477. 1518. 1533, sub nomine s. Bonaventurae vulgata, recusa in ejus opp. editione vaticana, in qua ordine alphabetico ad sacrorum oratorum commodum exhibentur collecta argumenta ex ss. Scripturis.

327. Alios, quorum commentaria seu postillae seu lecturae etc. in varios V. vel N. Testamenti libros manserunt inedita, nominasse sufficiet. Huc spectant ex O. Praed. Simon Henton (de Heintun, Wintonia) — Guilelmus Rothwel (fl. uterque c. 1360) — Thomas Ringstede doctor et professor cantabrigiensis, poenitentiarius pontificius, demum (1357) episcopus bangorensis († 1370), qui tres natione fuere Angli — Franciscus de Beluno, qui Parisiis interpretatus est sententias (fl. 1352). — Ex O. S. Aug. mentione sunt digni Galfredus Hardibius (Hardeby), theologiae doctor oxoniensis et ss. literarum professor, insignis concionator, Eduardo III. Angliae regi a consiliis et confessionibus († 1360) — Joannes Gottwicus patria Norfolcensis, doctor et professor oxoniensis († c. 1360) — Simon Baringuedus Tolosanus, doctor parisiensis, disputator acerrimus, valde memorosus, aegidianae disciplinae defensor, subtilis et copiosus, qui scripsit in Apocalysim (fl. 1373). — In eandem Apocalypsim moralitates proposuit Thomas de Sturcia (Turcia, Sturciensis), Anglus, nuncius apostolicus a Gregorio IX. ad Bononienses missus. — O. Min. fuerunt Fortanerius sive Sertorius Vaselli[1]) Aquitanus, minister generalis, patriarcha gradensis et cardinalis († 1361) — Henricus a Montejardino theologiae magister et concionator insignis — Reliqui sunt quam plurimi Carmelitae. Simon Wichingham (Vicanus) doctor sorbonnicus (fl. 1360) - Robertus de Monstrolio, Gallus, qui »in divinarum eruditionum scholis Parisiis apertissime floruit. Unde inter ceteros doctores suo tempore currentes in exponendo s. Scripturam seu in praedicando ad clerum vel ad populum primatum tenuit: erat enim praeditus eloquentia et facundia inenarrabili. Unde omnia quae proferebat multum congrue occurrebant sibi. Fuit enim pinguis in proprio supposito, sed pinguior in divinarum Scripturarum studio[2]):« cujus fructus fuere commentaria in 14 ep. s. Pauli, in magistrum sententiarum etc. — Matthias de Colonia,

---

[1]) Cf. plura de eo apud Eggs Purp. docta l. 2 n. 57 p. 396—405.

[2]) Ita in catalogo magistr. cit. Archiv V, 347. Fit mentio alterius Roberti (Ruperti) Galli, professoris parisiensis (c. 1351), cui fere eadem opera tribuuntur, qui alioquin magnis encomiis celebratur. Eodem fere tempore reperimus Parisiis Robertum de Bardi patria Florentinum, qui subtilissimus censebatur sui temporis philosophus. Ipse in academiae cancellarium fuit electus, quo munere functus est a. 13 († 1349). De quo cf. plura in ejus vita a Phil. Villani conscripta et edita a Mehus in vita Ambrosii Cam. p. CCCVI; Tiraboschi Storia Lett. V. l. 2 c. 1 n. 3.

qui Parisiis, Coloniae et Bruxellis ss. literas est interpretatus († 1359). — Joannes Vogolon doctor parisiensis et prior conventus coloniensis († 1373). — Joannes de s. Edmundo, qui Lucae Evangelium interpretatus est (fl. c. 1350). — Joannes de s. Fide, (Sanctafidensis) qui professor oxoniensis († 18. Sept. 1530), scripsit in Ev. s. Matthaei et s. Joannis, et in hujus epistolas. — S. Andreas Corsini fesulanus episcopus († 6. Jan. 1373), qui commentaria in s. Scripturam dictasse legitur Parisiis, et deputatus est a capitulo Mediolani 1345 habito ad ss. literas ibidem interpretandas. — Joannes Clipston s. Scripturae professor († 1378), qui reliquit Expositorium bibliorum, in Joannem postillam, commentaria in varios sacros textus, in Magistrum sententiarum etc. — Joannes de Condato (Condeto) Hanno, theologiae lector (fl. 1380) — Paulus de Ubaldis Perusinus, qui in totam s. Scripturam commentaria reliquisse scribitur, et Joannes de Regno Hispanus († 1361).

328. *Versio itala* s. Scripturae lingua classica et tersissima prodiit (Venetiis) 1471 s. l. et interpretis nomine, quae dein oblivioni fere data fuit adeo, ut ea ed. sit rarissima; aliquot partes sec. XVIII. et XIX. praesertim prodierunt; integra demum cura Caroli Negroni Bononiae 1882—87 t. 8. Cujus sit controvertitur; alii eam tribuunt magna probabilitate Dominico Cavalca O. Praed. (fl. 1493), alii ejus sodali Jacobo Passavanti († 15. Jun. 1357), qui ambo principes fuere in pia prosa classica[1]). Hujus est etiam *Lo specchio di vera penitenza,* Florentiae 1495 in 4; 1579; 1581; 1585, cura Leonardi Salviati, qui auctorem mirum extollit ob etrusci sermonis nitorem et opus inter elegantissima opera florentino sermone scripta recenset; Venetiis 1586; Florentiae 1681 in 12. curante academia della Crusca[1]). — Claus Cranc Excalceatus et custos provinciae germ. vertit in linguam patriam c. medium hujus sec. prophetas majores et minores, cujus versionis unus superest codex in archivio regiomontano. De eu disserit ejusque specimina exhibet Henning in hist.-kritischer Würdigung einer hochdeutschen Uebersetzung der Bibel, Königsberg 1812. — Guilelmus Brito O. Min. Camber († 1356) composuit praeter grammaticalia et commentaria in opera Boëthii, Alexandri Neccam, Gilberti Porretani, Porphyrii, Aristotelis, in prologum bibliorum seu in omnes prologos biblicos s. Hieronymi, etiam vocabularium i. e. vocabulorum hebraicorum in bibliis occurrentium interpretationem latinam; Summam sive opusculum difficilium vocabulorum Bibliae ex glossis sanctorum. Ejus correctio seu castigatio quorundam locorum s. Scripturae ex s. Hieronymo variisque bibliis non praetergreditur Paralipomenon libros. Typis prodiit tantum ejus l. inscriptus *Synonyma,* Parisiis 1508. — Etiam quidam Rogerius O. S. Ben. Computista dictus Anglus, coenobii buriensis in comitatu suffolcensi prior (fl. 1360), collegit expositiones vocabulorum totius bibliae et postillas in Evangelia. — Joannis a Mortiliano oppido dioecesis utinensis, O. Min. inquisitoris aquilejensis († 1363) laudatur praeter alia compilatio nova super tota biblia, quae tamen solum continet genealogiam Christi ab Adam ad mortem Christi arboris instar, cujus ad latera subinde

[1]) Cf. Kneller Zeitschr. f. kath. Theol. 1895 p. 341 ss.

[1]) Editor ejus academiae sodalis in ep. nuncupatoria: „E come da molti fu detto che tale scrittura alle opere tutte de'primi padri e piu dotti della chiesa cristiana andar potessi di pari, così da tutti fù giudicato che a niuno de'componimenti de'più scelti maëstri e più faondi della toscana favella fosse questo secundo etc.

nonnulla ad profanam historiam attinentia subnotantur cum figuris. Sbaralea illi (p. 444) tribuit *chronicon,* de quo supra egimus de b. Odorico de Portunaono disserentes (p. 585). — Matthias de Beheim Saxo strepitu secularium contempto factus est eremita seu solitarius mentemque apposuit Scripturis meditandis, imo et in linguam germanicam vertendis[1]). Reperitur in codd. versio quatuor evangeliorum a. 1343; et ejusdem creditur versio Psalterii a. 1356. — Matthias natione Suecus, qui studiis operam dederat in Sorbonna et Magister est dictus, canonicus Linkoepingae, s. Brigittae a confessionibus, vir literatus et diligens[1]) praeter expositionem Apocalypsis collegisse legitur *Concordiam super totam Bibliam,* quae tamen periit († c. 1350).

[1]) Cf. Oudin III, 955.

[1]) Cf. Kaulen KL. X, 2067.

III. Historia ecclesiastica.

329. Praeter tot chronica inedita[1]) supersunt Aegidii[?] de Muisit (Li Muisis, Mucidi) OSB. abbatis s. Martini tornacensis (n. 1271 † 1353), cujus *chronicon majus* complectens meras notitias historicas rerum, quae potissimum suo tempore in urbe tornacensi, in Flandria quoque, Hannonia, Francia et aliis in locis contigerunt usque ad a. 1348, edidit nunc primum J. Goethals-Vercruysse Brugis in 8; et in corpore chron. Flandriae de Smet 1841. II, 111—293; gallice O. A. Delepierre, Insulis 1834 p. 205—300; *Chronicon minus* seu alterum (1349—1352) complectitur etiam catalogum abbatum monasterii s. Martini turonensis a primo usque ad decimum septimum, in quo latino et gallico rythmo singulorum elogia repraesentat. Editum fuit a de Smet l. c. II, 305—448. Opera ejus poëtica edidit Kervyn de Lettenhove: Poèsies de Gilles Li Muisis, Lovanii 1882 t. 2: inter ea reperitur Tr. de rom. pontificibus, qui suo tempore Ecclesiae praefuerunt, praesertim de eorum electione cum protestatione se ex reverentia erga rom. sedem nihil de eorum et cardinalium statu dicturum; *vita et obitus* Andreae de Florentia et Jo. de Pratis episc. ecclesiae tornacensis. Opera auctoris nostri tomis 4 comprehensa recenset Oudin III, 935; A. Duquesne in Stud. u. Mitth. aus dem Bened. O. XII (1891), 96 s. H. Pirenne in Bi. nat. de Belg. 11, 798-806 laudat quidem auctoris sinceritatem, fidem, candorem, operis utilitatem pro historia sui temporis, sed stilum carpit operisque formam, cui deest judicii sagacitas. Cf. infra p. 654. — Henricus Herfordiensis O. Praed. Herfordiae in Westphalia natus († 1370), vir suo aevo eruditissimus scripsit l. *de rebus memorabilibus*[1]) sive chronicon ab o. c. ad a. 1355, cujus magnam partem scil. ab a. 687 edidit[2]) cura laudabilissima

[1]) Ejusmodi est ex. gr. Eulogium seu Chronicon in 5 ll. divisum ab o. c. ad a. 1367 Niniani OSB. monachi cantuariensis, de quo cf. Oudin III, 1089.

[1]) Memoriae clericorum juvandae gratia chronicam *de regibus Romanorum* ab Octaviano ad Carolum IV. (1350) metrificavit (v. 800) Hugo de Rütlinga seu Spechtshart capellanus de Rütlinga († p. 1358), quam ed. Car. Gillert in Forsch. zur deutschen Gesch. XXI (1881), 23—65. Glossas veterum ad illas e codd. eruit Huber in Boehmer Fontes IV, 128—137. Cf. Lorenz 1 § 4.

[2]) Cf. Literaturam apud Potthast p. 679; cf. et Oudin III, 973; Diekamp Ztschr. f. vaterl. Gesch. und Altertumsk. (West-

Aug. Potthast, Gottingae 1859 in 4. Aestimatur ab eruditis hoc chronicon, etsi pro temporibus anterioribus a. 1250 nullius est pretii. Composuit etiam catenam auream in 10 pp. distinctam, quarum quaelibet per ansas dividitur et ansa quaevis per quaestiones, unde ea summam quandam constituit theologiae; tr. de conceptione Virginis gloriosae (inedita). — Ranulphus (Radulphus) Higdenus (Hygden, Hickeden) O. S. Ben. monachus cestrensis († 1363 a. religionis 64) *Polychronici ll. 7* scripsit ab o. c. ad a. 1357, quorum priores sex ad a. 1065 primus latine vulgavit Thomas Gale inter SS. hist. brit. XV, 179—287, professus ea se dare, quae de rebus britannicis et hibernicis auctor annotavit, omissis iis, quae ad exteras spectant gentes. Primus l. exhibet descriptionem orbis seu mappam mundi; integrum ed. cum versione anglica auctore Jo. Trevisa († 1411, de quo infra) Churchille Babington et Jos. Rawson Lumby Londini 1865—86 t. 9 in 8. (inter rer. brit. medii aevi SS. n. 41). Suum opus „ex variis historicis eleganter admodum concinnavit integras ac prolixas aliorum seipso antiquiorum lacinias intexens, appositis tamen singulorum, a quibus acceptae sunt, nominibus adjunctaque ab Abrahami temporibus marginali annorum supputatione: unde vix aliam quam compilatoris gloriam meruit, nisi quod l. ultimo in rebus aetati suae proximis multa e suo penu inseruerit. Compilatoris tamen munus tam egregie praestitit, ut pauci admodum ex historicis anglis fide, gravitate ac judicio cum eo conferendi veniant. Quanti autem opus istud, licet excerptum ab anterioribus, meriti apud Anglos fuerit, judicent lectores ex multitudine mssc. codicum, qui ad 20 assurgunt in Anglia[1]): « imo ultra centum teste Potthast p. 952. Illud continuavit Joannes Malvernaeus O. S. Ben. wingorniensis ab a. 1381—1394, quae continuatio edita fuit a Lumby op. cit. IX, 1—283. Opus anglice verterat praeter alios jam Caxton[1]) atque ad a. 1460 prosecutus est addito l. 8., quem habes ibid. VIII, 522—587. Higdeno tribuuntur plura alia (inedita) ut Speculum curatorum, distinctiones theologicae, commentarii in l. Jos et Cantica canticorum.

330. *Romanorum pontificum actus* narrant Amalricus Augerii O. S. Aug. Gallus, patria Biterricensis, prior monasterii s. Mariae de Aspriano, doctor in universitate montepesulana ac Urbani V. capellanus (fl. 1360), in *Chronico pontificum* seu op. inscripto *Actus pontificum romanorum* usque ad Joannem XXII. seu ad a. 1321 secundum ordinem alphabeticum, excerpti ex chronicis 209. Edidit illud Eccard ordine chronologico dispositum op. cit. II, 1641—1824, Muratori inter Script. rer. it. III p. 2, sed interpolatum vitis aliorum auctorum. Laudatur a Spondano ut chronographus fidelis et accuratus. — Nicolaus Rosell (Roselli) Majoricis Balearium insularum metropoli n. est 3. Nov. 1314. Puer a 13 ingressus est ordinem s. Dominici. Postquam in variis Aragoniae conventibus lectoris primarii munere cum laude functus est, Clementis VI. auctoritate s. theologiae licentiatus est renunciatus 10. Jan. 1349. Communi electorum suffragio assumptus est in provincialem, mox Clementis VI. auctoritate pontificia super defectum aetatis dispensante (vix a. 36. aetatis attigerat) generalis in Aragoniae et Cataloniae

fahlen) 1898 90—103, ubi ejus prologum exhibet in catenam auream, in quo Henricus sua ipse recenset scripta.

[1]) Oudin III, 1027. Cf. Braunmüller KL. V, 2039.

[1]) Hic Guilelmus Caxton clarus a. 1460 (vixit tamen adhuc 1483) primus induxit typographiam in Angliam et quam plurima latinorum scripta in anglicam linguam vertit. Cf. Fabricius I, 338.

regnis contra pravitatem haereticam inquisitor est constitutus. Ab Innocentio VI. creatus est cardinalis 23. Dec. 1356. Non diu ornavit purpuram: obiit enim vix natus a. 48 die 23. Mart. 1362. Complexus est romanorum pontificum gesta praegrandi volumine, scil. a Leone IX. ad Alexandrum III., exclusis Victore III. et Urbano II. Post Alexandrum III. reliquas omisit vitas usque ad Gregorium IX., in quo sistit: quo in opere usus est Cencii Camerarii l. censuum (cf. supra p. 294). Vulgavit illud Muratori SS. III, 274-686. Subjectus erat tr. *de jurisdictione Ecclesiae* super regnum Apuliae et Siciliae, in quo ostenditur quadrupliciter illud ad ipsam solam Ecclesiam pertinere ed. in Baluze Miscell. I, 468-473 a Mansi. „An vero istud opusculum, inquit Fabricius V, 124. Nicolaum habuerit auctorem non satis constare arbitror.“ Exhibet autem diligenter elenchum excerptorum per Nicolaum ex variis ll. rom. curiae (63), quae integra in lucem nondum prodierunt. Alia auctoris nostri scripta ut commentaria in Matthaeum manserunt inedita[1]).

331. *Annales rerum* ab imp. Adolpho, Alberto, Friderico, Ludovico Bavaro et Carolo IV. gestarum seu annales imperatorum et paparum ab a. 1294—1362, quorum p. prior ad a. 1343 est[2]) continuatio op. *flores temporum* (cf. supra p. 573) auctoris anonymi, forte cujusdam Henrici monachi O. S. Aug. est, qui praepostere dictus est de Rebdorf (hujus enim monasterii erat tantum codex, quo usus est Freher); p. altera (1343—1362) censetur esse Henrici Surdi (Taub, der Taube) de Selbach can. reg. († 1364), qui tamen forte idem est cum priori Henrico. Ediderunt illos post alias ed. Gewold, Ingolstadii 1618, ed. modo adhuc utilis; Struve in nova Freheri SS. germ. ed. Argentorati 1717 p. 597-644; Boehmer Fontes IV, 507—568 sed aliter dispositos; germanice Diringer in programmate gymnasii eichstettensis 1883, et Grandaur Lipsiae 1884 in collect. Geschichtschreiber der deutschen Vorzeit XIV. Jahrh, t. VII fasc. 71. — Huc etiam referri potest Franciscus Petrarca Aretii florentinis parentibus natus a. 1304, qui ingenio suo et industria latinas atque hetruscas literas mirifice illustravit et restauravit. Nomen gloriosum praecipue inter poëtas et rhetores promeruit, adeo ut in capitolio romano a gubernatoribus Urbis hedera, myrto et laurea poëtica honorifice fuerit redimitus, quam lauream ad aram s. Petri appendit. Honoribus undique fuit cumulatus: a. rom. pontificibus, imperatoribus, regibus, civitatibus, viris illustribus omnis generis. Abstinemus ab encomiis poetae delatis, ejusque hic tantum meminimus ob opus: *Chronica delle vite de' Pontifici et Imperatori Romani* in sino a suoi tempi, Veronae 1476; Florentiae 1478 ed. rara; Venetiis 1507; 1526 ed. rara; 1532; Mirandulae 1624; Florentiae 1625 in 4. Etsi vero saepe in vitia aulae pontificiae est invectus, quo pueriliter haeretici abutuntur, non tamen doctrinam romanae Ecclesiae, sedis apostolicae auctoritatem, ordines et dignitates ecclesiasticas est insectatus, quae e contra suspexit semper et veneratus est. Scripsit quoque *virorum illustrium vitas*, quarum pars prodiit primum cura C. E. Chr. Schneider, Vratislaviae 1828—33; opus integrum italice inscriptum: *Vite degli uomini illustri* volgarizzate da Donato degli Albanzani da Pratovecchio ... per cura

[1]) Cf. Nic. Antonius l. c. l. 9 cap. 6 n. 286 ss.; La Porte du Theil in Not. et extraits des mss. VII, 2, 84. Secundum Denifle in Chartul. univ. paris. II, 1, 648 exstat in archivio vatic. ejusdem Liber censuum, quem compilavit ex diversis registris et ex libris camerae apostolicae et ex aliis etiam libris et chronicis diversis cum magna diligentia et labore.

[2]) Cf. Schulte die sogenannte Chronik von Rebdorf, Münster 1879; Mittermüller KL. V, 1720.

di Luigi Razzolini, Bononiae 1874 t. 2 in 8; 1879; agit de heroibus praesertim romanis; *Rerum memorandarum ll. IV* ad Valerii Maximi imitationem, qui etiam separatim prodierunt. Canonicus fuit lombariensis et patavinus, necnon archidiaconus parmensis: nunquam tamen ordines suscepit majores. Laxiorem quondam duxerat vitam: referuntur tamen et pietatis poenitentiaeque exempla, quibus nisus est reparare scandalum. Decessit[1]) apoplexia tactus in sua bibliotheca 18. Jul. 1374. Hoc ipse sibi posuit epitaphium:

Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarcae,
Suscipe, Virgo parens, animam, sate Virgine, parce,
Fessaque jam terris, coeli requiescat in arce.

Scripsit quoque *de sui ipsius et multorum ignorantia* (opp. t. II. et Genevae 1609 in 12), in quo describit Averroistarum sui temporis reas opiniones fidei inimicas vanamque gloriam, qua jactabant veram se invenisse sapientiam[2]); *de remediis utriusque fortunae ll. 2* dialogi 254, Lugduni 1577 in 12; Genevae 1613; Roterodami 1649; *de vita solitaria ll. 2; de otio religiosorum; de vera sapientia* dialogi 2; *de contemptu mundi,* colloquia tria totidem dierum inter Augustinum et Petrarcam, Regii Lepidi 1501 in 4. etiam inscripta *De secreto curarum conflictu; de republica optime administranda* et *de officio* et *virtutibus imperatoris,* Bernae 1602 in 8., opuscula laude digna. *Epistolas* ejus de rebus familiaribus et varias, tum quae adhuc, tum quae nondum editae fuerunt ll. XXIV ed. Jos. Fracassetti, Florentiae 1859—1863; t. 3 italice versae prodierunt ib. 1863-1869 t. 5; *Lettere senili,* ed. Fracasetti, ib. 1869. 1870. Reliquit plura alia opuscula moralia et philosophica, magis si stilum spectes splendida quam solida. Opera collecta prodierunt Basileae 1496; Venetiis 1503; 1554; 1581; Scritti inediti ed. ab A. Hortis, Triest 1874.

332. Historiam ecclesiasticam *nationum*[1]) vel *dioecesium* plures narrant. Arnaldus de Verdala Gallus, epi-

[1]) Innumeri ejus vitam descripserunt, inter quos eminent Muratori in vita praemissa ejus poematibus italicis editis 1711; Desade Mémoires pour la Vie de F. P. etc. avec pièces justificatives, Amstelodami 1764—67 t. 3; Baldelli Del Petrarca e delle sue opere ll. 4, Florentiae 1797 in 4. etc. De operibus cf. Niceron t. 28 et Fabricius V, 216 ss.; Leonardus Bruni, Perugia 1671 in 12; Florentiae 1672 etc.; Kaulen V, 1852.

[2]) Cf. Tiraboschi V. l. 2 c. 2 n. 1 ss.; n. 37; c. 6 n. 1 ss.; praesertim l. 3 c. 2 n. 19 ss.

[1]) Leopoldus (Lupoldus, Ludolfus) de Bebenburg (Babenberg) in academia bononiensi Jo. Andreae auditor. decretorum doctor, ex canonico moguntino, herbipolensi et bambergensi hujus ecclesiae archiepiscopus (1353, † 1363) scripsit olim Rodulpho Saxoniae duci libellum mole exiguum, pietate grandem, quo veterum Germaniae populorum in fide et religione constantiam multis historicis, civilis ac pontificii juris testimoniis comprobat, quod prodiit Basileae 1497 inscriptum *Germanorum veterum principum zelus et fervor* in christianam religionem Deique ministros; et saepe alibi, etiam in bibl. PP. coloniensis t. XV, et Lugdunensis t. XXVI. p. 88., et in Schardii sylloge de jurisdictione imperiali, Basileae 1566, ubi prostat p. 328—409 alius ejusdem l. *de juribus regni et imperii Romanorum,* quem ediderat jam Wimphelinga, Argentorati 1508, dein iterum Freher in tr. de imperio rom. Petri de Andlo, ib. 1603 etc. Easdem opiniones, quas in illo tuetur, iterum proponit in alio libello inscripto *Ritmaticum querulosum et lamentosum dictamen* de modernis cursibus et defectibus regni et imperii Romanorum (a. 1341) ed. a Peter Würzburg 1842 (programma); a Boehmer Fontes I, 479—484. Notandum est, Lupoldum nostrum Ludovico Bavaro fuisse a consiliis, hinc ab ejus stetisse partibus, sed moderatius longe, quam Ockam, Marsilius etc. Cf. P. Willmann KL. II, 158—160; Potthast p. 752.

scopus magalonensis (1339; † 23. Dec. 1352) texuit *seriem episcoporum magalonensium* ab a. 770—1133, quam publici juris fecit Labbe Bibl. novae Mscr. I, 793—802. — Joannes abbas Burgi s. Petri (seu Petriburgensis) concinnavit *chronicon Angliae* ab a. 654—1368, quod edidit Sparke in Hist. angl. SS. 1—137; et J. A. Giles Londini 1845. — *Historiam de archiepiscopis cantuariensibus*[1]) a prima sedis fundatione a. 597 usque ad a. 1369 descripsit Stephanus de Birchington in insula Taneto, monachus OSB. cantuariensis, quam edidit H. Warthon Angliae sacrae I, 1—48. Eam secundis curis retractasse et auxisse videtur Stephanus: qua tamen recensione Warthon uti non potuit. — *Chronicon archiepiscoporum eboracensium* ab initio usque ad a. 1373 concinnavit seu potius continuavit ab a. 1147 Thomas Stubbs sive Stobaeus O. Praed. Eboracensis, s. theologiae magister, quod ediderunt Twysden inter Script. hist. angl. p. 1685—1734; continuatum ab anno 1374 ad a. 1519 ab anonymo in Ja. Raine The historians of the Church of York, 1886 II, 312—445. — Leovoldus a Northof Westphalus n. 21. Jan. 1278, eques marcanus, canonicus leodiensis et abbas visitensis, ejusdem dioecesis texuit catalogum episcoporum coloniensium ab a. 194 ad a. usque 1349, continuatum deinde ab alio usque ad a. 1650, inter SS. rerum germ. Meibomii II, 3—16 etc.; in MG. SS. XXIV, 358—62. Annos n. 80 scripsit *chronicon comitum de Marca et Altena* a temporibus Ottonis III. ad a. 1358. cum alterius continuatione ad a. 1390, quod Henricus Meibomius avus, Hanoverae 1613 notis illustratum edidit in 4; deinde Meibomius nepos op. cit. Helmstadii 1688 I, 377—410, in quo plura ad ecclesiam leodiensem spectantia reperies, cum duo comites ex illa stirpe huic praefuerint ecclesiae[1]). Cum versione illud edidit C. L. P. Tross *Leovolds von N. Chronik* der Grafen von der Mark und der Erzb. von Cöln, Hamm 1859 in 8; versio germanica facta ab Ulrico Verne prodierat jam 1538 ed. in Seibertz Quellen der westphäl. Geschichte I, 16—42. — Ad statum ecclesiae germanicae illustrandum aliqua reperies in memoria sive *instructione super relatione facienda* in camera apostolica per Bernardum Marthesii (fl. 1370) de negotiis camerae apostolicae, pro quibus plures ad Alemaniam missi fuerunt et quomodo processum est et quid actum est in eisdem, ed. a Car. Müller in Zeitsch. für KGesch., Gotha 1878 II, 595—622. — Jacobus Muevin abbas s. Martini tornacensis (1355 † 4. Jul. 1367) reliquit breve *chronicon* (1297-1339) de rebus quae Tornaci et in Flandria contigerunt ed. ab J. J. de Smet in corp. chronicorum Flandriae 1841 II, 455—471.

331. Franciscus canonicus pragensis († 1362) scripsit *Chronicam pragensem* ab a. 1125—1353 ll. 3, quam edidit, sed mendose et pro arbitrio mu-

[1]) Cf. Oudin III, 1153. — Nonnulla ad historiam ecclesiasticam Angliae spectantia reperies in Galfridi le Baker de Swynebroke clerici (fl. circa medium sec. XIV.) *chronicon Angliae* temporibus Eduardi II. et III. ab a. 1303—56, quod primum edidit J. A. Giles Londini 1847; cum annotationibus Ed. Maunde Thompson, Oxonii 1889 in 4., qui editioni suae adjecit etiam ejusdem auctoris *chroniculum* in duabus seriebus satis aridum et jejunum ad a. 1320 et a. 1337. — Jacobus Grace monachus abbatiae s. Joannis in Kilkenny collegit *annales Hiberniae* (1074—1370), in Camden Britannia, Londini 1586; 1587 etc.; Amstelolodami 1639; 1647; cum versione cura Rich. Butler Dublini 1842 in 4; in Chartularies of St. Mary's abbey cura Jo. T. Gilbert. in rer. brit. medii aevii scr. n. 80. Londini 1884. II, 383—98. Cf. Potthast p. 71 col. 636.

[1]) Cf. Wattenbach Allg. d. Bi. XXIV, 23.

tatam tamquam continuationem chronici boemici Cosmae pragensis (cf. p. 48), Jo. Aug. Kneysl, Pragae 1754; Pelzel et Dobrowsky inter Script. rer. boem. II, 1—196 fideliter ad cod. pragensem expressam; Emler inter fontes rer. boh. 1884. IV, 347—456 etc. Innititur hoc chronicon celebri operi *Chronicon Aulae regiae* ll. 3 ab a. 1253—1353 seu Die Königsaaler Geschichtsquellen, quod fontis instar est pro historia bohemica, de quo cf. supra p. 589. Ex mandato Joannis IV. archiepiscopi Franciscus retractavit illud ejusque labor codici illatus est, qui complectebatur capituli chronicam ad a. 1283, unde haec habetur velut pars I. chronicae pragensis, compilatio veluti pars secunda[1]). Prostat *chronicon Aulae regiae* integrum in Dobner Monum. V, 19—501; sub nomine Petri Zittaviensis inter Jos. Emler Fontes rerum boh. 1884. IV, 3—337. — Aliud *chronicon bohemicum* condidit Krabice Benessius de Waitmuele archidiaconus Žatečensis et pragensis ecclesiae canonicus († 27. Jul. 1375) ll. 4. ab a. 1283—74, qua historia, teste Balbino, nihil illustrius, nihil etiam verius esse potest. Ea recepta fuit a Pelzel et Dobrowsky inter SS. rerum boh. II, 199—424, et inter fontes rer. boh. 1884. IV, 460—548. — Arnoštus archiepiscopus pragensis († 1364), cujus vitam descripsit Guilelmus de Lestkow wissegradensis decanus[2]), collegit *Cancellariam*, Formelbuch, quae complectitur ep. 345, plerumque ex annis 1350—60. Prodiit cura Ferd. Tatra sub inscriptione: *Cancellaria Arnesti.* Formelbuch des ersten Prager Erzbischofs A. v. Pardubic, in Archiv für österreichische Geschichte, Viennae 1880. LXI, 289—586. Collectionem quoque canonum concinnavit[1]) atque in synodo pragensi a. 1349 promulagavit, quam habes in Mansi coll. conc. XXVI, 75—106 et iterum 382—412. — Neplach abbas opatovicensis († 1368) composuit *chronicam Bohemiae* seu Summulam chronicae tam romanae quam bohemicae a Chr. n. ad a. 1348, apud Pez SS. rer. austr. II. 1005—42; Emler III, 451—84.

332. In Italia Sagacius Mutus de Gazata (Muti della Gazata) unus ex civibus primariis regiensibus († 1353 a. aetatis 91) scripsit *chronicon regiense* ab a. 1167—1303; quod ab a. 1303-1353 continuavit Sagacinus Levalossi, nobilis regiensis († 1357); reliqua ad a. 1398 adjecit illius pronepos Petrus Mutus de Gazata, postea monachus inter Benedictinos et s. Prosperi regiensis abbas (1363), subcollector apostolicus ab Urbano VI factus et Ugolini episcopi regiensis vicarius generalis († 1414). Cum codex esset admodum laceratus, Muratori tantum publicae luci dedit ejus partem ab a. 1272—1388 XVIII, 5—98. — Joannes de Cornazano (Cornazanis) O. Praed. reliquit *chronicam abbreviatam* (parmensem) ab a. 1085—1355, quae prodiit (continuata ad a. 1399) in Monumentis hist. ad provinciam parmensem spectantibus III, 355—99; italice reddita apud Muratori inter rer. it. SS. XII, 729—54, scil. ab a. 1301, cum additamentis usque ad a. 1479. Affò tamen censet[2]) eam esse Joannis del Giudice, qui abbreviavit labores Joannis Oddi et Jo. de Cornazano.

333. Arnaldus de Sarano O. Min. Gallus (fl. c. 1360) videtur auctor esse *chronicae* viginti quatuor primorum *generalium O. Min.*, quae primum

[1]) Cf. Potthast p. 508 col. 466.

[2]) Prodiit illa in Balbini *Bohemia sancta* dec. 1. Miscell. hist. regni Bohemiae l. IV. p. 80-88; Höfler Geschichtsschreiber der husit. Bewegung II, 1—11; Truhlář Fontes rer. boh. 1. 387—400 cum versione tschechica.

[1]) Cf. de ea Hefele VI², 683—689.

[2]) Memorie degli Scritt. parmig. II, 71 s.

nostra aetate diligentia magna edita fuit e pluribus mss. a P. Müller in Analectis franciscanis ad Aquas Claras (Quaracchi) 1897 III, 1—575, in qua auctor fuse initio refert quae spectant ad s. Franciscum primosque ejus socios. Est opus haud exigui momenti pro historia primorum seculorum ord. fratrum Min., sed complectitur multas legendas praesertim circa prima ordinis initia. Multos errores historicos et chronologicos emendat diligens editor in doctis annotationibus. — Joannes Trisse O. Carm. Gallus, doctor in s. pagina († 5. Jul. 1363) auctor est *martyrologii O. Carm.* (inediti) et *catalogi magistrorum theologiae O. carm. parisiensium,* necnon priorum generalium, et capitulorum generalium ordinis, quem triplicem catalogum admodum pretiosum pro historia adeo illustris familiae sacrae edidit primum Denifle Archiv V, 370—84. Tribuuntur eidem Joanni lecturae in s. Scripturam et in Magistrum sententiarum. — Joannes de Molinis (Molinius, non a Malinis vel mechlinensis), Armoricus, Brito O. Carm. (fl. 1360) scripsit *speculum historiale ordinis carmelitici,* Venetiis 1507., quod tamen alii tribuunt Joanni de Mechlinia, qui floruit post seculum. In hoc speculum receptum fuit *Chronicon ord. carmelitani* Joannis de Venetia (Vineta) Galli, professoris parisiensis, provincialis Galliae (1348), cujus frequens est memoria in annalibus carmelitanis. In ed. antverpiensi 1680 receptum fuit nonnisi in epitomen contractum. Continuavit chronicon Guilelmi de Nangis, quae continuatio recepta fuit in Spicilegium D'Achery III², 104—140. Scripsit etiam annotationes in l. 4. Regum (ineditas). — In idem speculum fuit receptum *Defensorium* ord. fratrum Dei genitricis Mariae de Monte Carmelo seu dialogus inter directorem et detractorem de ordine Carmelitarum Joannis de Hildesheim O. Carm. doctoris parisiensis et professoris avenionensis († 5. Maj. 1375), qui scripsit etiam Historiam de gestis *et trina trium regum translatione* (Coloniam), Coloniae 1477; Moguntiae 1486 etc.; contra Judaeos, de antichristo, chronicon seu fasciculum temporum ord. Carm. ex variis auctoribus (inedita) etc. — De Aegidio Muisit supra jam egimus pag. 641. Ibidem dictis adde: Lingua patria dicebatur Gillon li Muisis. Tornaci n. 1272 ordinem s. Benedicti in conventu s. Martini est ingressus (1289), et in tristissima monasterii conditione unanimi sodalium suffragio electus est abbas (31. Apr. 1331) et post plurimas difficultates demum 25. Oct. 1332 fuit consecratus. Magna prudentia et solertia statui temporali fere desperato monasterii providit. Anno 1548 oculorum amisit lumen, quod ei medicus germanus arte sua feliciter restituit. Decessit 15. Oct. 1353 »vir juxta Galliam christianam, aeterna memoria dignus, qui tum collapsam restauravit disciplinam, tum facultates monasterii deperditas restituit et auxit[1]«. Composuit *chronicon* tribus constans pp. in quo historiam sui prosequitur monasterii et versus finem historiam regionis etiam circumjacentis. Alterum quod reliquit chronicon latius patet, sed est compilatio quaedam factorum absque nexu ad a. 1353, cui subjicitur memoria abbatum. Utrumque chronicon commendatur narrationis candore et fidelitate et est fons non contemnendus pro tempore, quo vixit auctor. Alia quae spectant ejus monasterium manserunt inedita. — Stephanus OSB. abbas Montis alti (fl. 1369) composuit *chronicon Neritinum*

[1]) Cf. accuratam biographiam in Stud. und Mitth. aus dem Bened.- und Cisterzienserorden XVII (1896), 547-577; XVIII (1897) 44—57: 252—63; 396—411, auctore Ph. Wagner; Berlière Revue bénéd. X, 257 ss.; Scheber in Etude lexicol. sur les Poésies de G. li Muisis in Mém. couronnés par l'Acad. de Belg. XXXVII (1886).

(Nardò) sive brevem historiam monasterii neritini ab a. 1090—1368, quod alius continuavit ad a. 1412, italice, et Muratori inseruit SS. rer. it. XXIV, 889-910. Prodiit sub titulo *Cronaca deli abbati di s. Ben.* che gubernavano la ecclesia de s. Maria de Nerito, in Collana di opere scelte . . . di Scrittori Salentini diretta da Salv. Grande, Lecce 1867 t. 1. — *Chronicon* monasterii Kastel in palatinatu superiore scripsit Hermann ejus abbas, (1323-1356), quod habes apud Moritz Geschichte der Grafen von Sulzbach II, 103—116.

334. S. Joannes Columbinus[1]) fundator ordinis Jesuatorum († 31. Jul. 1367) adjutus a Nicolao Vincentio socio suo *vitam b. Petri Petroni* Carthusiani senensis († 1361) et res ab eo praeclare gestas italice scripsit. Fuerunt hi ambo intima amicitia cum b. Petro conjuncti et optime omnia perscrutati. Utrique suam operam contulit Joachimus quidam, cui b. Petrus jussu divino diebus ante obitum suum quindecim arcanas multas suas exstases ac revelationes aperuit. Hanc vitam latine ex italico transtulit ac copioso stilo exornavit Bartholomaeus Senensis Carthusiae florentinae monachus, ipsam in tres ll. distinxit, et ll. in capita, quibus et titulos praefixit, notas quoque ad calcem apposuit. Eam sic interpolatam (non originalem, quae reperiri non potuit) exhibent Act. SS. 29. Maj. VII, 184—228, omissis plerumque notis. — Wilhelmus Jordanus can. reg. Viridis vallis († 1372), qui opuscula de tabernaculo, de nuptiis et de gradibus in latinum de teutonico transtulit, vitam virtutibus plenam Joannis de Speculo alias de Cureghem ejusdem coenobii diaconi († 1358) in *Planctu super obitus fratris* narrat, quem habes in Anal. boll. IV (1885), 323-333. — Thomas de Bozolasto O. Praed. Insuber scripsit[1]) *vitam b. Sibyllinae Papiensis* sororis de Poenitentia s. Dominici († 19. Mart. 1367), cui ipse erat a confessionibus. Ea recepta fuit inter Acta SS. ad 10. Mart. III, 68 et a Razzi inter vitas SS. ord. a. 1605 ed. 3; italice reddita a Don. Lago de Florentiola 1599. — Thomas de s. Gervasio nobilis brixiensis O. Praed. (de cujus tamen aetate et nomine Echard II, 377 dubia movet) scripsisse dicitur c. a. 1365. acta SS. O. Praed., vitam ss. Dominici, Petri M. et Thomae Aq. (inedita). — Petrus Olavi (Olafsson) O. Cist. Alvastrensis prior[2]), s. Birgittae a. 35 a confessionibus (1378), scripsit cum Petro vadstenensi, qui primus illius sanctae exceperat confessiones, ipsius *vitam* apud Fant Scr. rer. suev. 1871. III. sect. 2. 188 - 206. — Bertholdus bombacensis parochus testis oculatus scripsit pretiosam *Leben der sel. Liutgart* Stifterin von Wittichen O. s. Clarae (1291—1348), quam edidit Mone in Quellensammlung der bad. Landesgeschichte III, 442—68. — Joannis (Graunton) Grandisoni episcopi excestriensis sive exoniensis (1327; † 15. Jul. 1369) *Legenda SS.* according to the use of Exeter prodiit cura M. Reynold, London 1881.

335. *Ad historiam literariam* refer Guilelmum de Pastrengo (Pastregicus) Veronensem, qui fuit causidicus atque inde judex et procurator Veronae, praeceptor et amicus Petrarcae (fl. 1351). Collegit l. *de viris illustribus*, de

[1]) Vitam hujus sancti narrat Jo. B. Rossi in *Triumpho divinae gratiae* per b. Jo. Columbinum, Romae 1648, cujus excerpta exhibent Acta SS. 31. Jul. VII, 354—398.

[1]) Nicolaus Picardus de Larisvilla, qui multos sermones (ineditos) condidit, tum *vitam* tum *miracula s. Remigii* politiore stilo donavit, haud infacundus sec. XIV. scriptor. *Miracula* legere poteris in Anal. boll. IV (1885), 337—343.

[2]) Ejus *vitam et miracula* descripsit Matthias Larsson monachus († 1486). Fragmentum edidit MG. Grandison, Karlstadt 1888.

fundatoribus urbium, de inventoribus rerum, de primis dignitatibus ordine alphabetico illi aevo perutilem, in quo multi scriptores ab Anaximandro philosopho multique libri non noti memorantur, Venetiis 1547 ed. mendis infinitis foedata, ut vix sententia apta eruatur, hiulca et lacera in multis secundum judicium Mont'auconii in diario italico p. 48, qui propterea novam promiserat editionem, quam tamen non curavit. — His demum adde Joannem Barbam de Mandavilla (Magnovillanum) Anglum, equitem, professione medicum, qui post 23 a. peregrinationem Leodii sedem fixit obiitque 7. Nov. 1376. Ejus *Itinerarium* a terra Angliae in partes hierosolymitanas et in ulteriores transmarinas ab auctore primum gallice scriptum a. 1355, postea latine versum, saepius prodiit, s. l. et a. (c. 1485) ed. rara; etiam in alias versum linguas. Cf. Roehricht, qui in sua bibl. copiosam exhibet literaturam p. 79—85.

IV. Theologia practica.

336. Non adeo innotuerunt gestis literisque pontifices hujus periodi. Defuncto 25. Apr. 1342 Benedicto XII. sacra sedes undecim solum vacavit dies. Nam 7. Maji electus est Petrus Rogerius nobili ex familia natus in arce malomontana dioecesis lemovicensis a. 1292. Puer decem a. venit in abbatiam arvernianam nomine Casam Dei (Chaise de Dieu) ibique amplexus est regulam s. Benedicti. Missus ad studia Parisios doctoratus promeruit lauream a. agens 30. Rogatu Petri Mortemari cardinalis, cui loco filii erat, aliorumque cardinalium promotus est ad abbatiam Fiscaninam, deinde ad cathedram episcopalem attrebatensem: inde cooptatus in archiepiscopum senonensem, mox translatus Rotomagum, a Benedicto XII. creatus est cardinalis. Pontifex electus dici voluit Clemens VI. In flagellantium sectam edidit constitutiones; in alia constitutione, qua jubilaeum ad quinquagenos revocat annos, bene exponit doctrinam de Ecclesiae thesauro[1]). Decessit 6. Dec. 1352. Ejus *epistolae* et constitutiones collectae non habentur, sed dispersae reperiuntur in variis collectionibus. — Hunc mox excepit 18. Dec. 1352 Innocentius VI. Stephanus Audebertus (Aubertus, Albertus) antea dictus. In beissacensi dioeceseos lemovicensis paroecia prope Pompadurum est natus, Tolosae juris civilis doctor et professor erat atque sub a. 1335 judex major. Anno 1337 factus est episcopus novidunensis, a. 1340 claromontanus ac post biennium a Clemente cardinalis et episcopus ostensis. Sedem apostolicam tenuit ad 12. Sept. 1362. Ex ejus *epistolis,* quae XV vol. in bibliotheca vaticana asservari traduntur, 250 exhibentur a Martene Anecd. II, 843—1072; aliquot a Mansi coll. conc. XXVI, 308 ss. et in bull. magno taur. IV, 504 ss. — Successit 31. Oct. 1362 Urbanus V. antea dictus Guilelmus Grimoaldus abbas s. Victoris Massiliae ordinis cluniacensis, qui ne cardinalis quidem erat. Cogitavit novum bellum sacrum atque felici initio capta fuit urbs Alexandria, sed auxiliorum defectu ulteriori exitu caruit. Graecorum imperatoris Joannis Palaeologi abjurationem a. 1369 recepit: sed defuit Graecis in servanda unione constantia. De promovenda morum emendatione in clero erat sollicitus non sine fructu. Ejus in pauperes commendatur beneficentia. Mille dicitur per

[1]) Cf. Küpper KL. III, 473—479; et ea, quae supra de eo retulimus n. 312; Hefele § 608.

totum pontificatus sui tempus diversis in universitatibus aluisse literarum studiosos. Adiit 1367 demum Romam,[1]) sed Italorum pervicacia et rebellandi pruritu necnon et cardinalium gallorum votis impulsus rediit Avenionem 24. Sept. 1370: ubi tamen mox obiit 19. Dec. 1370. Primum bullae coenae exemplar, quod adhuc habemus, sub ipso prodiit cum paucis casibus reservatis. A Pio IX a. 1870 inter beatos fuit relatus. *Epistolas* ejus quasdam edidit[2]) Bzovius ad a. 1366 ss.; plurimarum vero nonnisi excerpta; sexaginta Wadingus in Annal. Min., alias LVIII ibid. in Regesto pontificum. P. Lecacheux coepit Parisiis 1902 edere *Lettres et Curiales;* Fr. Cerasoli multas exhibet, sed admodum mendose in diss. Urbano V. e Giovanni I. di Napoli in Archivio storico per le province napoletane XX (1895), 79—94; 171—205; 357—394; 598—645.

337. Ex *jure canonico* vix aliquem reperimus, qui scriptis editis innotuerit. Plura quidem reliquit[3]) Paulus de Liazariis Bononiensis, Jo. Andreae discipulus, doctor juris civilis et membrum collegii judicum, in patria juris professor († 8. Febr. 1356), sed prodierunt tantum *repetitiones* super aliquot capita decretalium, Senis 1493; Venetiis 1496 cum quaestionibus, Florentiae 1496. — Joannes Calderinus, »doctor decretorum famosissimus«, qui reliquos omnes hac epocha celebritate praecelluit, filius erat adoptivus celebris Joannis Andreae. Juris canonici erat doctor et professor Bononiae. Summa apud concives fruebatur auctoritate, qui eum ad varia munera civitatis honorifica elegerunt et bis ad romanum pontificem legatum miserunt. A Carolo IV. dictus est comes palatinus, quem honorem probavit Urbanus V., qui eum ab oneribus civicis solvit († 1365). Ejus opera sat diffusa praxi inserviunt magnoque usui fuerunt sec. XIV. et XV. Scripsit[1]) praeter alia *Repertorium* (seu dictionarium) *juris* (secundum Hain 1474 s. l.); *consilia* seu resolutiones casuum Lugduni 1550; Venetiis 1582 in f. (cum consiliis aliorum); *tabula auctoritatum et sententiarum bibliae* cum concordantiis decretorum et decretalium, Spirae 1481; tr. *super materia interdicti ecclesiastici,* Papiae 1488; Venetiis 1496, et inter tractatus universi juris, ib. 1584 XIV, 325 ss.; *Repetitiones in jus canonicum,* ib. 1496; 1529; tr. novus *de haereticis,* in quo omnia, quae ad officium inquisitorum contra haereticam pravitatem spectant, Venetiis 1571. — Opera Bartoli saxoferratensis jurisconsulti suo tempore adeo celebris, ut diceretur »lucerna juris civilis, monarcha juris etc.« († 13. Jun. 1359). Pisis, Perusiis et alibi professoris, jus fere civile spectant (Venetiis 1615 t. 11), quaedam tantum in iis ad jus canonicum referuntur. Singularis est ejus *tr. procuratorius* editus sub nomine diaboli, quando petiit justitiam coram Deo, et b. V. Maria se opposuit contra ipsum et obtinuit, necnon obmutuit pugna contra genus humanum, s. a et l. in 4; 1475; Hanoviae 1611 cum Udonis Tengleri annotationibus. — Et praetermissis Alexandro de Antella (de Antillo, Ancilla, Avalla) Florentino, juris professore patavino († 11. Nov. 1355) — Guilelmo Horborch (Herbroch) decretorum

[1]) Cf. Kirch, dio Bückkehr der Päpste Urban V. und Gregor XI., nach Rom, Paderborn 1898.

[2]) Cf. Th. Bérengier Le B. pape Urbain V., Tours 1895; W. Chevalier Actes anciens et documents concernant le B. Urbain V. pape, sa famille, sa personne, son pontificat et son culte, Paris et Marseille 1897, quo in op. circa duodecim vitas vetustiores exhibet.

[3]) Cf. Fantuzzi 5, 64; Tiraboschi V. l. 2 c. 5 n. 11.

[1]) Fantuzzi 3, 14—24; Schulte II, 247. Tiraboschi V. l. 2 c. 5 n. 10.

professore pragensi, decano hamburgensi et demum Romae auditore Rotae (fl. 1375), qui *Rotae decisiones* collegit, Romae c. 1470; 1472; 1475; Coloniae 1581, et saepe alibi. — Albericus de Rosate (Roxate, Rosciate) Bergomensis, juris doctor patavinus, advocatus († 1354), collegit *dictionarium juris civilis et canonici,* impressum antiquissimis typis absque loco et anno; Bononiae 1481; Papiae 1513; Lugduni 1521; 1548; Venetiis 1601. Exhibet axiomata juris et terminorum explicationem cum assignatione literaturae seu fontium[1]). — Gauffridus de Savigny episcopus cabilonensis († 1374) compilavit *novas constitutiones* Audientiae Contradictarum in curia romana, quas Petrus de Sortenac episcopus ecclesiae vivariensis dictae Audientiae Contradictarum auditor superfluis quibusdam resectis et nonnullis additis in 24 capita distribuit et a. 1475 publicavit. Eas primum edidit J. Foerstemann, Lipsiae 1837 in 8. Porro Petrus postmodum factus est cardinalis (1375) et (1384) episcopus sabinensis († 17. Aug. 1390).

338. In *theologia morali* saepe ab hoc tempore insonuit nomen Rainerii de Pisis (vel a Rivalto) O. Praed. vitae spirituali et ad perfectionem anhelanti addicti († 1351), qui ex theologis antiquis clarioribus concinnavit et in commodum lectorum ordine alphabetico digessit opus, cui posteri titulum indiderunt *Pantheologia,* quae adeo utilis visa est, ut mox a nata typographia pluries praelum subierit: Gandavi 1459 t. 2 in f. cura sodalis Jacobi Florentini O. Min., qui in prologo fatetur se quaedam subtraxisse et multa addidisse et reduxisse aliquas materias subtiles ad stilum faciliorem et clariorem; Norimbergae 1474 t. 3; 1477; 1486; Coloniae 1486; Lugduni 1519; Brixiae 1529; Venetiis 1585 t. 2 in 4; demum cura Jo. Nicolai, qui pariter in ea plura sibi permisit: nam in multis ordinem mutavit et quam plurima addidit, Lugduni 1655 t. 3 in f.; 1670. Exhibet in ea doctrinam s. Thomae, ex parte etiam Alexandri Halensis et s. Bonaventurae in omnibus fere disciplinis, sed praecipue circa illam materiam, quae magis convenit moralibus viris ac devotis: unde Genér illam dicit theologiam »dogmatico-scholastico-mysticam.« »Ceterum scriptor pius est aeque ac doctus, pietatem ubique spirans ac studium salutis animarum verum et secundum scientiam: modestus, nihil sibi arrogans, sed auctores omnes quos excipit laudans ex nomine: sapientem eorum quos citat delectum habens nec nisi sanae doctrinae viros proferens[1]).« — Hermannus de Schildicz (Schildesche, Schildis, Schuldiz, Saldi etc.) O. S. Aug. Westphalus, theologiae professor, vir eruditus »doctor germanus et magnus legista« dictus, et ob virtutum splendorem a coaevis et supparibus multum laudatus, a sodalibus beatus salutatus († 8. Jul. 1357), praeter multa inedita[2]), praesertim in s. Scripturam, composuit manuale seu *Speculum sacerdotum,* de tribus sacramentis principalibus, Moguntiae 1469 (m. 600), s. l. et a. (c. 1476 m. 600); s. l. et a. (Venetiis 1480). s. l. et a. c. 1491 etc.; — Nicolaus de Matafaris O. Min. Jaderensis tantos progressus doctrinae virtutumque fecit, ut a Joanne XXII.

[1]) Cf. Esser KL. X, 1271; Tiraboschi V. l. 2. c. 4 n. 20.

[1]) Ita Quetif I, 636.

[2]) Inter quae tr. contra Pauperes de Lugduno, contra flagellatores, tr. *contra haereticos* negantes immunitatem et jurisdictionem Ecclesiae pro Joanne XXII., de quo disserit Finke: Zur Geschichte ... H. von Schildesche in Zeitschr. für vaterländische Geschichte XLVI, 1, 201—9 coll. XLV, I, 124—27 et XLVII, 1, 220; hist. Jahrb. der Görresgesellsch. 1889. X, 568—70. Cf. de eo praesertim E. Seckel in Beiträge zur Gesch. beider R. im MA.. Tübingen 1898 I, 129 ss.; Haupt Realenc. VII³, 711 s.

ad suae patriae archiepiscopatum a. 1333 promoveretur († 1366). Collegit l. de ecclesiasticis officiis, cui titulum fecit *Thesaurus pontificalis*, qui vulgatus fuit Lutetiae Parisiorum.

339. *Theologiam asceticam* vel *mysticam* excoluerunt plures viri illustres ex ordine s. Dominici[1]). Joannes a Tambaco (Dambach, quod est Alsatiae oppidum) n. est a. 1288, et juvenis a. 20 sacrum ingressus est ordinem. Cum aliis, ut videtur, Parisios destinatus fuit ad excolenda studia: lauream vero adeptus est intercedente Carolo IV. imp. auctoritate Clementis VI. in studio Montepesulano a 1347, primus iterum post longum tempus ex provincia Germaniae[2]). Assignatus hinc est studio pragensi in theologiae magistrum, sed jam a. 1350 eum Avenione reperimus. Postea degit Argentorati, unde orta in sodales tempestate Friburgum confugit, ubi et 3. Jan. 1372 in magna virtutis opinione a. aetatis 84 decessit. Ex pluribus ejusdem operibus prodiit tantum: *De consolatione theologiae* contra saevientis adversae fortunae jacula, opus ll. 15 distinctum, in typographiae incunabilis s. l., a. et nomine typographi, imo et absque signaturis, numeris etc. ut Moguntiae (c. 1468, m. 300); in compendium redactum, Parisiis 1493; Coloniae 1502; Norimbergae 1599; op. *de culpa et gratia* argumentum exhibet Quetif I, 669 s. — Longe celebrior est piissimus b. (Joannes) Henricus Suso (Seuse) in codd. Joannes a Suevia dictus, juxta plures n. 21. Mart. Ueberlingae, probabilius Constantiae c. a. 1300 parentibus nobilibus[1]). Mens eidem fuit excelsa, animus ad quaeque majora par et constans, disciplinae regularis cultus assiduus, propriae perfectionis desiderium indefessum, animarum ad vitam spiritualem et interiorem promovendarum zelus ardens, ingenium acre, doctrina ad s. Scripturae sanctorumque patrum amussim castigatior, elocutio facilis et dulcissima, oratio non qualis plurium ejus aetatis auctorum a se lectorum serva, sed ex fonte fluens, quae ex ejus operibus omnibus patent[2]). Puer a. 13 ingressus est Constantiae sacrum ordinem, suamque ad vitam interiorem conversionem assignat a. 18., in qua jugiter profecit virtutumque apicem conscendit. Studiis vacavit Coloniae, Constantiae egit lectorem suoque conventui praefuit prior. Primus ejus l. sat difficilis est *de veri-*

[1]) In Bohemia inclaruerunt duo concionatores Conradus de Waldhausen de quo cf. p. 633a., et Milič (Militsch, a nonnullis Joannes cognominatus) Cremsirensis, immerito inter praecursores Husi relati. Hic renunciatis dignitatibus secularibus (versabatur enim in aula Caroli IV. imp.) et ecclesiasticis, erat canonicus et archidiaconus pragensis (1363), vitam coepit ducere apostolicam, invehere in vitia etiam cleri tam secularis quam regularis, redarguere ingentem morum corruptionem, quae tanta ei visa est, ut proximum praediceret antichristi adventum (pro a. 1365 vel 1367). Laetos retulit fructus multorumque peccatorum conversionem: sed et eorum, quorum redarguerat vitia, in se accusationes et vexationes provocavit. Delatus apud pontificem Urbanum V. Avenionem se contulit, ubi immunis inventus est a duodecim accusationum capitibus ei objectis: sed et ibidem decessit 29. Jun. 1374. Ejus libellum *de antichristo* recepit Matthias de Janow in Regulas V. et N. T. *Postilla* bohemice in Evangelia in 4. Alia quaedam ipsius recentiori aetate edita fuere. Cf. Luksch KL. VIII, 1516-1520; Loserth Realenc. XIII, 62—72.

[2]) Cf. Denifle Arch. III, 640 ss.: Jocham KL. VI, 1649.

[1]) Cf. Bihlmeyer, des schwäbischen Mystikers H. S. Abstammung u. Geburtsort in hist.-pol. Bl. CXXX (1902) 46—57; 106—118.

[2]) Seine Sprache besitzt . . . die ganze Fülle, Gemüthlichkeit und Herzlichkeit des süddeutschen Idioms; sie ist bei weitem biegsamer, reicher, anschaulicher und melodischer als der Ausdruck Eckharts. Seine Büchlein bieten die schönste Prosa jener Zeit und vermitteln die schwierigsten scholastischen Ausdrücke mit bewundernswerter Genauigkeit." Baumgartner KL. V², 1728.

tate, in quo agit contra Beghardos et fratres spiritus liberi, Eckharti locutiones et sententias non tam excusat quam potius corrigit. *Horologium sapientiae* in forma dialogi inter sapientiam ejusque ministrum l. bellissimus, germanice compositus (Der ewigen Wissheit Betbüchlein, Basel 1518 m. 150), et ab ipso latine versus, sed in vertendo haud parum immutatus et auctus, flos verae pietatis, in quo passionem Christi describit crucisque pretium melliflua aperit eloquentia, peccati enormitatem, judiciorum Dei rigorem, amoris mundani vanitatem, divini nobilitatem describit, spemque gloriae coelestis succendit: hinc medio aevo vulgatissimus erat plurimumque lectitatus et in varias fuit linguas versus. Interim cum sodalibus Constantia pulsus ob fidelem interdicti a pontifice adversus Ludovicum Bavarum lati observantiam calumniis graviter est vexatus. Ultimis vitae annis degebat Ulmae, ubi decessit 25. Jan. 1365, inter beatos relatus d. 16. Apr. 1831 a Gregorio XVI. Concinnavit *autobiographiam* pretiosissimam utilissimis plenam documentis, verum hujus generis monile: inter alia vero scripta eminent ejus *epistolae,* praesertim 11, quas Suso concinnavit suoque horologio subjecit, plenae sapientibus monitis practicis, nonnulli *sermones* etc. Ejus opera collecta cum ejus vita saepe prodierunt ut Coloniae 1555; 1588; 1615; 1658; germanica Augustae 1482; 1512; sed dolendum ejusmodi editiones non esse factas ad codices sinceros et meliores[1]). Melior est jam editio, quam curavit Melchior Diepenbrock secundum antiquissima manuscripta et editiones stilo in recentiorem modum loquendi immutato, Ratisbonae 1829; 1837; sed omnium optima est, quam inchoavit doctissimus Henricus Suso Denifle O. Praed. Monachi 1880; 1882. Eo t. continentur Susonis autobiographia; Das Büchlein der ewigen Weisheit; Das Büchlein der Wahrheit, das Briefbüchlein scil. epistolae selectae. Versionem gallicam dedit Thiriot Oeuvres mystiques, Paris 1899 t. 2 in 12.

340. Mira sanctioris severiorisque vitae ratione inter theologos mysticos inclaruit Joannes Taulerus O. Praed. Nomen *theologi sublimis* et *illuminati* suis operibus apud posteros promeruit vitaeque spiritalis magister est habitus. Natus est Argentorati c. 1300, eodem scil. tempore quo Suso, parentibus satis divitibus. Coloniae studiis operam dedit circa a. 1325—29 etiam sub magistro Eckhart cum Susone et Jo. Tambaco. Quid postea egerit, non satis compertum est. Anno 1339 eum reperimus Basileae concionibus et forte etiam lectionibus vacantem, ubi intimam iniit familiaritatem cum aliis viris mysticis, qui dici solebant „amici Dei (Gottesfreunde)," inter quos erant beatus M. F. Venturini de Bergomo praedicator insignis ejusdem ordinis[1]), Merswin, F. Egnolfus, Henricus de Nördlingen, etc. et devotae feminae Margaretha et Christina

[1]) Cf. plura de Suso praeter Baumgarten, apud Görres in praef. ad ed. Diepenbrock; Greith die deutsche Mystik im Predigerorden, Friburgi 1861; Strauch allgem. deutsche Biogr. 37, 169—179, qui copiosam literaturam exhibet.

[1]) „Vir fuit apostolici plane pectoris, qui zelo animarum fervens praecipuas Italiae civitates verbum Dei seminando percurrit ac innumeros ad meliorem frugem convertit. Plura hominum millia secum aliquando Romam adduxit e Bergomo poenitentiae causa." Quetif I, 621. In suspicionem tamen vocatus a Benedicto XII. praedicationis munere interdictus est et in exsilium actus: quo patientissime per octennium tolerato, a Benedicti successore Clemente VI. suis muneribus est restitutus et ad praedicandam crucem delegatus. Multa militum millia ad sacram expeditionem excitavit, et in Orientem ipse profectus, continuis laboribus contritus Smyrnae decessit 28. Martii 1346. Reliquit sermones et epistolas „divino spiritu plenas", ex quibus aliqua refert Quetif l. c.

Ebner[1]). Rediit Argentoratum, ubi erat a confessionibus nobili Rulman Merswin post hujus a seculo conversionem. Magnam animorum commotionem excitavit suis concionibus ibidem et Coloniae. Decessit Argentorati 16. Jun. 1361; secundum Quetif, qui ad epigraphen sepulcralem provocat, a. 1379. Vita ejus, quam Surius editioni sermonum praemisit, secundum eundem Quetif nullatenus ad historiae amussim scripta videtur, nec fide digna sunt, quae de quodam amico Dei anonymo (Gottesfreund vom Oberland), qui ad eum venerit eumque in vita interiori plenius instruxerit[2]), a pluribus historicis referuntur. Editio operum omnium critica, quod dolendum, adhuc deest. Multa sub Tauleri nomine circumferuntur, ut sermones, epistolae, tractatus etc. quae si *sermones* excipias, supposita vel dubia sunt. Genuini sunt *sermones* (84) lingua teutonica editi Lipsiae 1498, si quatuor excipias, qui Eckharto asseruntur: quibus alii quinque accedunt ex 25 ed. coloniensis cur. b. Canisio 1543. Plures (36) numerantur sermonum editiones, e quibus adhuc memoranda est ed. basiliensis 1521. 1522, quae alios 42 sermones sub ejus nomine exhibet; Francofurti 1864-65 pp. 3 cur. Hamberger T. Predigten in die jetzige Schriftsprache übertragen. In ed. coloniensi operum Tauleri 1548 exhibentur: Surii paraphrasis latina, sed fidelis, sermonum ejusdem: praeterea plura supposita vel dubia. Ita *Historia et enarratio* vitae sublimis ac illuminati theologi Jo. Tauleri, quae est versio latina a Surio adornata scripti: Bericht von der Bekehrung Taulers, ed. a Schmidt in op. Nikolaus von Basel, Argentorati 1875, quae non agit juxta Denifle de Taulero, sed probabiliter de R. Merswino[1]), de quo infra redibit sermo. *Divinae institutiones* aut doctrinae recens inventae, quibus instruimur, ut per spirituales exercitationes virtutesque ad amabilem Dei unionem pertingamus, inscriptae etiam *Medulla animae,* a Surio ex Tauleri aliorumque scriptorum mysticorum sunt collectae et digestae ita, ut auctorum nomina non notaverit. *De novem statibus* sive gradibus salutis ad proficiendum continue per veram sui abnegationem sive resignationem in vera atque christiana vita est epitome op. *de novem rupibus,* quod est probabilissime R. Merswini. *De X caecitatibus*; *Speculum lucidissimum* et exemplar amabilissimum D. N. J. Christi; *Colloquium* theologi et mendici; *exhortatio* quaedam fidelis, ut nos ad adventum D. N. et mortem praeparare debeamus, ac de diversis judiciis Dei super filios hominum etc. Spuria praeterea: *Exercitia* super vita et passione J. Christi, saepissime edita, latine redita a Surio Coloniae 1548; 1607; 1706 etc.; *Das Buch von der Nachfolge des armen Lebens Jesu,* ed. a Dan. Sudermann 1621, ut ostendit Denifle, qui illud edidit inscriptum *Das Buch von geistlicher Armut,* Monachii 1877. — Joannes Ecckius cum aliis Tauleri doctrinam carpsit, eam vero contra ipsum egregie vindicavit Blosius vir piissimus; etiam Bossuet in l. Instruction sus les états d'oraison eum plurimum commendat p. 6: Taulère est à mon avis

[1]) De his piissimis et clarissimis monialibus cf. Kaulen IV[2]. 81: et de amicis Dei Kessel ib. V, 893—900.

[2]) Hoc plenius nisus est contra Preger tueri Denifle sagacissimus in rebus historicis vir in op. die Dichtungen des Gottesfreundes v. Oberland bezw. die Dichtungen R. Merswin's in Zeitschr. für das Alterth., neue Folge XII et XIII, 1880. 1881. Cf. Ehrle Stimmen aus Maria Laach 1881. II, 38 ss.; 252 ss.

[1]) Cf. Taulers Bekehrung in Quellen und Forschungen zur Sprach- und Culturgeschichte, Argentorati 1879. t. XXXVI; seorsim ib. 1879; et acrem censuram operis Jundt: Les amis de Dieu au 14me Siècle, Parisiis 1879, in hist.-pol. Blätter 1879. II, 797—816; 877—898, et Taulers Bekehrung. Antikritik gegen A. Jundt, Münster 1879.

un des plus solides et des plus corrects des mystiques[1]). Sed et plurimi alii eum tuentur, ut Dionysius carthusianus, Sixtus senensis, Possevinus, Labbe, Natalis Alexander etc.

341. Neque praetermittendus est alius amicus Dei Henricus de Nordlinga, Tauleri, Susonis aliorumque mysticorum familiaris. Multas devotas feminas earumque integros conventus, viros omnis conditionis, sacerdotes seculares et regulares in via perfectionis instituebat et promovebat, Basileae praesertim, ubi morabatur tempore interdicti ob Ludovici Bavari vexationes lati. Laboribus apostolicis pene obruebatur, sed magno auditorum fructu, nam vir erat piissimus[2]). Decessit post a. 1350. Ex pretiosissimis ejusdem literis, quasdam publicae luci donavit Jo. Heumann inter opuscula, Norimbergae 1747 p. 331 ss.; integras vero Strauch in op. *Margaretha Ebner und Heinrich von Noerdlingen,* ein Beitrag zur Geschichte der deutschen Mystik, Friburgi 1882. — Gallus O. Cist. Aulae regiae abbas in Bohemia (fl. c. 1370) scripsit *resolutiones dubiorum et difficultatum,* quae a statu religioso quemquam avocare possent (ut videtur ineditas), et *malogranatum* in 3 ll. distinctum interlocutore patre et filio opusculum suo tempore multum lectitatum: disserit in eo de triplici statu incipientium, proficientium et perfectorum seu de conversione hominis ad Deum, de contritione, confessione et satisfactione in l. 1; in l. 2 de vitiorum detestatione, de virtutum operatione, de tentationum perpessione; in 3. l. de cordis munditia; de Dei et proximi caritate, de Creatoris omnium contemplatione. Prodiit f. 1480; 1481; 1487 in f. s. l. et nomine typographi. Ejusdem epitome germanica *Granatapfel* prodiit Augustae 1510. — Aliquot *hymnos* Conradi de Haimburg O. Cart. prioris Gamingae et visitatoris provinciae rhenanae superioris († 17. Aug. 1362) edidit Mone Lateinische Hymnen im MA. Sunt qui conjiciant ipsius quoque esse hymnum devotum »Omni die dic Mariae« etc.

[1]) Cf. Preger Allg. d. Biogr. 37, 453-65; Realenc. XV, 251—262; Quetif I, 677; v. Loë KL. XI, 1276—1280.

[2]) Cf. Kaulen KL. V, 1717—1720; Strauch Allg. d. Bi. XXIV, 7-11; Realenc. VII³, 607-610.

XI.

Theologi annorum 1376—1400.

I. Theologia scholastica.

342. Inter innumeros, qui in Magistrum sententiarum scripserint, pauci inclaruerunt. Prae ceteris forte hac periodo innotuit Marsilius (Marcelius) de Inghen (in provincia Geldriae), Occami discipulus. Ab a. 1362 Parisiis docuit in artium facultate ipsique universitati praefuit 1367 et 1371 rector, ab eaque missus est a. 1373 ad Urbanum VI. Cum vero academia ab hujus pontificis obedientia tristis schismatis tempore defecerit, Heidelbergam secessit, atque inter primos hujus novae academiae doctores plantatoresque eminuit. Novies illius rectorem egit simulque canonicus et thesaurarius ecclesiae s. Andreae coloniensis fuit. Piissime vivebat; singulis feriis sextis jejunabat in aqua et pane: hinc non sine sanctitatis opinione mortuus refertur (20. Aug. 1396; secundum Fabricium aliosque 1394). Ejus *commentaria seu quaestiones in 1. l. sententiarum* prodierunt Argentorati 1501; quaestiones *in ll. de generatiane et corruptione,* 1504; *Abbreviationes physicorum*[1]), 1482; Venetiis 1521 cura Augustini Monsfalconii O. S. Aug. († 1522), qui plura sodalium opera correxit ediditque; *oratio* complectens dictiones, clausulas et elegantias rhetoricas, s. l. et a.: forte ipsius quoque sunt *suppositiones,* quae sub Marsilii Parisiensis nomine prodierunt, Taurini 1792 cura Fr. A. Zaccaria, qui illas in cod. Pistoriae reperit. Praeprimis vero innotuit retractatione *Summulae* Petri Hispani, qua nominalismum propagavit. — Albertus de Riggensdorf (Rickmersdorf) communiter de Saxonia dictus, quem Lanterius, Ossinger etc. Augustinianis, alii Dominicanis adscribunt, fatente Quetif clericus secularis fuit. Pragae, dein Parisiis studiis operam dedit atque ibidem ab a. circiter 1350 ad a. 1361 in philosophia inclaruit rectoremque egit a. 1353; etiam in rebus theologicis et ss. Scriptarum lectione plurimum erat versatus. Romam profectus ab Urbano V. magni est factus ob suam doctrinam, hinc Viennam missus, ut operam conferret in condenda ibidem academia,

[1]) Forte idem opus cum qq. *in 8 ll. physicorum,* qui sub Scoti nomine prodierunt Venetiis 1623 etc., sed nostro tribuuntur ab aliis. Cf. Sbaraglia p. 410 s.

cui primus praefuit ejus rector a Rudolpho IV. constitutus (1365). Mox (1366) electus est episcopus halberstadensis († c. 1390). Tribuuntur ipsi commentaria in ll. sententiarum, quae tamen sunt dubia; qq. in s. Scripturam aliaque inedita: scripta vero plura philosophica typis prodierunt, in quibus Occamum et Buridanum assectatur horumque philosophiam ab Alberti M. et s. Thomae doctrinis dissonam haud parum per Germaniam promovit. Ejusmodi sunt *de proportionibus*[1]), Venetiis 1477; 1494 in 4; 1496 in f. et alibi editum; *Logica,* Venetiis 1522; *Sophismata,* Parisiis 1489; qq. *in Occami logicam* cum hujus expositione aurea, 1496; *commentaria* in plures ll. Aristotelis, Parisiis 1516 etc., in quibus primus forte adhibuit terminos demonstrationis „a priori" vel „a posteriori" pro demonstratione ex causa ad effectum et viceversa. Graves tamen errores contra hominis libertatem protulisse accusabatur, hinc Gregorius XI. causam examinandam detulit praeposito herfordiano O. S. Dom. et cuidam doctori theologiae O. S. Aug., quos jussit ut episcopum adigerent ad publicam errorum retractationem coram fidelium multitudine[2]). Verum nihil amplius de hoc negotio auditum est. — Inedita manserunt commentaria Simonis Alcocci, Angli, theologiae doctoris, professoris et concionatoris, circa a. 1380, et Guilelmi de Oppenbach Germani, qui theologiam docuit Parisiis labente sec. XIV.

343. Quibus addantur ex ordine Cisterciensium Jacobus de Altavilla Germanus[1]), patria Rinaugiensis sive Rinkaugiensis, abbas monasterii eberbacensis (1372), qui etiam docuerat Parisiis et cujus commentaria amplissima et subtilissima laudantur. Resignavit munus abbatiale a. 1392 decessitque 9. Nov. † 1393. — Petrus le Duc (Ducis) abbas s. Victoris Parisiis († 19. Jun. 1400). — Ex ordine ss. Trin. Joannes Blenaeus Anglus, doctor theologus oxoniensis (fl. 1400). — Ex ordine s. Benedicti Joannes Bockinghamus theologus oxoniensis atque episcopus lincolniensis, qui renunciato munere episcopali (1377) ingressus est ordinem in monasterio cantuariensi: mox tamen obiit 10. Mart. 1398. Ejus qq. *in 4 ll. sententiarum* prodierunt Parisiis 1505 in 4. — Joannes de s. Amando (du Fay) abbas s. Bavonis, Clementi VI. ejusque successoribus acceptus († 1395, vel 1394, secundum alios jam 1372 vel 1371), cujus *homiliae* impressae dicuntur, et *manipulus exemplorum,* Duaci 1614. — Ex ordine Serv. b. M. V. Laurentius Opimus Bononiensis (fl. 1375), reliquit *studia* (quae dicuntur subtilissima) *super ll. sententiarum,* cura Dominici Docto de Castrofranco accurate edita 1532. — Ex s. Augustini familia mentione digni sunt: Bonaventura Baduarius (Paduarius, juxta Eggs Beduarius) de Peraga nobili prosapia Patavii 22. Jun. 1332 natus. In ipso adolescentiae flore mundum deseruit Deoque se consecravit. Parisios se contulit, ubi prius discipulum, magistrum dein egit et post decennium laurea doctorali insignitus in Italiam remeavit atque munere lectoris et concionatoris est functus. Fama ejus crescente ab Innocentio VI. cum aliis octo doctoribus selectus est a. 1362 ad constituendum Bononiae theologorum collegium. Anno 1378 evectus est Bad-

[1]) Cf. de hoc op. Bulletino di Bibliografia e di storia delle matematiche e fisiche, Romae 1871. IV, 493 ss. Erat auctor noster admodum versatus in disciplinis mathematicis et physicis. Cf. Aschbach Geschichte der Univ. Wien I. 1. 3 u. 1.

[2]) Cf. Raynaldus ad a. 1372 n. 33.

[1]) Cf. F. W. E. Roth hist. Jahrb. VII (1886), 227 s.; Falk ib. XV (1894), 517—522.

uarius in comitiis generalibus Veronae habitis in supremum ordinis moderatorem, quem annos septem rexit. Cum strenue staret pro Urbano VI. contra Clementem VII. purpura ab illo donatus est a. 1379, et quia rerum agendarum prudentia erat praeditus, non semel a pontifice huc atque illuc missus est ad schismatis tumultus componendos. Cum duobus aliis cardinalibus leges constituit pro scholis theologicis in Italiae universitatibus. Francisco Carrariensi Patavii domino jura ecclesiastica nefarie invadenti constantissime obstitit, unde suspicio, illum fuisse auctorem insidiarum, quibus inclitus praesul succubuit: nam cum Romae ad basilicam vaticanam pergeret, sagitta ab incerto emissa immaniter transfixus obiit 10. Jun. 1388; juxta alios 1381, vel 1386, vel 1390, vel 1396. Ejus *commentaria*[1]) *in 4 ll. sententiarum* prodiisse dicuntur Norimbergae 1491 t. 2 in 4. *Vita Christi* seu meditationes devotae in vitam Christi, prodiit Norimbergae 1472 et inter opera s. Bonaventurae t. VI p. 2. ed. romanae 1588-96; sicut forte et *speculum bb. V. Mariae*, Augustae 1476; *sermones* de tempore et de sanctis, Zwoll 1479, in f.; Hagenoae 1496; aliaque *opuscula*, Coloniae 1486; Venetiis 1477; Argentorati 1499; Norimbergae 1499 etc. — Dionysius de Murcia Hispanus, qui post adepta doctoratus insignia in academia parisiensi theologiam prope a. decem docuit. In Siciliam delatus fuit regius capellanus et ab Urbano VI. in archiepiscopum messanensem promotus (1363; † 1380). — Joannes Hiltalinger Basileensis, (hinc de Basilea, et Joannes Angelus dictus) magister parisiensis, provinciae suae bis praepositus constitutus est a Clemente VII. antipapa, cui erat penitus addictus, prior generalis ordinis, dein et episcopus lambariensis in Occitania († 1392) — Jacobus Eugubinus (fl. c. 1390) — Gratianus Castellani etiam Gratia de Florentia dictus, praepositus provincialis, s. theologiae magister (fl. 1394) — Antonius d'Asti (fl. 1395). — Sinomenclatoribus fides, etiam Joannes Waldebius (Waldby) theologiae magister, anglicae provinciae praepositus[1]), qui in concilio Staffordiae a. 1392 habito contra Wiclefitarum errores disputavit († 1393), et Robertus Joannis frater, qui Tolosae s. theologiae doctor fuit creatus et professor publicus constitutus. Praeclarus erat concionator ob insignes animae dotes factus est primum 1388 episcopus adurensis (in Vasconia); inde translatus a. 1390 ad sedem dublinensem, a. 1395 ad cicestrensem, mox ad eboracensem († 1. Jun. 1398). Sed cum utrique fere eadem tribuantur opera, ortaque sit confusio, non satis liquet, num revera uterque magistrum commentatus sit. — Joannes Clivoth de Saxonia (fl. 1395) — Bernardus Pugalis de Tolosa in academia tolosana s. theologiae laurea decoratus (fl. 1398) — Arnoldus Sanctius Tolosanus (fl. 1390) etc.

344. Ex Carmelitarum ordine claruit Joannes Ballester (Ballistarius) Catalanus origine, »sapientia et doctrina[2]) insignis.« Unde inter ceteros doctores Parisios suo tempore currentes in speculativa scientia primatum tenuit. Hic *super quatuor ll.*

[1]) Ejus fratri secundum carnem et spiritum, qui dicebatur Buonsemblante (Bosembiante) neque minoris sive doctrinae sive pietatis erat († 28. Oct. 1363), tribuuntur pariter lecturae in ll. sententiarum. De utroque cf. Lanterius I, 263—69; Ossinger 94. 143; de nostro Tiraboschi V. l. 2. c. 1 § 20; Gloria Monumenti della Università di Padova I, 548 Padova 1888, ubi perperam ipse et frater ejus O. Praed. adscribitur.

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irland I, 540.

[2]) Ita in elencho ed. a Denifle Archiv V, 377.

sententiarum subtilissima edidit scripta (cum *quodlibetis* Cremonae 1618 t. 2 in f. cura Jo. Chrysostomi Marasca); fuitque abstinentiis et omnibus virtutibus ornatus sicque in priorem generalem rite et canonice eligitur (8. Sept. 1358; † 30. Sept. 1374; juxta bibliothecam carmelitanam 1384). « Scripsit quoque de bello forti Ecclesiae militantis et antichristo sive de novissimis temporibus. — Praetermisso Ballistarii successore Michaele Aiguani, de quo cf. p. 685, ex eodem ordine fuere Fridericus Wagner Augustanus, theologiae professor in academia viennensi (fl. 1390), qui dicitur fuisse episcopus passaviensis (forte auxiliaris, nam in serie episcoporum non comparet). — Richardus Wichingham norfolciensis prior et professor theologiae in coenobio burnehamensi († 1381) et Joannes de Aquis Catalanus (fl. 1390), qui etiam Evangelium s. Matthaei exposuit. — Blasius Andernarius (Axemarius, Audemarius), lector sententiarum Parisiis et bibliorum, cujus commentarius in ll. sententiarum opus valde notabile dicitur (fl. c. 1376). — Henricus de Andernaco Parisiis primum, dein et apud Colonienses circa 1390 inclaruit. — Joannes Belhure Rupellensis († 1400). — Joannes ab oppido patrio Beverlajus dictus, Anglus (fl. 1390). — Joannes Tomsonus Anglus (fl. 1380). — Joannes Horneby Anglus († 1380), cujus plura laudantur scripta. Horum tamen labores manserunt inediti. — Ex ordine s. Dominici fuere Jacobus Cini a s. Andrea, concionator apostolicus et lector Florentiae, in cujus academia magisterii laurea fuit insignitus (1363), ab Urbano VI. episcopus termulanus sub beneventano renunciatus a. 1372, quam sedem ad a. 1379 rexisse videtur. — Gombaldus de Ulugia Aragonus vir gravis et eruditus, in sacra facultate parisiensi magister fuit († 6. Jul. 1384). — Joannes Forbiteus (Forbitor, Fourbisseur) Gallus, magister parisiensis (fl. c. 1379). — Henricus Petri Catalanus (fl. videtur c. 1380) — Adam Ferrarius Aurelianensis (fl. 1383). — Bartholomaeus de Bolsenheim Bolzani in Tiroli ortus, qui Argentinae prius theologiam est professus; Parisios dein missus ad legendas sententias, secundum quosdam fuit etiam s. palatii magister (fl. 1385). — Thomasinus de Ferraria theologiae magister ac haereticae pravitatis inquisitor (fl. 1390), qui in compendium redegit commentaria s. Thomae in ll. 1—3 magistri sententiarum. Prodierunt tantum ejus *sermones quadragesimales*, Coloniae 1474. — Joannes Gaji Pictaviensis, magister s. theologiae in facultate parisiensi. — Bernardus Ermengaudi Aragonus a capitulo generali designatus ad exponendas Parisiis sententias et magisterii laurea ibidem insignitus († 1388). — Joannes de Sterngassen (al. Spernegasse) Germanus (fl. c. 1390). — Bartholomaeus de Riparia (d'Arribaire, de la Rivière) magister tolosanus theologiae, episcopus bajonensis († c. 1392). Verum horum omnium labores in Magistrum non videntur typis vulgati. — Ex ordine Minorum hac periodo reperimus tantum Joannem de Aquiano (Evian, oppido Sabaudiae), qui a 1375 doctor parisiensis fuit renunciatus, et Franciscum parisiensem, magistrum et regentem studii theologici, qui reliquerint commentaria in sententiarum magistrum.

345. Cum altero seculi XIV. dimidio Joannes Wiclef (Wycliffe, Wyklif etc. † 31. Dec. 1384) suos diffunderet errores [1]), praesertim per Angliam, mirum

[1]) Contra omnes haereticos, schismaticos et persecutores Ecclesiae disputavit volumine magno de Ecclesiae potestate inscripto Joannes Hickley OSA. s. theologiae doctor, Anglus. — De *eucharistia* disputavit Thomas Colyngham O. Cist. c. 1387, cujus de ea commentarii (graves et serii) prodiisse dicuntur Lutetiae.

non est, quam plurimos in eos insurexisse, quorum tamen labores fere omnes manserunt inediti. Huc spectant ex Carmelitarum ordine Thomas Lombe (Lumbaeus) doctor et professor oxoniensis († 1390), cujus praeterea sunt lecturae in s. Scripturam, commentaria in ll. sententiarum. — Richardus Maidstonus (de Maydeston, quod est oppidum natalitium) Anglus, Oxonii doctor et magister († 1. Jun. 1396), qui non solum strenue egit contra Wicleffitas et Lolhardos, sed etiam plures s. Scripturae ll. et magistrum sententiarum commentariis illustravit. — Joannes Kiningham (Kynyngham † 1399), qui primus dicitur in concertationem descendisse cum Wiclef. Reliquit quam plurima alia opera, ut praeconia s. Scripturae, commentaria in Jeremiam, Ezechielem, ep. s. Jacobi; in sententiarum magistrum; disputationes de Spiritu s., de natura angelica etc. — Petrus Stockes (Stoccus) theologus oxoniensis, qui nomine archiepiscopi cantuariensis et regis Wiclefi haeresim examini subjecit († 28. Jul. 1399), et praeterea reliquit commentaria in varios s. Scripturae libros et sententiarum magistrum alia que plura. — Ex ordine s. Augustini Wiclefi errores impugnarunt Simon Soutray (secundum aliquos ordinis s. Ben.) Anglus, s. theologiae doctor oxoniensis. — Thomas Ashebur-nus Staffordiensis (fl. 1382). — Bankinus Londinensis, professor oxoniensis (fl. 1382). — Thomas Winterthon[1]) professor oxoniensis, Wiclefi quondam condiscipulus, Lincolniensis (fl. 1393). — Ex ordine s. Benedicti Wiclefum aggressi sunt Simon Langham abbas westmonasteriensis, episcopus eliensis, dein archiepiscopus cantuariensis (1366), cui sedi tamen a. 1368 resignavit creatus cardinalis († 22. Jul. 1376), cujus[1]) confutatio errorum Wiclefi exstat in coll. conc. Labbei t. XI. p. 2. — Nicolaus Radclifus (Radoclifus) monachus atque archidiaconus ad s. Albanum, Anglus (fl. 1390). — Ex s. Dominici ordine praeprimis Joannes Bromyard (de Bromierde) magister oxoniensis, praedicator insignis († 1390), cujus *summa praedicantium* saepe prodiit ut s. l. et a. (Basileae 1474 m. 100); Norimbergae 1485 in f.; 1518; Lugduni 1522; Venetiis 1586; Antverpiae 1614 etc.; *opus trivium* scil. perutilium materiarum praedicabilium ordine alphabetico e divina, canonica civilique legibus eleganter contextum, s. l. et a., in qua ed. auctor erronee nominatur Philippus; Parisiis 1500. — Rogerus Dymmokus (Dimoccus, Dinmock etc.) magister oxoniensis, qui floruit c. a. 1390. — Ex ordine FF. Minorum emicuit Guilelmus Waterford (Wodfordus, Widefordus) anglus (aliis hibernus) theologiae doctor oxoniensis, quem Thomas Waldensis suum appellat magistrum. Tanta doctrinae fama inclaruit, ut in concilio londinensi propter Wiclefi errores congregato communi suffragio electus fuerit, qui hujus trialogum praecipuos continentem errores refutaret († 1397). Ex multis ejusdem scriptis[2]), quorum plura sunt commentaria in varios s. Scripturae libros, prodierunt tantum *Contra 18 articulos Jo. Wiclef,* s. fidei pestem et haeresiarcham . . . *decertationes* cura O. Gratii in Fasciculo rerum expetendarum, Coloniae 1535 in f. (cum Aeneae Silvii comment. de conc. Basileae celebrato ll. 2); 1690 cura Brown I,

[1]) Alterius Thomae W. ejusdem ord. mentionem facit Ossinger, quem obiisse dicit circa a 1310, atque aliquot Aristotelis opera et ll. sententiarum interpretatum esse.

[1]) Cf. aliquot ejusdam epistolas in Wilkins coll. conc. M. Britanniae III, 64 s.

[2]) Cf. Sbaralea p. 332, qui eum a. 1411 adhuc vixisse tuetur; Oudin III, 1171, qui diligenter ejus opera mscr. et codd. quibus continentur, recenset; Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. I, 541.

280—96. Fragmentum profert Raynaldus in annal. eccl. ad a. 1396 n. 10 ss. — Joannes Tissingtonus doctor oxoniensis, suae provinciae praepositus, strenuus adversarius († 1395), de sacramentis, in primis de sacramentis altaris et poenitentiae, disputavit.

346. Polemicis scriptoribus accensere licet Demetrium Cydonium (forte ob commorationem in hac urbe), qui sapientiae amore coelibatum coluit. Acceptus admodum fuit et a consiliis Joanni Cantacuzeno Graecorum imperatori (1341—56), quem et in exsilium in monasterium s. Mamantis montis Athos secutus est. Inde profectus in Italiam raro pro Graecis exemplo literarum latinarum studio vacavit, praesertim vero s. Thomae. Concives ardenter hortatus est ad constantiam in repellendis Turcis et ad unionem cum occidentali Ecclesia. Rediit in Graeciam et distributis bonis suis inter pauperes orationi et studio deditus vitam finivit[1]) in quodam monasterio Cydoniae ante finem sec. 14. Ejus opera reperiuntur in Migne Patrol. gr. CLIV, 825—1217, inter quae potiora sunt: *De processione Spiritus* adversus Greg. Palamam, etiam inter opuscula aurea theologica ed. a P. Arcudio Romae 1630; 1670 p. 446—580; de eodem argumento adversus eos, qui dicunt Filium Dei non esse ex substantia Patris; translatio l. fr. Ricardi O. Pr. contra Mahometi asseclas inscripti: *Confutatio Alcorani muhamedici,* quam cum versione Bartholomaei Piceni edidit Theodorus Bibliander in syntagmate scriptorum anti-Muhamedanorum, Basileae 1543; Romae 1606; accedit *fidei christianae confessio* facta Saracenis; *de contemnenda morte* (Lipsiae 1756); *ep. ad Barlaamum,* in qua ab eo petit, quibus rationibus adductus sit, ut crederet Spiritum s. etiam ex Filio procedere (Migne CLI, 1283—1301): *epistolae* etc. Multa manserunt inedita[1]), inter quae versio Summae s. Thomae adversus gentiles et partis Summae theologicae necnon et aliquot opusculorum ss. patrum et s. Thomae.

347. *De b. V. Mariae conceptione* eo tempore plurimi disputarunt in utramque partem, quorum tamen tractatus fere omnes sunt inediti. Ita pro immaculato conceptu steterunt ex. gr. Joannes Marcheley (Marcheltius, Marckelegus O. Min. anglus, provinciae anglicanae minister († 1376), qui acres habuit congressus cum Guilelmo Jordano O. Praed. anglicae provinciae alumno, magistro theologiae in universitate oxoniensi, forte Clementis VII. poenitentiario. Etiam in ep. ad Romanos, in sententiarum ll., contra Wiclef scripsisse refertur (fl. 1389). — Praeter Mich. Aiguani, de quo mox, Bernardus Ollensis seu Ollerius O. Carm. Manresae in Catalonia ortus, clarus theologiae professor, prior generalis illius factionis ordinis, quae adhaesit Clementi VII. contra Urbanum VI.[2]). — Praeprimis ejus sodalis Franciscus Martinius Barcinonensis, academiae parisiensis theologus, in commentario pererudito *de ss. Deiparae conceptione* in tr. 7 diviso, in quorum quinto probat rationibus centum eam fuisse immaculatam, quae insertae sunt l. Fr.

---

[1]) Cf. Streber KL. III², 1501; Oudin III, 995—1005.

[1]) Cf. accuratam recensionem in Fabricii bibl. graecae XI, 398 ed. Harles; Krumbacher p. 102 s.; 487 ss.

[2]) Alius a Bernardo Oliverio O. S. Aug. pariter Hispano, cujus supra p. 551 a. fecimus mentionem. Ad Urbanum VI. scripsit noster informationem de origine ordinis sui historico-juridicam, qua suo ordini vindicavit nomenclaturam *b. Mariae V. de Monte Carmelo,* non sine fructu, cum Urbanus VI. in quodam indulgentiarum eidem ordini concessarum instrumento non alio nomine eum vocasse legitur. Hanc informationem intexuere Speculi Carmelitarum auctores suo operi, quod Venetiis 1507 prodiit. Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. vet. l. IX c. 7 n. 319.

Bonae Spei (Nomencl. II², 49) *Magni prophetae Eliae visio* de immaculata Deiparae conceptione, Antverpiae 1665. Prodiit sub nomine *Compendii veritatis* de immaculata conceptione b. V. in bibliotheca Mariana Petri de Alva et Astorga, Matriti 1648. Hic idem praelo commisit *Defensorium* seu apologiam pro immunitate V. Mariae a peccato originali in ll. 5 divisum Joannis Vitalis Hispani doctoris parisiensis et ministri provinciae, Lovanii 1665, quod est contra Joannem de Montesono (Monçon) O. Praed. ejusque asseclas. Hic patria erat Aragonus de Monzon, Valentiae cathedram theologiae moderabatur in eaque ss. literas interpretabatur: inde Parisios missus est ad sententias legendas atque magisterii lauream promerendam, quam et obtinuit 1387. „Jam vero in suis vesperiis primaque lectione magistrali pronunciaverat 14 sententias, quae universitati parisiensi jure displicuerunt. Inter quas quatuor in prima lectione magistrali pronunciatae pertinebant ad conceptionem b. Mariae V. Imo de illa conceptione Jo. de Montesono errores similes promulgavit erroribus, quos emiserant ante a. 25 duo fratres ejusdem ord. Prosequente lite de 4 prop. praesertim agebatur. Si Jo. de Montesono ejusque fautores in ordine tantum professi essent b. Virginem conceptam esse in peccato originali, tunc propositio indemnis abiisset, cum alii aequales et antecessores idem sustinuerint, et tunc temporis non fuerit illud de articulis fidei, ut induceret quemquam ad unam partem magis quam ad aliam declinare. At Joannes et quidam asseclae asseruerunt enunciationem „b. Virginem esse conceptam sine peccato originali“ esse expresse contra fidem, quod idem est ac dicere: „qui credit, b. Virginem esse conceptam sine peccato originali errat in fide et peccat mortaliter.“ Ea temeraria sententia offendebat majorem partem universitatis, in qua jam festum conceptionis celebrabatur . . . et opinionem multorum Christi fidelium. Itaque universitas et episcopus paris. in eam invehi debuerunt. Quod si Joannes . . . propositiones suas monitione praemissa revocasset, quaestio fuisset finita. At contra se purgabat arroganter posteaque aufugit provocatis ad se adjuvandum ordinis superioribus[1]) “ etc. Facultas theologica eum prius secreto monuit, tum et publice, ut eas revocaret, sed frustra: hinc et episcopus paris. Petrus de Orgemont in assertores illarum propositionum sententiam promulgavit excommunicationis; universitas vero ad omnes Christi fideles adversus errores et modum agendi Jo. de Montesono dedit literas, quarum auctorem e dicendi genere conjicit Denifle esse Petrum de Alliaco, qui „sicut semper, evomit virus acerbitatis suae temperamentum nesciens.“ Joannes interim confugerat Avenionem ad Clementem VII., qui et universitatem ad suum citavit tribunal. Hinc illa misit ad Clementem VII. legationem, cujus caput erat Petrus de Alliaco. Causa per annum et ultra expensa decretum parisiense fuit confirmatum et excommunicationis sententia lata 27. Jan. 1389 in Joannem, qui interim Avenione aufugerat in Aragoniam, imo securitatis gratia vel in Siciliam: nam relicta obedientia Clementis VII. adhaesit Urbano VI. Propter hanc ejus suorumque asseclarum opinionem et in ea contumaciam gravibus molestiis vexati sunt sodales ordinis praedicatorum per Franciam, adeo ut ab universitate excluderentur et populus vitaret eorum ecclesias. Nonnisi a. 1403 agente Gersonio pax inter universitatem et Dominicanos fuit composita[2]). Pro Jo.

---

[1]) Ita Denifle Chartul. paris. III, 486—533, qui diligenter exhibet omnia acta ad hanc causam spectantia. Cf. de hac causa etiam Quetif I, 691 ss.; Feret III, 152—158.

[2]) Knöpfler KL. 6, 1721. Ceterum Montesonus ad a. 1412 usque vitam produxisse legitur. Quaedam ex ejus scriptis

do Montesono opinionibus edito libro steterunt prae primis Joannes Thomae[1]) et Joannes Ade, aliique sodales, qui tamen omnia, quae dixerant aut scripserant in Montesoni defensionem, revocare ab universitate coacti sunt. — Ex ordine Praed. b. Virginis privilegium praeterea impugnarunt Dominicus de Pantaleonibus Etruscus, s. theologiae magister († 28. Aug. 1376) et Guilelmus de Gannato (Gannat, Cannat, Canna) s. theologiae magister, qui cum novem sodalibus a capitulo generali factionis Clementi VII. adhaerentis electus est ad appellationem ab excommunicationibus et aliis gravaminibus tum ab episcopo parisiensi tum ab universitate ordini in Francia illatis coram illo pontifice prosequendam (fl. 1388). Praeter commentarium in 4 ll. sententiarum scripsit tr. de vera innocentia matris Dei, in quo 40 auctorum testimonia refert pro sententia s. Thomae circa conceptionem b. V. Mox insurrexit frater O. Min. respondens per tr. qui incipit: *Repercussorium* editum contra adversarium innocentiae matris Dei.

adversus schismaticos, qui Clementi VII. adhaerebant, refert Raynaldus in Annal. ad a. 1389 n. 15 ss.; 27 etc. Cf. Nicolaus Antonius l. IX. c. 7 n. 378 ss.

[1]) Cf. hujus revocationem apud Denifle III, 517—20; Joannis Ade aliorumque ib. p. 526 ss.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

348. Aliquot reperimus s. Scripturae interpretes, quorum labores ad nos venerunt. Haud incelebre nomen est Michaelis Aiguani (Angriani) O. Carm. Bononiensis. Missus est Parisios ad capessendam lauream doctoralem et ad interpretandos sententiarum libros. Orto dirissimo schismate electione Clementis VII. contra Urbanum VI. scissa est sicut et alii ordines carmelitarum familia, cujus pars sub Bernardo Oller adhaerebat Clementi VII. Hinc Urbanus VI. jussit partem sibi obedientem Bernardum deponere. Ejus loco electus est in vicarium noster Aiguani (1380), mox vero in capitulo generali sequenti a. 1381 in priorem generalem et a. 1385 confirmatus: sed a. sequenti ab Urbano VI. depositus fuit nulla ratione allegata vel juris forma producta. Bononiam secessit ibique sacrae paginae professorem egit. A Bonifacio IX. a. 1395 iterum titulo et munere vicarii generalis provinciae bononiensis honoratus fuit († 16. Nov. 1400). Haec ejusdem sunt opera: *Quaestiones disputatae* in 4 ll. sententiarum[1]), Mediolani 1510; Venetiis 1623; commentaria *in Psalmos davidicos,* quae saepe prodierunt sub nomine auctoris incogniti, Compluti 1524; Lugduni 1581; 1588; Venetiis 1603 t. 2 in f.; 1608 t. 3 in f.; Lugduni 1603; 1610; 1656; Parisiis 1613; 1616; 1624; prodierunt saepius additionibus aucti noviter desumptis ex commentariis ejusdem manuscriptis, Venetiis 1609; 1623; Parisiis 1626; Lugduni 1652; 1673 t. 2 in f. Non defuerunt tamen qui illa vindicarint Petro Berchorio OSB. Laudantur illa ut „opus eximium, profundum, ab omnibus quos hucusque viderim, laudatum," ita Oudin (III, 1037). Calmet vero scribit[2]): „Ejus opus moralem potius quam literalem

[1]) Conradus Tremonius (al. Ernestus) Germanus, Thomae waldensis discipulus et O. Carm. († 1419), scripsit in 4 ll. sententiarum ad sensum Mich. Aiguani, cujus opus in compendium redegit.

[2]) In dict. s. Script. ed. venetae p. 34.

sensum complexum suam meretur laudem: stilo tamen est duro, scholasticorum more, quorum methodum imitatur.« Sixtus senensis censet[1]), opus esse »demissum, apertum maximeque vulgare, protritum et juxta vulgi consuetudinem barbarismis et solescismis refertum, sed in lecturis et quaestionariis praesertim obscurum et abstrusum.« Neque diffitendum est, quaedam legi in hoc commentario, quae vel falsa, vel dura sunt vel male sonant, quae cf. in bibl. cit. 440—43. Teste Trithemio coepit »divinum opus novi dictionarii, quod tamen morte praeventus non perfecit, sed ab A usque ad C inclusive in tribus voluminibus tantum perduxit.« Plurima ejusdem opera manserunt inedita, ut commentaria in Michaeam, in Matthaei, Lucae et Joannis evangelia; tr. de s. conceptione immaculatae Dei Genitricis etc. — *In Psalmos catenam* collegit seu collectarium sive expositionem sat prolixam (Coloniae 1480 ed. princeps; 1483; 1487; 1554; Reutlingen 1488; 1494; 1498; Rotomagi 1504 in f. etc.) Petrus de Herenthals (Harenthal, oppido Brabantiae) O. Praem. (n. 1. Aug. 1322), prior abbatiae floreffiensis, vir studio disciplinae atque literarum insignis († 12. Jan. 1390); commentarium in quatuor evangelia (ineditum); catalogum ac *res gestas abbatum floreffiensium* magna ex parte insertas ab Hugone suis Annalibus I, 76—88. Chronicon abo. c. ad sua tempora (1385), quod mansit ineditum; ex eo *vitae Joannis XXII.*, Benedicti XII., Clementis VI., Innocentii VI., Urbani V., Gregorii XI. et Clementis VII., prodierunt apud Baluzium inter vitas paparum avenionensium t. I., Parisiis 1693 in 4; Muratori SS. rer. it. III. p. 2. Ei tribuitur etiam ab Oudin aliud chronicon compendiosum in gratiam scholarium pauperum, qui ob paupertatem majoris molis et pretii historiam comparare non possunt, quod *biblia pauperum* appellavit[1]).

349. Simon de Cremona O. S. Aug. s. theologiae magister parisiensis († c. 1390) reliquit *postillam super evangeliis et epistolis* omnium dominicarum, Reutlingae 1484. Alia ejusdem opera manserunt inedita, ut harmonia in quatuor evangelistas, super epistolas d. Pauli, commentaria in ll. sententiarum etc. — Hujus sodalis Jordanus Saxo Quedlinburgensis, pariter doctor parisiensis, Magdeburgi et in aliis Germaniae gymnasiis supremae cathedrae regens, per utramque Germaniam et bina vice per Thuringiam Saxoniamque praepositus provincialis († 1380) compilavit *opus postillarum et sermonum* de Evangeliis dominicalibus seu de tempore, Argentinae 1483, ex quo opere seorsim prodiit tr. *de parasceve* pro volentibus in passione Domini proficere vel aliis praedicare multum devotus et perutilis habens pp. septem juxta horas septem canonicas cum theorematibus et articulis passionis atque doctrinis saluberrimis, s. l. et a. (f. Argentorati 1484: Antverpiae 1485; 1489; inscriptus: *meditationes* de vita et passione J. Christi s. a. et l. f. Antverpiae 1490; Lubeccae 1492); *sermones de sanctis,* s. l. et a. (c. 1478); Argentorati 1481; Parisiis 1500; 1521; l. *de vitis fratrum,* in quod de quadruplici communione regularis disciplinae, origine et progressu ejusdem ordinis agitur et s. Augustini regula declaratur, notis illustratus, Romae 1587; Antverpiae 1625; *Collectaneum* seu speculum augustinianorum, in quo habentur sermones s. Augustini supposi-

[1]) Bibl. sanctae l. 3. Cf. de nostro auctore Niceron Mémoires pour servir à l'Histoire des Hommes ill. V, 392 et plenissime et accuratissime in bibl. carm. II, 433—66; Mazzuchelli Scrittori d'Italia; Fantuzzi Scritt. bol. I, 76-91; Tiraboschi V. l. 2. c. 1 n. 12.

[1]) Cf. Goovaerts Ecrivains ... de l'Ordre de Prém. II, 39—44.

ti, eo indigni (scil. ad fratres in eremo degentes), ejus vita et praeconia etc., ex parte editum in supplemento patrum P. Hommey, Parisiis 1686. Plura alia manserunt inedita, ut commentaria in Apocalypsim etc. Ob vitae sanctitatem virtutumque splendorem a pluribus beati titulo decoratur. Catholicae fidei zelo exardescens una cum Nicolao O. Min. Tangermundam urbem in brandenburgensi ditione positam a Lolhardorum haeresi expurgavit. — Federicus de Venetia O. Praed. a linguae vulgaris puritate commendatus ante a. 1400 floruit. *Apocalypsin* e latino in vulgarem linguam italicam eleganter et pro suo seculo pure vertit, cui eadem lingua ex variis, praesertim ex Nicolao Lyrano, desumpta commentaria subjecit, quae versio prodiit Venetiis, ut videtur jam 1515; 1519. — Werner quidam, qui dicitur quondam fuisse religiosus in canonia s. Victoris parisiensi, dein transiisse ad Carthusianos, compilavit c. a. 1400 ex operibus s. Gregorii M. *Enucleamenta Bibliae ll. XVI,* Parisiis 1508 (vel 1608).

350. Plurimorum opera in s. Scripturam manserunt inedita, ut Antonii a Janua O. Carm. lectoris biblici (fl. 1379). — Bernardi de Ambasia al. Aureoli O. Carm. Galli lectoris parisiensis (fl. c. a. 1380), qui lectiones 64 in ep. Jacobi, 112 in ep. Joannis et commentaria in magistrum sententiarum reliquisse scribitur. — Simonis Angli OP. (fl. 1391), qui scripsit postillas in quatuor prophetas majores aliosque ll. V. T. — Simonis Bredoni (Biridani) Angli, medici et astrologi insignis (fl. 1386), qui scripsisse dicitur in Isaiam prophetam. — Matthaeus Ebroicensis O. Praed. fecit super Pentateuchum, Isaiam et alios quamplures V. ac N. T. libros egregiam postillam (fl. a. 1390). — Petrus ab Insula (insulensis) O. S. Franc. „doctor notabilis“ dictus, reliquit commentaria in psalterium et in ll. sententiarum (fl. ex. sec. XIV.). — Robertus Jorius (Ivorus) O. Carm. londinensis, provinciae praepositus († 1392), commentaria in Ecclesiasticum et Apocalypsim etc., a quo forte alius non est Rupertus Anglus Jorius vel Ivorius cognominatus, quem sibi Dominicani vindicant, et cui tribuuutur commentarii in Job, Danielem, Matthaeum, Lucam, Joannem. — Joannes de Hesdinio (Hisdinio, Isdinio) theologus parisiensis secundum aliquos O. fratrum hospitalis s. Joannis hierosolymitani, secundum alios O. S. Aug. scripsisse legitur in Job, in Evangelia s. Marci et Joannis, in epistolas Pauli, *postillam in Apocalypsim*, quam Oudin III, 1226 editam censet inter opera Nic. Gorhami Antverpiae 1620. (fl. 1390). — Severinus Cracoviensis ex judaeo sodalis O. Praed., theologiae magister et ecclesiastes, qui Augustinum et Aquinatem memoria tenuisse fertur, ingentia volumina in ss. Evangeliorum harmoniam elucubravit. — Thomas Bromius (Bronius) O. Carm. Anglus, professor oxoniensis, provinciae praepositus († 1380) praeter alia de laudibus s. Scripturae disseruit atque epistolam s. Pauli ad Romanos explanavit. — In eandem expositio Jacobi Tederici (Tederisius) O. Praed. bononiensis laudatur. — His addantur Joannes de Eboraco O. Carm. Anglus (fl. c. 1390). — Joannes Elinus (Helinius) ejusdem ord. Norfolciensis magni per Angliam nominis († 1379), qui scripsit in Apocalypsim s. Joannis aliasque lecturas ss. Scripturarum, et Rich. Lavingham O. Ca. († 1381) etc.

351. Huc forte referri adhuc potest Henricus Heynbuch (Hembuche, villa prope Langenstein in Hassia) de Langenstein vel etiam de Hassia dictus, Senior quoque cognominatus, ut distinguatur ab alio ejusdem no-

minis[1]), qui post ipsum floruit. Parisiis studiis operam dedit, primum philosophiae, quam etiam ibidem est professus (1363), postea vero animum applicuit theologiae. Versatus quoque erat in mathesi et astronomia, hinc astrologiam superstitiosam, quae tunc multum vigebat vel apud principes hujus seculi, verbis scriptisque eruditis impugnavit. Defuncto Gregorio XI. electus est legitime Urbanus VI., ad quem ipse ab academia obsequii ergo Romam missus est: magna enim erat ejus in illa auctoritas, hinc et vicecancellarius universitatis est electus. Orto tristissimo schismate ipse fideliter stetit pro Urbano VI., sed ad illud componendum emisit *epistolam pacis* (1379), in qua accurate discutit quaestionem juris inter Urbanum VI et Clementem VII, quis eorum legitimus sit pontifex, necessitatemque concilii universalis urget (Helmstadii 1778. 1779 in 3 programmatibus), quod consilium uberius, instantius, acrius urget in *Consilio pacis* (vel rectius *epistola consilii pacis*) de unione et reformatione Ecclesiae in concilio universali quaerenda (1381): quod reperies in de Hart Conc. Constant. II, 1, 3—60 omissis c. 1. et 2, quae postmodum reperta idem vulgavit in Discrepantia mss. et editionum Helmstadii 1715 p. 9—11. Tertium adjecit libellum (1383) ejusdem argumenti *de futuris Ecclesiae periculis*. Cum autem aula deficeret ab Urbano VI. ad Clementem VII., omnesque professores cogeret intentatis poenis, ut huic adhaererent, Henricus cum aliis collegis et discipulis Parisiis recessit atque in Germaniam rediit (1383). Mox ab Alberto III. Austriae duce Viennam ad academiam illustrandam accitus plurimum contulit sua D. Alberti ducis Austriae *de complendo et stabiliendo studio viennensi* informatione (inedita), ut dux academiam prudenter instituere ret generoseque dotaret. Egit facultatis theologicae decanum a. 1389, dein (1393) universitatis rectorem, docuit vero theologiam dogmaticam, exegesim et jus canonicum, illiusque bono semper prae oculis habito sua prudentia multas in academiae sinu gliscentes composuit discordias. Episcopatum sibi ab Urbano VI. oblatum modeste recusavit († 11. Febr. 1397). Praeter opera jam citata reliquit alia plura: *Vocabularius* terminos Bibliae praegnantes ac difficiles declarans s. a. et l. (forte Ulmae 1468—70 m. 100); novem volumina prolixa in sola priora tria cc. Geneseos (inedita); Colloquium de animae conditionibus seu soliloquium vel *speculum animae* ed. a Wimphelingo cum praefatione (et aliis opusculis) Argentorati 1507; in Orthodoxographis, Basileae 1555; 1569, forte idem cum l. *de nobilitate animae; de arte praedicandi* (si ipsius est), ed. a Gruninger s. l. et a.; *Secreta sacerdotum,* quae sibi placent vel displicent in missa etc. correcta et in hac formam redacta a Mich. Lochmayr, de quo infra erit sermo, Heidelbergae 1489; Florentiae

[1]) Henricus de Hassia junior erat O. Carth. et prior domus Geldriae monachorum s. Mariae (Monickhausen † 1427). Antea exposuerat in academia heidelbergensi ss. literas atque a. 1400 et 1411 ejusdem academiae erat rector. Ibidem scripserat commentaria (inedita) in prologum Bibliae, in Genesim, super Cantica canticorum Salomonis, in ll. sententiarum etc., *Regulas* ad cognoscendam differentiam inter peccatum mortale et veniale, et tr. *ad eruditionem confessorum,* utrumque opusculum ed. Memmingae 1473. Post suum in ordinem ingressum (post a. 1414) ascesi se dicavit pluresque composuit libros, cujusmodi sunt tr. *de discretione spirituum,* Antverpiae 1652; *expositio* super oratione dominica, Ave Maria et symbolo ap., Coloniae 1475; *de horis canonicis dicendis,* ib. 1475; *ad canonicos regulares; de contemplatione; Speculum animae peccatricis;* Summa *de republica* (inedita); *dialogus* inter episcopum et presbyterum de rara aut frequenti celebratione missae vel communione ed. 1473 etc. Horum tamen genuinitas non est super omne dubium, cum tribuantur etiam Henrico seniori vel Henrico de Vrimaria (cf. p. 542). Cf. Kessel KL. V, 1710.

1493; Lipsiae 1496 etc., saltem quatuordecies editum[1]) ad a. 1500; *sermo* in festo lanceae et clavorum Domini in Miscell. Jo. Henrici van Seelen, Lubecae 1734 I, 378—393, qui tamen probabilius tribuendus est Henrico juniori; qq. 33 *de contractibus et origine censuum; de usuris; de contractibus* (emptionis et venditionis) inter op. Gersonii[2]), Coloniae 1483, IV. CLXXXV—CCXXIV; *de vitiis et erroribus spiritualium*, in Jac. Gruitradii († 1472) O. Carth. de erroribus Christianorum; *contra quendam eremitam* nomine Telesphorum (Teophorum, Theosophorum etc.) vaticinantem de ultimis temporibus scil. de fortuna paparum, cessatione schismatis et adventu antichristi[3]), in Pez Anecd. I. p. 2, 507-64; sermo *de nativitate b. Mariae V.; de conceptione,* Argentinae 1500, in quo tuetur immaculatam V. conceptionem; *contra disceptationes et praedicationes* contrarias fratrum Mendicantium (Jo. de Montesono O. Pr. aliorumque cf. supra p. 683 super conceptione b. Mariae V. et contra maculam mendaciter s. Bernardo impositam, Mediolani 1480; Basileae 1500; s. l. et a. (Argentorati 1516 cooperante Wimphelingo). Quam plurima manserunt inedita ut commentaria in Jeremiam, qq. super 4 ll. sententiarum; aliorum genuinitas est dubia, ut jam notavimus, cum sint vel Henrici junioris vel Henrici de Vrimaria, vel Gersonii, inter cujus opera comparent[1]). Quorundam inedi-torum epitomen exhibet Kneer in op. die Entstehung der konziliaren Theorie. Zur Geschichte des Schismas und der kirchenpolitischen Schriftsteller K. von Gelnhausen und H. von Langenstein[2]). Romae 1893. Ita ex. gr. exhibet p. 134—45 epitomen ep. *de cathedra Petri* ad Bertholdum ep. frisingensem (scriptae a. 1395 vel 1396). Epitaphium ei positum a familiari Petro Lewin ita habet:

Mortales cuncti moveat vel tumba sepulti
Hassonis Henrici vermibus expositi.
Mors est a tergo: sapiens homo se paret ergo.

[1]) Thalhofer Handb. der k. Lit. I[2], 93: Eine kleine liturgische, vorwiegend rubricistische Abhandlung, welche einen interessanten Einblick in vielerlei Mißbräuche gewährt. Quaedam ex eo praebet Theol. prakt. Monatschr. Passau XI, 98—104; 187—192. Cf. Franz die Messe p. 517, qui duorum opusculorum inedito rum ejusdem circa missam et eucharistiam meminit.

[2]) Eine Schrift, welche seine Ansichten über Steuer-, Finanz- und Armenwesen enthält und die wichtigsten volkswirtschaftlichen Fragen seiner Zeit von ethischen und juristischen Gesichtspunkten behandelt. Ita Kessel KL. V[2], 1714; Die Schrift zählt unbedingt zu den interessantesten ihrer Zeit. Ita Janssen I, 480 s. Ceterum quamlibet usuram censet illicitam.

[3]) Liber inscribitur L. *de magnis tribulationibus in proximo futuris* etc.; prodiit primum 1516 cura Silvestri Mencii de Castelione Aretini OSA. sub nomine Telesphori eremitae de Cusentia, abbreviatus per Rusticanum O. Praed. Venetiis c. a. 1446. Quis autem fuerit hic Telesphorus non liquet. Compilavit suum opus c. 1386 ex scriptis genuinis et spuriis Joachimi de Floris (cf. p. 225) aliorumque pseudoprophetarum, quos in ipsa inscriptione nominat. Cf. Fabricius V, 436; 514; Tiraboschi V. l. 2 c. 1 n. 34; Kampers KL. XI, 1291.

[1]) Cf. Kessel KL. V[2], 1712; Fabricius III, 202—5; Feret III, 263—73; Potthast I, 580: Scheuffgen Beiträge zur Geschichte des großen Schismas, Friburgi 1889 cc. 3. 4; praeprimis de ejusdem scriptis F. W. E. Roth zur Bibliographie des H. Hembuche de L. Lipsiae 1888 (Beihefte zum Centralblatt für Bibliothekswesen II.), qui recenset ejusdem scripta astronomica 7, historico-politica de schismate 18; theologico-polemica 17, ascetica 50, occasionalia, epistolae, sermones 12 et spuria 12. De ejus meritis circa universitatem viennensem, cujus „plantator" salutatur ab Aschbach Gesch. der Wiener Universität p. 366—402; Hartwig Leben und Schriften H. de Langenstein, Marburg 1857. Literaturam de eo exhibet Bess Realenc. VII[3], 604—606.

[2]) Cf. de hoc op. Michael Ztschr. f. k. Theol. 1896 p. 129.

Adamus de Eston OSB. Anglus Herefordiae natus, doctor et professor oxoniensis, episcopus londinensis et ab Urbano VI. egregiis ejus dotibus capto cardinalis fuit creatus, sed postmodum ex suspicione in carcerem conjectus et cardinalatus dignitate privatus. Ab Urbani successore Bonifacio IX. insons declaratus et in omnes dignitates restitutus est. Plurima condidit opera (inedita) theologica, polemica, canonica, exegetica, philosophica[1]): propterea hic memorandus, quod linguam hebraicam callens totum V. T. ex hebraeo in latinum vertisse scribitur, et postillam hebraicam elaborasse († 20. Oct. 1397). — Joannes de Siaco (Sy) in gallicum vertit Bibliam usque ad Jer. c. 18; quod opus verosimiliter Joannes Thomae O. Praed. (cf. p. 685) a. 1373—1387 persequi conatus erat[1]).

[1]) Cf. Ziegelbauer § 21.

[1]) Cf. Denifle Chart. III, 520 annot. n. 3: Berger la Bible française p. 242.

III. Historia ecclesiastica.

352. Historiam ecclesiasticam sive *chronicon* ab a. 1316—61 aridum quidem, sed accuratum composuit Henricus dapifer a Diessenhoven in Helvetia, doctor decretalium, canonicus constantiensis (1338) et Joannis XXII. capellanus († 22. Dec. 1376). Est illud velut continuatio chronici Ptolomaei Lucensis (cf. supra p. 569). Vulgavit[1]) hunc pretiosum historiae fontem C. Höfler (ab a. 1342—62) in Beiträge zur Gesch. Böhmens Abth. I t. 2 Pragae 1864; Böhmer in fontibus IV, 16—126. — Eccardus in corp. hist. med. aevi I, 1642—1732 protulit ex unico codice *chronicon* a Christo n. usque ad a. 1379 (sed omissis iis, quae praecedunt ad a. 716), quod cujusdam Martini fuldensis monachi, forte O. Min., nomen prae se fert (cf. p. 573 a.), sed quibusdam nomen hoc arbitrarium videtur. Sequitur in eo praesertim Ptolomaeum lucensem aliosque, quos solicite citat; stat in eo pro Ludovico Bavaro adversus Joannem XXII. — Petrus Bajocensis O. Praed. literis consignavit *chronicon sui temporis* ab a. 1350-92, quod curante Thaddaeo de Argentina praelo datum est Basileae 1512 in 8. — Petrus Visselbeccius OSB. Eresburgi († 1395) coepit *chronicon Huxariense*, quod Gregorius Wittehenne canonicus huxariensis continuavit ad a. 1498; cum additionibus M. Nic. Erbenii notisque illustratum exstat in Chr. Fr. Paulini syntagmate antiquitatum germanicarum, Francofurti 1698 p. 1—159.

[1]) Cf. de eo J. L. Aebi im Geschichtsfr. XXXII, 136—220; Lorenz § 7; Schulte Zeitschr. für die Geschichte des Oberrheins I (1886), 45—60; Wyss. Allg. d. Bi. V, 148. — De *chronico* Christiani Gold fuse disserit Erben in N. Arch. XXII (1897), 445 ss.; 486 ss. Per se liquet plurima ejusmodi chronica mansisse inedita, ex quibus unum alterumve indicasse sufficiet. Ita Raldulphus Marham OSA. Anglus, doctor theologiae cantabrigiensis (fl. 1380) collegit manipulum chronicorum ll. 7 ab origine mundi ad sua usque tempora.

253. Thomas de Acerno decretorum doctor, Urbani VI. familiaris, episcopus luceriensis (1378-81), opusculo *de creatione Urbani VI.* hujus electionem fuisse legitimam tuetur. Fragmenta ex illo produxit Baluzius in vitis pap. avenionensium, integrum Muratori inter rer. ital. SS. III. p. 2 pag. 715 ss. — Wernerus Leo-

diensis, canonicus bonnensis, auctor est *vitarum romanorum pontificum*, a Nicolao IV. usque ad Gregorium XI. († 1378), quas edidit Eccardus in corp. hist. I, 1461—1550 et viri eruditi tribuere solebant Theoderico de Niem. Sequitur, retractat et continuat Werneri vitas romanorum pontificum. Bernardi Guidonis (cf. p. 575) et merito conjicit Glasschroeder, eum etiam retractasse illius chronicam pontificum priorum, qui labor continetur cod. vaticano N. 3765.

354. *Nationum* vel *regnorum historiam ecclesiasticam* descripserunt vel saltem attigerunt plures viri eruditi. Ita Simon Leontinus O. Min. Conv., Friderico III. regi Siciliae a confessionibus et concionibus et major capellanus concinnavit *chronicon regni Siciliae*[1]) usque ad a. 1377, quod typis tradere promisit Michael de Judice abbas casinensis, demumque ab anonymo continuatum ad a. 1434 edidit Rosarius Gregorio panormitanae ecclesiae canonicus et juris publici r. professor in bibliotheca scriptorum, qui res in Sicilia gestas sub Aragonum imperio descripserunt, Panormi 1791-92 II, 303-23. — Joannes Faber OSB. (Le Fèvre) Parisiensis, decretorum doctor, abbas s. Vedasti attrebatensis, et a. 1379 episcopus carnotensis († 1390), scripsit dialogum *de planctu bonorum* (ineditum) oppositum l. Joannis de Lignano, qui ediderat a. 1379. tr. *de fletu Ecclesiae; Diarium rerum gestarum* ab a. 1381—88, ex quo passim Baluzius quaedam affert in notis ad vitas paparum avenionensium, cujus forte nova recensio est *Expositio* rerum in Gallia tum gestarum, quam exhibet Bulaeus in hist. academiae parisiensis IV, 523. — Henricus de Knygthon (Knighton, Cnitthon) Anglus, canonicus regularis leicestrensis sub sec. XIV. exitum monumentis in lucem editis eximium inter historicos anglos locum meruit. Ejus *chronicon* seu compilatio de eventibus Angliae ll. 5 a tempore regis Edgari usque ad Richardum (958—1395) editum fuit a Rog. Twysden inter hist. anglic. scriptores decem, Londini 1652; a Jos. Rawson Lumby Londini 1889 in 8. inter rer. brit. medii aevi SS. n. 92., in quo multa fere ad verbum hausit ex Ranulphi Higdeni (cf. p. 643) Polychronico. — Joannes de Fordun Scotus († c. 1386) auctor est *Scotichronici*, sive historiae Scotorum, sive Chronicon regnorum Scotiae et Angliae usque ad a. 1153, imo ad a. 1385, quod ex pluribus auctoribus magna diligentia compilavit[1]). Opus continuavit ab a. 1385-1441 Walter Bower (Bowyer), Forduni quondam amanuensis et postmodum abbas s. Columbae (Inchcolm). Prodiit opus ita continuatum cura Th. Hearne Oxonii 1722 t. 5 in 8; ed. Walt. Goodall Edimburgi 1747 t. 2 in f.; 1759 ed. accurata et plenior, rara; inscriptum *Chronica gentis Scotorum*, ib. 1871 in 8, ed. W. F. Skene, qui illud vertit, in Historians of Scotland t. 4, ib. 1872. — Janko (Joannes) de Czarnkow *chronicae cracoviensis brevioris* (965—1395), ad quam plures auctores suam symbolam contulerunt, elaboravit tantum partem 1370—84. Eam edidit, sed mendose, Sommersberg

[1]) Ejus sodalis Michael Platiensis (de Placia, de Platea) continuavit *historiam siculam* (1282—1337) ll. 8 Nicolai Specialis (quam edidit Baluze in app. op. Petri de Marca Marca hispanica, Parisiis 1688; et aliis omissis Gregorio Script. rer. Aragoniae 1791 I, 293-508) et quidem ab excessu Friderici Aragonii (1337) usque ad a. 1361 more siculo, 1362 more romano, quae prodiit apud Gregorio op. cit. I, 517—780; II, 1—106. Cf. Bozzo un errore di data e la cronica di fra Mich. da Piazza, in Archivio stor. Sicil. Panormi 1876 Nuova serie I. 259-75.

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Schottland I, 447. Scriptorum a Fordouno laudatorum indiculum consignavit Fabricius III, 362. Cf. Potthast p. 660.

inter SS. rer. Silesiae I, 78—155; Mitzler hist. Pol. SS. collect. III, 163-258; in Monum. Pol. hist. II, 610—756 ed. Bielowski. — In epistolis et monumentis (219) Joannis Neumarkt (Noviforensis) notarii, secretarii, familiaris dilecti et cancellarii Caroli IV., dein episcopi litomisliensis 1353; demum olomucensis (1364; † 20. vel 24. Dec. 1380) haud pauca utilia pro historia ecclesiastica illius temporis et regionis reperiuntur[1]). Prodierunt ea demum cura Ferd. Tadra in Archiv für österreich. Gesch. LVIII. p. 1. pag. 27—151 et seorsim, Viennae 1886. Ipsi tribuitur et *Cancellaria Caroli IV;* formulae et varii processus juris seu *Cancellaria officii olomucensis.*

355. Ut jam ad *singulares dioeceses* veniamus Fritsche (Fridericus) Closener[2]) presbyter argentoratensis († forte c. 1384) compilavit lingua patria stilo simplici et candido, sed absque ordine *Strassburger Chronik* ad a. 1362, quam ediderunt Schott et Strobel, Stuttgart 1843; Hegel in Chroniken der deutschen Städte 1870, VIII, 15—151, in qua recenset pontificum seriem usque ad Clementem V., et imperatores regesque romanos usque ad Carolum IV. Legitur quoque collegisse ritus et usus ecclesiae argentinensis, quem l. episcopus et clerus adoptarunt, sed non amplius exstat. — Sub Alberti Argentinensis (comitis de Hohenberg, cancellarii Ludovici Bavari) nomine vulgavit Cuspinianus in app. op. de consulibus romanis, Basileae 1553 chronicon ab c. 1273—1349; quod cum continuatione ad a. 1378 et vita Bertholdi episc. argentinensis (1328-1353) edidit Urstisius inter Germ. ill. hist. Francofurti 1585 II, 97. Continet porro illud historiarum seriem a Rudolpho I. usque ad Carolum IV. († 1378), et plura ab aliis intacta vel minus explicata. Criticam accuratamque editionem curavit G. Studer 1866, et iterum A. Huber in Boehmer fontes rerum germ. IV, 1868: qui tamen cum aliis pro ejus auctore habent Matthiam Neoburgensem, Bertholdi ep. clericum et assessorem fori episcopalis. Ea pars, quam scripsit synchronus, magni aestimatur[1]). — Detmar O. Min. lector in monasterio lubeccensi jussu magistratus hujus civitatis *chronicam* lingua patria concinnavit, quae ab a. 1350-1395 est proprium ipsius opus atque non solum civitatis narrat historiam, sed et regiones septentrionales respicit: ideoque non caret pretio[2]). Edidit F. H. Grautoff Hamburg 1829-30 pp. 2; ab a. 1105—1386 K. Koppmann in Chroniken der deutschen Städte XIX (1884), 195—597. — Florentinus de Wevelinghoven

[1]) Cf. A. Huber Allg. d. Biogr. XIV, 468 s.

[2]) Cf. Straßburger Studien I (1882), 2, 277—299; Hegel allg. d. Bi. IV, 341; Lorenz Deutschlands Geschichtsquellen in MA. I³, 32 ss.

[1]) Cf. Funk KL. I, 426. Alii chronicon illud tribuunt Jacobo de Moguntia. Cf. de hac controversia Soltau: Jakob von Mainz, Mat. v. Neuenburg oder Albertus Arg., Straßburg 1882. Contra ipsum pro Matth. de Neuenburg stat Alph. Huber in Mittheil. des Institutes f. österr. Gesch. IV (1883) IV, 2, 200—208; fusius in Arch. f. öst. Gesch. LXIII (1883), 239-272. Controversiam iterum retractarunt Soltau Straßburger Studien 1883 fasc. 4 p. 307—373; Wenk N. Archiv f. ält. d. Geschichtskunde IX (1884) 31—98, qui chronicon inscribi vult *Chronicon Alberti Hohenbergensis* (i. e. argentinensis). Pro Matthia iterum stat Weiland Beiträge zur Kenntniß der liter. Thätigkeit des M. v. Neuenburg in Abhandl. der R. Ges. der Wiss. zu Göttingen XXXVII (1891). Ceterum in hoc jam viri critici conveniunt, operis medullam esse Alberti, Matthiam vero illius retractasse laborem: et hunc esse auctorem vitae seu *Gestorum Bertholdi* de Buchecke ep. argentinensis (1328-1353), quae habes in ed. cit. et apud Boehmer Fontes IV, 297—309. Cf. Wiegand Allg. d. Bi. XX, 666 ss.; Potthast p. 780 s., qui literaturam exhibent; Lorenz Deutschlands Geschichtsq. I³, 36 ss.

[2]) Cf. Potthast p. 374; Manteles Allg. d. Biogr. V, 82.

episcopus monasteriensis (1364), dein ultrajectinus (1379; † 1393) collegit *Chronik der Bischöfe von Münster,* quod alii continuarunt ad a. 1424, ediditque Jul. Ficker in Geschichtsquellen des Bisth. Münster I, 1—92. — Joannes de Polde canonicus senior ecclesiae hamelensis († 20. Nov. 1395) concinnavit *chronicam ecclesiae hamelensis* ab a. 712—1384, quam vulgarunt aliis omissis sine auctoris nomine Ludewig Reliq. mscr. X, 3-17; O. Meinardus in Zeitschr. des hist. Vereins für Niedersachsen, Hannover 1882 p. 29-40. — Nicolaus Joënsson archiepiscopus lundensis (1361; † 5. Febr. 1379) composuit *chronicon archiepiscoporum lundensium* ab a. 1104-1379, quod continuarunt ejus successores Tuvo ad a. 1472, Birgerus ad a. 1497. Ediderunt Thomas Bartholinus Hafniae 1709; Suhm apud Langebek Scr. rer. danic. VI, 622—38. Ejus quoque est *chronicon rerum danicarum* ab 1104, ab aliis continuatum ad a. 1468, quod edidit Ludewig inter Reliq. msc. IX, 1166—75. — Petrus de Ripalta reliquit *chronicon placentinum* ab a. 814—1089, cujus fragmenta exstant in MG. SS. XVIII, 410.

356. Guilelmus de Thorne (Thornaeus) OSB. coenobii cantuariensis circa a. 1380 scripsit praeter alia inedita *res gestas abbatum augustinianorum cantuariensium,* quae prodierunt ed. R. Twysdeno inter angl. hist. SS. decem, Londini 1652 p. 1758—2202 subjuncta praeter donationes illi coenobio factas chronologia ejusdem ab a. 597—1419 p. 2229-2292. — Thomas de Burton O. Cist. abbas reliquit *chronicon monasterii de Melsa* (Meaux in Holderness) a fundatione a. 1150—1396, quam sodalis continuavit ad a. 1417. Prodiit cura Ed. Augusti Bond, Londini 1866—1868 t. 3, inter rerum brit. med. aev. SS. n. 43. — Goswin de Marienberg OSB. cum tribus solus ex horribili peste a. 1348 in monasterio superstes, a. 1374 prior, capellanus Leopoldi III. Austriae ducis, collegit *Registrum* monasterii Montis s. Mariae, quod demum (1130-1362) accurate ad autographum expressum prodiit cur. Bas. Schwitzer OSB. in op. *Chronik des Stiftes Marienberg,* Innsbruck 1880. Floruit Goswin 1320-1390. — Joannes de Langhe (Longus), Iperius sive Iprensis a patria cognominatus, OSB. abbas s. Bertini († 1383), pretiosum pro historia patria collegit[1]) *chronicon Bertinianum* (540-1294) seu sithiense s. Bertini, quod edidit Martene thes. anecd. III, 441—776, cum supplemento ab a. 1294-97 in ampl. coll. VI, 613—17, ex quo omnia, quae spectant comites flandrenses, exhibet Holder-Egger in MG. SS. XXV, 747-866. Martene auctoritatem hujus chronici magnificis adeo verbis extollit, ut asserat vix ullum res belgicas enarrandas suscepisse »qui dicenda, majori ex parte, hac ex lucubratione tamquam ex purissimo fonte non hauserit.« Verum Stilting haud parum deprimit operis auctoritatem[2]): cum vitiosa sit plerumque in primis seculis chronotaxis, et facta correctione sat frequenti indigeant. Non tamen negat illud utile esse, etsi non caece sit sequendum. — Philippus Ribotus O. Carm. Gerundensis, Hispanus, magister in s. pagina et prior provinciae Cataloniae († 23. Sept. 1391), disseruit[3]) *de institutione et gestis Carmelitarum peculiaribus ll. 10,* quod opus est collectio plurimum tract., quos scripserunt (ut ferunt) Joannes Hierosolymitanus, Guil. de Sanvico, Cyrillus CP., Sibertus de Becka. Alio nomine vocatur *Magnum speculum,* Venetiis 1507; notis illustratum et cum vindiciis Petri Wastelli, Ant-

[1]) Cf. Oudin III, 1095.
[2]) Acta SS. II. Sept. p. 555 n. 25. Cf. Schüz pag. 238.
[3]) Cf. Nic. Antonius l. IX. c. 7 n. 336 ss.

verpiae 1680 in f. — Benedictus de Magistro Tedaldo Florentinus narrat origines ordinis s. Hieronymi, cum in eo fundando partes habuerit. Hujus narrationis primam p. vulgavit celeber Querini Epistol. Decade X. ep. 1.

357. Petrus de Natalibus (dei Natali, Nadali) Venetus ex prosapia nobili episcopus equilinus (1370 ad a. saltem 1400), composuit[1]) catalogum sanctorum cum illorum vitis, Jac. de Voragine et aliis diligentia et delectu praeferendum, in ll. 12 divisum, quorum ultimus exhibet indicem alphabeticum sanctorum, de quibus in prioribus ll. egerat. Prodiit primum Vicentiae 1493 cur. Antonio Verle, qui adjecit aliorum vitas; Argentinae 1502; Lugduni 1508; 1514; 1543; Venetiis 1501; 1506 (m. 60); 1516 ex emendatione Alb. Castellani 1521 s. l. ed. bona et commoda; 1616 in f. — Justus de Rosa O. S. Fr. Florentinus, socius et discipulus b. Thomasucci Fulginatis tertii ord. s. Franc. († 1377), descripsit ejus *vitam* et virtutes, Vicentiae 1500. — Petrus Dominicus de Barono episcopus tarvisinus ab a. 1359 scripsit *vitam b. Henrici Baucenensis* (a Bulsano) in comitatu tirolensi († 1315), quam edidit Papebrochius in Act. SS. 10. Jun. II, 371—92.

[1]) Oudin III, 2647 eum praepostere seculo posteriorem fuisse censet. Docte de eo disserit Ap. Zeno in diss. Vossiane II, 32 ss. Foscarini Letterat. venez. p. 357 de eo scribit: Egli sostenne indicibili fatiche spogliando non solo gli antichi Padri, ma di mano in mano gli Scrittori successivamente venuti. Gittò pur l'occhio sopra Codici singolari, come fu il martirologio di s. Girolamo ecc.

IV. Theologia practica.

358. Hac periodo duo pontifices sedem tenuerunt apostolicam. Urbano V. († 1370) successit post conclave unius diei Gregorius XI., nepos Clementis VI, electus 20 decembris a. 1370, antea Petrus Rogerius dictus. Ex notario s. sedis a patruo Clemente VI a. natus 18 factus est cardinalis diaconus a. 1348: excellebat enim egregia indole, modestis ac temperatis moribus, praeclaro ingenio raraque industria necnon et singulari peritia in jure canonico atque theologia morali. Ipse hortante s. Catharina Senensi victis omnibus obstaculis Avenione discessit atque Romam rediens residentiam pontificis ibidem iterum fixit a. 1376. Joannis Wiclefi errores damnavit. Defunctus est 27. Mart. 1378. *Constitutiones* et *epistolae* dispersae habentur in coll. conciliorum, in Bullario, apud Bzovium annal. t. XIV, in Waddingi annalibus O. Min. t. IV. etc. — Gregorio XI. mox 9. Apr. 1378 suffectus est Urbanus VI. seu Bartholomaeus de Prignano Neapolitanus et archiepiscopus Basensis, populo ingentibus clamoribus minisque papam postulante romanum aut saltem italum. Dolendum eum sua agendi ratione minus prudenti et nimis vehementi occasionem diro dedisse schismati, quod a. fere 40 catholicam vexavit Ecclesiam. Post paucos enim menses (19. Sept. 1378) cardinales elegerunt Robertum gebennensem cardinalem imposito ei nomine Clementis VII., qui obiit 16. Sept. 1394. Urbanus vero VI. post vitam magnis agitatam turbis non absque subministrati veneni suspicione 15. Oct. 1389 decessit.

359. Insignis prorsus canonista erat Baldus de Ubaldis (Baldeschi) Perusinus[1]) n. c. 1319. Sex academias

[1]) Schulte II, 276: Seine Werke über das kanonische Recht können zwar nicht

suis illustravit praelectionibus, in negotiis publicis partem habuit, undique fuit consultus et magna semper erat auditorum corona cinctus. Decessit morsu rabidi canis vulneratus 28. Apr. 1400. Praeter opera ad jus civile spectantia, in quibus jus canonicum attingit, reliquit: *Lectura super ll. 1—3 decretalium,* Mediolani 1476—78 t. 2 (in l. 1. et 2.); 1491; Venetiis 1495; 1500; Lugduni 1514; 1543; 1547; *Repertorium super Innocentio,* quod est index alphabeticus ad Innocentii IV. commentaria seu apparatum in decretales *Margarita* cognominatum, quod passim cum hoc apparatu prodiit, ut s. l. et a. (c. 1474); Venetiis 1481; Lugduni 1525, et etiam seorsim Argentinae 1478; Mediolani 1481; 1491 etc.; *de schismate,* in quo scripto probat legitimam fuisse electionem Urbani VI., cujus epitomen exhibet Raynaldus Annal. VII, 321 ss. ed. luc. 1752: cui adjecit *allegationes secundas* pro Urbano VI., quas ibidem reperies ad a. 1378. VII, 613 ss. Verum accusatur postea mutasse sententiam et favisse Clementi VII. Opus de commemoratione famosissimorum doctorum in utroque jure est deperditum. Tanti factus est a posteris et aequalibus, ut diceretur »oraculum, numen, lucerna, monarcha juris.« Et revera adhuc juvenis 17 a. publice de jure disputavit promeruitque lauream doctoralem. Prodierunt ejus opera t. 7 collecta Venetiis 1572; ita plurima ejus consilia saepissime, quandoque t. 6, ut Venetiis 1526; 1575; 1580 etc.; Lugduni 1559; Francofurti 1585; 1589 etc. Ludovicus de Perego mediolanensis utriusque juris doctor († 1525) compilavit ad ejus opera tabulam per alphabetum omnium ejus principalium, emergentium, incidentium ac extravagantium dictorum, quae inserta est operum ed. Tridini 1516 t. 1; Lugduni 1551. Refertur Baldum fuisse statura pusillum adeo, ut auditorum aliquis de eo diceret: »Minuit praesentia famam;« mox Baldus reposuit: »Augebit cetera virtus.«

360. Praetermissis Simone Borsano (Brossano, Broussano) archiepiscopo mediolanensi (1370) et cardinali, qui tamen ecclesiam suam nunquam accessit negotiis ecclesiasticis sibi a romano pontifice impositis detentus († 27. Aug. 1381), cujus praeter alia laudatur opus perutile super Clementinarum librum — Philippo de Leidis viro nobili juris doctore et canonico parisiensi, deinde in patria canonico trajectino († 1386) — Guilelmo Bavaro, Hollandiae comiti a consiliis, qui praeter lecturam in l. 3. decretalium scripsit tr. *de reipublicae cura et sorte principantis,* 1516; Amstelodami 1701 in 4. cum auctoris vita auctore Sebast. Perzoldo — Joanne Fan-

---

zu den hervorragenden gerechnet werden, zeichnen sich aber aus durch eine Fülle des Stoffes, interessante Einzelnheiten, praktische Beherrschung und einen auf die Auffassung aus dem ganzen Gebiete gerichteten Sinn. Sie sind stets in hohem Ansehen geblieben. Exprobrant tamen alii nimiam in judicando licentiam non satis fundatam, legum citationes superfluas, nimiam prolixitatem junctam cum parsimonia in quaestionibus alioquin necessariis, immoderatam subtilitatem, defectum cognitionis chronologiae et historiae. Cf. Vermiglioli Biografia degli Scrittori perugini I, 112—143, qui accuratissime de Baldi vita et operibus scribit; sicut et de aliis Baldeschi claris, ut de Angelo Baldi nostri fratre adeo insigni juris consulto, ut diceretur „judicum doctor et praxis pater," juris civilis professore et magistratu († c. 1407), ib. p. 95—108; de Nicolao B. infra loquemur; ita et de Petro B. Cf. etiam Mazzuchelli II, p. I. p. 146; Tiraboschi V. l. 2 c. 4 n. 26 ss.

[1]) Pro Clemente VII. adversus electionem Urbani VI. stetit Petrus Flandrinus Vivariensis, decretorum doctor, decanus bajocensis, inde auditor s. palatii, demum 1371 cardinalis († 1381) in tr. *de papatu* sive de facto schismatis et impressionis, et in responsione ad objectiones Petri archiep. toletani (ineditis), quorum passim mentionem facit Baluzius in suis ad vitas paparum avenionensium notis.

tuzzi seniori, Bononiensi, utriusque juris doctore canonista facundissimo, ob singularem doctrinam magnae apud Bononienses auctoritatis († 13. Maj. 1391), cujus commentaria super decretum manserunt inedita — Laurentio de Pinu e nobili familia bononiensi, decretalium celebri suo tempore professore ab a. 1365 usque ad mortem (1397) — Caspare Calderino seniore[1]), Bononiensi, juris canonici doctore et collegii civici judicum socio, tanti a Bonifacio IX. facto, ut rosa aurea ab ipso benedicta donaretur († 1399) — Bonifatio Ammanati Pistoriensi cardinali diacono (1397; † 1399) cujus exstat[2]) *Lectura super* Clementinas, Biturici 1522 — Galvano de Bononia ob doctrinae praestantiam a Guilelmo episcopo quinquecclesiensi splendidis conditionibus in Hungariam ad promovendum studium juris ecclesiastici accito, qui et academiam patavinam et bononiensem illustraverat († p. a. 1385) disseruitque *de differentiis legum et canonum* in tr. univ. jur. I, 189 ss.; his, inquam, praetermissis mentione adhuc digni sunt: Bonifatius de Vitalinis Mantuanus, qui studiis operam dedit Patavii, quibus absolutis aliquamdiu praxi criminali vacavit: sed mutato consilio militiam ecclesiasticam est secutus. Vicarium dein egit episcopi patavini et docendi munere est functus (1350). Patavio 1352 relicto Avenionem se contulit ibidemque cathedram rexit atque propter doctrinae praestantiam jure conferendi doctoratum fuit insignitus. Pluribus aliis muneribus honoratus demum comparet auditor s. palatii (fl. 1588). Reliquit commentarios *in constitutiones Clementis V.,* Lugduni 1522 in f.; Venetiis 1574; *super maleficiis,* Mediolani 1505 in f.; Venetiis 1559 in 8; 1560; 1584 etc., quae opera stilo satis duro sunt conscripta[1]). — Joannes de Lignano (Legnani oppido), de cujus juventute et studiis nihil certi constat. Bononiae advocatum et juris civilis professorem egit a 1358, sed postea transiit ad docendum jus canonicum, in quo plurimum inclaruit, ut praecipuis sui temporis canonistis accenseatur. Magni factus est a Gregorio XI., qui eum sedata adversus dominium pontificium bononiensi rebellione, generalem urbis in rebus temporalibus vicarium constituit. Orto schismate ipse stetit pro Urbano VI. edito tr. quem inscripsit *de fletu Ecclesiae* misitque ad universitatem parisiensem[2]). Ex eo fragmenta edidit Raynaldus ad a. 1378 n. 30 ss. Adversus hunc tr. scripserunt multi[3]). Propterea alium edidit tr., quem ib. reperies XXVI, 631—57. Etsi dives et honorificis muneribus auctus, modestus erat in sua cum aliis conversatione omneque tempus a negotiis liberum studiis aliarum etiam scientiarum, astronomiae in primis, impendit multaque reliquit opera, quibus tamen desunt ordo, accuratio et lima, nimiis cum esset occupationibus distractus[4]). Decessit peste correptus 16. Febr. 1383. Praecipua opera sunt: Commentarius *in decretales Gregorii IX.* prolixus; lectura super Clementis, concordantiae canonum (haec tria inedita); *de plura-*

[1]) Dictus est senior, ut distingueretur a cognomine Caspare C. filio suo, qui pariter erat decretorum doctor et haud inceleber juris professor bononiensis, cujus supersunt aliquot consilia.

[2]) Cf. Baluze Vitae pap. aven., Parisiis 1693 I, 1339—41.

[1]) Cf. F. M. Colle Storia dello Studio di Padova, Padova III, 71—76.

[2]) Cf. Denifle Chart. Paris III, 579 s.; Hefele VI § 712 p. 758.

[3]) Inter hos Petrus de Barreria Ruthenensis, Gallus, episcopus (1377) aeduensis et a. 1379 cardinalis a Clemente VII. factus († 1383), in tr. *de schismate*, quem edidit Bulaeus in hist. acad. paris. IV, 529 ss. Cf. Oudin III, 1187. — De Joanne Fabri, qui pariter contra eum scripsit, supra jam egimus.

[4]) Cf. Fantuzzi 5, 28—48; Schulte II, 257—62; Oudin III, 1072—78; Argelat. p. 796 ss.; Tiraboschi V. l. 2 c. 5 n. 12 ss.

litate beneficiorum s. a. et l.; Parisiis 1511; Mediolani 1515; in tract. univ. juris XV, 1, 110; *de censura ecclesiastica,* ib. XIV, 307; Mediolani s. a.; *de ecclesiastico interdicto,* inter tr. cit. XV, 335; *de horis canonicis,* ib. XV, 2, 558; *de bello,* de repressaliis, de duello, Bononiae 1477 in f.; Papiae 1487 etc.; cui additiones adjecit Antonius de Lignano auctoris nepos, Taurini 1525; *de amicitia,* inter tr. jur. u. t. XII. etc. — Radulphus (Rodulphus) Preslaus (de Presles, Praeles), Gallus, consiliarius Caroli V. Galliae regis ac libellorum supplicum magister († 10. Nov. 1383), scripsit tr. *ds potestate pontificali et imperiali* seu regia, quem M. Goldastus inseruit Monarchiae rom. imp. I, 39. Ipse quoque ex mandato regis gallice vertit s. Scripturam, quae versio in codd. mscr. tantum videtur haberi[1]). — Conradus de Gelnhausen (Geyllenhausen, Geilenhusen) theologiae studium Parisiis inchoavit, Pragae absolvit. Bononiae in jure canonico lauream promeruit. Erat 1363 canonicus moguntinus, dein praepositus wormatiensis, universitatis heidelbergensis cancellarius († 13. Apr. 1390). Scripsit ad Carolum V. regem Galliae *epistolam concordiae* seu tr. de congregando concilio tempore schismatis (Martene thes. anecd. II, 1200—1226), in qua innixus erroribus Marsilii Patavini et Guilelmi Ockami theoriam de superioritate concilii supra pontificem tuetur[2]), atque ita viam stravit Henrico de Langenstein (cf. p. 690), qui theoriam hanc eo tempore vulgarem reddidit. — Joannes Lapus de Castiglionchio (Castellione, Castillioneus) senior, patricius florentinus, graece peritus, hinc plura veterum scripta ex graeco vertit, celeber juris consultus, in patria sua jus canonicum a. 22 docuit et munera publica obiit: sed ob suspicionem proditionis urbis bonis ipsius publicatis in exsilium pulsus et ad mortem quaesitus est, praemio etiam magno promisso ei, qui eum interficeret. Patavium primum secessit, dein bene exceptus Romae ibidem substitit, ab Urbano VI. honoribus auctus et senator urbis dictus († 27. Jun. 1381). Praeter alia reliquit *allegationes juris,* Romae 1474; Mediolani 1491; 1498; Florentiae 1568; Venetiis 1600 etc.; tr. *de canonica portione et quaestu,* in tract. univ. j. XV p. 2. pag. 193; *tr. hospitalitatis,* ib. XIV, 162, prima monographia de xenodochiis, quorum regimen Ecclesiae asserit. *Epistolam* seu disputationem quandam ipsius edidit Mehus 1753 praemissa ejusdem vita erudite et accurate conscripta[1]). — Magni olim aestimabatur Joannis Petri de Ferrariis Parmensis et professoris ticinensis (1389) *Practica nova judicialis* „aurea“ cognominata, hinc saepe edita, s. l. et a.; Venetiis 1473 et saltem adhuc decies ad a. 1499; cum additionibus auctoris eam edidit Franciscus de Curte, Lugduni 1509 in 4.

361. Nominatissimus hac periodo est Nicolaus Eymerici (Eimericus) natione Catalanus, patria Gerundensis n. circa a. 1320. Adolescens ordinem s. Dominici est ingressus et peractis tirocinio et studiis, iis ita deinceps ad ultimum usque spiritum incubuit totus, ut seu domi moraretur, seu iter ageret, boni semper aliquid aut meditaretur

[1]) Cf. Oudin III, 1143.

[2]) Michael Zeitschr. für k. Theol. 1896 p. 130: Sie war das grundlegende Werk für den Conciliarismus, eine Schrift überreich an Unklarheiten und Widersprüchen. Das Volk, die Gesammtkirche, vertreten durch das allgemeine Concil, ist souverain, ist unfehlbar u. s. w. Cf. Kneer Die Entstehung der conciliaren Theorie etc., Scheuffgen Beiträge zur Geschichte des großen Schismas, Freiburg i. Br. 1889 c. 5; Wenck in hist. Zeitschr. ed. a Sybel etc. LXXVI (1895), 6—61.

[1]) Cf. Tiraboschi V. l. 2 c. 5 n. 19 ss.

aut scriberet, verum Dei ministrum sese exhibere satagens in verbo veritatis a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam. Fidei Ecclesiaeque zelo succensus labores illi suos conferebat omnes, cetera nihil habebat. Ineunte a. 1357 datus est sodali Nicolao Roselli ad purpuram evecto successor in munere inquisitoris generalis Aragoniae. Cum vero intrepide munere fungeretur, in primis adversus Waldenses, multorum sibi concitavit odium et accusationes etiam a sodalibus O. Min. ob impugnatum suum Raymundum Lullum[1]): hinc in comitiis ordinis 1360 loco motus est sedandae hostium invidiae causa. Quanti tamen eum facerent inde liquet, quod illum 1362 praeficerent vicarium generalem provinciae Aragoniae. Scissa ea provincia in duas partes, ipse ab una electus est in praesidem provinciae, Bernardus Ermengaudi ab altera. Urbanus V., ad quem controversia delata est, neutrum confirmavit et eorum loco praefecit Jacobum Dominici provinciae. Interea Eymericus concionibus habendis scribendisque libris incubuit, nec parum post in munus inquisitoris restitutus est. Acceptus erat Gregorio XI., eumque Romam comitatus est (1377). Electo Urbano VI. et fuga dilapsis cardinalibus gallis scripsit epistolam ad cardinales Anagniae agentes, in qua nititur ostendere electionem Urbani VI. esse invalidam et Clementi VII. ab his electo adhaesit, ideoque in Aragoniam rediit. Sed cum Lullistae, quos inquisitor insecutus erat, gratia vigerent apud Joannem Aragoniae regem, regno ejectus est 1393. Avenionem se contulit ad Clementem VII., a quo benigne exceptus fuit. Stetit etiam pro ejus successore Benedicto XIII., in primis contra theologos parisienses. Anno 1397 rediit in patriam suam ibique vitam finivit 4. Jan. 1399. In epitaphio celebratur „praedicator veridicus, inquisitor intrepidus et doctor egregius.“ Plurima[1]) reliquit opera 11 vol. magnis comprehensa, quae manserunt inedita, philosophica, sermones, postillas et commentaria in quatuor evangelia, dogmatica de eucharistia[2]), de conceptione b. Mariae V., polemica contra doctrinam Raym. Lulli; contra haereticaliter asserentes (Nicol. Boneti et Fr. Marogi cf. supra p. 625) b. Joannem Ev. fuisse b. Mariae V. filium naturalem etc. Prodiit tantum *Directorium inquisitorum,* Barcinone 1503 ed. innumeris locis depravata; Romae 1578 scholiis et commentariis Fr. Peña illustratum cum auctoris vita; ib. 1587; ed. optima; 1597; Venetiis 1591, 1607. Exhibet hoc opus plenam instructionem et methodum pro exercendo inquisitoris munere, estque in hoc genere perfectius illo Bernardi Guidonis (p. 574): in nonnullis tamen non satis est accuratus. Scripsit quoque *vitam Dalmatii Monêr* O. Praed. sui olim in tirocinio vitae spiritualis magistri († 1341), quam exhibet Diagus in historia prov. Aragoniae, Barcinonae 1599. I, 259—65.

362. Ad theologiam *moralem* et *pastoralem*[3]) referri possunt Henricus de Oyta (Euta, Otha, Huecta etc., nunc Friesoythe, quod est oppidum Frisiae seu Oldenburgi) O. Carm., qui videtur Parisiis studuisse philosophiae

[1]) Cf. Nic. Antonius l. 9 c. 7 n. 382 ss.

[1]) Cf. Quetif I, 709—17; Grube KL. IV, 1155. De codd. ejus directorii accurate disserit Ehrle Archiv I, 43—45.

[2]) De quibusdam propositionibus circa eucharistiam ab ipso ad Gregorium XI. delatis cf. Fleury H. E. l. 24 § 21.

[3]) Nikolaus Moschinus (Misquinus, Mischinus) e nobilissima Caracciolorum familia O. Praed. supremus fidei per Siciliam inquisitor, ab Urbano VI. cardinalis creatus et in gravissimis negotiis et legationibus adhibitus eique semper fidelis († 1389), collegit Summam de poenitentia (inedita); scripsit etiam depositionem de vera et canonica electione Urbani VI. etc. Cf. Eggs Purp. docta l. 2 § 76.

et theologiae et in utraque facultate ibidem praelectiones habuisse. Inde Pragam transiit. Repetiit Parisios, sed inde cum Henrico de Hassia amico et collega suo (cf. p. 690) recessit 1383. Cum eodem fundator veluti est facultatis theologicae viennensis in Austria ibidemque egit professorem et aliquoties decanum. Praeter commentaria (strictissima) in ll. sententiarum, in psalmos, in Ev. Joannis, quodlibeta, tr. de b. Mariae conceptione, disp. contra Judaeos (inedita) etc. reliquit tr. *de contractibus redituum annuorum*, qui et seorsim (ut Parisiis 1506) saepius lucem vidit, et prodiit[1]) inter Gersonii opera IV. 224—253. Ob conclusiones contra Albertum Bohemum notam fere haereseos incurrit: hinc Romam citatus est, sed ibidem ab ea absolutus fuit 1378: tamen Fl. Illyricus in catalogo testium veritatis l. 18. quaedam excerpta ex illo protulit († 20. Mai 1397). — Henricus de Odendorp (Oldendorff) decretorum doctor, unus ex fundatoribus et professoribus universitatis viennensis ejusdemque et rector († c. 1399 vel 1400), scripsit *repetitionem capituli „omnis utriusque sexus"* de poenitentiis et remissionibus scil. de confessione annua[2]), Memmingae 1490. — Haud parum innotuit Nicolaus Oresmius, Normannus, probabiliter Cadomensis, atque de custodia disciplinae ecclesiasticae sollicitus, vir doctus, peritus etiam mathematicarum literarum. Carolum V., qui libenter ejus regebatur consilio, contra judiciarios astronomos seu astrologos tunc temporis etiam in aulis multos decipientes verbo et scripto praemunivit. Theologus parisiensis gymnasium navarreum regendum suscepit (1356-61). Factus est archidiaconus bajocensis, dein decanus rotomagensis (1364). Cum Carolus rex audivisset, Urbanum V. meditari Avenione reportare Romam sedem pontificiam, celebrem ad eum destinavit legationem Oresmio duce quo reditum dissuaderet (1366). Hortante eodem rege plures Aristotelis aliorumque veterum ll. gallice vertit, sed non satis bene teste Huetio. Anno 1377 electus est in episcopum lexoviensem decessitque a. 1382. Quamplurima reliquit scripta inedita, mathematica, philosophica, theologica. Ex editis vero non videtur ipsius esse versio gallica s. Scripturae[1]), quae exeunte sec. XV. prodiit, neque l. *de antichristo*, quem esse Guilelmi a s. Amore diximus supra p. 309 a.; neque *epistola Luciferi...* ad principes ecclesiasticos, juribus Ecclesiae infensa. Ipsius vero est l. *de mutatione monetae* seu de origine, natura, jure et mutationibus monetarum scil. in monetas minoris valoris a bono principe non permittendis, in bibl. PP. parisiensi IX, 1589—1644; coloniensi t. XIV; lugdunensi t. XXVI; Parisiis s. a.; Lugduni 1605; prodiit et gallice exeunte sec. XV; latine et gallice Parisiis 1864. Meruit quoque de linguae patriae cultura[2]). — Antonius Preti (de Presbyteris) Bononiensis, juris civilis Bononiae professor (1353—79), vicarius episcopi florentini († 1380), composuit *Clypeum pastoralem*, in quo praxim seu administrationem pastoralem exponit, in tract. univ. j. XIII. p. 2. p. 362; tr. brevem *de jurisdictione episcoporum*, ib. p. 361. — Joannes de Burgo seu Burgensis cancellarius universitatis cantabrigiensis († 1386), in qua quondam studiis operam dederat, scripsit *pupillam oculi* ll. 10, in qua agit de septem sacramentorum admini-

[1]) Cf. Aschbach Gesch. der Wiener Universität I, 402—7, qui diligenter ejusdem opera inedita recenset.

[2]) Cf. Aschbach l. c. p. 408—10.

[1]) Cf. Rich. Simon Hist. des versions du N. T. c. 28.

[2]) Cf. Feret III, 289—304; Oudin III, 1111; prae primis Meunier Essai sur la vie et les ouvrages de N. Oresme, Parisiis 1857; Jourdain N. Oresme et les astrologues de la cour de Charles V. in Revue des qq. histor. XVIII, 136—160.

stratione, de decem praeceptis decalogi ceterisque, quae rite institutum sacerdotem haudquaque ignorare decet, officiis, Argentinae 1516 et alibi[1]). Magnam partem exscripsit ex l. Guilelmi de Pagula inscripto *Oculus sacerdotis* (cf. p. 601 a.). — Nostra aetate oblivioni eripuit F. A. Gasquet in suo op. The old English Bible and other Essays, Londini 1897 diss. 3 Thomam Brunton ep. rocestrensem (1372-89), quem insignem fuisse concionatorem pastoremque intrepidum sui gregis, specimina ibidem exhibita ostendunt. — Idem dicatur de Marquardo de Lindau O. Min., provinciali a 19. Nov. 1389 usque ad diem obitus 15. Aug. 1392, qui auctor dicitur 30 tractatuum pro populi instructione: inter quos est egregia expositio decalogi, saepe adjecta ejus tr. *de filiorum Israel in Aegyptum descensione* ed. Venetiis 1483. Argentorati 1516. Ejus cum laude meminit Hasak († 1889) in Ein Epheukranz oder Erklärung der 10 Gebote nach der Originalausgabe, Augsburg 1889.

363. Inter theologos *mysticos* vel *ascetas* referri debet Joannes Ruysbroek (Ruisbrock, Ruusbroec) a loco nativitatis Runsbroek prope Bruxellas ita cognominatus. Lucem aspexit a. 1293. Puer a. 11 coepit operam dare literis sub Jo. Hinckaert canonico cognato suo. Sacerdos ordinatus (1318) vicarium egit ad s. Gudulam Bruxellis. Jam tunc vitam a mundi turbis et negotiis remotam duxit totum se dicans exercitiis pietatis, lectioni prae primis operum vulgati Dionysii Areopagitae, meditationi et operibus caritatis: fortiter quoque verbo et scriptis restitit fratribus et sororibus liberioris spiritus. Plures discipulos sua attraxerat pietate; sed studio altioris perfectionis sexagenarius statuit monasterium Vallis viridis (Vauvert, Groenendal) Can. reg. s. Aug. ingredi, quem aliquot socii secuti sunt (1349). Non diu postea electus est in priorem, quo munere functus est ad mortem usque. Hic prae primis ascesi et contemplationi se dedit, propterea se silvis abdebat, ut quietius meditationi vacare posset. Pietatis virtutumque ejus fama late vagata est, hinc undique accurrerunt consilii petendi gratia docti et indocti, pauperes et divites: inter quos celeber Taulerus, unus e praecipuis mysticis sui temporis (cf p. 666), Gerhardus Groote, de quo mox, etc. Neque tamen jugis mentis oratio eum impediebat, quin cum sodalibus interdum labori manuum insudaret, ut ipsis esset exemplo: qua occasione vilissimos quoque subibat labores velut portare fimum. Post vitam virtutibus, poenitentiis et bonis operibus illustrem decessit 2. Dec. 1381 a. aetatis 88 in odore sanctitatis, unde in illis regionibus colitur ut servus Dei, quem tamen cultum sedes apostolica etsi sollicitata nondum approbavit. Scripsit multa lingua patria, et quidem classice, quae successive verterunt latine Gerardus Groote, Guil. Jordanus (Jordaens) et Laur. Surius, qui ea undique collecta edidit Coloniae 1552 in f.; 1555; 1609 in 4; 1692 in f. Plura prodierunt lingua belgica cura J. B. David, Gent. 1858—68 t. 6, vel versa in linguam gallicam, Parisiis 1869, italam Bononiae 1538, germanicam cura Godefr. Arnoldi ex versione latina Surii Offenbach 1701; cura Ulmann Hanoverae 1848; interprete Fr. Lambert aliqua Lipsiae 1901, scil. Die Zierde der geistlichen Hochzeit; vom glänzenden Stein; das Buch von der höchsten Wahrheit; et curante Denifle in op. Das geistl. Leben, eine Blumenlese aus den deutschen Mystikern des 14. Jahrh. Gratz 1895 ed. 4. Inter ejus opera praecipua forte sunt *de nuptiis spiritualibus* (etiam inscriptus *de ornatu spiritualium nuptiarum* sub nomine Rusberi Parisiis 1512): quo in op. verba Evangelii

[1]) Cf. Oudin III, 1155.

Ecce sponsus venit, exite obviam ei applicat ad diversos adventus Christi et ad modos varios, quibus anima christiana ei occurrit. In l. 1. agit de ornatu vitae moralis et activae; in 2. de ornatu vitae spiritualis et affectivae; in 3. de ornatu vitae superessentialis et contemplativae. In hoc op. suum mysticum systema magis quam in aliis ll. evolvit. Visus autem est l. 3. docuisse »animam perfecta Dei contemplatione non solum videre eum per claritatem, quae est divina essentia, sed quodam modo unum cum ea fieri et abire in ipsam claritatem divinam ab ejusque abysso absorberi.« Hoc oppugnandum sibi sumpsit Gerson: a Jo. de Schoenhavia (Schoenhoven † 1431) tamen monitus, in altera responsione mitius de eo censet atque fatetur, Ruysbroekium diserte alibi ponere »quod creatura nullo modo perdit esse suum, quod habet in proprio genere[1]).« *Speculum salutis aeternae* pro novitia O. s. Clarae; *de calculo* (cf. Apoc. 2, 17) sive de perfectione filiorum Dei, opus non ab omni immune exceptione; *de fide et judicio*, in quo symbolum apostolicum explanat; *de duodecim virtutibus*, in quo plura habentur, quae fere ad verbum recurrunt apud alios mysticos illius temporis; *de septem gradibus amoris; regnum amantium Dei; Samuel* sive de alta contemplatione, in quo pariter ejus systema reperitur; *de vera contemplatione;* commentarii *in tabernaculum Mosis* et ad illud pertinentia, seu de spirituali tabernaculo, opus prae ceteris prolixum, in quo allegorice omnia de vita spirituali et vere christiana interpretatur. Tr. *de Simonia* ad Beguthas primum ed. Rud. Langenberg Quellen und Forschungen zur Gesch. der deutschen Mystik, Bonn 1902. Quamvis vero in his haud pauca benigna indigeant interpretatione, magni tamen eum faciunt Sixtus senensis, Lessius, Dionysius Carthusianus, qui eum alterum Dionysium Areopagitam appellat, Thomas a Kempis, Thomas a Jesu etc., unde a nonnullis dictus est »doctor exstaticus, divinus, illuminatus[1]).«

364. A Ruysbroekio nolumus sejungere Gerardum (Geert) Groote (Groet, Magnus) daventriensem, qui ipsum maximi fecit. Natus est 1340 Daventriae. Parisiis theologiae, medicinae et juri canonico dedit operam Buridani, Oresmii etc. discipulus. Juvenis a. 18 jam artium magister est renunciatus. In patriam redux scholam rexit. Adepto Ultrajecti et Aquisgrani canonicatu vitam duxit sat commodam, donec monitis piissimi Henrici calcariensis Carthusiani impulsus mores mutavit pietatique se totum dedit. Canonicatui renunciavit solo diaconi contentus ordine (1374). Impense institit praedicationis munere, egitque strenue adversus fratres, qui dicebantur spiritus liberi, vehementer quoque insectatus est populi clerique vitia. Tanto autem fervore et fructu concionabatur, ut aedes sacrae et coemiteria auditorum capere non possent frequentiam ipseque haereticorum salutaretur malleus. Docuit autem prae primis lucidissimo sanctae vitae exemplo. Instituit etiam piam fratrum seu clericorum

[1]) Cf. Fabricius IV, 411. Cf. scripta de hac controversia inter opera Gersonii I, 59 ss. Ibi etiam reperies *Defensorium Jo. Ruisbrockii* ab ejus sodali Jo. de Schoenhoven editum; Stöckl Gesch.d. Philos. des MA., Mainz 1865. II, 1137 ss.; Engelhardt Rich. von St. Victor und Joh. von R., Erlangen 1838; Schroedl KL. X, 1422; De Jo. de Schoenhoven cf. Tritheimius, qui plura ei tribuit ll. asceticos.

[1]) Cf. de origine monasterii Viridis vallis in analectis boll. t. IV. et seorsim Bruxellis 1885, in qua reperies Henr. Pomerii vitam Fr. Jo. Ruusbroec; O. Schmid allg. deutsche Biogr. 29, 626 ss.; Auger de doctrina et meritis Jo. van R. diss. theol. Lovanii 1892; Etudes sur les mystiques des Pays-Bas au moyen âge, diss. praemio coronata ab academia belgica 1892 t. XLVI, et Compte rendu du 3e congrès scientifique des Catholiques II, Bruxellis 1895 p. 297 ss.

vitae communis congregationem, quae operum ss. patrum descriptione victum sibi compararet, institutione vero et exemplo juvenes excoleret in literis et moribus bonis. Instituit et puellarum sodalitium, quae vitam communem pietatis exercitiis deditam ducerent manuumque labore viverent. Peste correptus obiit vir vere devotus 19. Aug. 1384 a. aetatis 43. Ex *epistolis* ejus pretiosis septem edidit ex cod. leodiensi Nolte Theol. Qtlschr. Tübingen 1870 LIV, 280 ss. annotationibus illustratas; alias jam ediderat de Ram in Compte rendu des séances de la Com. roy. d'hist. de Belg. 3. ser. II, 1860 p. 66 ss.; sexdecim Preger in Abh. der Münchener Ak. III Kl. XXI p. 1 München 1894; aliae prodierunt in chronico windesh. et in variis fasc. literariis. Cum plures e clero apostolica ejus praedicandi libertate offensi eum apud episcopum ultrajectensem quasi haereticorum fautorem denunciassent, ut praedicandi munus ei fuerit interdictum, ad suam tuendam innocentiam concinnavit lib. *de publica protestatione* et veridica praedicatione Evangelii, quod ipse praedicavit. Reliquit et Conclusa et proposita et non vota scil. monita, consilia, regulas *de ss. libris studendis,* quae reperiuntur inter opera Thomae a Kempis, qui et *vitam* Gerardi Magni conscripsit, Coloniae 1660 t. 3 in 8. Ex ejus *sermonibus* pauci prodierunt: praecipuus est Sermo *de focariis* aut contra focaristas (sacerdotes concubinarios), qui exstat in duplici recensione, prolixiori in Archief ed. a Kist Royards 1829 ss. I, 365—379; II, 307-395; VIII, 5—107; breviorem habes ib. 108—117. *Consilium* cuidam juveni datum, cui collata fuit ecclesia curata ad sororis suae instantiam, ed. a Clarisse in Arch. vor kerk Geschied III app. 3 p. 13 ss. Tr. *de matrimonio* ib. VIII, 129 ss.; *de locatione ecclesiarum*, ib. VIII, 119 ss. Multa manserunt inedita. In ejus epitaphio belle de ipso legimus:

Gerardus Magnus vixit sicut pius agnus.
Fecit quod dixit: sicut docuit quoque vixit,
sicut non fictus, aliis mitis, sibi strictus,
Lux fuerat cleri, tradens huic lumina veri[1]).

Gerardi discipulus et sodalis fuit Florentinus Radewijns ex oppido Leerdam in Batavia meridionali n. c. 1350. Pragae studiis operam dedit adeptusque est magistri gradum. Post reditum in patriam factus est canonicus ultrajectinus. Gerardi Groote concione ita commotus fuit, ut abdicato pingui beneficio hunc magistrum secutus sit a. 1380. Ipse consilium dedit, ut clerici juniores, qui occupabantur in describendis veterum codicibus, in congregationem quandam coadunarentur, ipse primus quoque fuit ejusmodi domus sodalium vitae communis rector et moderator, ad cujus exemplum plures

---

[1]) Cf. Busch in chronico windesmensi; Rudolfus Dier de Muiden (Muyden) socius fratrum scholarium Daventriae eorumque procurator († 1458) in l. *De magistro G. Grote.* domino Florencio et multis aliis devotis fratribus, cum continuatione composita per Petrum Hoorn ab a. 1450—72 in Dumbar Anal. I, 1—113—148, opus magni momenti pro historia ecclesiastica Daventriae; Bonet-Maury Ger. de Groote d'après des docum. inedits, Paris 1878: Alberd. Thijm KL. V, 1286—1289; van Slee allg. d. Bi. IX, 730—733; Schulze Realencyclop. VII[3], 185-191; Feret III, 275-84; Janssen Gesch. des deutschen Volkes t. 1 § 3 in annot. statim ab initio: Man wird diesen wahrhaft großen Mann erst dann gebührend würdigen können, wenn alle seine Schriften, insbesondere seine Briefe, die deren wichtigsten Bestandtheil ausmachen, veröffentlicht sein werden. Grube Gerh. Groote und s Stiftu gen, Cöln 1883 p. 66 ss.; Schulze Zur Gesch. der Brüder vom gemeinsamen Leben in Zeitschr. f. KGesch. XI (1890) 577—619, ubi edidit ejus l. *de institutione novicirum* inter Groote ep. a Ram jam editas sub inscriptione: *De novo monacho;* praesertim Schoengen Die Schule von Zwolle von ihren Anfängen bis zur Einführung der Reform. Freiburg in der Schw. 1898 p. I.

aliae fuere conditae. A Groote primus et unicus ex suis clericis ad sacerdotium promotus et morti proximo designatus est praepositus omnium domorum fratrum et sororum vitae communis. Ex ejus consilio fundavit Groote demum domum canonicorum reg. celebre scil. monasterium windesheimiense a. 1387 († 24. Mart. 1400). Ejus est tr. devotus *de exstirpatione vitiorum et passionum* et aquisitione verarum virtutum et passionum et maxime caritatis et proximi et verae unionis cum Deo et proximo, Friburgi 1862 ed. Nolte. *Epistolas* quasdam recepit Dumbar Anal. I, 88. Vitam ejus descripsit Thomas a Kempis[1]). — Gerardus Zerbolt de Zütphen fuit ex primis fratribus congr. clericorum in communi viventium a Gerardo Groote institutae, domus velut columna et Gerardi altera manus, insignis quoque erat concionator († 1398 a. aetatis 31). Ejus vitam descripsit Thomas a Kempis. Disseruit[2]) *de reformatione virium animae; de spiritualibus ascensionibus* et descensionibus spiritualibus, libellus praedilectus clericis et laicis cultioribus, Coloniae 1539 in 4., receptus in bibl. PP. parisiensem t. V., coloniensem t. XIV; lugdunensem t. XXVI, 235—89. *De pretiosis vestibus* in op. D. J. M. Wüstenhoff G. Zerbolt van Zütphen, Gent. 1890. Aliquot ejusdem epistolas edidit Dumbar in Anal. I, 88 ss.

365. Rulman Merswin natus est Argentorati 1307 familia clara et opulenta. Mercatorem egit et argentarium mundi deliciis satis deditum. Verum a. 1347 consentiente uxore mundo valedixit piamque coepit agere vitam, familiaremque iniit conversationem cum claris illius temporis amicis Dei (Gottesfreunde). Post ejus mortem (18. Jul. 1382) reperta fuere aliqua ejus scripta, ut narratio suae conversionis *Von den vier Jahren seines anfangenden Lebens* ed. a Schmidt in Reuss und Cunitz Beitr. z. d. theol. Wiss. t. V. Jenae 1854; *Buch von den neun Felsen,* in forma dialogi, usque ad nostra tempora Henrico Suso tributum (ita adhuc a Diepenbrock in Heinrich Suso's .... Leben und Schriften, Ratisbonae 1829; 1873), ed. a Schmidt Leipzig 1859; *Bannerbüchlein* apud Jundt Les amis de Dieu etc., opera minoris momenti, quae laicum produnt eumque minus cultum, loquacem, suis visionibus vel imaginationibus nimis confidentem: unde missionem sibi arrogat carpendi fidelium, in primis cleri, vitia. Propter haec opera vix meret inter mysticos recenseri, sed famosum eum reddiderunt tot opuscula (c. 16) mystica, quae adeo callide cuidam amico Dei, quem finxerat, supposuit, ut is usque ad nostra tempora, etsi anonymus, crederetur in abscondito vixisse et designaretur singulariter nomine »amici Dei,« et haberetur ut amicorum Dei illius temporis pater spiritualis, magister, dux, soli nostro Merswino compertus et per ipsum cum aliis communicans. Tandem Denifle[1]) sagacissimus criticus figmentum exsufflavit ostendens, horum scriptorum et narrationum auctorem alium non esse

[1]) Cf. van Slee allg. d. Biogr. VII, 130 s.; Zeck KL. X², 728 et passim opera praeced. annot. laudata.

[2]) Plura alia scripta ei attribuit Revius Daventria illustrata, Lugduni B. 1651 p. 36 et 60, quorum tamen unum alterumque est suppositum, ut *de libris teutonicalibus* (scil. legendis vel non legendis), cujus excerpta exhibet p. 41-58 (nimis libere germanice reddita ab Ullmann Reformatoren vor der Reform. II, 96 ss.) Qua de controversia cf. Jostes hist. Jahrb. XI (1890), 1—22; 709—718. Cf. de eo W. A. Koning Specimen historico-theol. de G. Zutphaniensis vita et scriptis, Ultrajecti 1858, et Gerh. J. V. J. Geesink G. Zerbolt van Z., Amsterdam 1879; van Slee d. Biogr. XLV, 87-99; Hirsche Realenc. II², 715—720.

[1]) Cf. Zeitschr. f. deutsches Alterth. u. d. Lit. XXIV (1880) 201 - 219; 280—301-324; 463—540; XXV (1881), 101 - 121.

ac R. Merswinum, qui sub alieno nomine omnia haec scripta finxerit. Eorum plura typis prodierunt. Praecipua sunt *Meisterbuch,* in quo narratur conversio singularis hujus amici Dei, *Fünfmannenbuch, geistliche Stiege*[1]), *Buch von den zwei Mannen,* quod edidit accuratissime Lauchert Bonnae 1896. Prodierat jam prius in K. Schmidt Nikolaus von Basel 1866.

366. Raymundus Jordanis Can. reg. s. Aug. primo uticensis sive useziensis in Gallia narbonensi praepositus, dein cellensis in dioecesi biturícensi abbas (1381), reliquit plura scripta ascetica et mystica, quae diu sub idiotae nomine cognita et sec. IX. vel VIII. habita sunt[2]). Primus ea Raymundo vindicavit et castigationibus additis edi curavit Theoph. Raynaudus Lugduni 1632 op. t. XI; Parisiis 1654 in 4., scil. *Contemplationum ll. 6,* Parisiis 1519; in bibl. PP. paris. V, 419 ss. et studio Henr. Sommalii cum ss. Augustini, Anselmi et Bernardi *meditationibus,* Coloniae 1637; *de V. Maria,* Parisiis 1538 etc. — B. M. Raymundus de Vineis[3]) vulgo a Capua dictus, quia ibidem ex nobili familia ortus, O. Praed., variis in locis et studiis generalibus docuit ss. literas. Regens erat Romae ad Minervam, inde Senas missus est studii regens ibique Catharinam sanctimonia jam fulgentem familiarem habuit, cui datus est a confessionibus et divinorum secretorum conscius: qua intercedente mortis periculum evasit, quod incidit obsequio exhibito aegrotis peste infectis. A Florentinis pacis causa missus est Avenionem ad Gregorium XI., quem Romam revertentem secutus est tumque iterum assumptus est romani conventus ad Minervam praeses. Familiaris fuit tam Gregorio XI. quam Urbano VI., qui ejus opera usus est in variis legationibus[1]) pro componendo schismate: tantique eum fecit, ut in suis epistolis eum diceret „suum caput, oculum, linguam, manum ac suos pedes.“ Cum vero illud schisma vel sodales in duas divisisset factiones, ipse in iis comitiis provinciarum, quae fideles manserant Urbano VI., electus est 1380 in magistrum generalem. Strenue promovit disciplinae religiosae reformationem non sine laeto fructu, etsi haud leves incurreret difficultates[2]). Obiit senio laboribusque fractus in itinere germanico Norimbergae 1399 cum non vulgari sanctitatis opinione, unde in ordinis annalibus „beati“ titulo vulgo insignitur. Prodiit ejus *theologia mystica* ex italico transfusa Coloniae 1553 in f., quae complectitur *vitam s. Catharinae* ab ipso descriptam (in Act. SS. Apr. III, 853), l. *doctrinae divinae* conscriptum

[1]) Cf. Phil. Strauch allg. d. Biogr. XXI, 459-68 et eos quos supra citavimus agentes de Tauler p. 666 ss. Strauch in Zeitschr. f. deutsche Phil. 1902 p. 235—311 censet instituto novo examine l. von den neun Felsen antiquioris esse originis: a. M. fuisse retractatum et auctum. Jundt R. Merswin et l'ami de Dieu de l'Oberland. Un problème de psychologie et religieuse avec documents inédits etc., Paris 1890, sed cf. supra p. 668 annot. Preger Realenc. XIII², 102—105; Schmidt R. M. le fondateur de la maison de St. Jean de Strasbourg, in Revue d'Alsace 1856.

[2]) Cf. elenchum apud Oudin III, 1181; Esser KL. X², 746.

[3]) Alius ab eo est sodalis Raymundus Hugonis Aquitanus Eliae Raymundi magistri generalis ordinis (1367; †31. Dec. 1389) a consiliis et secretis fidissimus socius. Narrat ipse *historiam translationis s. Thomae* auctore hoc magistro Tolosam 1368 factae, quam habes in Act. SS. 7. Mart. I, 725—734. Cf. de nostro Lafont Vie du B. Raymond de C., Paris 1895; Hyac. M. Cormier OP. Le b. Raym. de C.... Sa vie, sa vertu, son action dans l'Eglise et dans l'Ordre de S. D., Romae 1899.

[1]) Cf. aliqua huc spectantia apud Denifle Chartul. paris. III, 559 et 663 etc.

[2]) Cf. Dan. Concina diss. hist. de origine disciplinae regularis primum in O. Praed. per b. R. de Vineis instauratae, Venetiis 1742; Disciplina apostolico-monastica ib. 1740 p. 340 ss.; Reichert Röm. Qtlschr. X (1896) 299—311.

ipsa dictante; s. Catharinae ex multis *orationes 22*. Scripsit praeterea *Legendam b. Agnetis* de Montepolitiano V. O. Praed. († 1317) in actis SS. Apr. II, 792—812; in Ambr. Taëgii collect. rerum O. Praed. l. 3 dist. 8. p. 146; italice Pescia 1887 in 8; tr. *pro reformatione conservanda,* Romae 1580; Tolosae 1605 in 12. Recentissime prodierunt ejus opuscula et literae, Romae 1895; 1899 ed. aucta duobus aliis scriptis. Inter opuscula est *legenda b. Benedicti XII.,* non vero legendae b. Agnetis et s. Catherinae, utpote jam satis vulgatae. Duo alia ejusdem hic non edita latent in Flaminii Cornelii Ecclesia veneta illustrata VII, 1-234, eaque spectant praesertim ad 3. ordinem de Poenitentia. — Pro amicis Dei laicis scripsit lingua patria Otto Passaviensis O. Min. lector basileensis (fl. 1386): *Die Vierundzwanzig Alten* (Apoc. 4, 1 ss.) oder der goldene Thron, quo in op. 24 seniores ex 104 magistris et scriptoribus apum instar colligunt et proponunt pulchriora dicta et sententias ordine systematico de vita pia et semita ad gloriam[1]); fuse admodum agitur de eucharistia et b. Maria V. Prodiit Augustae 1480, et forte jam antea s. l. et a; 1483; 1568; Landshut 1836 (nonnihil retractatum) inscriptum *Die Krone der Aeltesten;* suo tempore erat admodum vulgatum[1]). — Denique Hermanno (juxta duos cod. Joanni) de Salisburgo OSB., qui floruit sub archiepiscopo Pilgrim († 1396), tribuuntur *carmina* sacra et profana. Ipse quoque sat dextere vertit germanice plures hymnos ecclesiasticos. Aliqua typis dedit Wackernagel Deutsches Kirchenlied II, 409-455. — *Hymnos* Joannis de Jenstein (Jenzenstein) primum edidit Guido M. Dreves S. J., Prag 1886. Porro Joannes fuit primum episcopus misnensis 1376, dein 1379 archiepiscopus pragensis, Wenceslai regis, sub quo ejus vicarius generalis s. Joannes Nepomucenus martyrium est passus. cancellarius. De restauranda in sua dioecesi disciplina fuit admodum sollicitus, jurium suorum tenax, hinc magnas sibi conciliavit molestias. Sedi suae renunciavit 2. Apr. 1396 obiitque Romae titulo patriarchae alexandrini insignitus 27. Jun. 1400. Ejus *codicem epistolarem* edidit Loserth in Arch. f. öst. Gesch. LV, 265 ss. Vita ejus Pragae 1753 prodiit.

[1]) Est scil., ut dicitur in praef., Eine Regel des Lebens um Gott inwendig und auswendig und in allen nothwendigen Sachen zu gefallen hier in der Zeit und dort in der Ewigkeit.

[1]) Cf. Phil. Strauch allg. d. Biogr. XXIV, 741 ss; Kneller KL. IX, 1185.

XII.

Theologi annorum 1401—1425.

I. Theologia scholastica.

367. Inter sententiarios hujus periodi nominis fama eminet Petrus d'Ailly (de Alliaco) a. 1350 n. parentibus minus opulentis probabiliter in vico Aillihaut-clocher. Institutus fuit Compendii (Compiègne) ad Isaram (Oise) fluvium. Ratio ejus famae non tam est profunditas doctrinae, quam pars, quam habuit in componendo tristissimo Ecclesiae occidentalis schismate. Receptus est a. 1365 in collegium navarreum miroque ardore studiis se dedit. Anno 1375 exposuit in universitate parisiensi magistrum sententiarum: doctoris laurea donatus est 11. Apr. 1380. Orto schismate sermonem habuit[2]) in universitatis comitiis, quo ostenderet necessitatem concilii ad illud componendum (1381). Interim factus est canonicus noviomensis, praeses collegii navarrei (1384) atque theologiae professor necnon a. 1389 universitatis cancellarius: inter suos discipulos celebrem Joannem Gersonium numeravit et Nicolaum Clemangis. Ab universitate saepius missus est orator ad aulam pontificiam Avenione residentem: ita in causa Montesoni, cujus propositiones varias damnaverat academia (cf. p. 683), ut sedis apostolicae confirmationem damnationis latae sollicitaret[1]). Temporis lapsu crevit ejus fama, cum et insignis esset orator. Carolo VI. erat ab eleemosynis et confessionibus, thesaurarius insuper sacrae capellae, dein et archidiaconus cameracensis (1391). Saepe adhibitus fuit a rege in negotiationibus pro componendo schismate. A Clementis successore Benedicto XIII. dictus est episcopus aniciensis (1395), mox translatus (1397) ad sedem archiepiscopalem cameracensem: sūoque munere pastorali conscien-

[1]) Praetermittimus Lucam Manzolium O. Humil. Florentinum, theologiae doctorem, sui monasterii praepositum, episcopum feltrensem, quem Gregorius XII. cardinalem creavit et s. Antoninus ejus familiaris vocat „virum magni consilii, theologum praestantem, peritum ss. literarum professorem, exquisitae famae et probitatis exemplar († 14. Sept. 1411)."

[2]) Prostat inter op. Gersonii I, 603 s. ed. Dupin.

[1]) Cf. Du Plessis d'Argentré Coll. jud. 1 p. 2 p. 76 s. Tuetur autem in sermone et scripto adversus Montesonum Virginis immaculatam conceptionem. Cf. ejus hac de re scripta inter opp. Gersonii I, 693 ss.

tiose est functus studiumque theologiae plurimum promovit. A Carolo VI. ad Bonifacium IX. ejusque successorem Gregorium XII. et Benedictum XIII. missus est, ut eos induceret ad renunciationem adeptae dignitatis, verum nihil profecit. Exinde ad pisanam synodum cum Jo. Gersone in comitatu Ludovici cardinalis, ducis barrensis profectus est, in qua auctum est schisma electo tertio pontifice Alexandro V. (1409), a cujus successore Joanne XXIII. creatus est 1411. cardinalis. Interfuit conc. romano (1412) et pontificis legatus peragravit Germaniam et Hollandiam. In concilio constantiensi (1414-17) magnas habuit partes; sessioni tertiae ipse praesedit, omnibus negotiationibus adfuit, synodi anima nuncupatus. Ejus impulsu jus suffragii concessum est doctoribus theologiae et juris, principibus eorumque legatis. Ipso agente statuta decreta de reformatione, statutum ut novus eligeretur pontifex ad exstinguendum schisma, et aliquamdiu parum abfuit, quin ipse eligeretur. Electo Martino V. ab hoc constitutus est legatus avenionensis († 9. Aug. 1420; secundum aliquos 1419 vel 1425). Vir erat sane eruditus, in dialectica versatus, sagax, sed minus solidae doctrinae, ut illud elogium „Aquila Franciae et aberrantium a veritate malleus indefessus“ vere sit exaggeratum[1]). In philosophia et theologia sequitur nominalismum, hinc negat valorem argumentorum rationis pro exsistentia Dei[2]); concedit, fieri posse, ut sit pugna inter veritatem revelatam et veritatem rationalem; astrologiae nimium tribuit. Docebat ut sua consilia de exstinguendo schismate urgeret, Christum immediate Ecclesiae contulisse potestatem, hinc eam etiam refragantibus iis, qui se pontifices esse praetendebant, posse congregari in concilium legitimum pro conservanda unitate. atque concilium esse supra pontificem aliasque Gallicanorum opiniones tuetur. Verum sibi in suis opinionibus de hoc argumento non satis constabat. Hinc ejus opera utilia pro temporis illius historia, carent pretio theologico.

368. Quam plurima reliquit (saltem c. 153) de omnis generis argumentis scripta[1]), quorum aliqua hic indicabimus. Ad philosophiam praeter alia spectat tr. *de anima* scriptus a. 1372; saepius editus, ut Parisiis 1494; 1503. 1505 etc. — Scholastica sunt *Quaestiones* super l. 3. et 4 ll. sententiarum (a. 1375), Bruxellis 1478; Argentorati 1490; Venetiis 1500 etc.; Quaestio de Resumpta: *Utrum Petri Ecclesia rege gubernetur,* lege regulatur, fide confirmetur, jure dominetur, Argentorati 1490, inter Gersonii op. ed. Dupin I, 672 ss.; *Utrum Trinitas personarum in una natura creaturae sit incommunicabilis,* ib. I, 617 ss.; ad eandem q. *responsio,* ib. I, 625; *de libertate* creaturae rationalis ante et post lapsum, ib. I, 630; *utrum conscientia erronea excuset a culpa,* ib. I, 636 ss.; *Liber* (libellus) *sacramentalis,* vel Sa-

[1]) Denifle Introd. ad t. 3. Chartularii univ. paris. p. XVIII. notat ex documentis a se in hoc t. editis corrigendum esse nostrum de ipso judicium: ex illis enim apparere P. de Alliaco „non solum ut ambitiosum, et plus quam alii, sed etiam hominem ambiguae fidei reputandum, qui propterea e senatu magistrorum expulsus fuerat.“

[2]) Cf. Stöckl Gesch. der Philos. II, 1029 ss.; Werner die nominalisirende Psychologie in der Scholast. des späteren Mittelalters 1882 p. 29 ss.; die Scholast. des späteren Mittelalters IV, 1, 69 ss.; 200 ss. Varios quos tuetur errores vel opiniones malesanas cf. Ztschr. f. kath. Theol. XI (1887), 357—362.

[1]) Cf. Hergenroether KL. I, 369—73; praeprimis Schwab Gerson, Wirceburgi 1858: P. Tschakert P. von Ailly, Gothae 1877; et Realencyc. 1³, 274—280; Ludov. Salembier P. de Alliaco, Lille 1886 (coll. Rottmanner, Liter. Rundschau 1888 p. 17 ss.): Feret IV, 181-223; Finke Forsch. und Quellen zur Gesch. des Konstanzer Konzils, Paderborn 1889; de Hardt I. 449—88.

cramentale, vel de sacramentis Ecclesiae, vel tr. theologicus de sacramentis, Lovanii 1481. 1486; 1487; Parisiis 1488. — Pleraque sunt polemica occasione schismatis vel urgentis alicujus negotii conscripta: *De materia conc. generalis,* Parisiis 1489 p. 83—122; *Propositiones utiles* ad exterminationem praesentis schismatis per viam conc. generalis expositae in conventu a quensi (1409), inter Gersonii op. II, 112, et apud Martene vet. script. coll. VII, 909—912. Tr. *agendorum* in conc. generali de Ecclesiae reformatione (c. 1409), olim Zabarellae tributus, sed revera est P. Alliaci, omnia enim reformationis consilia hic proposita iisdem fere verbis in ep. ad summum pontificem Joanni XXIII. commendat. Habes illum apud de Hardt I p. IX p. 506; Tr. *de potestate ecclesiastica,* ib. t. VI pag. 15-77; inter Gersonii op. I, 925 inscriptus tr. de Ecclesiae, conc. generalis, rom. pontificis et cardinalium auctoritate (a. 1416); tr. *super reformatione Ecclesiae* in conc. constantiensi (a. 1416), ib. II, 903; de Hardt I p. VIII p. 409-433. Aliqua contra Jo. de Montesono (cf. supra p. 683), inter Gersonii op. I, 698 ss.; *Errores* sectae hominum intelligentiae contra Guil. de Hildervissen O. Carm. (a. 1411), in Baluzii Miscell. II, 277-299 ed. paris. 1713 in 8; Lucae 1761 p. 288-293. — Ad s. Scripturam referuntur *Verbum abbreviatum super Psalterio,* ed. inter tr. et sermones; *epistola ad novos Hebraeos, Apologeticus* (hieronymianae versionis Bibliorum), quae duo opuscula ediderunt Tschackert et Salembier in l. Une page inédite de l'histoire de la Vulgate, Amiens 1891, in quibus Vulgatae tuetur auctoritatem et utilia habet, quae spectant ejus historiam et varias correctiones. *Recommendatio s. Scripturae* inter Gersonii op. 1, 603 ss. et cum aliis opusculis in Ort. Gratii Fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum II, 508—541; *Expositio super Cantica canticorum* (ante a. 1378), Parisiis 1483, et inter Tr. et sermones, Argentinae 1490. — Haud pauca sunt ascetica, quorum multa collecta prodierunt inscripta *Tractatus (12) et sermones (22),* Argentinae 1490. Inter *sermones* in primis vero ille est memorandus *de s. Trinitate* Januae habitus a. 1405 coram Benedicto XIII, quo ille commotus adeo fuit, ut ederet constitutionem de celebratione festi ss. Trinitatis. Inter tr. vero reperitur et *Speculum considerationis,* quod cum aliis novem opusculis recusum est Duaci 1634. Inter haec et opusc. *de duodecim honoribus s. Josephi. Vita bb. P. D. Petri Coelestini V.* P. M., qui summo tandem honori renunciavit, conscripta ab Alliaco, locupletata ac limatiori stilo donata a D. Fabro, 1539; in Act. SS. 19. Maj. IV, 485—497. — Aliqua sunt astronomica, inter quae Exhortatio (ad conc. constantiense) *super correctione Kalendarii* propter magnos ejusdem errores (apud de Hardt III p. 6 pag. 72-91 et Mansi coll. conc. XXVIII, 370—381) sagax prodit ingenium: correctionem enim praeformat eam, quae demum sub Gregorio XIII. fuit inducta. *Vigintiloquium* de concordia astronomicae veritatis cum theologia (a. 1414), Venetiis 1494; *concordantia astronomiae* cum historica narratione (a. 1414), Augustae V. 1490; Venetiis 1494 ed. rarissima: quod opusculum a Pico Mirandulano refutatum fuit: atque alia ejusdem argumenti, in quibus de vana astrologiae superstitione disserit. — Inter cosmographica mentione digna est *Imago mundi* seu imaginaria descriptio (a. 1410), Lovanii (1480 vel 1483), cum *Mappa mundi,* quod opus Columbo profuisse refertur. — Ex ejusdem *epistolis* paucae supersunt, ut ad Gregorium XII., Benedictum XIII., Joannem XXIII. (de praecipuis reformationis Ecclesiae capitibus a. 1411), ad Vincentium Ferrerium O. Pr. (contra se flagellantes a. 1416) etc. partim inter Gersonii op. (t. II), partim apud Tscha-

ckert P. v. Ailli, partim apud de Hardt. Plura sunt adhuc inedita, vel dubia vel supposita. Nulla adhuc exstat omnium operum simul collectorum editio, sed ut ex dictis liquet sparsim reperiuntur inter Gersonii opera, vel in magno op. de Hardt de conc. const., vel seorsim prodierunt, aliqua recentiori aetate Tschackert in anecdotorum pp. selectis operi suo de P. de Alliaco subjunctis in lucem protulit, inter quae est *epistola* sarcastica *diaboli Leviathan* ad universos praelatos Ecclesiae.

369. Praetermissis Petrode Nongento Normanno, theologo parisiensi (c. a. 1404), cujus memorantur in magistrum sententiarum quodlibeta scholastica — Joanne de Meigen magistro et seniore in facultate artium viennensi, primo hujus academiae rectore († 1402), cujus *manipulus distinctionum*, Viennae 1482, forte est primum typographiae viennensis monumentum — Joanne Ottone[2]) seu de Münsterberg in academia pragensi magistro, decano et etiam rectore (1398), qui cum multis magistris (46) et plurimis discipulis ob ortas simultates Lipsiam transiit, cujus primus fuit rector (1409), et procancellarius et concilio interfuit constantiensi († 1416) — Jacobus Palladinus de Theramo sive Tranensis, etiam de Ancharano dictus, n. 1349 Patavii juri operam dedit, et postquam archidiaconi aversani munere functus est, Romam accitus secretarium egit poenitentiariae et brevium. Inde factus est episcopus monopolitanus 1391, tarentinus 1400, mox 1401 florentinus, demum 1410 spoletanus et dominus ditionis. A Martino V. missus est legatus in Poloniam, qua in legatiune obiit a. 1417. Juris consultus erat celeberrimus, philosophiae doctor praeclarus, ingenio subtilis, eloquio apertus et compositus. Ejus *in ll. sententiarum commentarius* prodiisse dicitur Augustae V. 1472. Magis innotuit l. *Consolatio peccatorum* seu processus Luciferi contra J. Christum vulgo Belial dictus, in quo secundum omnem justitiae rigorem causam seu processum instituit Luciferi accusantis Christum, quod ad inferos descensu jus suum possessionis seu dominii laeserit: qua accusatione prolata in duplici instantia contra Luciferum sententia fertur. Liber insulsus propter argumenti singularitatem saepe editus est et in varias versus linguas. Ita ex. gr. inscriptus: Jac. de Theramo compendium perbreve consolatio peccatorum nuncupatum et apud nonnullos Belial vocitatum, ad P. Urbanum VI. conscriptum, i. e. *processus Luciferi* principis daemoniorum necnon totius infernalis congregationis, quorum procurator Belial contra J. Christum . . ., cujus procurator Moyses, de spolio animarum, quae in limbo erant, cum descendit ad inferna, coram judice Salomone, s. l. et a.; Augustae V. 1472. etc. Ejus tr. monarchialis seu de pontificis romani monarchia dialogus non prodiit[1]). — Ex *Servitarum ordine* innotuit Urbanus Bononiensis[2]) ita, ut salutaretur »philosophiae parens.« Adeo sectabatur Averrois principia, quae et pro cathedra publice exponebat, ut per excellentiam Averroista diceretur: nitebatur tamen hujus philosophiam ab erroribus fidei contrariis expurgare († 1403). Prodiit Urbani labor cura Ant. Alabanti ordinis Servitarum summi praepositi hac inscriptione: *Urbanus Averroista* philosophus summus ex almifico servorum d. Mariae V. Ord. Commentatorum omnium

[1]) Cf. Fabricius V, 224—227; Potthast p. 913 ss.

[2]) De ejus scriptis (ineditis), inter quae et commentariorum in Petri Lombardi sententias ll. 4, cf. Schimmelpfenig A. d. Bi. XXIV, 756.

[1]) Cf. Marchand Dict. hist. a. de Teramo; Streber KL. 6', 1175.

[2]) Cf. Fantuzzi VIII, 217—20; Tiraboschi V. l. 2 c. 2 n. 3. Secundum aliquos tamen floruit jam a. 1334.

Averrois super l. Aristotelis *de physico auditu expositor* clarissimus, Venetiis 1492. — Ex *Carmelitarum familia* etsi plures viri sane docti hac etiam epocha floruerunt, nullius tamen commentarii stadium manuscripti superarunt. Simon Arnwylen ab urbe patria Spirensis dictus, Parisiis lector biblicus erat, Coloniae regens studiorum, unus ex illis, qui initium universitati coloniensi dederint († 7. Jan. 1403). Disputavit et contra Judaeos et postillas adjecit epistolis d. Pauli. — Ejus sodalis Joannes Brammaert (Bramartius) Aquisgranensis Germaniae inferioris praepositus provincialis († 1408) fuit pariter inter primos academiae coloniensis magistros. — Joannes Wrotham (Wrotharius) Londinensis, theologiae professor et provinciae praepositus († 20. Febr. 1407) scripsit praeterea in plures s. Scripturae textus et in Cantica canticorum commentaria. — Gualterus ex Disso († 21. Jan. 1404) aggressus est Wiclefitas et Lollardos, et occassione schismatis epistolas dedit ad Urbanum VI. et Bonifacium IX., a quibus missus erat legatus a latere ad regna Hispaniarum et in alias regiones, ut praedicaret bellum sacrum contra infideles et haereticos etc. — Bertrandus Fizalanus (i. e. filius Alani) Lincolniensis († 17. Mart. 1424). — Carolus de Bononia, ibidem theologiae lector (fl. 1416). — Dominicus de Cremona lector biblicus et sententiarius Tolosae, episcopus sithiensis in Creta insula, translatus (1399) ad miloposaniensem. — Hugo Parisiensis (fl. c. 1420). — Joannes de Campo longo Perpinianensis, episcopus usselensis in Sardinia (14. Mart. 1421). — Nicolaus de Rivoforti, qui videtur fuisse patria Gallus. — Ex *ordine s. Augustini* non desunt magistri, qui studia sua literis consignarint, sed ea typis non prodierunt. Facinus de Aste (Astensis) magister universitatis parisiensis duplicem lecturam super sententias et super totam philosophiam scripsit. — Thomas de s. Genesio Anconitanus (fl. 1401). — Joannes Bloch Bohemus tanta se constantia opposuit Husitis eorumque errores impugnavit, ut hi in furorem acti Augustinianorum monasterium flammis tradiderint (fl. 1420). — Joannes de Viliaco (fl. 1421). — Ex *ordine Praedicatorum* nominantur Sanctius Muller (Mulierii) Gallus, occitanus, academiae tolosanae magister et scholae s. Stephani regens, post episcopus oleronensis, qui concilio constantiensi interfuit († p. a. 1416). — Benedictus Crinigandus Aragonus, doctor parisiensis (fl. 1420).

370. Ex *Minorum* familia nullus occurrit, cujus commentarii typis ad posteros fuerint transmissi. Quare sufficiet aliquos memorasse, quorum labores saltem manuscripti laudantur. Guilelmus Centuaria (corrupte Cantuaria), vir magnae scientiae et famae, episcopus primum placentinus a. 1383, dein 1386 papiensis († 1402), cujus exstat etiam (ineditus) tr. de monarchia mundi. — Petrus de Candia, Philaretus (secundum alios Philargus) cognominatus, patria Cretensis, Parisiis studiis operam dedit et laurea insignitus Mediolanum venit, ubi ob virtutem et prudentiam plurimum valuit apud Joan. Galeatium vicecomitem, qui eo consiliario est usus, et moriens eum constituit filiorum tutorem. Promotus est ordine ad episcopatus Placentiae, Vicentiae, Novariae: mox patriarcha gradensis, tandem archiepiscopus mediolanensis effectus est; ab Innocentio VII. creatus cardinalis et legatus a latere ad Insubres, Liguriam aliasque regiones. In concilio pisano ad componendum schisma 26. Jun. 1409 omnium suffragiis nullo reclamante electus est pontifex et Alexandri V. nomen sibi vindicavit: qua electione schisma potius est auctum: sed obiit jam a. sequenti 3. Maj. 1410. Ex ejus

operibus[1]) tr. tantum *de immaculata Deiparae V. conceptione,* forte quaestio ex ejus commentario in l. 3. sent. prodiit in monumentis seraphicis Petri de Alva, Lovanii 1665 p. 191. — Reginaldus Langhamus Anglus, doctor cantabrigiensis (fl. 1410), vir erat acuti ingenii, sed nonnihil litigiosi: consueverat enim argute disputare, subtiliter distinguere, dilucide explicare, solide concludere, sed ex omnibus pene religiosis ordinibus doctores quosque habuit infensos et infestos, adeo ut plures contra illum et ipse vicissim contra alios scriberet[2]). — Joannes Edaeus (Ede, Aedeus) in Wallia natus, Anglus, Oxoniae etiam Aristotelis opera commentariis illustravit († 1406). — Antonius Visalli O. Min. Conv. Messanensis, martyrii desiderio aestuans bis ad barbaras regiones iter direxit, sed obsistente Domini voluntate bis etiam regredi est coactus. — Magni meriti fuit Guilelmus Butler s. theologiae doctor et professor oxoniensis, provinciae praepositus († c. 1410; secundum alios postea). Ideo autem laudandus, quod se strenue opposuerit versioni s. Scripturae in linguam anglicam, quae tunc promiscue inter rusticos et incultos homines late diffundebatur, unde orta sunt gravia mala et scandala. Effecit sua operositate, ut ederetur edictum, quo vetarentur illa biblia anglice versa, et exemplaria, quibus abutebantur imperiti, flammis traderentur.

371. Contra *Wicleffitas* et *Lolhardos* in Anglia plures pugnarunt verbo et scripto, ut Rogerus Ivonius (a s. Ivone) O. S. Aug. (secundum alios O. SS. Trin.) doctor cantabrigiensis. — Nicolaus Fakinham (Fachinamus) O. Min. patria Norfolciensis, s. theologiae doctor et professor oxoniensis, minister provincialis per Angliam († 1407), qui scripta quoque elaboravit super schismate inter Bonifacium IX. et Benedictum XIII. — Joannes Marro (de Marre, Marrey) O. Carm. ex pago eboracensi († 8. Mart. 1407), qui scripsit etiam postillas in Cantica canticorum, commentaria in magistrum sententiarum etc. — Celebrior fuit ejus sodalis Stephanus Patringtonus, Eboracensis, qui in academia oxoniensi plurimum claruit. Magna gratia fruebatur in aula Henrici IV., et ab Henrico V., cui erat a confessionibus, missus est commissarius, ut in Wicleffitarum et Lolhardorum errores inquireret. Factus est 1415 episcopus menevensis, a. jam sequenti cicestrensis et interfuit concilio constantiensi († 1418). — Nicolaus Pontius theologus oxoniensis (fl. 1410). — Richardus Snetisham doctor, professor, demum academiae oxoniensis cancellarius (fl. c. 1420). — In Germania Wasmud de Homburg (Hoenburg, Homberg) parochus cathedralis Moguntiae (1392) et inquisitor, impugnavit Waldenses, Beghinas et Beguardos, Lolhardos et Svestriones (qui tamen tr. non videtur prodiisse). Professorem dein egit in academia heidelbergensi, cui etiam bis scil. 1403 et 1407 rector praefuit. — Waldenses pariter fortiter et strenue impugnavit Petrus Zwicker O. Coel. rector scholae zittaviensis, dein inquisitor per Bohemiam, Austriam aliasque provincias. Eorum multos convertit, alios repressit, adeo ut haec secta fere exstincta fuerit hisce in regionibus. Obiit inter a. 1400-1405. Plura monumenta, documenta, acta ab eo relicta, quae ad ejus referuntur inquisitionem, ediderunt Gretser, Preger, Wattenbach, Döllinger et H. Haupt, quem cf. in op. Waldensertum und Inquisition im südöstl. Deutschl. 1890 p. 57 ss.; 82 ss. — Adversus Wicleffitas et *Husitas* scripsit

[1]) Cf. Argelati Script. med. t. 1 p. 2 pag. 35; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2 c. 1. n. 2 ss.; Matth. Ronto Misc. di varia Lett. IV, 257; Feret IV, 317—20.

[2]) Cf. Joannes a s. Ant. Bibl. franc. III, 55.

verus eorum malleus, ut dicebatur, Stephanus nobili genere natus, regni bohemici cancellarius, postea ordinis Carth. in domo dolanensi, dein Vallis Josaphat olomucensis primus prior († 7. Jun. 1421). Ex ejus scriptis prodierunt: *Medulla tritici* sive Anti-Wicleffus, ed. a B. Pez in thes. anecd. IV p. 2 p. 149-360; *Anti-Husus,* ib. 361 ss.; *dialogus volatilis* inter ancam (anserem) et passerem adversus Husum, ib. p. 431 ss.; *l. epistolaris ad Husitas,* ib. 503; *apologia pro sacris religionibus monasticis* adversus haereticos, ed. a Pez in bibl. ascet. IV, 87—113. — Ab hoc differre videtur Stephanus Palecz Bohemus[1]), magister, qui pariter contra Husitas scripsit et cujus opusculum exhibet Loserth Beiträge zur Geschichte der husit. Bewegung Viennae 1889. IV, 47-53. Ejus oraitonem in conc. constantiensi habitam (1416) de maturanda Ecclesiae emendatione habes in de Hardt conc. const. I p. XVI pag. 823—847. — His addendi sunt in pugna contra Husitas Stanislaus de Znaym in Moravia, professor theologiae viennensis († 1413), cujus *informatio contra errores et haereses* (Jo.) Husonis et suorum complicum nomine s. theologiae professorum prodiit apud Loserth op. cit. IV, 75-127; Archiv für österreichische Geschichte LXXV p. 2 pag. 361—413 sub inscriptione: *Streitschrift der theol. Fakultät gegen die Replik der Husiten.* Aliqua ex tr. *de romana Ecclesia* cf. apud Loserth in priori op. p. 53—56. Opuscula ejus inedita recenset Fabricius VI, 496. — Tr. 2 contra Jacobum de Misa bohemum *de communione corporis et sanguinis Christi* Mauritii de Praga theologi et professoris pragensis reperies apud Hardt Conc. const. III, 779-883; consilium *de ecclesiastico statu mature emendando*[1]), ib. I p. XVII pag. 860-74; Mansi Conc. XXVIII, 593—601; qui p. 432—94 exhibet etiam illos duos tractatus. — Jacobus O. Praed., quem Branda Castillioneus cardinalis Martini V. ad Austriae et Germaniae principes legatus theologum sibi adlegit (fl. 1423).

372. Contra *Judaeos* disputavit Hieronymus de s. Fide, et ipse quondam judaeus, Josua Burki dictus, Benedicti XIII. medicus, qui coram hoc Gerundiae cum Rabbi Joseph Vidal aliisque Judaeis eruditis disputationem habuit, quam postea literis consignavit in op. *Errores Judaeorum* extracti ex Thalmude seu Hebraeomastix, s. l. et a.; Tiguri 1552 (sed tantum ex parte) per Andr. Gesnerum et Rud. Wissenbachium; Francofurti 1602 toto libro auctior; in bibl. PP. parisienti t. IV et lugdunensi t. XXVI: quo in op. etiam ostendit, in Christo J. reperiri illas 24 conditiones, quas Judaei pro adventu Messiae exigunt. Fertur eo successu disputasse cum Judaeis, ut eorum circa quinquies millia ad christianam religionem amplectendam adducerentur[2]). — Theobaldus de Saxonia O. Praed. in concilio constantiensi a. 1416 sermonem habuit (de Hardt I p. XIX pag. 897—911) *de nimis diu dilata* in constantiensi conc. *cleri reformatione,* et libellum scripsit: *Talmud* sive *objectiones contra Judaeos,* quem Wolfius sibi a Fabricio suppeditatum suae bibliothecae hebr. IV, 556 inseruit: Prodierat jam diu antea s. a et l. mentione[3]). — Manuel Cale-

[1]) Cf. Balbinus Bohemiae doctae p. 2 pag. 205; Höfler Mag. Joh. Hus und der Abzug der deutschen Professoren und Studenten aus Prag 1409, Prag 1864 p. 160 ss, et 106, ubi de ipso et de Stanisl. de Zaym, qui uterque initio Husio favebat, fusius agit.

[1]) Ibid. I, 1115—1170 reperies *Petitiones quoad reformationem Ecclesiae militantis* Richardi Ullerston Lancastrensis, theologiae professoris oxoniensis, cujus supersunt commentaria in Psalterium (inedita) etc.

[2]) Cf. Fleury H. E. l. 102 § 63.

[3]) Cf. Fabricius VI, 517, ubi lectiones variantes exhibet; Nic. Antonius l. X c. 1 n. 45 ss.

cas (Kalekas) Graecus medio sec. XIV. Constantinopoli clarebat, in ss. bibliorum, canonum ecclesiasticorum, ss. patrum graecorum et latinorum cognitione ac utriusque gentis historia versatissimus. Latinorum fidem et ritus adversus schismaticos defendebat, hinc contumeliis fuit affectus et ex eorum societate ejectus atque fugatus. Quare ad Dominicanorum conventum Perae noviter erectum confugit ordinique nomen dedit, de quo tamen alii dubitant. Acriter et nervose Graecorum errores est aggressus romanaeque Ecclesiae veritatem contra eos tuetur, ita tamen, ut sermonem ubique amore condiat et nonnisi conversionis eorum cupidum se demonstret atque sollicitum. Quoadusque vixerit non satis liquet (f. † 1410). Aliqua ejusdem scripta, postquam sejunctim prodierunt, collecta habentur in Migne P. G. CLII, 11—662, scil. *contra Graecorum errores ll. IV* ab Ambrosio camaldulensi latine versi, de quo op. ita Petavius de Trin. VIII, 1: „Manuel Caleca, auctor eruditus et catholicus, cujus habeo volumen egregium pro Latinis adversus Graecos, in quo de processione s. Spiritus uberrime accuratissimeque disputat, nihil ut de hoc argumento scribi posset doctius et subtilius.“ L. 4. alia quoque capita, in quibus latina Ecclesia a Graecis reprehenditur vel ab iis dissentit, breviter persequitur ac perstringit. Protulit opus P. Stevart cum notis Ingolstadii 1616 in 4; *de essentia et operatione* l. adversus tomum Gregorii Palamae in synodo CP. probatus, de quo dein actum in synodo CP. 1351; edidit illum cum notis Combefisius in Auctario noviss. II, 1 ss. *De fide* deque principiis catholicae fidei, l. insignis in c. 10 distributus, in quo stili nitorem, perspicuitatem et soliditatem doctrinae ex patrum maxime traditione haustae laudat Combefisius, qui illum ibid. II, 174—285 edidit. Alia manserunt inedita, ut tr. opulentissimus teste Allatio de s. Trinitate, orationes theologicae etc. Omnia vero probant, eum fuisse eruditum virum, in theologia etiam scholastica egregie et solide excultum[1]).

[1]) Cf. de eo Werner Gesch. der apolog. und pol. Literatur III, 54 ss. et passim; Ehrhard apud Krumbacher Geschichte der byzantinischen Literatur München 1897 pag. 110.

II. Disciplinae ad ss. Scripturam spectantes.

373. Paucos admodum recensere licet, quorum opera typis posteritati tradita fuerint, etsi non desint qui sat laboriose circa ss. literas versati sint. Antonius Rampegolus (de Rampigollis, Rampelogis, Rampelogus, de Rampegolis, erronee Ampigollus etc.) Genuensis O. S. Aug. clarissimus sua aetate concionator, Patavii, Bononiae et Neapoli cathedram theologicam illustravit et in concilio constantiensi, cui nomine reipublicae genuensis interfuit, strenue contra Husitas decertavit. Composuit opus inscriptum *Figurae bibliorum* saepissime impressum, ut Mediolani 1494; Venetiis 1496, 1500; 1519; 1550; Coloniae 1609; Antverpiae 1667 in 12. etc.; etiam sub titulo aureum *repertorium bibliorum* continens locos communes de titulis theologicis, s. l. et a. (c. 1474); 1477 s. l.; Norimbergae 1481 etc.; vel *Biblia aurea*, vel *Liber manualis* ac introductorius in bibliae historias figurasque V. ac N. T., Ulmae 1475. 1476; Parisiis 1503 etc., neque enim probabile videtur, quod tamen bibliographi augustiniani autumant, haec totidem fuisse opera distincta. Est autem specimen dictionarii rerum: nam sub 138 titulis

alphabetice dispositis colliguntur dicta et facta s. Scripturae, quae trito eloquio moraliter exponuntur singulaque ad singulas morales virtutes applicantur. Cum in eo afferantur plures fabellae, dicta ex libris spuriis, ipsa Scriptura parum sincere, nonnunquam male citetur, imo et errores (juxta Possevinum in appar. sacro I, 104): relatum fuit in indicem ll. prohibitorum cum apposito „donec corrigatur.“ Quare plures illud nisi sunt expurgare ut Antonius Zerra, Aurelius Piumbinensis, Petrus Maturus S. J. (quod juxta Somervogel videtur dubium; forte in ed. lugdunensi, quae tamen mendis scatet), demum prodiit Antverpiae 1667 in 12. cum apposito, nunc primum juxta romanae correctionis indicem expurgatorium emendatum: modo vero in Indice est praetermissum. Aliud auctoris nostri opus est *Dictionarium pauperum*, Parisiis 1497 in 8 (fl. 1415).

374. Inedita manserunt Alani Linensis O. Carm., Angli, philosophi et theologi insignis l. de vario Scripturae sensu, elucidarium s. Scripturae, Moralia bibliorum etc. Solitus erat veterum melioris notae auctorum materias in locos communes referre († 1420). — Bernardi de Roma lectoris biblici parisiensis, episcopi sutriensis († 1406) commentaria in aliquot ll. s. Scripturae et in ll. sententiarum — Guilelmi Quaplod O. Carm. Hiberni, Romae theologiae magistri, episcopi derrensis (Derry 1420; † 1422). — Andreas de Luca, alius Carmelita, lector sententiarum et bibliorum patavinus, propter suam libertatem dicendi, qua exprobravit Gregorio XII., eum vota sua et promissa de unione Ecclesiae curanda violasse, in vincula conjectus, ab Alexandro V. archiepiscopus atheniensis est dictus (1409; † c. a. 1418). Reliquit commentaria in aliquot s. Scripturae ll. — Laurentius Holbecke OSB. Anglus composuit circa a. 1412 dictionarium hebraicum. — Ejusdem et nationis et O. Carm. alii tres fuere, scil. Joannes Waynflete ss. literarum professor (fl. 1418) - Thomas Colby, qui dicitur episcopus waterfordensis, dein lismorensis[1]). — Robertus Rossus (Rosse, Rose) († 16. Dec. 1420), qui praeter alios ll. Genesim, Exodum, Leviticum et Ecclesiasticum illustravit — Thomas Maldonus, ita cognominatus a conventu maldonensi († 1404), qui praeter introitum in ss. libros, lecturam in Genesim, lectiones 48 in psalmos, in ep. s. Jacobi, ll. sententiarum exposuit. — Andreas Ziani O. Serv. b. M. V., Venetus, tantum apud illius reipublicae senatum valuit, ut ab eo orator ad concilium basileense destinatus fuerit. Tubingae Metaphysicam professus est Scoti subtilis sectator, Romam accitus theologiam († 8. Jan. 1423). In Genesim et in ethicam Aristotelis commentaria reliquit. — Job interpretatus est Rudiger Dole in oppido Ruhrort prope Düsseldorpium n., facultatis artium Viennae decanus, academiae rector (1407) et canonicus († 1409). — *Psalmos* exposuerunt Matthaeus O. Cist. Aulae regiae, qui cum Hus saepius disputavit. Commentariis etiam illustravit Evangelium Matthaei et ll. sententiarum. — Guilelmus Wellis seu Fontanus O. S. Aug. Anglus, qui provinciae suae a. 20 laudabilissime praefuit († 1423). — Conradus de Soltau in ditione luneburgensi n. 1350, professor pragensis (1365-85), dein heidelbergensis et hujus academiae rector, episcopus verdensis (1399). Mox translatus fuit ad sedem cameracensem, cui translationi non consensit rediitque ad sedem priorem († 11. Jan. 1407). Reliquit etiam postillas super

[1]) Cf. Reusch Index I, 495.

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irl. I, 592. Ejus tamen nomen non comparet in serie episcoporum a Gams edita, nisi sit idem cum Thoma le Reve († 1393).

Evangelia dominicalia per totum annum, qq. in Lombardum[1]) etc. Demum Rutgerus Overbach de Tremonia canonicus s. Gereonis Coloniae, s. theologiae magister et rector magnificus universitatis t. 3 sane eruditis, et Steph. Browne O. Carm. episcopus rossensis (1399). — Commentaria in *Cantica canticorum* (docta) reliquerunt Philippus ex canonico coloniensi monachus cisterciensis et abbas otterbergensis (fl. 1401), et Leonardus de Rubeis O. Min. Chifanensis patria (est autem Chifanum sive Jovis fanum Campaniae felicis oppidum haud ignobile), ordinis minister generalis (1373), eruditionis virtutisque fama clarus, cujus opus prolixum, sicut et Summa theologiae moralis, et commentaria in sententiarum magistrum etc. manserunt inedita[2]). Is incassum ab Urbano VI. fuit sollicitatus, ut suas sectaretur partes: captus vero ab ejus legato, Gentili de Langro cardinali, duro carcere diu detentus est, donec ingenti aere libertatem ab eo est mercatus. Avenionem confugiens a Clemente VII. magnis honoribus susceptus est atque titulis et muneribus cumulatus et a Benedicto XIII. factus episcopus ostiensis († c. 1407 vel 1405). — In *l. Sapientiae* scripsit Thomas Arundelius, comitum prosapia natus 1353, qui juvenis a. 21 factus est episcopus eliensis, dein archiepiscopus eboracensis, demum Angliae cancellarius et archiepiscopus cantuariensis. Habuit synodum contra Wicleffitas, quos strenue impugnavit. Stetit pro Ecclesiae juribus, hinc in exsilium est pulsus. Decessit praesul insignis, Ecclesiae columen 19. Febr. 1414. — Prolixa et operosa *expositio et moralizatio Threnorum Jeremiae* auctore Joanne Lathberio (Lathburio, Lathbirio, Lattebur) prodiit s. l. 1482 in f. Is natione Anglus, professione Minorita, doctor oxoniensis scripsit praeterea super psalmos, in Jeremiam, super acta apostolorum etc. Claruit a. 1406. — Hieronymus de Ocon O. Carm. Perpinianensis, qui dicitur Benedicto XIII. fuisse a confessionibus, erudite scripsit *in ll. Machabaeorum.*

375. Evangeliis enarrandis incubuit Joannes Becchet de Fabriano O. S. Aug. ex illustrissima familia angla Becket, quae s. Thomam Becket archiepiscopum cantuariensem protulit. Perusini studii erat regens († 1420 vel 1421), ethicam et politicam Aristotelis exposuit et in l. *de concordia Platonis ad Scripturam* philosophiam platonicam ancillare facit theologiae. — Hujus sodalis Onufrius (Honofrius) Stecutus Visdomini Florentinus, episcopus volaterranus (1384), dein florentinus 1390-1400 (juxta aliquos Comaclum translatus), harmoniam evangelistarum, expositionem in acta apostolorum et commentarium in l. l. sententiarum elaborasse scribitur († 1403). — Gregorii Malesardi O. Praed. Itali, cesenatensis episcopi (1405—9) exstabat commentarius in Matthaeum. — Hunc et Lucam interpretatus est Michael Suchenschatz in academia viennensi artium, dein et theologiae magister diligens, et rector (1409; † c. 1414). — Joannes de Wittlich ditionis trevirensis, qui Parisiis et Coloniae theologiam docuisse (fl. 1415) et commentarium doctissimum in omnes ep. b. Pauli et in 4 ll. sententiarum scripsisse apud Trithemium in chron. hirsaug. ad a. 1401 legitur. — Petrus Tzech de Pulka, quod est oppidum Austriae inferioris, diu magister artium, dein theologiae in universitate viennensi, ter hujus academiae rector et legatus ad conc. pisanum et constantiense († 1425), exposuit[1]) Ev. s. Lucae et epistolas Pauli

[1]) Cf. Lud. Schmitz Conrad v. Soltau, Jenae 1892 in 8.

[2]) Cf. Flosz KL. X², 1340.

[1]) Aschbach Gesch. der Univ. Wien I, 424—428.

ad Romanos et Corinthios, necnon et l. l. sententiarum. Reliquit et tr. contra Husitas, sed haec omnia sunt inedita. Ejus *epistolae,* quas scripsit dum interesset concilio constantiensi, quaeque magni sunt momenti pro hujus conc. historia demum prodierunt cur. Fr. Firnhaber in Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen t. XV. Viennae 1856. — Matthias de Liegnitz Silesius, in facultate artium pragensi decanus et s. theologiae professor (1400), in studentium utilitatem habuit lingua germanica sermones, quos literis consignavit inscriptos *Postilla super epistolas dominicales,* quae suo tempore satis erat vulgata[1]). — Bertrandus Parayte O. S. Aug. Tolosanus, s. theologiae magister et studii parisiensis regens, dein provincialis provinciae tolosanae (1420), reliquit ll. 14 in ep. canonicas duplicem expositionem continentes et commentarium in Apocalypsim b. Joannis ap. — Petro Russelo O. Min. Anglo, suae provinciae praeposito, tribuuntur commentarii in utramque epistolam Petri. Huic Martinus Aragoniae rex a. 1399 potestatem fecit legendi, docendi et dogmatizandi ubique locorum sui regni Artem generalem ceterosque ll. Raymundi Lulli (fl. 1420). — Epistolas s. Petri et aliquot prophetas minores exposuit Lambertus Geldrensis, qui cum Henrico de Langenstein ab Alberto III. Austriae duce Viennam vocatus est ad illustrandam academiam recenter fundatam. Magister erat artium, dein s. theologiae doctor et professor, et quater universitatis rector († 1419). — Joannes Trevisa Cornubiensis, Anglus, unus ex primis erat, qui patriam formare et expolire linguam coeperunt. S. Biblia V. et N. T. anglice vertit absolvitque eam interpretationem a. 1357; ipse vero decessisse scribitur 1411—1412.

[1]) Cf. Katholik 1898. I, 2-16, ubi plura de ea sicut de ejus quaestionibus super varia argumenta theologiae ex ejus praelectionibus referuntur. Reliquit praeterea commentaria *in ep. ad Romanos* et Corinthios. Ib. p. 189: 380—382.

III. Historia ecclesiastica.

376. *Chronica* vel *Annales* haud pauci composuerunt, quorum aliquot speciminis gratia nominabimus[1]): nullus tamen eorum videtur fuisse celebritatis potioris. Adamus de Usk Anglus, presbyter, professor juris canonici Oxonii, continuavit *Polychronicon* Ralph Higden (Hygden 1377—1404), quam continuationem edidit Edw. Maunde Thompson cum versione et annotationibus, Londini 1877. — Bartholomaeus Ferrariensis O. Praed., insignis sacri verbi orator († 1408), ex chronico estensi excerpsit *libro del Polistore,* cujus Muratori omissis prioribus exhibet tantum epocham ab a. 1287—1367 in Script. rer. it. XXIV, 699—848. — Gobelinus (Godefridus) Persona (Person) Westphalus n. 1358 Romae sua studia absolvit, ubi fideliter stetit pro Urbano VI. Presbyter ordinatus 1386 in patriam rediit et Paderbornae (1387) curam animarum et parochum egit: cui tamen muneri renunciavit, cum magistratus ei esset infensus ob impugnatum ab ipso edictum contrarium libertati ecclesiasticae (1405). Verum episcopus Guilelmus de Berg magni eum faciebat ejus utens consilio suumque constituens

[1]) Joannes Elbingensis monachus, episcopus pomesaniensis († 1409) scripsit *notas historicas* de a. 1381, quae continuatae fuere ad a. 1433. Eas edidit M. Toeppen in Scr. rer. Pruss. V, 411—29.

capellanum. Promovit pro viribus reformationem quorundam monasteriorum. Factus est canonicus et decanus bilefeldensis capituli, quod et ipse sicut et alia pia instituta reformavit. Progrediente aetate secessum quaesivit in monasterio Böddeken decessitque 17. Nov. 1421. Concinnavit *Cosmidromium* ab o. c. ad a. 1418 distinctum in sex aetates, in quo historiam veterem brevius, res sui temporis praesertim ab a. 1347 fusius narrat, de concilio constantiensi breviter quidem, sed accurate et exacte prorsus refert, et plenius attingit res patrias[1]). Protulit illud in lucem Henr. Meibomius, Francofurti 1599 in f., et H. Meibom junior in Scr. rer. germ. I, 61—343, uterque sat mendose; accurate et critice demum Max Jansen Münster 1900, praesertim a medio sec. XIV, ab ea enim aetate non est sine pretio. Per modum appendicis adjicitur *Processus translationis* et reformationis monasterii budecensis (Böddeken), quod scil. ipse reformaverat. Ipsi etiam a nonnullis tribuitur *vita s. Meinulphi* archidiaconi paderbornensis, quem Carolus M. de sacro fonte levavit, apud Chr. Browerum in sideribus illustrium et ss. virorum Germaniae, Moguntiae 1616, et quam edidit Ad. Oberhamus cum *vita s. Meinwerci,* Neuhusii 1681; in Act. SS. 5. Oct. III, 216—25; antiquam ejus versionem exhibet Giefers in Kath. Zeitschr. Münster 1851. VIII, 630-44. — Multa utilia pro historia non solum Provinciae sed occasione data pro historia, praesertim Benedicti XIII. pseudopontificis, reperiuntur in pretiosis *Mémoires*, quas reliquerunt Garoscus de Ulmoisca veteri et Bertrand Boysset civis arelatensis, piscator, ab a. 1365—1415 partim sermone latino, partim patrio (provinciali). Prodierunt primum sat imperfecte in le Musée, Révue arlésienne historique et littéraire, Arelati 1876. 1877 ser. III n. 1—20; accuratissime in Archiv 1893. VII, 317—95 ed. Ehrle, qui diligenter et de auctoribus disquirit, de quibus tamen vix aliquid constat. — Ex Aymerici de Peyraco OSB. Galli, abbatis moyssiacensis († 1406) *chronico* a Christo ad a. 1251 fragmenta exhibet Bouquet Recueil XXIII, 199—212; *vitam Urbani V.* Baluzius (qui eo alias etiam utitur) in papis avenionensibus I, 415—424; Muratori Scr. rer. it. III, 2, 638—42. — Jacobus Twinger de Koenigshoven prope Argentinam praebendarius ecclesiae argentoratensis (n. 1346; † 27. Dec. 1420), unus ex primis fuit, qui scripserit germanice *chronicam universalem*[1]) ab o. c. usque ad tempora sua, et quidem ter, primum pro laicis ad a. 1390; dein brevius ad 1391, iterum fusius ad 1415. In primis rationem habet Alsatiae, pro qua provincia magni est pretii. Ea satis vulgata erat et a pluribus scriptoribus historicis adhibita. Prodiit tertia retractatio s. l. et a. ab urbe condita, ed. rara: Argentorati 1698 cura Jo. Schiltern; et cura Hegel in Chroniken der deutschen Städte 1870. VIII, 230-498; IX, 499—1134 cum additionibus et glossario; seorsim Lipsiae 1870.

377. Inter eos, qui de tristissimo schismate post electionem Urbani VI. orto scripserint, praeter plures, quos jam nominavimus, primus forte est Theodericus de Nieheim (Niem,

[1]) Cf. Fechtrup KL. V², 786; Hagemann über die Quellen des G. Persona, Bad Soden 1874; Lorenz Deutschl. Geschichtsquellen 1887. II³, 323—30; G. J. Rosenkranz G. Persona in Zeitschr. für westph. Geschichte und Altertumskunde, Münster 1843. VI, 1-36; Abels Zeitschr. für Vaterl. Gesch. u. Altertumsk. (Westphalens) LVII (1899) p. 2, 1—34; Potthast p. 532² etc. De anno mortis cf. M. Jansen in hist. Jahrb. XXIII (1902), 76—80.

[1]) Cf. Potthast 1076 s.; Schneegans Notice sur Closener et Königshoven, Straßburg 1842; Hegel in introd. suae ed. VIII, 155—229; allg. d. Biogr. XVI, 525 s.; Lorenz I³, 46 ss.

Nyem, Nihem, Neheim), quod nomen videtur fuisse familiae, etsi et nativitatis locus vocetur Nieheim (Nieme), quod est oppidum dioecesis paderbonensis. Avenionem venit 1370, inde a. 30 et ultra in cancellaria apostolica haesit notarius s. palatii, abbreviator, scriptor sub quinque pontificibus Gregorio XI., Urbano VI., Bonifacio IX., Innocentio VII. et Gregorio XII. Gregorium XI. Romam secutus est ibique sollicitus erat de firmanda fundatione hospitii Germanorum a s. Maria de Anima nominati. Cum ei minus placeret agendi ratio Gregorii XII. et Benedicti XIII., partes secutus est Alexandri V. antipapae in concilio pisano electi et dein Joannis XXIII. Cum vero nec hujus agendi modus in concilio constantiensi ipsi arrideret, ejus causam deseruit pro componendo schismate impense sollicitus. A Bonifacio IX. dictus est episcopus verdensis a. 1395, quam tamen sedem non diu tenuit, resignasse enim dicitur anno 1399. Rediit Romam ad pristinum munus; postmodum obtinuisse ferunt episcopatum cameracensem, quod verum non videtur. Canonicus tamen fuit ultrajectinus (ad Mosam, Maestricht) decessitque 22. Mart. 1418. Cum ob suum munus in aula pontificia mediis esset in negotiis ecclesiasticis et turbis ob schisma excitatis, ejus scripta magni sunt momenti pro schismatis historia[1]), cum grano salis tamen consulenda ob partium studium, quo inficiebatur. Huc spectant: *Nemus unionis* hortante Friderico archiepiscopo coloniensi 1407-8 conscriptum, in quo exhibet acta circa schismatis compositionem ostenditque, nihil superesse, cum omnes viae componendae unionis in irritum ceciderint, quam forti actione procedere adversus pontifices dissidentes. Hoc opus subjectum fuit tamquam l. 4. pluribus edit. operis sequentis: *De schismate ll. 3* (a. 1410), in quibus narrat[1]) schismatis originem usque ad coronationem Joannis XXIII., opus primum editum Norimbergae 1536; Basileae 1566 cura Schardii etc., optime Lipsiae 1890 in 8. ed. Ge. Erler. Hujus velut continuatio ad a. 1416 est *de vita ac fatis Joannis XXIII.*, in quo partium studio abreptus acrius de Joanne XXIII. judicat, ed. H. Meibomius Francofurti 1620, et in Scr. rer. germ. I, 5—50; v. d. Hardt Const. conc. II. p. 15. p. 335—460. Num autem opera ista, prout ea modo typis expressa sunt, prodierint ex ejus calamo, nonnulli dubitant. *Invectiva* in diffugientem e concilio constantiensi Joannem XXIII. a. 1415 edita seu epistola seu tr. *de tribus de papatu contendentibus,* libellus est odiosus, de cujus genuinitate non constat, imo eam plures prorsus negant. Reperitur apud

[1]) Cf. de eo ejusque scriptis in primis Erler, Dietrich von Nieheim s. Leben u. s. Schriften etc. Lipsiae 1887 coll. Finke Lit. Handw. 1888 p. 529 ss., qui copiosam literaturam exhibet, et Schmitz Röm. Qtlschr. 1894 VIII, 283—286; Sauerland, das Leben des D. v. N. Göttingen 1875; Evelt KL. III, 1747 ss.; Rattinger 3 art. in Lit. Rundschau 1875 n. 12-14; Tschackert Realenc. IV. 651 ss.

[1]) Cf. quasdam criticas annot. ad hoc opus H. V. Sauerland hist. Jahrb. 1886. VII, 59—66.

[2]) Er ist leidenschaftlich und eminent parteiisch . . . Es ist der ausgezeichnete v. Reumont, welcher warnt, dem T. von Niem aufs Wort zu glauben. Lenz und Pastor bemerken: Niem ist in „Darstellung wie Urteil maßlos." Finke schreibt von ihm, er sei ein Mann verbittert gegen Alles, voller Interesse für Skandalgeschichte, voll Ingrimm u. s. w. und sein neuer Biograph, Dr. Erler (l. c. p. 420-21) resumirt die Charakteristik desselben als Geschichtsschreiber also: seine Zeitgeschichte „ermangelt der Objektivität . . ., zu einer vorurteilslosen Betrachtung der Zeit des Schisma's, in welcher er selbst Schweres erlitten hatte, vermochte er sich nicht zu erheben . . . Insbesondere war er auch wiederholt Partei gewesen . . . Bei einer stark entwickelten, subjektiven Auffassung war es ihm nicht nur nicht möglich den Päpsten gerecht zu werden, sondern er gab von ihnen in mancher Hinsicht ein Zerrbild." Rattinger Stimmen aus Maria Laach 1889. II, 430.

Hardt II. p. 14. pag. 296—330. *Diarium* quoddam de conc. constantiensi collegit Finke exhibetque in Röm. Qtlschr. I (1887), 47-58. Praeter alia quaedam scripta partim edita, partim inedita[1]), quae ad schisma referuntur, mentione adhuc digna sunt: *Liber cancellariae apostolicae,* et stilus palatii abbreviatus, Lipsiae 1888 ed. Erler; *de bono romani pontificis regimine,* in quo Joanni XXIII. neoelecto pontifici consilia ad bonam Ecclesiae administrationem praebet. Protulit illud primum Rattinger histor. Jahrb. 1884 V. 173-78; *chronica,* quae tamen periit[2]): quinque tantum fragmenta exhibet Sauerland in Mittheilungen des Instituts für österreich. Geschichte, Innsbruck, VI, 589—614; *Privilegia aut jura imperii* circa investituras episcopatuum et abbatiarum restituta a papis imperatoribus romanis, apud Schard de jurisdictione, Basileae 1566 p. 785—859; tr. *contra damnatos Wicleffitas,* quem primum ed. Erler in Zeitschr. für vaterländische Gesch. u. Altertumskunde 1885. XLIII sect. 1. p. 184—198; Avisamenta pulcherrima *de unione et reformatione* membrorum et capitis fienda. Antea ei solebant tribui *Vitae pontificum* rom. a Nicolao IV. usque ad Urbanum V. et inde ab anonymo usque ad a. 1418 continuatae additis imperatorum gestis apud Eccard hist. medii aevi I, 1461—1550, sed modo viri critici ei illas abjudicant tribuuntque vitas saltem a Benedicto XII. ad Urbanum V. Werner leodiensi[3]). *De modis uniendi, de difficultate* et *de necessitate reformationis* ei ab Erler abjudicantur. Habentur haec opuscula apud Hardt t. 1 p. V f. 68 ss.; VI f. 255 ss. et VII f. 277 ss. Ab aliis vero omnia vel saltem duo posteriora Th. de Niem tribuuntur[1]), quae sententia videtur praeferenda.

378. Schismatis occasione scripserunt praeterea Thomas O. Cist. Scotus, dundramensis abbas, unus ex sex doctoribus theologiae, qui cum cardinalibus in conc. constantiensi romanum elegerunt pontificem. — Collucius Pierius Salutati Urbano V. et Gregorio XI. a secretis et Florentiae cancellarius († 1406), cujus *epistolae,* quae prodierunt cur. Baluzio Miscell. t. IV. et Jos. Rigacci, Florentiae 1741. 1742, t. 2 in 8; Romae 1891. 1893 cura Francisci Novati, huc referuntur. — Angelus Acciajolus episcopus florentinus et cardinalis († 12. Jun. 1409), cujus laudatur insignis l. apologeticus de Urbani VI. electione. Erat is Urbano adeo addictus, ut hic publice in consessu fateretur, nemini mortalium se magis obstrictum atque Angelo, eumque propterea in vicem gratitudinis et purpuratorum senatus decanum et apostolici tabularii praesidem nominaverit. Defuncto Urbano cum plurium cardinalium vota in conclavi pro ipso starent, aliis tamen pertinaciter refragantibus, ne novum oriretur schisma sponte tiarae obtinendae renunciavit[2]). — Ad haec quoque tempora spectat *Diarium romanum* ab a. 1404—17 Antonii Petri beneficiati in basilica vaticana († p. a. 1424) in Muratorii Script. rer. it. XXIV, 973—1066. Andreas Didaci de Randuf vel de Escobar (Destabar, oriundus de Portugaliae) OSB. abbas dein episcopus civitatensis, adjacensis et megarensis, orator in conc. constantiensi (fl. 1425) scripsit *guber-*

[1]) Cf. Potthast pag. 1051 ss., ubi etiam opulentam literaturam de nostro auctore reperies.

[2]) Cf. Br. Gebhardt N. Arch. XIII (1888) 225—230.

[3]) Cf. Glasschroeder hist. Jahrb. 1890. XI, 263—66; Sägmüller ib. XV (1894), 802—810.

[1]) Cf. Sägmüller hist. Jahrb. XIV (1893), 562—582; Finke Forsch. und Quellen zur Gesch. des Konstanzer Konz. c 8, qui p. 267—78 primum exhibet ultimam tr. de necessitate ref. partem.

[2]) De aliis ejus gestis praeclaris cf. Eggs purp. docta l. 2 pag. 480 ss.

naculum conciliorum, quod exhibet von der Hardt in Conc. Const. VI. p. 4. p. 139—334, appendicem Haller conc. bas. I, 214-233, in quo agit fuse de conciliis priorum seculorum, de conditionibus ad concilium requisitis deque eorum auctoritate. Acriter vero tuetur tamquam articulum fidei, concilium generale esse omnino supra romanum pontificem. Ipsi tribuitur a Schwab et Saegmüller[1]) tr. acer *de modis uniendi et reformandi Ecclesiam* in concilio generali, qui reperitur inter opera Gersonii II, 162—201, et apud von der Hardt op. cit. I, 5, 68—142, in quo status controversiae et quaestionis de modo componendi schisma illius temporis exponitur. Scripsit quoque vulgatissimum *modum confitendi* ultra vicies sec. XV. editum; dein et Daventriae 1504 etc.; *tr. de decimis* inter tr. ill. jurisc. rom. XV, 2, 142 ss.; *lumen confessorum*[2]), ut videtur ineditum; tr. contra 50 errores Graecorum; recollectionem 24 schismatum ab a. 354—1407, ineditam; *Colles reflexi* (cf. Schwab op. cit. p. 489 s.) etc. — Joannes Brevicoxa (belgice Cortohosa, Kurze Hose, gallice Courte cuisse etc.) Cenomanensis, doctor parisiensis 1388, unus fuit ex illis 37 deputatis universitatis, qui pro componendo schismate utrique pontifici viam commendarunt cessionis, ad quam urgendam plures obiit legationes habuitque orationes. Cum Gallia minitaretur defectionem ab obedientia Benedicti XIII., is excommunicationem protulit in omnes, qui se a sua subtraherent obedientia. Hinc universitas aperte 21. Maj. 1407 illi causam dixit, ejusque nomine Brevicoxa in acri oratione adversus Benedictum XIII. tredecim accusationis capita de haeresi et schismate protulit et ad discerpendam excommunicationis bullam incitavit, quod et factum est. Electus est episcopus parisiensis (1421), mox 1422 Genevam translatus, quia sedem illam urbe ab Anglis capta adire non potuit. Sed post menses novem obiit (4. Mart. 1423). Ejus scripta *de fide, de Ecclesia, de romano pontifice et concilio generali*, quae prodierunt inter opera Gersonii I, 806 ss., minus probanda sunt, cum opiniones tueatur malesanas. Ita ex. gr. dubitat vel de conciliorum oecumenicorum infallibilitate, quare immerito a nonnulli salutatur »theologus sublimis[1])«. — Matthaeo de Cracovia (non ex nobili familia Krokow, ut nonnulli etiam recentiores putarunt) tribuitur a Sommerfeldt[2]) tr. *de squaloribus curiae romanae* (ed. a Wolfg. Wisseburgio cum canonibus de emendatione Ecclesiae Petri de Alliaco, Basileae 1551 in 8. etc.), sed aliis genuinitas non est certa. Natus est circa a. 1335; magister factus 1367, saepius decanus in facultate artium Pragae: inde transiit in facultatem theologicam et concionatoris munere fungebatur. Ab universitate missus est orator Romam ad Urbanum VI. Praga turbis pulsus Parisios secessit et in Sorbonnae domo floruit. Heidelbergam accitus in academia recenter erecta docuit et rector est institutus. Electo Ruperto III. in Romanorum regem (1400) Romam profectus est, ut ejus approbationem urgeret, fuit enim ejus cancellarius. Innocentius eum dixit episcopum wormatiensem 1405, et Gregorius XII. cardinalem creavit, quam dignitatem recusavit. Egit tamen pontificis legatum et Caesaris ora-

[1]) Ille in op. J. Gerson p. 470—92; hic l. supra cit. XIV, 562—82. Alterius tamen sententiae est Finke qui Röm. Qtlschr. VII (1893) 160 hunc tr. tribuit Theoderico de Niem (cf. p. 754). Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. vet. II, 235; Schulte II, 439.

[2]) Cf. Stapper Röm. Qtlschr. XI (1897), 271—285.

[1]) Cf. Bauer KL. II², 1256; Feret IV, 169—80, qui ejus opera inedita recenset.

[2]) Festgabe der Bad. hist. Kommission zur Jubelf. der Univ. Heidelberg, 1903 p. 1—17, et Mitteil. des Ver. für Gesch. der Deutschen in Böhmen XLIII, 193—207. Op. conspectum habes apud Scheuffgen Beitr. zu der Gesch. des gr. Schismas p. 94—97. Alia opuscula quae ad schismatis tempus spectant cf. apud Potthast p. 777² s. Cf. Oudin III, 1110.

torem in concilio pisano († 5. Mart. 1410). Plurima tribuuntur ipsi scripta exegetica[1]), ascetica, sermones etc. Prodiit tr. asceticus *utrum deceat sacerdotes continuare missas* vel laicos frequenter communicare, Memmingae 1491 in 4; etiam inscriptus: *De celebratione missae* frequentanda et intermittenda, vel Dialogus inter rationem et conscientiam etc., saepe olim editus. Ipsius quoque est libellus Bonaventurae, et etiam s. Thomae suppositus: *De modo confitendi* et de puritate conscientiae. *Speculum aureum* de titulis beneficiorum, Basileae 1555; et apud Goldast. Monarchiae r. imp. II, 1527 ss.

379. Historiam ecclesiasticam *regionum* vel *ecclesiarum particularium* scripserunt: Thomas Otterburnus (Otterbonus etc.) O. Min. Anglus (fl. 1411), cujus est *historia anglica* ab origine gentis usque ad Eduardum IV. a Thoma Hearne edita simul cum Jo. Whethamstade, Oxonii 1732 t. 2 in 8. — *Annales* Tigernachi abbatis († 1088) admodum pretiosos pro historia ecclesiastica Hiberniae continuavit[2]) Augustinus Mac Grady († 1405), quos exhibet O'Connor inter rer. hib. SS. II, Londini 1814—26 t. 4. — Henricus de Marlborough (Marleburgh) vicarius in Ballyscadan dioecesis dublinensis (c. 1421), cujus est *Chronica* excerpta de medulla diversorum chronicorum praecipue Ranulphi Cestrensis una cum quibusdam capitulis de chronicis a Christo n. ad a. 1421. Partem (ab a. 1348—1421) typis dedit Camden in Britannia, Londini 1607 p. 829—36; anglice James Ware Dublini 1633 in f.; ab a. 1285, ib. 1809 Spenser in Ancient histoires of Ireland. — Joannes Clyn (Clynne) O. Min. Hibernus, Kilkenniensis, praepositus provinciae, a. 1405 scripsit *annalium chronicon* a Chr. n. ad a. 1315 brevissime, sed ab eo anno satis diligenter et copiose res Hiberniae prosequitur usque ad a. 1349, ed. Rich. Butler in The Latin Annalists of Ireland, Dublini 1848 in 4. Alia ejusdem opera historica manserunt inedita. — Joannes OSB. monachus glastoniensis (Glassenburg) Anglus scripsit chronicam sive *historiam de rebus glastoniensibus* ad a. 1400, quam vulgavit Th. Hearne, Oxonii 1726 t. 2 in 8. Floruit forte circa hoc tempus, quamvis chronicon continuatum fuerit ad a. 1493. — Paulus Scordillus doctor decretorum, praepositus ravennatensis ecclesiae continuavit ad a. 1410 *librum pontificalem* archiepiscoporum ravennatensium ab Agnello coeptum et ab anonymo usque ad a. 1286 deductum, quam continuationem edidit Bened. Bacchinius in append. ad Agnellum p. 110—38, Mutinae 1708 in 4. — Bartholomaeus de Puliola (Pugliola) O. Min. Conv. Bononiensis († 1425) composuit prolixam *Cronaca di Bologna* ab a. 1362—1407, in primis ex schedis Jacobi de'Bianchetti vulgo dicti il Rosso, archivistae († 1405). Prodiit in Muratorii Script. rer ital. XVIII, 241—560, cum continuatione aliorum synchronorum ad a. 1471, ib. 561-792.

380. *Chronicon moguntinum* concinnavit Joannes Kungstein sacerdos moguntinus († 1405), quod recenter repertum eruditis communicavit C. Hegel in Chroniken der deutschen Städte 1882 XVIII, 147—250; et inter scriptores rer. Germ. in usum scholarum, Hannoverae 1885. — Georgius monachus westphalus (fl. c. 1420) reliquit *chronicon episcoporum verdensium* ab a. 785, ab aliis continuatum ad a. 1480, imo ad a. 1518, ed. a Gebhard apud J. H. Pratje in Altes und

[1]) Eggs Purp. docta II, 512; Finke KL. VIII², 1039; praeprimis Sommerlad Über das Leben und die Schriften des M. v. Krakau, Halle 891; Feret IV, 149—52. Ipsi quoque tributus fuit l. *de arte moriendi*.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irl. I, 642, qui hos annales a diligentia et accuratione commendat.

Neues aus den Herzogtümern Bremen und Verden, Stade 1779 X, 179-96; a Leibnitio Scr. rer. brunsv. II, 211-22. — *Chronicon episcoporum mindensium* ab a. 780 scripsit Hermannus de Lerbeke O. Praed. († c. 1416), quod alius retractasse videtur et continuavit ad a. 1480. Exstat inter Leibnitii Scr. rer. brunsv. II, 157—211. — Joannes Tylichius praepositus monasterii s. Mauritii ord. can. reg. extra muros naumburgenses continuavit *chronicon Veterocellense majus* seu annales Vetero-Cellenses continentes historiam Misniae marchionum (785—1375) ad a. 1420, quam continuationem exhibet Schannat in Vind. lit. 1724. II, 74—90, etc.; demum J. O. Opel sub inscriptione: *De origine principum, marchionum misnensium et Thuringiae lantgraviorum* in Mittheilungen der deutschen Gesellsch. zur Erforschung vaterländ. Sprache und Altertümer in Leipzig, Lipsiae 1874 I. fasc. 2. p. 44-105. — Udalricus Onsorgius canonicus ratisbonensis reliquit *chronicon Bavariae* ab a. 602—1422, quod ex autographo edidit Oefele rer. boic. script. I, 356-69, sicut etiam excerpta ib. 370—73 ex ejus *catalogo romanorum pontificum et imperatorum*. — Ghert Rynesberch vicarius cathedralis († 1406) et Herbertus Schene canonicus s. Anscharii († 1413—18) scripserunt *Bremische Chronik* (opus pretiosum) ab exordio archiepiscopatus ad sua tempora, quam alii ad a. 1518 continuarunt. Eam edidit Lappenberg in Geschichtsquellen des Erzstiftes und der Stadt Bremen p. 55—176.

381. Petrus de Vena O. S. Aug., Tolosanus, s. theologiae doctor aquitanam primum, dein tolosanam laudabiliter rexit provinciam. In capitulo generali romano electus est in ordinis praepositum 1412, quo munere septennium perfunctus est († 1419). Anno 1414 interfuit concilio constantiensi. Ejus opus *de origine ordinis s. Augustini* dicitur impressus Parisiis 1515. — Florem et decrementa ordinis teutonici narrat Joannes Lindenblatt germanice reddens, quae latine scripserat Joannes de Pusilie (von Posilge) inter SS. rer. pruss. III, 79 ss. hujus narrationem ab a. 1405 continuans ad a. 1419. Ediderunt J. Voigt et F. W. Schubert, Königsberg 1823 in 8. sub inscriptione *Jahrbücher oder Chronik* des Joh. von der Pusilie Officials zu Riesenburg 1360—1419. — Ludolphus can. reg. s. Aug. Saxo, abbas saganensis, concilio pisano interfuit et dixit scripsitque adversus schisma († 1422). Praeter commentarios (ineditos) in s. Scripturam tribuitur ipsi *catalogus abbatum saganensium* 1217—1398, qui a Petro Waynknecht (fl. 1486) aliisque continuatus est ad a. 1517 et dein ad a. 1619, et prodiit apud Stenzel Script. rer. sil. I, 173—248. Scripsit et tr. *de longaevo schismate* ed. a Loserth in Arch. f. öst. Geschichte LX, 2 (Wien 1880), 404 ss. — Otto Kultzing O. Praem. praepositus in Hilgental a. 1423 refert *de fundatione et translatione monasterii* sui in Luneburg, quae relatio exstat in Leibnitii Script. rer. brunsv. II, 383. — Antonius Nerli OSB. abbas scripsit *chronicon* breve monasterii mantuani (1017—1418) ed. a Muratori inter SS. rer. it. XXIV, 1073—84. — Maxime innotuit Bartholomaeus Albizzi (Albicius) O. Min. etiam de Pisa[1]), Pisanus dictus, n. in oppido Rinovecho Etruriae. Theologiae erat doctor, quam pluribus in conventibus est professus. Verbi Dei concionatorem magno fructu egit in praecipuis Italiae civitatibus: vir enim erat magnae abstinentiae ad pristinae religionis normam factus, quam promovere paupertate, humilitate, patientia ceterisque virtutibus enixe curabat, ob quod magnam sui nominis consecu-

[1]) Distingui debet a Bartholomaeo de Pisa O. Praed., de quo supra egimus p. 612.

tus est existimationem. Meritis onustus laboribusque confectus decessit prope centenarius 10. Dec. 1401. Scriptum ejus maxime famosum est *opus conformitatum* vitae s. Francisci ad vitam D. N. J. Christi ll. 3 et 40 fructibus seu conformitatibus conflatum, coeptum 1385 et terminatum c. 1395, approbatum in capitulo generali 1399, pro quo in praemium fertur donatus vetusta, qua olim s. Franciscus utebatur, tunica, impressum Venetiis s. a.; Mediolani 1510; 1513 (m. 80), quae tamen editiones admodum rarae scatent mendis, nec semper respondent codicibus mss.; Bononiae 1590 cum iisdem mendis et minus etiam scriptis auctoris cohaerens, quandoquidem conformitati VIII. multae additiones sunt factae, nec omnibus innotescunt cujus sint; 1620; Coloniae 1623. Ingens est hujus operis pretium pro cognitione diffusionis ordinis geographicae altera sec. XIV. parte, sed caret judicio critico, sobria scribendi loquendique ratione, superlativis utitur, quae a lectore minus benevolo facile in pravum sensum trahi possint, quod et fecit maligne pastor lutheranus Erasmus Alber in op. Der Barfüsser Mönche Eulenspiegel und Alcoran, mit einer Vorrede D. M. Luthers, 1531; 1542, in varias linguas versum, cui l. affinis est alius latine inscriptus: Alcoranus Franciscanorum i. e. blasphemiarum et nugarum lerna de stigmatizato idolo, quod Franciscum vocant, ex l. conformitatum, forte ejusdem Alber. Hujus editioni genevensi latino-gallicae adjectus a Badio fuit sicut et aliis ed. l. 2. cum annotationibus malignis. Hinc in editionibus posterioribus operis conformitatum plura, quae censuram incurrere poterant, omissa sunt[1]), ut in ed. bononiensi 1590; 1620; Coloniae 1623. H. Sedulius scripsit *Apologeticum* adversus Alcoranum Franciscanorum pro l. conformitatum ll. 3, Antverpiae 1607. Alia auctoris nostri opera sunt *De vita et laudibus b. Virginis ll. 6*, Venetiis 1596, quod alii inscribunt *Opus conformitatum b. Virginis* cum Christo; *Quadragesimale de contemptu mundi* sive de triplici mundo, Mediolani 1498; Venetiis 1503; *sermones quadragesimales* dubiorum et casuum conscientiae elucidativi, Lugduni 1519. Alia manserunt inedita. — Marcus Trivisanus O. Min. patritius venetus vel patavinus (fl. 1421), s. theologiae magister et provinciae Romaniae (non romanae) minister, cum esset auditor camerae apostolicae, confecit *collectionem privilegiorum*, immunitatum, exemptionum aliorumque indultorum a ss. pontificibus aliisque antistitibus romanae curiae ordini FF. Min. concessorum. Hujus collectionis p. 1. nonnihil tamen variata prodiit primum s. l. et a. sub Sixto IV. vel paulo post cum additamento quarundam bullarum usque ad Sixtum IV. ad 1479 emanatarum, opera F. Matthaei Novariensis O. Min.; deinde Venetiis 1502 in 8; 1508; et in Firmamento trium ordinum p. 2 tr. 1., ib. 1513.

382. Philippus Macerius (de Mazzeriis, Maseriis, de Maizières) miles Picardiae, regni Cypri cancellarius, Gregorio XI. ab epistolis, postmodum consiliarius in aula Caroli V. regis Galliae, demum ordinis Coelestinorum († 26. Maj. 1405), descripsit *vitam s. Petri Thomasii* sive Thomae O. Carm. cretensis archiepiscopi († 1366), quem bene noverat, editam a Bollandio 29. Jan. II, 995—1022. Ipsi tribuitur et *dialogus inter clericum ac militem* de jurisdictione regia et sacerdotali ll. 2 sub nomine Philothei Achilleini, qui inscribitur etiam *somnium Viridarii*[1]) principiis non probandis innixum et sedi apostolicae infensum, Parisiis 1516: in Goldasti Monarchia s. rom. imp. I, 58-229 etc. Ipse praeterea, cum

[1]) Cf. Stannonik KL. I², 441; acta SS. Oct. II, 552 s.; 868 etc.

[1]) Cf. Potthast p. 1026².

esset domesticus et consiliarius Gregorii XI., concinnavit notis musicis officium pro festo Praesentationis b. Mariae V. in Occidente aut incognito aut obliterato, prout hoc in Oriente celebrabatur, illudque obtulit pontifici, qui ipsum gratanter acceptum nonnullis cardinalibus, episcopis et doctoribus examinandum tradidit et post maturam deliberationem concessit, ut praedictum festum deinceps in ecclesiis celebraretur[1]), quod mox magno splendore celebratum fuit Avenione in ecclesia fratrum minorum 1372. — Martinus de Bosco Gualterii O. Min. Turonensis narrat *vitam v. viduae Mariae de Mailliaco*, dominae de Seilleyo-Guilelmi († 1414), quam evulgarunt editores actorum SS. 28. Mart. III, 737—47. — *Vitam s. Salomeae* reginae haliciensis sive Galaciae O. S. Clarae († 1268) descripsit Stanislaus O. S. Franc. Polonus (fl. 1401), vulgavit vero Wojc. Ketrzyński in Mon. pol. hist. 1884. IV, 776—96; in fine tamen est manca.

[1]) Cf. Oudin III, 1127.

IV. Theologia practica.

383. Post Urbani VI. mortem (15. Oct. 1389) cardinales elegerunt 2. Nov. Petrum (Perrinum) de Tomacellis patria Neapolitanum, qui voluit dici Bonifatius IX. Turbatissimus fuit ejus pontificatus: praetermissis enim turbis politicis dirum schisma omnia turbavit, neque morte pseudopontificis Clementis VII. (16. Sept. 1394) extinctum fuit, cum contra omne bonorum consilium cardinales ejus asseclae mox (28. Sept. 1394) elegerint Petrum de Luna in ejus successorem, qui se dixit Benedictum XIII († 1. Jun. 1424). Bonifatii constitutiones V continentur Bullario magno Cherubini I, 293 ss., inter quas canonizatio s. Birgittae a. 1391 et institutio festi Visitationis b. M. V.; alia ejusdem monumenta consulenda sunt apud Bzovium in Regesto apud Waddingum Annal. O. Min. t. IV et V; 349 a. 1389—1396 ed. G. Franknói in Mon. vatic. historiam regni Hungariae illustrantia t. III, Budapestini 1888. Obiit[1]) pontifex 1. Oct. 1404.

384. Bonifatio IX. successit Innocentius VII. antea Cosimus Meliorati dictus 17. Oct. 1404. Sulmonae Aprutii urbe erat natus mediocris fortunae parentibus. Juris canonici doctor erat celeber, optimis praeditus moribus et in negotiis ecclesiasticis apprime versatus. Renunciatus est episcopus bononiensis et creatus cardinalis a Bonifatio IX. Aetate erat jam provectus, cum eligeretur pontifex et biennium tantum tenuit cathedram Petri morte ablatus repentina 6. Nov. 1406. Neque ipse aliquid majoris momenti moliri poterat schismate adhuc vigente. — Suffectus est[1]) Innocentio VII. die 20. Nov. 1406 Gregorius XII. dictus antea Angelus Corrarius patri-

[1]) Cf. M. Jansen Papst Bonifatius IX. und s. Beziehungen zur deutschen Kirche, Freiburg 1894.

[1]) Pactionem a cardinalibus initam ante Gregorii XII. electionem publicae luci dedit Cesare Guasti in diss. Gli avanzi dell'Archivio di un pratese Vescovo di Volterra, che fu al Concilio di Costanza in Archivio storico Ital. XIII (1884), 20-41; 171—209; 313—372. Episcopus hic fuit Stephanus di Geri del Buono, camerae pontificiae secretarius (1401) et ab a. 1411 episcopus volaterranus. Interfuit cum suo episcopo concilio pisano et ut episcopus concilio constantiensi. Sub Eugenio IV vicarius fuit pontificis Romae († 10. Sept. 1435). Praeter alia documenta a Stephano asservata edidit Guasti *Documenti* che concernono papa Giovanni XXIII. dinanzi al concilio di Costanza.

tius venetus, vir vitae sanctimonia et antiqua severitate conspicuus, qui sperabatur serio sollicitus de componendo schismate etiam cum pontificatus cessione. Cum vero pseudo-pontifex Benedictus XIII. omnia pacis consilia refutaret, neque ipse Gregorius videretur serio et sincere agere, cardinales utriusque obedientiae inito inter se consilio concilium generale Pisam convocandum statuerunt, ut demum schisma componeretur. Utrumque pontificem ad illud vocarunt[1]): neuter paruit, hinc utrumque deponere attentarunt novumque eligere. Elegerunt vero Petrum Philargi (25. Jun. 1409), qui dictus est Alexander V., ut supra p. 736 jam narravimus, atque ita schisma auxerunt. Eo post menses decem Bononiae repentina morte 3. Maj. sublato, substitutus fuit 17. Maj. Balthassar Cossa[2]) Neapolitanus, dictus Joannes XXIII. Demum nobili cessione (4. Jul. 1415) Gregorii XII. legitimi pontificis, cessione extorta Joannis, depositione Benedicti XIII. atque electione Martini V. exstinctum est tristissimum atque diuturnum schisma. Gregorius XII. post cessionem suam honorifice habitus a Martino V. obiit 18. Oct. 1417; Joannes XXIII. humiliter Martino V. se subjecit (1419), a quo humaniter exceptus, constitutus est collegii cardinalium decanus († 22. Dec. 1419); Benedictus vero XIII. in schismate pertinax obiit[3]).

385. Inter canonistas[1]) hac periodo eminet nominis fama Franciscus de Zabarellis vel de Zabarella (Sabarini, Sabarelli), patria Patavinus e familia tamen bononiensi natus 10. Aug. 1360). Studiis operam dedit Bononiae sub magistro in primis Joanne de Lignano. Docuit Florentiae, postea Patavii cum plausu jus canonicum, discipulis suis ita carus gratusque, ut eum patris instar colerent. In omnibus disciplinis erat egregie excultus, alias atque alias docebat. Magni factus est a concivibus, qui eum oratorem destinarunt ad rempublicam venetam cum urbis clavibus pro facienda deditione. In cathedrali ecclesia archiepresbyteratus honore insignitus penuriae pauperum mira subveniebat liberalitate. De-

[1]) Interim habuit Gregorius XII. synodum in urbe forojuliensi (Austriae) Cividale, de qua non multa innotuerunt, sed L. Schmitz prolixam de ea edidit diss. innixus praeprimis *Manuali* Michaelis Francisci de Cascina de Pisis apostolica et imperiali auctoritate notarii, quod feliciter reperit. Eam habes in Röm. Qtlschr. VIII (1894), 217—258.

[2]) Cf. de eo Hefele Conciliengesch. VII § 745 ss. Quasdam ejusdem epistolas exhibet Ge. Schmid Röm. Qtlschr. XII (1898), 435—452.

[3]) Non caruit Petrus de Luna eruditione et ingenii sagacitate, ut testantur ejus scripta (inedita), quorum alia sunt *ascetica:* Vitae humanae adversus omnes casus consolationes; l. de consolatione theologiae; alia *polemica*, ut tr. contra Judaeos; alia praesertim *juris canonici*, de quibus Ehrle Archiv VII, 515—575 fuse et erudite disserit. Ea vero sunt: Tr. *de concilio generali; de novo schismate*, contra quem scripsisse legitur Guil. Ortolani juris civilis doctor, corrector literarum apostolicarum, pseudopontificis familiaris, episcopus bazensis (Bazas 1395), dein ruthensis (1597; † 1417); *Replicatio* contra l. factum contra tr. praecedentem. *Allegationes* pro papa et contra rebellantes; *de principali schismate*. Eorum dispositionem describit, specimina exhibet methodum atque ingenii sagacitatem laudat. Cf. etiam Nic. Antonius bibl. hisp. v. l. X c. 3 n. 97—103. Ceterum multa documenta historiam hujus pseudopontificis illustrantia Ehrle publicae luci dedit ib. VI, 139—308; VII, 1—310, ut ex. gr. *relationem* Fernandi Perez de Calvilli episcopi tirasonensis (1197), cardinalis Petri de Luna (1197 † 1404), *de legatione* sua nomine hujus pseudopontificis ad Bonifatium IX. p. 172—185; scriptum Heliae de Latrangis (de Estrange) ep. aniciensis in causa Benedicti XIII p. 233-241, et VII. 244—278. Cf. et Finke Forschungen und Quellen etc. p. 323 ss.

[1]) Petrus Maurocenus patricius venetus, primus decretalium professor Patavii, protonotarius apostolicus, a Gregorio XII. dictus cardinalis, interfuit concilio constantiensi diemque obiit prope nonagenarius 11. Aug. 1424. Laudatur ejus lectura in Sextum (inedita). Cf. Eggs Purp. doctae l. 2 n. 102.

functo episcopo patavino canonici illum unum cunctis optabant votis, verum ipse oblatam recusavit dignitatem. A republica obtinuit ditissimam s. Mariae de Pratalea abbatiam: elapso tamen modico tempore ei renunciavit in commodum eorum monachorum, ob quorum negligentiam ea ad ipsum fuerat devoluta. Romam accitus fuit a Bonifacio IX. in schismatis negotio pro audiendo ejus consilio, quod tamen placuisse non videtur. Joannes XXIII. eum etsi clericum tantum, dixit episcopum florentinum (1410), anno sequenti cardinalem: quam ob rem Zabarella illi sedi renunciavit. Domi quidem erat parcus, frugalis, sobrius; foris vero munificus, liberalis, splendidus erga pauperes et praelatos inopes tempore concilii: quem in finem ingens saepe aes contraxit alienum de aliorum potius quam de propria sollicitus indigentia. Multos labores, pericula, peregrinationes suscepit pro congregando concilio constantiensi, in quo vix aliquod tractatum est negotium, quin primas vel saltem magnas habuerit partes: atque initio quidem pro absente Joanne XXIII. vices gessit. Parum abfuit a consequenda tiara, nam „omnium historicorum testimonio constat[1]), illum fuisse virum ingenio, prudentia ceterisque virtutibus longe praestantissimum ... neminem ex toto cardinalium collegio digniorem seligi potuisse;“ verum 26. Sept. 1417 laboribus curisque confectus vir doctissimus summo omnium moerore Constantiae exstinctus est, sacris ordinibus nunquam susceptis. Sancta synodus exsequias ritu solemnissimo, cohonestante funeris pompam ipso Caesare Sigismundo, celebravit[3]). Haec sunt potiora ejusdem opera: *Commentaria* (prolixa) *in quinque ll. decretalium*, Venetiis 1502; 1622 in f. *Lectura super Clementinis*, erudita, cum rationem habeat literaturae praecedentis temporis atque copiose omnis generis casus expendat: hinc magni facta est atque saepe edita, Neapoli s. a.; Romae 1477; Venetiis 1481 etc.; Lugduni 1551; *Consilia* (152 copiosa), Pisciae 1490; 1495; Venetiis 1581 ed. mendosa; variarum legum *repetitiones*, Venetiis 1587; *de schismate* sui temporis seu de schismatibus auctoritate imperatoris tollendis, seu de schismate pontificum tr., quod scriptum constat tribus partibus intra 1403—8 conscriptis[1]),

[1]) Ita Fleurii hist. eccles. l. 104 § 58. Juxta Poggium in or. funebri os erat prope concilii: ejus consilia habebantur pro oraculis, et vota ejus pro regulis.

[2]) Cf. Kneer Card. Zabarella 1360-1417 Münster 1891; Pinton, Appunti biografici intorno al grande giurista ed umanista card. Zabarella, Polenza 1895; L. Schmitz KL. XII², 1845—1850. Multa quoque de eo reperies apud Kopp in diss. diligenti hist. Jahrb. 1897 p. 273—310 de Petro Paulo Vergerio, qui scripsit eloquens Elogio dello Zabarella, quod intercidit quidem, sed quasi suppleri potest insigni ejusdem Vergerii ep. 122. Porro Vergerius senior dictus, ut ab alio, qui etsi episcopus esset, ad protestantes defecit († 1561), distinguatur, patria erat Justinopolitanus (Capo d'Istria) n. 1370. Benefactoris subsidiis adjutus studiis vacavit Patavii et Florentiae. Plurimum profecit in Zabarellae schola, cui mansit addictissimus et familiaris ad mortem usque. Ordinibus tantum minoribus est initiatus, coelibem semper duxit vitam, ut impensius studiis posset vacare. Aliquamdiu Patavii philosophiam docuit, principi Carariae erat a secretis ejusque filios instituendos suscepit, in quorum utilitatem scripsit *de ingenuis moribus*, Venetiis 1497 etc., c. saepe editus, etiam in praelectionibus adhibitus. Innocentio VII. fuit a secretis, post cujus mortem praeclaram habuit ad cardinales orationem. Interfuit conc. constantiensi, adhibitus fuit in negotiationibus cum Bohemis. Post Zabarellae mortem adhaesit Sigismundi imp. aulae decessitque in Hungaria c. 1445. Praeter alia pretiosas reliquit *epistolas* a Tom. Luciani ed. in Monumenti storici publici. d. r. Dep. Veneta di Storia patria t. V. Venezia 1887. Cf. Kopp P. P. Vergerio der erste humanist. Pädagog.

[3]) Cf. Scheugen Beiträge zur Geschichte des großen Schismas, Freiburg i. Br. 1889 pag. 97-120, qui illius l. summam exhibet.

apud Schard de jurisdictione imperiali, 1566, p. 688—711; cum Theodorico de Nyem, Argentorati 1609; 1629: quo in tr. cum aliis theologis illius temporis difficultatibus schismatis nimium pressus concilio plus justo tribuit, quod stricte sumptum ipsam Ecclesiae laederet constitutionem; propter quod inepte a nonnullis praecursoribus reformationis annumeratus est[1]). Notari enim debet, theologos illius temporis statum prae oculis habuisse abnormem Ecclesiae, quo tunc ob schisma laborabat, non statum pacis sub pontifice absque dubio legitimo. Ceterum ejus tr. de schismate relatus est in indicem ll. prohibitorum „donec corrigatur:“ quae clausula sane respicit etiam praefationem in ed. ab haereticis curatis. In novissima tamen Indicis edit. haec prohibitio non amplius legitur. Reliquit scripta etiam philosophica: *De felicitate* ll. 3 Patavii 1655. Plures *epistolas* et *sermones* primum edidit Kneer. Collegisse quoque legitur Acta in conc. pisano ac constantiensi[2]).

386. Zabarellae dignus collega fuit Petrus ab arce Ancarano in Etruria, ubi natus est c. a. 1330, de Ancharano cognominatus. Rhegii sub celebri Baldo juri civili studuit. Primum (1385) docuit Patavii auctusque fuit munere consultoris reipublicae; inde transiit Senas ad exponendas decretales (1393-96). Docuit et Bononiae, unde 1402 a Nicolao II. marchione estensi Ferrariam fuit evocatus cum Antonio de Butrio ad studium illius civitatis ornandum. Elapso brevi tempore Bononiam rediit, a qua urbe missus est legatus ad Gregorium XII. ad exhibendum ejus nomine obsequium (1407), et ab universitate ad concilium pisanum, in quo stetit contra Gregorium XII., votisque et argumentis vere debilibus desperatam illius pseudoconcilii causam sustinuit (Mansi XXVII, 367—394). Cum vero interim defecisset Bononia ad Benedictum XIII., ipse nomine concilii respondere jussus est parti adhaerenti Gregorio XII., nisusque est ostendere concilium legitime fuisse convocatum ideoque jure in sua contra pontifices actione processisse. Convocato concilio constantiensi missus est a Joanne XXIII. ad illud munere advocati concilii et in prima sessione electus inter scrutatores votorum. Mox vero Bononiam rediit decessitque 13. Maj. 1416. Ob vastam eruditionem et insignem in legibus peritiam omnibusque perspectam judicii aequitatem dictus fuit ‚ancora juris‘; undique fuit consultus vel a magistratibus, cardinalibus, regibus: ejusque opera, consilia, praesertim a posteris canonistis, maximi habita sunt[1]). Potiora sunt: *Consilia* sive juris responsa, Romae 1474; Papiae 1496; Mediolani 1515; Venetiis 1568; 1573; 1574; 1585 cum additionibus Hier. Zanchi, 1589; 1599; quaedam eorum cum aliis collegis dedit; Commentaria *in decretales,* admodum prolixa, in quibus literatura ad suum usque tempus copiose utitur, Lugduni 1535—43 t. 5 simul cum lectura *super Sexto* (quae seorsim ib. prodiit 1517); lectura *super Clementinas* (seorsim Venetiis 1483, Mediolani 1594 et alibi saepe) et commentario *in regulas juris,* repertorio in ll. decretalium etc.; iterum Bononiae 1581. 1583 t. 6 in f. cum additionibus Jo. Ferrarii Montani; *selectae quaestiones* omnium praestantium juris consultorum, Francofurti 1581.

---

[1]) Cf. Rattinger Stimmen aus Maria Laach 1889. II, 424 ss.

[2]) Von der Hardt ei tribuit *Capita agendorum* in conc. generali constantiensi de reformatione Ecclesiae, quae exhibet I p. IX p. 501—530. Reperies ib. p. 537—552 elegantem Jo. Fr. Poggii et anonymi cujusdam orationem de nostro cardinali.

[1]) Cf. Fantuzzi Scritt. bolog. I, 230-43; Schulte II, 278—83; Mazzuchelli Scritt. d'Italia II. p. 2 pag. 674 ss.; Tiraboschi V. l. c. 2 c. 5 n. 15 s.; Wernz Jus decretalium, Romae 1898 t. 1 t. 15 § 3 p. 379.

387. His duobus merito addendus est Antonius de Butrio (de Budrio, quod est locus nativitatis prope Bononiam), dignissimus amborum collega, qui in jure pariter quam maxime excelluit. Natus est c. 1338 jurique civili operam dedit sub Petro de Ancharano atque in eo lauream promeruit (1384). Exinde studio juris canonici se impendit atque in eo doctoris gradum est consecutus 12. Jul. 1387. Illud deinde professus est in primis Bononiae, unde Ferrariam propter doctrinae famam est accitus. A Gregorio XII. missus est cum Antonio Corraro et Guilelmo episcopo tudertino ad Benedictum XIII. pro componendo schismate, irrito tamen successu. Videtur autem postea nutasse in obsequio erga Gregorium XII, ut colligitur ex ejus consilio cardinalibus dato, quod nobis asservavit Mansi in suppl. conc. Lucae 1749, III, 1042-1059. Obiit 1409 (secundum alios 1408) magni ab omnibus aestimatus et frequenti semper auditorum corona stipatus. Vir erat admodum pius, beneficus, veneratione dignus, qui vivens et moriens domos religiosas copiosis sustentabat eleemosynis. Dum alii magnis ipsum ejusque opera prosequuntur encomiis, non desunt qui in iis plura carpant. Ita ex. gr. Pancirolus[1]) scribit: „Praeclara responsa et in jus pontificium commentaria edidit, quae pluris ob viri auctoritatem, quam eorum auctoritatem fieri consueverunt, si quidem saepissime adeo perplexe ac inordinate scripsit, ut vix ejus mens quandoque percipi possit.“ Haec potiora ejusdem opera: *Consilia,* Romae 1472; 1474; Venetiis 1493; 1575 in 4; nunc denuo a multis erroribus repurgata atque pereximiis Gasp. Caballini Icti scholiis illustrata, 1582 in f.; commentaria (prolixa) *in 5 ll. decretalium,* Romae 1473 t. 2; 1474; Mediolani 1488; 1489; 1582 etc., opus utile etiam propter casus plurimos; commentaria *in Sextum* pariter admodum copiosa, Venetiis 1499; 1575; *de jure patronatus,* Francofurti 1581; *de emptionibus et venditionibus* et de notorio inter tr. univ. juris IV, 50; *Speculum de confessione,* Vicentiae 1476; Venetiis 1586 etc. Plura ejus opera prodierunt collecta Venetiis 1578 t. 8 in 4. Ex tr. ad cardinales pisanum concilium habentes a. 1409 *pro pace et unione* gregis Christi fragmentum reperitur apud Mansi XXVII, 313—30. *Lectura* a titulo de translationibus praelatorum usque ad tit. de officio delegati, super quibus tit. D. Abbas (Panormitanus) non scripsit, vel si scripsit, reperire potest nemo, pp. 2 s. l. a. et typ. (Venetiis 1471), Norimbergae 1486, non est ipsius, sed ab aliis ex ejus scriptis compilata.

388. Hujus illustris discipulus fuit Dominicus de s. Geminiano (quod est castellum in ditione florentina), vicarius episcopi mutinensis (1407), professor bononiensis, demum Romae auditor camerae, qui singulari aequitate jus dixisse traditur. Interfuit etiam concilio pisano. Potiora ejus opera sunt: Commentaria propria diligentissime castigata *in Decretum* ed. a P. Albignac, Venetiis 1504; Lectura *super Sextum decretalium,* Venetiis 1476 p. 1; Venetiis 1477; 1485 p. 1. et 2; Spirae s. a. p. 3—5. Commentaria *in ll. decretalium et sextum* prodiisse dicuntur 1558. Ejus commentaria ingentis sunt molis et copiosissima. *Summulae* et divisiones decretalium seu synopsis, Venetiis 1578; *Consilia* sive responsa, ib. 1550; aliquot reperiuntur etiam inter responsa Jo. et Casp. Calderini, Mediolani 1491; Petri de Ancharano etc. — Aegidius Bellamera decretorum doctor, a Gregorio XI. dictus auditor literarum contradictarum, episcopus vauriensis (Lavaur), aniciensis,

[1]) De claris legum interpret. l. 3 c. 27. Cf. de nostro auctore praeprimis Fantuzzi II, 353—68; Schulte II, 289—94; Mazzuchelli II. p. 4 pag. 2269; Tiraboschi l. c. n. 17.

demum avenionensis († 1392; verius secundum Gams p. 1405) reliquit praeter alia praelectiones *in decretalium ll.*, Lugduni 1548; *tr. permutationum beneficiorum ecclesiasticorum*, s. l. a. et typogr. et in tract. jur XV part. 1. pag. 190, primusque ut videtur collegit *decisiones rotae* a. 1374—77, Romae 1474; Venetiis 1496; Lugduni 1508; opera ejus collecta prodierunt Lugduni 1548. Tanti autem sua aetate factus est, ut ejus consilia seu responsa haberentur pro delphicis oraculis. — Praetermissis Guilelmo de Agrifolio juniore, Gallo, decretorum doctore, quem Urbanus V. egrtaitudine erga ejusdem avunculum G. de Agrifolio seniorem vix a. 28 n. cardinalem creavit, qui tamen postea defecit et Clementi VII. et Benedicto XIII. adhaesit († 1401), scripsitque de potestate papae et explanationes decretorum (ineditas) — Paulo Anglico decretorum doctore (fl. 1404), qui in *Speculo aureo* Papae, ejus curiae, praelatorum et aliorum spiritualium, in quo Petrus et Paulus inter se colloquuntur[1]), in 3 pp. diviso, acriter invehitur in abusus, quos illis exprobrat, Basileae 1555, et apud Goldast Mon. Imp. II, 1527—58 et Brown append. ad Orthuini Gratii fasc. rerum expetendarum et fugiendarum, Londini 1690 et alibi: Joannes Urbach Erfordiensis practice et utiliter explicat processum judicii, qui *Panormitani ordo judiciarius* a multis dicitur, ob suam utilitatem saepe descriptus et editus: optima ed. est Theodori Muther Halae Saxonum 1873. Innititur autem auctor[3]) praeprimis Speculo Durantis additionibus Jo. Andreae illustrato (cf. p. 443). Joannes Ebernhausen Göttinganus, artium magister et doctor decretorum, Lipsiae juris professor et a. 1465 universitatis rector († 1479) scripsit in illum utilem *commentarium*, Lipsiae 1489; *Modus legendi abbreviaturas* in utroque jure, accedit processus judiciarius, Spirae s. a. (1475). — Petrus Baldeschi celebris Baldi (cf. p. 704) frater, legum doctor et in studio perusino professor, ab urbe patria aliquoties missus legatus ad romanum pontificem, ob eruditionem „doctor veritatis“ salutatus, disseruit[1]) *de beneficiorum permutatione*, Bononiae 1489 cum aliorum operibus legalibus, Taurini 1490; inter tr. juris univ. XV, 183 ss.; Coloniae 1588 etc.; compendium aureum *de unione beneficiorum*, Parisiis 1514 in 8. Ipsius quoque esse videntur *de permutatione status personarum ecclesiasticarum*, s. a. l. et typographi nomine; *super canonica episcopali et parochiali*, in tr. jur. un. V. p. 2. p. 198 ss.; *de unione ecclesiarum*, ib. XV, I, 254; *de revocatione unionis*, ib. p. 242 ss. etc. (fl. 1407).

389. Joannes Petit (Parvus), quem plures O. Min. fuisse dicunt, Sbaralea vero p. 450 et Quetif p. 754 negant, Normannus, doctor et magister theologiae parisiensis, eloquens sed et ventosus, magnas excitavit turbas ob defensum in publicis comitiis 8. Mart. 1408 tyrannicidium. Pro eo tuendo provocavit ad s. Scripturae facta, ad testimonia gravissimorum doctorum etiam s. Thomae. Ejus diss. (quae exstat inter Gersonii opp. ed. Du Pin V, 15—42) *Justification du duc de Bourgogne* multiplicatis exemplaribus fuit plurimum vulgata: verum graviter restitit Gersonius, et in coetu theologorum praesente inquisitore et praesidente episcopo parisiensi novem propositiones ex ea excerptae solemniter damnatae

[1]) Operis epitomen exhibet v. d. Hardt I p. IX p. 493—498.

[2]) Cf. Eggs purpura docta II, 416.

[3]) Cf. Schulte II, 301. Joannes noster confundi non debet cum Jo. de Aurbach ei fere aequali, qui dicitur in codd. decretorum doctor, cujus est *Directorium curatorum* s. l. et a. impressum (ante a. 1446 scriptum), et *Summa de sacramentis*.

[1]) Vermiglioli, Biogr. degli scritt. perug. I, 156—60.

fuere ipsaque dissertatio igni tradita[1]). Verum dux Burgundiae, cujus consilio ejusmodi patrata fuerat caedes et in cujus favorem Joannes crimen nisus erat tueri, pontificem appellavit: et causa delata est ad concilium constantionse. Graviter acriterque agitata fuit haec quaestio, demum in commissione theologorum ex 80 theologis 60 probarunt propositiones Jo. Petit et damnatio parisiensis cassata fuit. Non obstante Gersonii opera, imo et instantia Sigismundi Caesaris synodus ipsa noluit se ingerere huic controversiae, neque etiam Martinus V. Interim a. 1411 decessit[2]) Joannes Petit et ut ferunt non sine displicentiae signis ob doctrinam malesanam editis. Reliquit et carmen *Complainte de l'Eglise* (propter schisma) apud N. Valois La France et le grand schisme d'occident 1896 II, 410—412. — Pro Petit stetit et Joannes de Falkenberg (Falkaberga, quae est arx in Pomerania, O. Praed. oblatis tribus tractatulis in conc. constantiensi *circa novem assertiones Jo. Parvi* . . . a Jo. Gersonio cancellario ecclesiae parisiensis denunciatas, qui habentur inter op. Gersonii V, 1020-29. Verum et alium obtulit libellum, quo veluti oleo flammas excitavit, in gratiam scil. dominorum suorum equitum cruciferorum editum, „multo pipere seu potius totum felle conditum adversus Wladislaum sive Jagellonem, qui ex duce Lithuaniae tum infideli et idololatra, electus rex Poloniae christianam religionem amplexus erat et cum suis Polonis ac Lithuanis equites dictos cruciferos multis cladibus affecerat ac pene profligarat[1]).“ Propter hunc libellum indignati fuere Poloni, et auctor Constantiae in carcerem est conjectus, et a comitiis ordinis Argentinae habitis (1417), quem multipliciter scandalizaverat, perpetuo carceri adjudicatus. Praetermissis acribus concertationibus ob hunc libellum in synodo suscitatis, quod nos minus spectent, id addendum tantum est, eum debuisse palinodiam canere. Quid demum factum sit de eo et quamdiu vixerit, non satis liquet.

390. Ad theologiam *pastoralem* referri possunt Franciscus Ximenius (Eximenez) Gerundensis O. Min. Conv., insignis mathematicus, theologiae doctor, qui ex episcopo elenensi in Catalonia factus est patriarcha hierosolymitanus. Obiit Perpiniani magna virtutis opinione 23. Jan. 1409. Plurima composuit opera proprio Cataloniae sermone. *Vita Christi ll. 8,* hispanice Granatae 1496 et alias in linguas versa; *Crestià* seu De regiment de princeps è de la cosa publica ll. 13, opus varium et vastum, theologico-politicum, doctum, eruditum et vere christianum, cujus fragmentum tantum prodiit Valentiae 1484; *de natura angelica,* hispanice Burgis 1516; Gebennae 1578; *Pastorale* pro instructione episcoporum et quorumcunque superiorum, Barcinone 1495 in f.; *de mulieribus,* opus eruditum, quod a sodali anonymo interpolatum et l. 5 *de memoria aeterna* auctum hispanice prodiit Pinciae 1542; *de vita christiana* tr., in quo disserit de poenitentia, Hispali 1509; *Scala Dei* Lubeccae 1477. Vitio vero ei vertit Nicolaus Antonius, quod finxerit auc-

[1]) Cf. acta hujus conventus inter opera Gersonii ed. Dupin V, 49—342.

[2]) Cf. Knöpfler KL. VI², 1746; B. Bess Realenc. IX³, 309. Propositiones Jo. Petit, quae censura dignae videbantur aliaque ad hanc causam spectantia cf. in Fleurii H. E. l. 102 § 89 ss.; Feret IV, 89—100, qui p. 119 refert ei quoque tributam fuisse propositionem, „sensum s. Scripturae literalem non semper esse verum,“ de cujus damnatione ab universitate parisiensi prolata cf. D'Argentré coll. judic. I. 2, 209: Denifle in Chartulario univ. paris. t. IV. n. 1988. Cf. Hefele VII § 759.

[1]) Cf. Quetif I, 760 ss.; Knöpfler KL. VI², 1660: Bess Joh. Falkenberg O. P. und der preußisch-polnische Streit vor dem Konstanzer Konzil in Zeitschr. für KGesch. XVI, 385—464 et Realenc. V, 736 s.

tores[1]) ipsisque tribuerit libros, quos nunquam scripserint, ut inde sua confirmaret. — Clemens Sancii de Vercial archidiaconus de Valderas in legionensi ecclesia (1423) scripsit *Sacramentale opus,* quod Henricus Portugalliae Infans, postmodum rex, in lusitanum sermonem conversum, ut loco catechismi esset fidelibus, edi curavit Braccarae 1539.

391. De *paedagogia* meruit Joannes Dominici O. Praed. Florentiae natus a. 1357 plebejis quidem parentibus et victum sibi arte quaerentibus, sed honestis et piis, qui illum optime instituerunt. Annos natus 18 literarum quamvis rudis habitum s. Dominici petiit et pluribus dissentientibus receptus est 1374. Morum integritate, vitaeque studio regularis plane excelluit, atque in literis insignes fecit progressus somni tempus vigiliis occupando nullis usus magistris. Ministerio verbi a. 25 functus est in praecipuis Italiae civitatibus, Venetiis praesertim, per quadragesimam saepe quotidie bis concionem habens. Quondam Florentiae in ecclesia cathedrali omnes regulas juris, quae habentur in l. 6. decretalium bis per diem praedicando magno concursu audientium exposuit. — Defuncto Innocentio VII. missus est a republica florentina, penes quam magna valuit auctoritate, ad cardinales in conclavi congregatos, ut eos ad pacem Ecclesiae restituendam hortaretur. Gregorius XII. vero post suam in pontificem electionem, cum eum bene nosset, eum secum retinuit, et ut ejus consilio auctoritate uteretur, eumque dixit a. 1407 archiepiscopum ragusinum, et a. sequenti cardinalem. Cum pontifex in sua jurasset electione, se nolle ad facilius componendum schisma novos creare cardinales, haec promotio et dignitatis acceptatio Joanni graves peperit molestias atque calumnias. Fideliter tamen Gregorio XII. adhaesit, etiam postquam in concilio pisano auctoritate pontificia privatus declararetur, pluresque graves legationes in remotas regiones pro ejus causa obiit, saepe etiam plebejo transfiguratus amictu, ne ab hostibus in via interciperetur. Licet autem Gregorio totus esset addictus, eum monere non cessabat, ut bono pacis pontificatu se abdicaret: quod et tandem obtinuit. Hinc indicta synodo constantiensi Gregorius eum et Joannem CP. patriarcham legatos misit cum plena potestate ea omnia agendi, quae ad Ecclesiae concordiam consequendam necessaria ipsis viderentur. Resignatione Gregorii concilio manifestata et ipse abdicavit se cardinalatu, quam tamen abdicationem concilium non acceptavit. Electo Martino V. et huic acceptus fuit, qui eum legatum misit in Bohemiam et Hungariam adversus Husitarum haeresim. Laboribus confectus decessit[1]) Budae 10. Jun. 1419 in odore sanctitatis, a sodalibus semper ut beatus habitus, quem cultum Gregorius XVI. ratum habuit 9. Apr. 1832. Plurima reliquit scripta cardinalis ragusinus, ita enim appellari solebat, edita et inedita, quorum illa, quae lingua patria sunt conscripta, a stili puritate et elegantia maxime commendantur. Potiora sunt: Commentaria seu lectiones in Ecclе-

[1]) Biblioth. vet. hisp. l. IX. c. 7 n. 369 ss., ubi longum ejusmodi ll. et auctorum catalogum texit.

[1]) Cf. Card. Jo. Dominici O. Pr. Ein Reformatorenbild aus der Zeit des großen Schisma. Freiburg 1893 auctore Aug. Rössler C. SS. R.; Hergenroether KL. VI², 1653; acta SS. ad 10. Jun. II, 349—418; Joan. Caroli [illegible]. Praed. vita b. Jo. D. in op. Leandri Alberti Viri ll. O. Praed. sub a. 1517 p. 70, accuratius et integra in Actis SS. 10. Jun. II, 399—418. H. V. Sauerland in diss. (non aequa) in Zeitschr. f. KGesch. IX (1887), 240—292; X (1888), 345—399 Kard. Jo. D. und s. Verhalten zu den kirchl. Unionsbestrebungen während der J. 1406—1415; Mandonet O. Pr. Beiträge zur Gesch. des Kard. Giovanni Dominici hist. Jahrb. XXI (1900), 388—402.

siasten, in cc. 19. Ev. s. Matth., in ep. s. Pauli ad Romanos etc. (omnia inedita); *epistolae*, quarum 21 receptae sunt ab Antonmaria Biscioni inter *Lettere di santi e beati Fiorentini*, Florentiae 1736; Mediolani 1839; alias dedit[1]) Flam. Cornaro in op. Ecclesiae venetae etc., Venetiis 1749; diss. cujusmodi est *Dell'amor di carità*, quae est commentarii instar in 1. Cor. 13., Senis 1513; Venetiis 1554; 1556: Florentiae 1595; Bononiae 1889, ed. splendida et accurata hujus aurei opusculi; *Regola del governo di cura familiare*, opus si linguam spectes classicum, in quo prudenter disserit de bono usu facultatum animae, sensuum et membrorum corporis, bonorum temporalium et de institutione liberorum, Florentiae 1860 cura Donati Salvi primum edita cum auctoris vita, cujus p. 4. est pro institutione juventutis egregia[2]), hinc ejus versio interprete F. X. Kunz merito recepta fuit in Bibliothek der kath. Pädagogik t. 7, Friburgi 1894; atque Roessler ex ejus scriptis concinnavit l. Kard. Jo. Dom. Erziehungslehre, Freiburg 1894. *Noctis lucula* contra Collucii Salutati l. *de fortunae fato*, in quo hic non satis probe de fide catholica sentire videbatur. Qua occasione cardinalis in christianos invehitur ob divini cultus neglectum et studium librorum gentilium, prae quorum lectione contemnunt divina oracula et ecclesiasticos libros.

392. Ad *ascesim* et theologiam *mysticam*[3]), praetermisso Petro Salpin (Saupin, Sulpino) O. Min. tolosano, episcopo vasatensi (1397—1417), qui resignavit rediitque ad sodales scripsitque Dionysium imitatus de theologia mystica (sicut etiam de hierarchia angelica, de hierarchia ecclesiastica, de divinis nominibus), referri possunt Gerlacus Petri (Peters, Petersen) Daventriensis (n. 1378), canonicus windesheimensis, discipulus praedilectus Florentii († 1411 a. aetatis 34), vir vere devotus et moribus candidus, auctor piissimi libelli *Soliloquium cum Deo ignitum*, qui editus fuit post ejus mortem Coloniae 1616. in 12; Amstelodami 1711; cum versione germanica. Essen 1845; Coloniae et Bonnae 1849. Propter hunc libellum, qui singularem cum Thomae de Kempis de imitatione Christi ll. 4 habet affinitatem, dictus est „alter Thomas". Fatendum tamen hujus libelli textum plures subiisse mutationes et additiones: hinc difficile est textum originalem accuratius determinare. Alius ejus l. piissimus *Breviloquium* pro aliquo bonae voluntatis clerico ad dandam occasionem spiritualis excercitii, primum ed. a Moll in Gerl. Peters en zjne schriften en kerkhistorisch archief II (1859), 174-199, ubi

[1]) Cf. Potthast p. 383, qui libros indicat, in quibus aliae quoque reperiuntur.

[2]) Cf. Civiltà catt. 1861. IX, 709—21.

[3]) Initio hujus seculi Matthaeus Grabow (Grabon, Grabeen) O. Praed. Saxo in dioecesi mersburgensi natus lectorem agebat Groningae apud sodales tumque nimio status regularis ardens studio in quosdam errores prolapsus est scripsitque *Conclusiones* contra devotarias extra congregationem approbatam viventes scil. contra fratres vitae communis. Qui libellus de haeresi postulatus et denunciatus in conc. constantiensi a Martino V. tredecim traditus est theologis examinandus. Cum autem P. de Alliaco et Jo. Gersonus 17 prop. ex eo libello excerptas alias haereticas, erroneas alias et alias scandalosas definivissent, quibus et alii censores assenserunt: sententiae acquievit Matthaeus praesens in concilio seque in omnibus fidem Ecclesiae tenere atque doctrinam aperte est professus. Cf. ejus propositiones cum judicio P. de Alliaco et Jo. Gersonis apud de Hardt in Act. conc. const. III, 106 ss. et in Gersonii opp. I, 467 ss. ed. antw. 1706; Quetif I, 759.

[1]) Cf. L. Schulze Realenc. VI³,604-606; quem cf. erudite disserentem de fratribus vitae communis ib III³, 472—507; KL. II, 1302. De nostro auctore cf. C. Hirsche, in Realenc. II², 729—738 egregie disserentem, qui et merito optat novam scriptorum Gerlaci editionem ad codd. originales expressam, quorum ipse unum se reperisse authenticum gaudet.

exhibentur fragmenta duarum *epistolarum* ejusdem[1]). — Gerlaci in vita spirituali magister et amicus intime familiaris fuit Joannes Goossens Vos van Heusden (quod est locus patrius) Can. r. s. Aug. prior windesheimensis et congregationis hujus nominis superior, cui a. 29 praefuit, vir pius, humilis, sodalibus carissimus. Ad summum eam promovit florem omnia renovans et restaurans, ecclesiam, liturgicos libros et domum, bibliothecam. Pro emendatione textus vulgatae magnam gessit sollicitudinem[1]). Hinc ipso magistro admodum dilatata fuit congregatio, ipso tutore magna encomia retulit a concilio constantiensi († 2. Dec. 1424). — His duobus tamquam tertius addendus est Joannes Brinckerinck Geldrensis n. c. 1359, qui ardentibus Gerardi Groote concionibus attractus ut socius fidelis ei adhaesit in suis missionibus apostolicis. Post ejus mortem (1384) cum aliis disciplinae piissimi Flor. Radewini se tradidit. Postmodum solicitus erat de mulieribus bonae conversationis, ut alter earum institutor vel reformator possit haberi piisque suis exhortationibus omnes ad vitam vere christianam ducendam incitavit[2]). Ejusmodi exhortationes ex ejus ore ab auditoribus exceptas literisque consignatas demum edidit Moll Kerkhist. Archief, Amsterdam 1866 p. 99 ss. Obiit religiosissimus vir 26. Mart. 1419. — Addi potest et Henricus Eger a patria Calcarensis dictus, theologiae doctor parisiensis, qui a. natus 37 ingressus est O. Carth. Suis monitis condiscipulum suum Ger. Groote (cf. p. 718) ad sanctiorem induxit vitam. Gravioribus muneribus diu in suo functus est ordine: spiritum vere religiosum plurimum promovit, devotionem erga b. Virginem impense propagavit (20. Dec. 1408). Plurima reliquit opuscula ascetica, ex quibus pauca sunt edita, ut *Speculum peccatorum* in ed. Imitationis Christi cur. Hirsche, Berlin 1873 I, 482—504.

393. Michael Pragensis O. Carth. prior agsbacensis, dein (1391) vallis s. Mauritii in Gyrio († 1401), concinnavit ex dictis patrum egregium dialogum *de custodia virginitatis* ll. 2; *remediarium abjecti prioris* et cujuscunque loco moti officialis religiosi, quae reperies in bibl. ascet. Pezii II, 95-170 et 229—468. — In eadem bibliotheca IX, 255—379 exstat l. *de tuenda virginis Deo consecratae sanctimonia* Gregorii ex provincia Sclavoniae, magistri in artibus, doctoris theologiae, canonici et poenitentiarii turonensis (fl. 1411). — Jacobus Magni (Le Grand) O. S. Aug. Tolosanus[1]), in universitate patavina philosophiae et theologiae doctor erat, Carolo VI. Galliae regi a confessionibus. Hic ei archiepiscopatum obtulit burdigalensem, quem tamen modeste ipse recusavit († p. a. 1422). Scripsit *sophologium* seu de inquisitione divinae sapientiae ll. 10, in quo lectores sapientiae amore incendere nititur, s. l. a. et n. typographi (Coloniae c. 1474); Parisiis 1477, 1506; Lugduni 1485; 1495; 1498; 1585 in f. Illius pars gallice etiam prodiit inscripta: *Le Trésor de Sapience* et fleur de toute bonté rempli de plusieurs bonnes autorités, Chablis 1478; Parisiis 1486; 1487; 1499; 1519. Ejus annotationes in ll. sacros universos, in ll. Sententiarum aliaque manserunt inedita. — Guy de Roye plurium successive dioecesium praesul, demum archiepiscopus remensis (1390-1409) scripsit *Le doctrinal de Sapience* très utile à tout persone pour le salut de

[1]) Cf. J. C. van Slee allg. d. Biogr. XL 324.

[2]) Cf. Schulze Realenc. III³, 409—411; et antea Hirsche ib. II², 738—745.

[1]) Alii eum dicunt hispanum legentes forte Toletanum pro Tolosano. Cf. Nic. Antonius II l. 10. c. 2 n. 56 ss.; Feret IV, 349—54; Coville de Jacobi Magni vita et operibus, Parisiis 1889.

son ame Lugduni 1515, ed. altera. — Franciscus de Retza ex oppido Retz Austriae inferioris O. Praed., Teuto, insignis pietatis vir et ardens b. Mariae V. cultor[1]), in universitate viennensi annos plures docuit, et fuit vicarius generalis conventuum Teutoniae reformatorum († 1421). Composuit *Comestorium vitiorum,* Norimbergae 1470 in f.; 1476, et tria volumina (inedita) super Salve Regina. — Joannes de Marienwerder n. 1343 Pragae in universitate pragensi artium magister (1369), facultatis artium decanus (1374). Aristotelem ibidem est interpretatus (1369), dein ordinatus sacerdos. Sub Henrico Oyta theologiae operam dedit, in qua promeruit lauream, deinde et theologiam docuit. Ortis gravibus turbis inter discipulos germanos et bohemos ingressus est ord. teutonicum (1387), mox canonicus factus est capituli dioecesis pomesanae ejusque decanus (1388). A confessionibus erat Dorotheae de Montavia feminae admodum piae charismatis supernis illustri, quae reclusam etiam duxit vitam († 1394). Ex ejus colloquiis concinnavit breviorem vitam ipsius magna unctione et pietate conscriptam, quae piis fidelibus in deliciis fuit, ed. ab Adriano de Linde typis monasterii olivensis 1702; Dantisci 1745; in Act. SS. 30. Oct. XIII p. 499—560; *vitam* prolixiorem ll. VII (adhuc edendam); demum *septililium* seu vitam potius mysticam, quod recenter prodiit cura Fr. Hipler in Analectis bollandianis 1883. II—V, et seorsim Bruxellis 1885. In utilitatem populi scripsit lingua patria vitam piae illius feminae, quae prodiit 1492, cujus unum forte exstat adhuc exemplar Petropoli, a Max Toeppen iterum ed. in Scr. rer. Pruss. II (1863) 197—348, liber pius et plane utilis[2]). Decessit admodum bene meritus de nova illa dioecesi 19. Sept. 1417. Concinnavit *annales capituli pomesaniensis* 1391-98, ex quibus aliqua vulgavit Voigt Codex dipl. Prussiae V, 55—57 sub titulo: *Einige Nachrichten* über verschiedene Veränderungen und Begebenheiten betr. das Domkapitel zu Marienwerder; plenius Strehlke in SS. rer. Pruss. V. 431—34. Alia manserunt inedita, ut expositio symboli apostolorum, cujus Hipler exhibet epitomen op. infra cit. p. 20—36.

394. S. Vincentius Ferrerius[1]) a. 1340 vel 1346, secundum Fages 1350, juxta acta SS. a. 1357 in lucem editus, aetatis suae a. 19. institutum s. Dominici amplexus est et post sexennium dialecticam et reliquam philosophiam tradere coepit. Ad discendam postea theologiam Barcinonem (1380), tum Ilerdam (1382) missus doctoris lauream promeruit (1384). Valentiam revocatus magnam existimationem ibi collegit; rogatu episcopi, canonicorum et magistratus theologiam tum concertatoriam tum divini codicis interpretem sex annis docuit, ac per idem tempus sacrum oratorem egit ingenti discipulorum auditorumque concursu cinctus. Adhaerebat tum Clementi VII. adversus Urbanum VI. Cum vero Petrus IV. Aragoniae rex anceps haereret, cujus partes sequeretur, scripsit stilo vivaci et eloquenti tr. *de moderno Ecclesiae schismate,* in quo fortiter tuetur legitimam Clementis VII. contra Urbanum VI. electionem. Prodiit primum integer et accurate cur. Albano Sorbelli, Romae 1900. Interim cardinalis Petrus Lunius Cle-

[1]) Cf. Nyder in Formicario l. 4 c. 7; Quetif I, 775; Aschbach I, 421—24.

[2]) Cf. Hipler Meister Joh. v. Marienwerder, Braunsberg 1866 p. 166—299; in Ztschr. f. d. Gesch. und Altertumskunde Ermlands III; et Allg. d. Biogr. XX, 381-383; Jocham KL. VI², 1713; de variis editionibus vitae b. Dorotheae Potthast p. 1275².

[1]) Ejus frater Bonifacius O. Carth. prior († 29. Apr. 1417) praeter alia Sacra utriusque foederis Biblia in lemosinum sermonem transtulit, quae versio Valentiae 1478 typis edita fuit. Cf. N. Antonius l. X. c. 3. n. 114 annot.

mentis VII. legatus ad regem Franciae missus Valentiam venit, ac Vincentium ex virtute et doctrina clarissimum secum toto legationis tempore retinuit. Deinde in papam electus (Benedictus XIII. appellatus) Avenionem accitum poenitentiarium majorem sacrique palatii magistrum constituit a. 1395. De hoc tamen posteriori munere Ehrle dubitat. Vincentius Avenione tantum biennio commoratus dein a. 1399 suas apostolicas expeditiones non solum per Hispaniam, sed etiam per Galliam, Belgium, magnam Britanniam et Italiam coepit jussu, ut eventus etiam docuit, Christi Domini. Benedictus, ut virum detineret, episcopatum valentinum, imo et cardinalis dignitatem obtulit, sed frustra: quare eum ad efficacius concionandi munus obeundum missionarium apostolicum instituit cum amplissimis facultatibus. Peccatores innumeros ad poenitentiam, Mohammedanos (c. 8000), Judaeos (c. 25000), haereticos ad veram fidem perduxit cooperante Domino stupendis miraculis. Quocunque veniebat mirabilem excitabat commotionem, ingentes post se traxit turbas linguarum charismate illustris. Demum laboribus fractus Venetiis (Vannes) in Britannia minori 5 Apr. 1419 pie decessit, a Calixto III a. 1455 inter sanctos relatus. Etsi Benedicto XIII. adhaereret, eum saepius monuit, ut vel cessione paci Ecclesiae consuleret: quod cum hic facere recusasset, demum ipse palam ei renunciavit 6. Jan. 1416 aliosque ad idem praestandum hortatus est. Reliquit aliquot opuscula ascetica (collecta ed. Parisiis 1901), inter quae tractatum vitae spiritualis seu *de interiore homine* formativum, Magdeburgi 1493; Venetiis 1500; Lugduni 1585; Coloniae 1616; Tolosae 1655, etiam in alias linguas versum; tr. *de oratione dominica,* Lugduni 1523; *Consolatio in tentationibus contra fidem; Mysteris y contemplacions de la missa* vel etiam De las ceremonias de la missa, Valentiae 1588 tr. nonnihil dubius, cum aliis ejus opusculis et epistolis (7), Valentiae 1591; 1855; *sermones*, Ulmae 1475; Coloniae 1482—87 t. 4 in f.; Argentorati 1485; 1503; Lugduni 1490; 1497; 1516 ed. praecipua in pp. 3; 1523; Antverpiae 1570; Augustae V. 1729 etc. et saepe alibi partim vel conjunctim, qui tamen prouti leguntur, non e manu ipsius s. Vincentii prodierunt, sed ab auditoribus ex ore dicentis plus minusve accurate et limate excepti fuere, vel sunt tantum concionum schemata et adumbrationes: hinc non semper reddunt tanti viri ingenium. Ceterum pauci sermones supersunt pro numero quos habuit, nam ultra 20.000 habuisse fertur [1]). Ex *epistolis* memoria digna est ea, quam inscripsit Benedicto XIII. papae Avenione sedenti *de fine mundi et Antichristo* (1412), quem jam a. 1403 natum esse conjicit ex tristissima Ecclesiae conditione, saepius edita et in varias versa linguas, latine apud Fages op. cit. append. LXXVI—LXXXV.

395. Antonius Parvus O. Praed. Bononiensis insignis concionator (fl. 1403) habuit sermones, seu *quadragesimale* nuncupatum, saepe editum sine auctoris nomine s. l. 1501; Venetiis 1505; Lugduni 1506; Parisiis 1531. — Leonardus de Datis O. Praed. Florentiae natus morum gravitate, doctrina, dicendique gratia et facundia ita emicuit, ut nominis sui fama pri-

[1]) Cf. ejus vitam auctore sodali Petro Ranzano praevio commentario illustratam in actis SS. ad 5. Apr. I, 482—512 aliosque biographos apud Quetif I, 765; tamen biographiae anteriores non omnibus numeris sunt absolutae. Nostra aetate prodiit Histoire de S. Vinc. Ferrier, Parisiis 1901 t. 2 ed. 2. auctore P. Fages fructus studiorum a. 15, quae ob copiosas notitias, documenta, literaturam etc. est pretiosa, de qua cf. Finke histor. Jahrb. 1896 p. 23—39. Cf. etiam Nic. Antonius II. l. 10 c. 3 n. 68 ss.; Zöckler Realenc. VI, 48—51; Stocker KL. XII². 978—983; Heller V. Ferrer s. Leben und Wirken, Berlin 1830.

marias Italiae cathedras impleverit, ad praecipua ordinis munera vocatus et in gravibus Ecclesiae negotiis fuerit adhibitus. Interfuit concilio pisano et defuncto generali ejus partis ordinis, quae adhaerebat Joanni XXIII., ipse electus est 1413 in vicarium generalem, dein a. sequenti in ministrum generalem. In concilio constantiensi cum aliis viris doctis delegatus est qui causam Hus examinaret et qui suffragium haberet in eligendo pontifice. A Martino V. etiam magni factus est, qui fertur de eo inter cardinales recipiendo cogitasse († 17. Mart. 1425). Ejus quadragesimale *de petitionibus animae* sub Leonardi de Utino nomine videtur prodiisse, Lugduni 1518 in 8; pariter et sermones quadragesimales *de flagellis peccatorum* festinanter converti nolentium, ib. 1518 in 8. — Joannes Mulberg (Muellberger, de Maulbourg opidulo prope Basileam etc.) sutoris filius, qui et ipse sutrinam ad a. 20. fecit. Ordinem Praedicatorum ingressus studiis Pragae vacavit. Strenue ordinis reformationem promovit. Famosus exstitit concionator, atque Beginas et Beghardos insecutus est, Basileae praesertim, unde tamen ut Gregorii XII. assecla expulsus fuit († 1414). Ejus scripta et conciones ineditae manserunt [1]). Aliqua ex ejus scriptis contra Beguinas et Beghardos exhibent H. Haupt in Zeitschr. f. KG. VII (1885) 511 ss. et H. G. Martini apud Mosheim De Beghardis et Beguinabus, Lipsiae 1790 pag. 554. — Hadrianus O. Carth. in Carthusia vicina monti s. Gertrudi in confinio Brabantiae et Hollandiae c. a. 1410 scripsit l. *de remediis utriusque fortunae* s. a. et l. (c. 1472 m. 80).

396. In *liturgia* illustranda versati sunt Radulphus Tungrensis seu de Rivo Breda Brabantiae urbe oriundus, qui Romae graecas literas tradentem audivit Simonem constantinopolitanum Thebanorum archiepiscopum (fl. a. 1383). Postquam in patriam rediit factus est decanus tungrensis: reversus tamen est iterum Romam ad colligendos veteres codices liturgicos, et cum tunc magnum schisma omnia turbaret, multa, quae refert, ipse vidit ibidemque mediis in suis studiis literariis occubuit 3. Nov. 1403. Haec ejus opera: *Calendarium ecclesiasticum* Lovanii 1568 ed. cura Pamelii; quod etiam inscribitur *de canonum observantia*, receptum a. Hittorp in suam collectionem de cath. Ecclesiae divinis officiis, Coloniae 1568 p. 529—79; Romae 1591 p. 633—74; Parisiis 1610 p. 1103—1164; in varias bibliothecas PP. ut lugdunensem XXVI, 289—320. In eo commendat praxim recitandi breviarium more romano seu vetere contra quosdam recentiores (fratres ord. Min.), qui varias induxerant innovationes. Opus est pretiosum pro historia breviarii et etiam liturgiae, cum in ultima p. exhibeat brevem sed eruditam historicam expositionem missae [1]). *Gesta Engelberti de Marca*, Jo. de Bavaria ab Arkel et Arnoldi ab Horn episcoporum leodiensium in op. Jo. Chapeauville Gesta pontificum tungrensium etc. III, 1—58, opus pretiosum. — Petrus Amelii O. S. Aug. de Brenaco Gallus, s. theologiae doctor, Urbani V. sacrista, Gregorii XI. poenitentiarius et bibliothecarius, postea senogallensis episcopus, archiepiscopus tarentinus, tum patriarcha gradensis et alexandrinus atque ecclesiae acquensis administrator († 1404), composuit [2]) ordinem romanum (XV.) seu l. *de caeremoniis Ecclesiae romanae* constantem cc. 167 et aliorum additionibus interpolatum, quem vulgavit

[1]) Cf. Haupt Realenc. XIII, 566 s.

[1]) Cf. Franz die Messe p. 512-514 Thalhofer I², 93; Zeck KL². X, 732; O. Schmid allg. deutsche Biogr. XXVII, 153. Secundum Baeumer Gesch. des Breviers Friburgi 1895 p. 377 non sine pretio est ejus l. ineditus *de psalterio observando*.

[2]) Cf. Oudin III, 1274.

Mabillonius in Musei ital. II, 448—544; et (versibus) *itinerarium Gregorii XI.* Avenione Romam et inde Anagniam, quod edidere Bzovius ad a. 1376 n. 31 et ad a. 1377, Massonus de rebus gestis pontificum, Parisiis 1586, et Ciaconius in vita Gregorii XI. Ipsius quoque videntur esse *rubricae novae* pro Breviario edito a. 1478, ut conjicit G. Mercati in Appunti per la storia del Breviario Romano nei sec. XIV—XV tratti dalle Rubricae Novae in Rassegna Gregoriana II. (1903), 397—444. — Nicolaus Stör (Ster) de Swidenicz (Schweidnitz) in facultate artistarum pragensi magister et decanus (1399) et universitatis rector (1402) cum 45 collegis ob controversias nationales ad recenter conditam universitatem lipsiensem recessit, qui omnes favorabiliter assumpti sunt ab universitatis fundatoribus. Ibi erat professor theologiae decessitque 1424. Reliquit super sententiis conclusiones l. 1; orationes ad clerum l. 1, sermones ad vulgus l. 1, omnes inediti, sed suo tempore a studentibus lectitati. Reliquit et utilem expositionem missae, in qua bene instituit clerum circa sacrosanctum missae sacrificium[1]). Ea prodiit supresso auctoris nomine hac inscriptione *Officii missae sacrique canonis expositio* et signorum, quae inibi quotidie fiunt, mysticae repraesentationis declaratio cum periculorum contingere potentium obviatione in alma universitate lipczensi edita, Rutlingen (Reutlingen) 1483; etiam s. l. et a. (forte Argentorati 1473) et alibi. Quaedam segmenta lectu digna habes in Zeitschr. für kath. Theologie 1898 p. 165—172.

[1]) Cf. de hoc opere et ipso auctore plura in Katholik 1898 p. 16—27 col. 189—92 auctore Ad. Franz, quem cf. et in alio op. Die Messe p. 527 ss. Hac expositione sunt in suis instructionibus Vincentius (Haller) quidam magister in Freiberg et Vincentius Gruner O. Cist., qui l. Stoerii retractarunt paucis additis vel mutatis, unde sub eorum nomine reperitur. Porro Vinc. Gruner (Grüner) de Czwickawia (Zwikau) in academia pragensi erat artium magister (1398). Turbarum occasione, quae Pragae inter Bohemos et Germanos a. 1409 ortae sunt, cum multis professoribus et discipulis Lipsiam secessit atque academiae 1410 rectorem egit. Aliquamdiu in monasterio veterocellensi (Altzell) sodales docuit († ante a. 1421).

XIII.

Theologi annorum 1426—1450.

I. Theologia scholastica.

397. Omnium theologorum hac epocha celebratissimus est Gersonius, dictus „doctor christianissimus“: quare ab ipso initium ducemus, quamvis forte magis in theologia practica eminuerit. Natus est Joannes Charlier (hoc nomen familiae), vel Joannes Arnaudi de Gersonio a pago Gerson (Jarson) rhemensis dioecesis, hinc vulgo Gersonius dictus, 14. Dec. 1363. A parentibus optime institutus, quamobrem et matrem suam alteram dixit Monicam, 14. a. aetatis Parisios fuit missus (1377) et collegio Navarrae adscriptus, cui ab a. 1380 praefuerat Petrus de Alliaco, sub quo a. septem et a. 3 sub Aegidio de Campis (Dechamps) theologiae operam dedit et ad supremos academiae honores conscendit (1392). Interim jam electus fuerat a concivibus procurator nationis gallicae (1383. 1384) et adscitus, etsi tantum baccalaureus, inter deputatos ab universitate ad Clementem VII. missos pro urgenda damnatione errorum Jo. Montesoni (cf. p. 683). Stetit ipse pro doctrina de immaculata V. conceptione innixus tamen principiis theologicis haud probandis. Promoto Petro de Alliaco in episcopum aniciensem (1395), successit ipse in cathedra et munere cancellarii universitatis. Exinde magnas partes habuit in controversiis et negotiationibus, quae sicut alibi ita quam maxime in Gallia omnia commovebant, scil. pro componendo tristissimo schismate, quas fusius hic exponere non vacat. Plurimos propterea scripsit libros et libellos, de quibus infra. Ut se tamen illis maxime subtraheret, acceptavit decani dignitatem in capitulo brugensi a. 1397, sed post quadriennium amicorum rogatu Parisios rediit (1401). Factus a. 1408 parochus Parisiis diligenti sollicitudine muneri annunciandi verbi Dei institit, abusus correxit, morum reformationem curavit, fidelium utilitatem prae oculis habuit. Concilio pisano non interfuit, sed cum ex illius decreto generale concilium propediem esset convocandum, in id incubuit, ut quae in eo tractanda erant, praepararet. Verum tunc dissidio molestissimo inter duces burgundum et aurelianensem implicitus est. Cum enim pro suo justitiae studio infandam Ludovici aurelianensis caedem opera Burgundi perpetratam palam detestaretur, sedi-

tione Parisiis 1413 orta quaesitus est a seditiosis ad necem, et vel in carcerem raptus fuisset, nisi fuga sibi consuluisset ac in fornicibus aedis b. Mariae per aliquot dies delituisset: omnis tamen ejus suppellex a seditiosis fuit direpta bonaque dissipata sunt. Concilio generali constantiensi indicto ad 1. Nov. 1414, Joannes Gersonius tum regis Galliarum tum academiae parisiensis nomine ei interfuit, omnemque lapidem movit, ut liber Jo. Parvi pro tuendo tyrannicidio (cf. supra 774) damnaretur. Anima pariter fuit concilii cum quibusdam aliis ejusdem sententiae viris pro componendo schismate et reformatione Ecclesiae in capite et membris: hinc concilii auctoritatem exaggerabat, plures theses vel opiniones plane erroneas de Ecclesia, primatu et conc. generalibus propugnabat: sed inepte propterea accensetur primatus adversariis, quem institutionis et juris divini esse prorsus tuebatur. Partem habuit in damnatione errorum Wiclef et Hus. Finita 1418 synodo aliud nihil tot laborum praemium consecutus est quam exsilium perpetuum [1]). Cum enim Burgundiae ducis ob fervorem, quo damnationem l. Joannis Parvi urgebat, odium sibi concivisset, Lutetiam Anglorum et Burgundionum dominationi obnoxiam redire non est ausus: sed peregrini habitu ad ducem Bavariae Albertum se constulit, qui arcem rattenbergensem in Tiroli ei pro commoratione assignavit; ubi Boëthium imitatus scripsit partim prosa partim metro *de consolatione theologiae:* dein Viennam profectus ab Austriae duce benigne humaniterque fuit susceptus. Tandem a. 1419 Lugdunum abiit, ubi Joannes ejus frater Coelestinorum prior degebat, reliquumque vitae tempus impendit orando, concionando, libros conscribendo et praesertim parvulos fidei rudimentis informando, quos docuit ita pro se orare: „Deus meus, creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Jo. Gersonis:“ donec 12. Jul. 1429 animam suam Deo reddidit. Sepulcro inscripta sunt verba, quae saepe inter concionandum usurpabat: „Poenitemini et credite Evangelio.“ Populus vero lugdunensis eum fere ut sanctum coluit [1]).

398. Quam plurima reliquit opera et opuscula, quae saepe seorsim, sed et collecta prodierunt, ut Coloniae 1483—1484 t. 4 in f. ed. rara; Argentorati 1494—1514 cura Geiler de Kaisersberg t. 3, quibus 4. Wimphelinga adjecit; et aliis ed. omissis curante Dupin Antverpiae 1706 t. 5 in f., ed. bona, etsi nondum omnibus numeris absoluta [2]); Hagae Comitum 1728 pp. 3 in 5 v. Theologiae scholasticae, praesertim quae subtilitates sectatur, minus addictus erat: praxim praeferebat, hinc theologiam mysticam prae scholastica adamabat et in ea revera emicuit, ideoque plura ejusdem scripta circa eam versantur. Vitat in iis sollerter errores et excessus fraticellorum aliarumque sectarum medii aevi, sobrius est et prudens, sanam sentiendi ratio-

[1]) Imo vel in concilio accusatus fuerat a ducis Burgundi fautoribus errorum in fide, quos ad 25 articulos revocavit episcopus attrebatensis: eos cf. in H. E. Fleurii l. 103 § 136. Hinc Gerson coactus fuit de objectis hisce articulis sese purgare, quod haud difficulter praestitit; de controversiis ob tyrannicidium cf. Feret III, 89 ss.

[1]) Cf. Wimpheling de vita et miraculis Jo. Gerson; Defensio pro divo Jo. G. et clero seculari, qui in l., cui titulus *Supplementum celifodinae,* graviter taxati sunt et reprehensi s. l. et a. (Argentorati 1506).

[2]) Cf. Potthast p. 504 s.; Schwab op. infra cit. 786—96. Plurium operum summam exhibet Dupin Nouvelle Biblioth. des Auteurs ecclés. XII, 66—78, Parisiis 1702., qui de eo scribit: Depuis le temps de S. Bernard, l'Eglise n'a point eu d'Auteur de plus grande réputation, de plus profonde science et de plus solide piété que Gerson. Quae omnino exaggerate sunt dicta.

nem Ecclesiae prae oculis habet. Jam praecipua (non omnia) ejus scripta secundum ordinem, quo habentur in editione Dupinii recensebimus. T. I. habentur propositiones (judice Cornely optimae) *de sensu literali Scripturae* et de causis errantium; tr. *de probatione spirituum* deque visionibus ac revelationibus novis caute dijudicandis, occasione canonizationis Brigittae in constantiensi Concilio (de Hardt III p. 3 pag. 28—38); tr. *de distinctione verarum visionum a falsis;* ep. contra l. Jo. Ruisbrock *de ornatu spiritualium nuptiarum* (cf. p. 717) cum ejusdem ep. defensione; duae lectiones super illud Marci: *Poenitemini et credite Evangelio* contra vanam curiositatem in negotio fidei; *de reformatione theologiae* in ep. ad Petrum d'Ailli et in duplici epistola ad studentes collegii Navarrae, in qua hortatur, ut posthabitis recentioribus antiquiores legant (Guil. Avernum, Bonaventuram, Durandum, Henricum Gandavensem, s. Thomam): et docet quid et qualiter studere debeat novus theologus; *de consolatione theologiae* ll. 5 in forma dialogi, quo in op. scripto in exsilio prae oculis habet ll. Boëthii de consolatione philosophiae, ibique incipit, ubi desinit philosophiae solatium, et quadruplex proponit solatium: per spem in contemplatione divini judicii, per Scripturam in revelatione regiminis mundi, per patientiam in zeli moderatione, per doctrinam in conscientiae serenatione. Sequuntur plura opuscula contra artem magicam et astrologiam; *Compendium theologiae* Gersonio adscriptum; opusc. tripartitum *de praeceptis decalogi*, de confessione et arte moriendi, catechismi specimen, quod episcopi Galliae maximi aestimarunt atque summopere in synodis dioecesanis clero et populo commendarunt; tr. seu ep. ad provincialem Coelestinorum super v. cantici Mariae: *Suscepit Israel puerum suum; de susceptione humanitatis Christi* allegorice per XXIV veritates, tropologice autem et anagogice per XII veritates; tr. contra haeresim *de communione laicorum* sub utraque specie; *conclusiones* quaedam ratione propositionis cujusdam, an angeli, b. Virgo et omnes sancti et sanctae associent corpus Christi in sacramento altaris. — T. II. p. 1. continentur plurimi libelli et scripta, quae ad schisma pertinent usque ad concilium constantiense; p. 2. quae ad concilium constantiense spectant, inter quae ex. gr. l. *de auferibilitate papae ab Ecclesia;* in quo nullatenus censet, Ecclesiam esse posse sine primatu, sed casus expendit, in quibus conc. generale deponere possit pontificem; tr. seu 30 considerationes *de potestate ecclesiastica* et origine juris et legum recitatus in illo concilio a. 1417, quo in op. tuetur superioritatem concilii super pontificem[1]), hujus infalibilitatem negat, parochis, sed tantum iis, qui sunt cleri secularis, jus tribuit sedendi in conciliis cum jure suffragii, quia sunt successores 70 discipulorum etc. Tr. compositus post electionem Martini V. pro Polonis petentibus quarundam prop. censuram, quibus pontifex annuere noluit, scil. *quomodo et an liceat in causis fidei a summo pontifice appellare* seu ejus judicium declinare; dein scripta in causa errorum Joannis Parvi. Pars 3. continet tr. qui spectant ad forum poenitentiae, inter quos sunt tr. *de potestate ligandi atque solvendi; de differentia peccatorum* venialium et mortalium etc. P. 4. continet tr. qui spectant ad officia et munia praelatorum, inter quos est dialogus *super coelibatu* sive castitate ecclesiasticorum,

[1]) Eo tempore plures fuerunt theologi, qui tristi Ecclesiae conditione ob schisma fere adacti hanc opinionem quasi unicum tot malorum remedium amplexi sunt. Praeter tot, quorum passim in textu mentionem faciemus, huc spectat Bartholomaeus Carthusiensis prior Ruremundae († 1446) doctor theologiae et rector studii heidelbergensis (de quo cf. Mansi in annot. ad Fabricium I, 161), cujus sunt plura ascetica (inedita).

adversus Saigneti lamentationem ob coelibatum sacerdotum; *de simonia* (etiam in v. d. Hardt Conc. const. I p. 4); p. 5. ea, quae ad disciplinam monasticam pertinent, inter quae est etiam responsio ad monachum carthusianum *de libris legendis a monacho*[1]). — In t. III. p. 1. continentur ea, quae ad morum doctrinam pertinent, inter quae l. *de vita spirituali animae; regulae morales; definitiones* rerum quarundam ad theologiam moralem pertinentium; tr. *de passionibus animae; de contractibus*; tr. *de oratione et ejus valore;* tr. *de parvulis ad Christum trahendis*[2]). P. 2. continentur opera mystica et pia, nam in theologiam mysticam admodum propendebat: it. tr. *de mystica theologia;* tr. *de elucidatione scholastica mysticae theologiae; de simplificatione,* stabilitione, mundificatione cordis (s. l. et a. c. 1472 m. 500); *Colloquium* hominis contemplativi ad animam suam et animae ad hominem super paupertate et mendicitate spirituali; tr. *de monte contemplationis,* unus ex melioribus Gersonii libris, primum gallice conscriptus; *de diversis diaboli tentationibus;* considerationes *de s. Josepho* (gallice). In fine p. 770—800 adjicitur *Alphabetum divini amoris,* quod tamen suppositum, vel saltem dubium videtur. Prodiit sub Gersonii nomine s. l. et a. (c. 1473). P. 3. continet *sermones.* — T. IV. p. 1. continentur opera exegetica, ut tr. *super cantica canticorum,* triduo ante mortem absolutus; *monotessaron* seu unum ex quatuor evangeliis, opus valde laboriosum et diligens, etsi forte minus felix, quod se extendit vel ad singula evangelistarum incisa, ut ea ad harmoniam revocet.[1]). Collectorium *super Magnificat* in IX tractatus divisum; p. 2 *orationes* solemnes eloquentes et graves; *epistolae, carmina* et alia miscellanea. — Denique t. V. Dupin exhibet acta et monumenta (etiam aliorum, imo et adversariorum) ad causam Joannis Parvi spectantia[2]). Etsi vero Gersonius schismatis difficultatibus propemodum adactus superioritatem concilii docuit supra pontificem vel legitimum, fassus tamen est ipse saepe doctrinam hanc fuisse novam, et in fine vitae per modum retractationis suos exhortatus est lectores, ut posthabitis scriptis suis non novitates, sed veterum doctorum sententias sequantur, declarando praeterea se cum horrore vidisse varia opuscula suo nomine propalata, partim incorrecta, partim falsata, quae optaret flamma vorax assumpsisset aut minutatim lacerata irent in oblivionis aeternae sepulcrum. Commendabat autem ex veteribus doctoribus praesertim s. Bonaventuram et Alexandrum Halensem. Stilus ejus est robustus, sed durus et neglectus.

399. A Gersonio nolumus sejungere Nicolaum Poillevillain, a loco patrio dictum de Clamanges (Clamangiis, de Clémanges etc.), ejus scil.

---

[1]) In appendice hujus et praecedentis continentur plura scripta Joannis de Varennis doctoris parisiensis et pastoris s. Leti, qui Benedicto XIII. cessionem consuluit, de quibus cf. Oudin III, 1266. Floruit exeunte sec. XIV.

[2]) Quae ad paedagogiam spectant, germanice versa prodierunt Friburgi 1904 in Bibl. der kath. Pädagogik t. XV.

[1]) Cf. Pesch Zeitschr. f. k. Theol. X (1886), 242 ss.

[2]) Cf. Oudin III, 2263—2291, qui secundum hanc ed. omnia Gersonii recenset, quamvis non satis critice; Schwab J. Gerson Würzburg 1858; Knöpfler KL. V², 457—473; von der Hardt I p. IV pag. 26—57; Bern. Desirant O. S. Aug. in op. Consilium pietatis, Romae 1720 t. 1 diss. 2., in qua cc. 21 Gersonii vitam, doctrinam, errores docte prosequitur. Epitomen habes in Mich. a s. Joseph bibliogr. crit. III, 63-70; Praeludia ed. Dupinii, inter quae Gersoniana ll. 4, quibus tamen non sine grano salis erit utendum; Werner Die Scholastik des späteren MA., Wien 1887 t. 4; Bess Realenc. VI³, 612—617. Recentissime accurate ejus vitam et opera persequitur Feret IV, 223—73.

discipulum, aequalem, collegam, laborum controversiarumque participem, studiorum consortem. Natus is est c. 1367 parentibus honestis, sed humilis fortunae. Puer duodennis in collegium navarreum fuit receptus et in artium magistrum promotus. Dum de artibus liberalibus praelectiones haberet, theologiae operam dedit ducibus Petro de Alliaco et Gersonio, verum ultra baccalaureatum non fuit promotus forte pecuniae defectu. Suis praelectionibus de antiquitate classica splenduit et a. 1393 universitatis rectorem egit: inde implicitus fuit omnibus negotiis, controversiis, turbis ob tristissimum schisma. Ob tullianam suam facundiam academia libenter usa est ejus calamo, cujus nomine eloquentissimas epistolas scripsit pro Ecclesiae pace ad Galliae Regem, Clementem VII. et Benedictum XIII. Literis ad hunc scriptis adeo hujus promeruit gratiam, ut Benedictus ipsum selegerit in secretarium (1397): quod munus amicorum consilio ideo acceptavit, ut Ecclesiae bono et paci posset consulere. Mox tamen eum serviendi tenebat satietas, taedebat vehementer curiae, taedebat turbae, taedebat tumultus, taedebat ambitionis et morum in plerisque vitiosorum: pietate vero erga Benedictum motus noluit eum in tantis deserere angustiis et turbis. Hinc ipse se immiscuit multis molestiis acresque in se concitavit amicorum et concivium querelas: quare aulam deseruit et, ut adversariorum caveret vexationes et minas, ad Carthusianos in Vallis profundae (Valprofonds) domo, deinde ad Fontem in Bosco (Fontaine du Bosc) se recepit, calumniasque in se conjectas literis quaquaversum missis diluit. In hoc otio et pace lectione s. Scripturae, quam ante amore literarum classicarum haud parum neglexerat, et studio diligenti magna fruebatur animae quiete et solatio, ut veluti praegustaret beatorum gaudia. Hinc frustra conati sunt ejus amici eum Parisios revocare. »Desiste igitur, scribit ad Monstrelet, me ulterius latitare volentem et secreta silentia quietaque otia cordi quidem pergrata et corpori accommoda perquirentem in medios aularum strepitus . . . inducere velle.« In hac eremo pretiosissimos condidit libellos[1]), ut *de fructu eremi* ad Petrum de Alliaco; *de fructu rerum adversarum; de novis festivitatibus non instituendis,* Helmstadii 1703, in quo obligationem sanctificationis dierum Domini eloquenter et fortiter urget, sed festorum multiplicationem carpit; *de studio theologico,* quem ejus editor d'Achery (Spicil. I², 473) »aureum opusculum, eruditissimum, solide pium ac doctrinam antiquorum patrum redolentem librum« censet. *Non mente solum e Babylone discedendum esse, sed etiam corpore; de filio prodigo, de antichristo,* etc. Congregata synodo constantiensi fortes ad ejusdem membra dedit epistolas, quibus ea sui monuit officii, ut strenue Domini agerent causam. Hinc ob suum de concilii bono exitu studium dictus est ‚lux concilii constantiensis,' etsi illi non interfuit. Neque principes praetermisit verbis monere gravibus, ne suis deessent partibus, ut in *oratione* ad Galliarum principes; *de lapsu et reparatione justitiae* ad Philippum Burgundiae ducem, Viennae 1481; Parisiis 1512; 1519 in 4. Abdicato canonicatu lingoniensi, cantor bajocensis constituitur; alia vero beneficia sibi oblata recusavit, cum jure canonico eorum prohibeatur pluralitas. Anno 1425 eum iterum Parisiis reperimus praelectiones habentem. Mortis

[1]) Knöpfler KL. IX², 302: In dieser liebgewonnenen Einsamkeit schrieb er die schönsten und gemütvollsten Briefe an seine Freunde Gerson, d'Ailly, Monstrelet, Machet u. A. Ebenso verfaßte er hier die geistreichsten seiner Schriften, die von solcher Innigkeit des Glaubens, solcher Zartheit der Empfindung und solchem Eifer für die Sache Gottes und das Heil der Seelen zeugen, daß sie uns unwillkürlich mit Achtung und Begeisterung für den Verfasser erfüllen.

tempus est incertum, contigit ea inter a. 1425—40; probabiliter a. 1434 vel 1437. Ejus opera[1]) et seorsim prodierunt, et collectim cura Joannis Mart. Lydii (protestantis) Lugduni Batavorum 1613 t. 2 in 4 ed. rara; alia ediderunt Bulaeus in hist. univ. parisiensis t. IV. V; d'Achery in Spicil. I, 473 ss.; Baluzius in Misc. VI, 539 ss. etc. Plura referuntur ad schisma, ut disp. *de conc. generali:* sed ex his ipsi abjudicandus est famosus l. *de corrupto Ecclesiae statu,* quem s. l. et a. edidit Eubolus Cordatus (Ulr. Hutten) 1513 etc.; forte et l. *de ruina Ecclesiae* (apud van der Hardt 1, 3); *de annatis amplius non solvendis* non est ejus. Ejus *epistolae* (137) magna elegantia et nitore conscriptae non carent pretio. Earum aliquot, quae referuntur ad tristem Ecclesiae statum, qui occasionem praebuit congregando concilio constantiensi, exhibet van der Hardt I, p. 2. Ceterum opera ejus prius relegebantur in Indicem ll. proh. ‚donec corrigantur' juxta censuras patrum: in novissima ed. haec prohibitio sublata fuit. Aliqua manserunt inedita, ut commentarius in Isaiam prophetam usque ad c. 60; aliquot epistolae, sermones. *Laudationem Franciae* et universitatis parisiensis primum edidit Denifle in Chartul. paris III. introd. p. XXXI—XXXVII magna ex parte eique asserit. Satira prorsus est adversus Joannem de Montesono (cf. p. 683).

400. Insignis theologus variis in disciplinis, nominatim in theologia scholastica, fuit Henricus de Gorcum vel de Gorrichem (quia oppidum Gorcum haud procul distans Rotterdamo in literis publicis vetustioribus Gorrichem dicitur) natus c. 1386, qui doctor fuit renunciatus in universitate parisina a. 1418. Coloniam venit a. 1419, ut rem literariam illic promoveret. Aedes primum conduxit aere suo atque philosophiam docere coepit, atque ita condidit gymnasium, cujus regens primus fuit ab a. 1420—31, quodque a suo successore Gerardo Terstege a Monte Domini Montanum fuit dictum magno discipulorum concursu illustratum. Ipse Henricus postmodum canonicatum in basilica s. Ursulae obtinuit et universitatis procancellarius a praeposito summae aedis metropolitanae in meritorum praemium fuit dictus. Vix autem credibile est eum fuisse ordinis Minorum, quod serio tuetur Dirks[1]) innixus, ut ait, inscriptioni operum ejusdem, quae eum Minoritam dicit. Decessit a. 1431. Plurima reliquit opera, ex quibus potiora sunt: *Conclusiones et concordantiae Bibliorum et canonum* in ll. magistri, additis ad distinctiones singulas summariis itemque erroribus magistri Parisiis et in Anglia damnatis, s. l. et a.; Coloniae 1489; 1502; 1513; 1516; Venetiis 1506 in f.; *quaestiones* in partes s. Thomae s. l. a. et typographi n. (Esslingae 1473); tr. *de praedestinatione et reprobatione;* accedit ejusdem tr. *de simonia* circa sepulturam accidente, Coloniae 1474; *tr. consultatorii* circa divinas et humanas actiones et quorundam Bohemorum errores emergentes... juxta doctrinam d. Thomae Aq., Coloniae 1503, quo in op. agit de nominibus divinis, de praedestinatione, de effectibus eucharistiae, de processionibus et festis, de bello justo, de decimis, de simonia, de potestate papae adversus Husitas; tr. *de casibus superstitiosis quibusdam* seu caeremoniis ecclesiasticis, Coloniae 1503 in 4; Lugduni 1621

[1]) Cf. Müntz (auctor protestans) N. de Clémanges sa vie et ses écrits, Strasbourg 1846; Oudin III, 2321 ss.; Fabricius I, 360 ss.: Lydius in sua ed. opp.; van der Hardt I, 2, 71—87; Feret IV, 275—95; Dupin Nouv. Biblioth. des Anteurs ecclés. XII, 78 ss., qui summam ejus operum exhibet; Bess Realenc. IV, 138—142.

[1]) In hist. littér. et bibliogr. des Frères Min. de l'Obs. de s. François en Belgique, Prélimin. XIV ss.

in 8; *de celebratione festorum,* Coloniae 1503; Lugduni 1621; *Positiones* in ll. Aristotelis de coelo et mundo; sequuntur qq. metaphysicae de ente et essentia, ib. 1502; *de modo conjurandi daemones,* in Malleo maleficarum, Lugduni 1669, sicut et tr. de superstitiosis quibusdam casibus; *Opus collativum* de quadam puella, quae olim in Francia equitavit, inter Gersonii op. IV, 859—63, in quo contra puellae aurelianensis missionem sententiam fert. Alia manserunt inedita[1]).

401. Haud ignotum est nomen Raymundi Sabundae (Sebunda, de Sabunde, Sebonde, Sabiende, Sant-Sebeide, Sebon etc.) Barcinonensis, non solum theologiae, sed et artium et medicinae doctoris. Juvenis Parisios est magister accitus, sed Tolosae substitit scholarium precibus detentus decessitque rector ejus academiae 1437. Neque aliud de ipso scimus[2]). Saepius prodiit ejus opus inscriptum in cod. vetustissimo: *Liber naturae* sive creaturarum, in quo specialiter tractatur de homine et natura ejus in quantum homo, et de iis, quae sunt necessaria ad cognoscendum se ipsum et Deum et omne debitum, ad quod tenetur homo et obligatur tam Deo quam proximo. Est quaedam theologia naturalis, quae saepe prodiit, s. l. et a. in f. (1484); Daventriae ante a. 1488; Argentorati 1496; Parisiis 1509, ed. ut dicitur princeps; Lugduni 1640 in 8; Venetiis 1581; Francofurti 1635; Sulzbach 1852 etc.; etiam in varias linguas versa. »Scopus auctoris fuit in hoc l., ut ad convincendos etiam eos, qui revelatae veritati nihil deferunt, omnes christiani dogmatis tam divinae in se quam communicatae homini in Verbo aeterno Dei naturae articulos a naturali veritate non esse absonos, imo naturalibus non incongrue confirmari posse argumentis ostenderet. Quod quidem arduum ac durum quibusdam visum, mollire conatus fuit laudatus supra Mich. de Montagne . . . quid in gallico l. *Les essais* insigne sui experimentum eruditis omnibus dedit, non theologiam solum ipsam gallice vertens, sed in versione Rotomagi 1603, etiterum 1641 edita pretium operae factum ostendens, scripto vulgari lingua ac saepius edito R. Sebundii sive theologiae hujus naturalis ab eo relictae *Apologetico,* quod Italis communicavit una cum Saggi l. altero Marcus Ginammi Venetiis 1633 publicatum[1]).« In prologo quidem nimium promittit, hominem scil. lumine suo naturali posse veritates revelatas assequi, hinc olim prohibitus legebatur in Indice tridentino: sed propterea dici nequit reformationis praecursor, scholasticae adversarius, cujus potius fructus forma

[1]) Cf. Hartzheim bibl. col. p. 119 s.; Kessel KL. V², 1706.

[2]) Cf. Fil. Cicchiti-Suriani sopra R. Sabunda teologo, filosofo e medico del sec. XV studio storico-critico, Aquila 1890.

[1]) Nic. Antonius Bibl. hisp. V. l. 10 c. 3 n. 119. Inter editiones hujus op. recenseri nequit illa Comneni, quae sub titulo *Oculus fidei* Amstelodami 1661 in 8 prodiit, nam pro arbitrio alia truncavit, alia de suo adjecit. Joerg KL. IX¹, 500: Überhaupt sind zu dem, daß die *natürliche Theologie* die Offenbarung durch bloße Vernunftgründe stützen will, die Beweise oft schwach und unhaltbar. Das Ganze, locker aneinander haftend, mehr erbauend als begründend dargestellt, geht über die schwierigsten Fragen mittelalterlicher Forschung leicht hinweg, nicht nur deren Spitzfindigkeiten, sondern auch ihre Tiefe und Gründlichkeit dem Zwecke allgemeinen Verständnisses opfernd . . . Überhaupt liegt Raymunds vorzüglichstes Verdienst in seiner Moral. Er hat Einheit und Geist in die mittelalterliche Ethik gebracht durch die consequente Durchführung seiner Grundpflicht der Liebe. Scheeben l. c. n. 1066 specialem ejus mentionem fecit wegen seiner freilich nicht ganz korrekten, aber gewandt und originell durchgeführten eigenthümlichen Verschmelzung der theologia supernaturalis mit der theologia naturalis. Cf. Stöckl KL².X, 757; Schaarschmidt Realenc. XII², 547—554.

vulgi captui accommoda proponere voluit. Hujus veluti compendium est *De natura hominis* seu viola animae per modum dialogi inter R. Sebundium ... et Dominicum seminiverbium de hominis natura, propter quem omnia facta sunt tractans ad cognoscendum se, Deum et hominem, stilo cultius a Dorlando O. Carth. elaboratum, Toleti 1500; Coloniae 1501; Lugduni 1568.

402. Praetermissis vero Henrico de Eimbeck (Eymbeck), Saxone, qui dictus est magister Engelus, philosophiae et theologiae professore pragensi (a. 1373) haud exiguae vulgarisque doctrinae scholasticae, quique vixisse fertur ad a. 1430. — Joanne Ernesti Germano gymnasii heidelbergensis decore et rectore, qui floruit tempore concilii basileensis scripsitque de auctoritate concilii generalis, quaestiones sententiarum, qq. disputatas etc. — Joanne Tinctoris[1]) theologiae professore in academia coloniensi (1434), qui non solum magistrum sententiarum, sed 1. p. et 1. 2. Summae s. Thomae commentariis (ineditis) illustravit, et dissensiones Thomae et Joannis Scoti nisus est concordare: jam ad viros religiosos[2]) veniamus. Inter sodales s. Dominici tandem post multa decennia reperimus theologum vere eminentem scil. Joannem Capreolum, strenuum s. Thomae apologetam, qui honoris causa *princeps thomistarum* salutatur. Patria fuit Occitanus, a provincia, cujus sodalis erat, Tolosanus cognominatus. Parisiis sententias legit 1409 laureamque promeruit. Studium postea generale tolosanum rexisse ferunt, sed jam a. 1426 in domum ruthenensem (Rodez) se receperat egregiis illis in sententiarum ll. commentariis scribendis ac perficiendis totus incumbens, quos tandem a. 1432 finivit. Prodiit hoc opus in theologia thomistica classicum Venetiis 1483 t. 4 in f.; 1514; 1519; 1589 t. 4 ed. rara (m. 400) cura Matth. Aquarii hac inscriptione: *In ll. sententiarum amplissimae qq.* pro tutela doctrinae d. Thomae ad scholasticum certamen egregie disputatae: nuper castigatae et corroboratae auctoritatibus s. Scripturae, conciliorum et ss. PP., atque illustratae quam plurimis aliis opinionibus theologorum ... auctore harum additionum F. Matthia Aquario (I^2, 49). Nova ed. coepit prodire Tours 1901 ss. Adeo fideliter s. doctoris inhaesit sententiis, ut dictus sit *anima d. Thomae,* easque tuetur adversus Henricum gandav., Warronem, Scotum, Aureolum, Durandum, Jo. de Ripa, Guidonem O. Carm., Occamum, Gregorium arim. ceterosque nominales ejus impugnatores[1]), neque sodalibus, claris alioquin, ut Herveo et Petro Paludano parcit. Paulus Soncinas († 1494) et Silvester Prierias illud in compendium redegerunt, ut infra dicemus. Decessit Capreolus 6. Apr. 1444. — Ex ejus sodalibus mentione adhuc dignus est: Joannes Brasiator de conventu Frankensteinensi magister in theologia, vicarius et refor-

[1]) Distingui debet ab eo Nicolaus Tinctor, cujus prodiit 1486 commentarius *in summulas logicales* Petri Hispani († 1498).

[2]) Guilelmi Smetii O. Cist. de Bassevelde in Flandria, monasterii in Thosan abbatis summa theologiae scholasticae t. 3 distincta prodiisse non videtur.

[1]) Scheeben l. 1. n. 1071: Die Darstellung ist scholastisch im strengsten Sinne des Wortes, aber mit solcher Kunst gehandhabt, daß sie eben der kürzeste und packendste Ausdruck für die Entwickelung der Gedanken wird, und die Härte nur die Wucht der geführten Schläge vermehrt. Um das geistige Ritterspiel der damaligen Zeit in seiner vollen Pracht und seinem ganzen Umfang zu schauen, gibt es kein besseres Werk als dieses. Cf. Werner der hl. Thomas III, 151-244; Hundhausen KL. II², 1926; praesertim Revue Thomiste 1899, p. 68 ss.; 317-334; 507 ss. et Ude, doctrina Capreoli, Graecii 1905.

mator conventus wratislaviensis, per dioecesim wratislaviensem inquisitor ac provinciae Poloniae prior († 1446), qui scripsit super Pentateuchum, sententias etc. — Ex Minorum familia nullus illustrioris nominis comparet, etsi plures sententiarum magistrum commentati sunt, ut Joannes Garia (Garsias, Garzias) de Castroxeris Aragoniae provinciae, in studio tolosano theologiae ultra 30 a. professor, qui hujus universitatis procurator et nuncius interfuit conc. pisano et constantiensi. Scripsit Regimiento de Principes et commentaria in 4 ll. sententiarum. — Nicolaus Lackmann (Lockmann) in Saxonia minister provincialis, qui interfuit concilio basileensi. — Antonius Niger (al. Nerius) Aretinus O. Min. Conv., qui paulo post ad Minores reg. obs. sub s. Bernardini regimine florentes transiit. Doctor erat parisiensis et magister theologiae in academia florentina eumque a. 50 concionatoris munere functum esse legimus († 1450). — Petrus de Colle Germanus, qui interfuit concilio basileensi, in quo postquam multum disputavit de concilii auctoritate, demum pro concilio concludit [1]). Tribuuntur ei et *Sermones,* quorum forte plures juxta Sbaraleam prodierunt suppreso auctoris nomine. Floruit c. 1440.

403. Ex ordine s. Augustini mentione digni sunt: Paulus de Venetiis [2]), a familia Nicolettus dictus, in epitaphio Patavii ipsi erecto *theologorum monarcha* salutatus, qui sacris literis operam dederat Oxonii. In Italiam reversus doctrina, concionibus et moribus ita emicuit, ut a Gregorio XII., deficiente generali, ordinis vicarius fuerit institutus; pluribus dein in conventibus lectorem egit († 15. Jun. 1429). Disputavit contra Judaeos, Graecos, Fraticellos, in primis adversus Porcarium haeresiarcham erroribus universam Etruriam infestantem, quem ad silentium redegit: propter quam victoriam legitur a Venetorum senatu patritiorum ordini aggregatus. Neque solum in theologia excelluit, sed et in philosophia, in qua dicebatur ‚philosophorum princeps,' nullique suo tempore secundus, imo vel medicinae lauream Patavii promeruit. Multa reliquit scripta: Theologica, ut commentaria in 4 ll. sententiarum, de incarnatione Dei, de excellentia Verbi Dei, de conceptione V., l. contra Judaeos etc., quae inedita manserunt; ex philosophicis plura prodierunt, ut *Summa philosophiae naturalis* seu de naturalibus, Venetiis 1476 in f.; expositio *in ll. posteriorum* Aristotelis, Venetiis 1477; 1486; ll. 2 super ll. *de generatione et corruptione,* ib. 1498 in 12; super l. *de anima,* Papiae 1483; l. *de compositione mundi,* Parisiis 1513; *Logica magna* cum commentario Menghi Blachinelli, Tarvisii 1476; Venetiis 1480; 1483; 1499; 1520; cum annotationibus marginalibus 1565 in 8., quae adeo in pretio habita fuit (cum ejus logica parva), ut patavina academia apposito decreto illam publice legendam declararit; *Universalia praedicamenta* sexque principia, Venetiis 1494 in f.; *quadratura circuli,* ib. 1493 in f.; *sophismata,* Parisiis 1514 etc. — Joannes Stringarius s. Theologiae doctor cum aliis 14 sodalibus interfuit concilio florentino contra Graecos disputaturus. Ejus commentaria in magistrum non prodierunt. — Henricus de Gauda (Gaudanus) circa a. 1435 docuit Heidelbergae et reliquit commentarium in

[1]) Pro defensione hujus concilii scripsit Hermannus de Campo veteri O. Cist. patria Westphalus, qui et alia scripta juxta Trithemium c. 792 reliquit (inedita).

[2]) Eodem tempore floruerunt alii duo, quibus nomen Paulus venetus, unus Serv. b. Mariae V. insignis concionator familiae Albertini († 1475); alius dictus etiam Pergulensis (della Pergola), lector philosophiae Venetiis, qui dicitur obiisse 1451. Cf. de his tribus accurate disserentem Tiraboschi VI, p. 1 l. 2 c. 2 n. 2 ss.

l. 1. magistri sententiarum. — Lucas de Offida Picenus, episcopus ajacensis (1429—38), cujus commentaria in 4. ll. sententiarum non aspexerunt lucem. — Joannes Zachariae juxta quosdam Erfordiensis, juxta alios Helvetus post absoluta Oxonii studia et adeptam Bononiae lauream professor in universitate erfordiensi interfuit concilio constantiensi, in quo saepe cum Joan. Hus disputavit ejusque errores ita contrivit, ut Husomastix cognominaretur et a summo pontifice rosa aurea, quae alioquin principibus mittitur, donaretur. Aliquoties munus provincialis Saxoniae non sine laude obiit. Decessit hoc academiae erfordiensis ornamentum 25. Jul. 1418. Plura composuit opera; praeter commentaria in magistrum sententiarum, etiam commentaria in Genesim, Exodum, Leviticum, in epistolas Pauli et Apocalypsim, tr. de immaculata conceptione etc., quorum tamen nullum fuit impressum [1]). — Augustinus de Favaronibus (Favorini) Romanus, hinc vulgo de Roma dictus, s. theologiae magister encomiis a sodalibus celebratur, et revera ob insignem virtutem, prudentiam, eruditionem in magistrum ordinis generalem a. 1419 fuit electus atque a. 12 summa industria ordinem rexit reformationemque promovit. Ab Urbano VI. selectus fuit inter theologos, qui s. Brigittae revelationes ad trutinam revocarent; ab Eugenio IV. creatus est archiepiscopus nazarenus (1431) et administrator ecclesiae caesenatensis († 1443). A sodalibus beatus salutatur. Plurima reliquit eruditionis monumenta (inedita), commentaria in ep. s. Pauli et VII canonicas, in Apocalypsim, in Magistrum, in ll. Ethicorum Aristotelis, tr. pro immaculata conceptione, de principatu et potestate papae etc. Notandum tamen est concilium basileense opus quoddam hujus auctoris audita relatione Jo. de Turrecremata reprobasse, quod doctrinam non sanam et erroneam in fide contineret. Complectebatur illud opus tr. tres *de sacramento unitatis* J. Christi et Ecclesiae, *de Christo capite* et ejus inclito principatu, *de caritate Christi* erga electos et de ejus infinito amore [1]). Appellavit quidem auctor ad Eugenium IV., qui illud examinandum theologis tradidit, quorum judicium von videtur auctori favisse, legebatur enim olim (etsi ineditum) in indice tridentino ‚donec expurgetur.'

404. Ex Carmelihorto plures sententiarii occurrunt: Jacobus Alberti Italus, restaurator disciplinae collapsae († 1426). — Albizus Azolinus vitae sanctimonia decorus († 1428). — Joannes Barninghamus (idem ac Bernegamus) Anglus, Oxonii et Parisiis magister ingenii acuti († 22. Jan. 1438). — Nicolaus Bothleshamus Anglus, qui Parisiis inter sorbonnicos et Cantabrigiae theologiam docuit († 1435). — Anelli (Agnellus) theologiae magister Neapoli, episcopus acciensis in Corsicae insula (1421; † 1441), qui forte non est alius ab Agnello de Augustinis (sive Angelino) lectore theologiae, viro venerabili et s. vitae pariter O. Carm. et 1438 obiisse dicitur. — Bartholomaeus de Racoli (Raccolius, Roqvacallius) Tolosanus, prior generalis (1224) et episcopus massiliensis (1433; † 1445). — Joannes Barat (Barac) Belga, professor parisiensis c. a. 1430, qui et Thomam Waldensem in compendium redegit et de revelatione, utilitate et canone ss. Scripturarum disseruit. — Bernardinus Sampson (Sanson etc.) lector biblicus et sententiarius Parisiis, vicarius et procurator generalis ordinis († 25. Sept. 1439), qui com-

[1]) Cf. Lauchert Allg. d. Bi. XLIV, 632.

[1]) Cf. Mansi XXIX, 108 s.; Hardouin VIII, 1199 s. et Fleury H. E. l. 106 § 147. ubi reperies novem ejus propositiones male sonantes; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 1. § 17; Streber KL. I, 1688.

mentaria in magistrum et glossas in aliquot ll. s. Scripturae reliquit; ita et Jacobus Vilheti (Villeti) Avenionensis, doctor parisiensis, ordinis vicarius generalis, qui interfuit concilio basileensi. — Thomas Multoris († 1434) Turonensis. — Joannes de Praga[1]) vel de Florentia theologiae professor et Eugenii IV. poenitentiarius († 17. Sept. 1435). — Quibus adde Guilelmum Beckley Anglum († 1438), cujus laudantur quodlibetorum l. unus, et quaestionum ordinariarum l. unus. — Henricum Bock episcopum myrensem, suffraganeum spirensem (1426; 14. Oct. 1443), qui magistrum sententiarum, ut in epigraphe sub ejus effigie in aula hospitum Carmeli coloniensis depicta legimus, doctissimis commentariis illustravit. Horum omnium labores sunt inediti. — Regulares non fuere Urbanus mellicensis in academia viennensi artium magister diligens, suae facultatis decanus, et universitatis rector, dein theologiae doctor et professor († 1436), cujus memorantur commentarii in ll. sententiarum[2]). — Narcissus Herz Bavarus in universitate viennensi diu philosophiae, dein et theologiae professor, canonicus ad s. Stephanum, vir in illa academia magnae auctoritatis († 1442), qui reliquit commentaria in 1. et 2. l. sententiarum. — Ita et Joannes Himmel de Weits, Joannes Coeli cognominatus, philosophiae magister in academia viennensi, dein et theologiae, necnon et canonicus, qui nomine ducis Alberti V. interfuit concilio basileensi († 11. Nov. 1450). — Joannes de Lucena Joanni Lusitaniae regi a consiliis vulgari sermone dialogum composuit *de beata vita*, quo inquirit, in quonam consistat vita beata hominis, Burgis 1499; Medinae Campi 1541. in 4. — Joannes Plaeth natione Teutonicus, juxta Trithemium SE. c. 763 »gymnasii heidelbergensis decus et columna, vir . . . in philosophia aristotelica nobiliter doctus . . . vita et conversatione (quantum secularis patitur status) insignis, in declamandis sermonibus ad populum doctor egregius«. Claruit 1430.

405. Jam transeamus ad theologos *polemicos*. Paulus a s. Maria, a patria urbe Burgensis dictus, natione et religione erat olim Judaeus Salomon Ben Levi appellatus, et ut ipse putabat, de tribu Levi. Egregie erat in literis philosophorum atque theologorum instructus ideoque eminens inter legis mosaicae magistros habitus. Lecta, ut fama est, ea parte summae s. Thomae, quae de legibus tractat, divinoque illustratus lumine legis christianae veritatem agnovit eamque est amplexus multosque viros et mulieres suo exemplo ad Ecclesiae gremium traxisse dicitur. Baptizatus est cum matre, fratribus et filiis a. 1390 a. aetatis 40. cognomento sibi s. Mariae cooptato. Profectus legitur Parisios ibique doctoris pileum suscepisse: interim archidiaconus factus est in ecclesia burgensi, carthaginensi ecclesiae paulo post (1402) praeficitur, indeque ad burgensem est translatus (1415). Magna fruebatur gratia apud reges Henricum III. et ejus filium Joannem II., cujus erat institutor, qui eum archicancellarium constituerunt: erat enim insignis consilii profundaeque vir prudentiae ac secretorum retinentissimus. Interfuit etiam conc. constantiensi. Composuit senex a. 82 *Scrutinium Scripturarum* ll. 2 forma dialogi inter Saulum et Paulum, quorum prior est polemicus contra Judaeorum errores, posterior didascalicus inter

[1]) Eodem tempore alius vixit Joannes de Praga seu potius de Bucca magister facultatis juridicae pragensis, episcopus Luthomislensis (1392), dein olomucensis (1418) ed administrator dioecesis pragensis (1421), creatus a Martino V. cardinalis (1426; † 9. Oct. 1430), cujus superesse dicuntur casus summarii super decretales (inediti).

[2]) Cf. Aschbach Gesch. der Univ. Wien I, 445.

magistrum Joannem et discipulum. quo ille hunc instruit de iis, quae in scrutinio Scripturarum mira declaratione que digna reperisset. Prodiit s. l., nom. typ. et a. (Argentinae 1469; 1471); Mantuae 1475 ed. princeps; Moguntiae 1478; Burgis 1591; cum ipsius vita ed. Christoph. Sanctotisio O. S. Aug. vicario generali etc. Adjecit praeterea (bona intentione) *additiones* notabiles ad postillas Nic. Lyrani (p. 558) in totam Scripturam, in quibus Talmudis placita haud raro exagitat Judaeosque oppugnat[1]). Prodierunt eae passim cum Lyrani postillis praecipue in ed. lugdunensi 1590 etc. Eas aggressus est stilo nimis acri et indigno Matthias Doringius[2]) in suo *Defensorio Nicolai Lyrani,* quod etiam inscripsit *Correctorium corruptorii* seu replicas, passim editum cum postilla et Pauli additionibus, ut Basileae 1507. Nostri etiam sunt qq. XII *de nomine tetragrammato* desumptae ex additionibus ad Ex. 3, recusae ad calcem l. Jo. Drusii de tetragrammato cum ejusdem scholiis, Franequerae 1604 in 8; in criticis sacris anglicanis et in Hadr. Relandi decade exercitationum philologicarum de vera pronunciatione nominis Jehova, Trajecti 1707 in 8 p. 121-50. Obiit Paulus[1]) senex 83 a. 29 (juxta alios 25) Aug. 1435.

406. Contra errores Waldensium *obviationes s. Scripturae* scripsit a. 1444 (verius jam a. 1395) Petrus Engelhardi parochus in Pilichsdorf, Germanus, doctor et magister theologiae in academia viennensi, quinquies facultatis theologicae decanus et etiam rector; et l. *contra pauperes de Lugduno.* Priores integras et posterioris fragmentum edidit Jac. Gretser (cum aliis) Ingolstadii 1613 in 4, unde recusae sunt in bibl. PP. lugdunensi XXV, 277—99; et inter ipsius opp. XII. 2, 49—87. — Adversus Wicleffitas scripsit Philippus Repington (Repyngdon) nobilis Anglus, qui in juventutis flore ab illis, quorum contubernio utebatur, deceptus eorum erroribus adhaesit, imo et *defensorium Wicleffi* praeceptoris sui composuit. Postea tamen errorem agnoscens veniamque deprecatus, in solemni concione Londini habita revocavit (1382), et e suggestu descendens ante summi altaris gradus positis genibus inspectante et audiente populo palinodiam cecinit abjuratisque 24 erroneis articulis ad saniorem mentem rediit ac praecedentis vitae errata pie instituta sancteque transacta senectute obliteravit. Regulam s. Augustini Leincestriae amplexus est, et cum pietate, virtute et doctrina emineret, electus est in abbatem, mox in episcopum lincolniensem, demum a. 1408 a Gregorio XII. in cardinalem[2]). Wiclefitas viva voce et scriptis impugnavit, concilio constantiensi interfuit et a. 1434. decessit. Scripta ejus non videntur prodiisse. — Contra Husitas pugnavit Andreas de Broda

[1]) Rich. Simon Hist. crit. du V. T. L. 3 c. 15. ita de eo censet: Il reprend quelquefois assez bien les fautes de de Lira, et il avance même de tres-bons principes, qui peuvent servir à l'intelligence des Livres Sacrés. Mais parce qu'il a suivi la méthode de ceux qui disputent les uns contre les autres avec chaleur, il a rempli son Ouvrage d'inutilités; de sorte qu'il y a bien du tems à perdre, si on veut le lire tout entier. Infra etiam defectum subinde accurationis in usu librorum rabbinorum notat, in quibus ceteroquin bene erat versatus. Cf. Hist. crit. des principaux comment. c. 33.

[2]) De M. Doering O. Min. († 1469) infra plura dicemus. De eo R. Simon l. cit. circa hanc controversiam notat: Cet Auteur n'etoit pas assez sçavant dans la Critique ni dans la Langue Hebraïque, pour juger des difficultés, qui étoient entre N. de Lira et Paul de Burgos. Aussi n'y a-t-il presque dans tout son Ouvrage que des emportements et des marques d'ignorance.

[1]) Cf. plura in Nic. Antonii bibl. veteris hispanae l. 10. c. 5 n. 270 ss.: Hoberg KL. IX² 1713.

[2]) Cf. KL. XII², 1448 s.

(probabiliter) de Broda teutonica (Deutsch-Brod), theologiae doctor et professor pragensis, cujus studio tribuendum est, ut in comitiis cleri et universitatis a. 1412 jussu Wenceslai IV. habitis, Husii errores bulla Alexandri V. 20. Dec. 1409 damnati reprobarentur. Interim factus est canonicus ecclesiae cathedralis 1414. retenta tamen cathedra. Cum Jacobus de Mies[1]) seu de Strziebro necessitatem communionis sub utraque specie tueretur, restitit Andreas edita disputatione contra *communionem s. coenae sub utraque specie,* quam edidit van der Hardt in Conc. const. III, 338—415, cui ille prolixas opposuit vindicias (ib. p. 416—585). Occupata urbe ab Husitis (1421) Zittaviam secessit, ubi et obiit a. 1427. Alia ejusdem scripta sunt: *Contra objectus Husitarum,* quod sic incipit: ‚De clero pestifero' etc. apud Loserth Beiträge zur Geschichte d. husitischen Bewegung, Wien 1889. IV, 56—58; tr. *de origine Husitarum* apud Hoefler Geschichtsschreiber der husit. Bewegung II, 327–53. — Joannes de Polemar (Palomar, vitiose Pilombar, Polmarius) Hispanus, doctor decretorum in academia viennensi. archidiaconus barcinonensis et apud Eugenium IV. s. palatii causarum auditor, interfuit concilio basileensi: a. 1433 disputavit triduo *de temporalitate Ecclesiae,* qua disp. refutavit art. 4. Bohemorum de dominio civili clericorum, quo negabant Ecclesiae licere bona possidere temporalia. Eam exhibent Canisius lect. antiq. IV², 710; Labbe t. XII; Hardouin t. VIII, 1825—1904 et Mansi XXIX, 971—1104. Cum aliis a concilio saepius in Bohemiam destinatus fuit, qui cum gentis illius coetu coram agerent. Scripsit praeterea libellum ad Sigismundum imp. de procuranda decisione piae sententiae asserentis b. Virginem conceptam fuisse sine macula. In recensione actorum conc. basileensis vulgata a Schoepflino in comment. hist. crit., Basileae 1741, exhibetur p. 541 Jo. de Palomar s. Palatii auditoris dialogus cum Joanne discipulo in eodem conc. a. 1433. *de auctoritate papae*[1]). Quaestionem, *cui parendum est,* an ss. D. N. papae Eugenio IV. an concilio basileensi tamquam superiori, edidit primum Döllinger Beiträge zur politischen, kirchlichen und Kulturgeschichte der sechs letzten Jahrh., Ratisbonae 1863. II, 415—41. »Ex praemissis, infert auctor, colligitur dilucidissime D. Eugenium papam non esse haereticum reputandum, sed ei tamquam vero et indubitato vicario J. Christi, b. Petri ap. successori obediendum esse; item Basileae non esse generale concilium, nec ibidem exsistentes pro talibus reputandos etc.« Tanti eum fecit Julianus Caesarini, concilii basileensis praeses, ut se a concilio absente eum sibi substituerit in praesidio cum Joanne de Ragusa. — Joannes Lagenator de Dyppurg vulgo Jo. de Francofordia dictus Parisiis operam dederat studiis, a. 1401 tamquam magister parisiensis Heidelbergae fuit receptus, ubi intra a. 1404—1414 gradus promeruit theologicos. Cathedram theologiae rexit terque illi academiae praefuit rectoris munere. Factus est canonicus et ecclesiastes ecclesiae spirensis atque hae-

[1]) Hic erat theologiae magister et pastor pragensis a statura parva dictus Jacobellus, cujus plura exstant de hoc errore libelli, necnon de purgatorio animarum et de vera exsistentia corporis et sanguinis Christi in sacra coena, apud Hardt conc. const. t. III., Obiit 9. Aug. 1429. Cf. de Andrea Borowy KL. II², 1315.

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. vet. hisp. l. X. c. 4 n. 167 ss.; Fabricius IV, 404; Knöpfler KL. VI², 1743. Plura discere licet pro historia concilii basileensis praesertim circa acta cum Bohemis ex *libro diurno* Petri Zatecensis (ed. a Palacky in Monum. conc. gen. I, 289—357), sed auctor fuit Husita, qui ab Ecclesia romana defecerat et pro illarum partibus acriter stabat. Alia vitae ejusdem fata nos latent. Narrat autem quae contigerunt a 4. Jan. — 14. Apr. 1433.

reticae pravitatis constitutus inquisitor. Disputavit contra Husitas, quorum errores vel Heidelbergam usque penetrarunt. Hieron. Pragensem, contra scabinorum occulti judicii (Feymeros Vehmrichter) superstitionem etc. Vir magnae auctoritatis erat in academia heidelbergensi († 13. Maj. 1440). Ex pluribus ejusdem scriptis prodiisse videntur tantum *Sermones* perbreves, sed multum notabiles et formales de tempore, Ulmae s. a. at n. typographi[1]). — Contra Fratricellos plures tr. (ineditos) emisit Gabriel de Garofolis OSA. Spoletanus, qui regens studiorum Bononiae interfuit concilio pisano. Creatus est episcopus nucerinus 8. Jun. 1429, decessitque 16. Jul. 1433.

407. Hos omnes praecellit Thomas Netter O. Carm. vulgo Waldensis cognominatus ex vico Walden in Anglia c. 1380 ortus. Oxonii studiis operam dedit atque lauream doctoratus promeruit. Ab Henrico IV. ad conc. pisanum a. 1409 fuit missus, in quo pro schismate tollendo strenue disseruit et adversus Gregorii et Benedicti partes fortiter disputavit. Henrico V. erat a confessionibus et consiliis. Contra Wicleffum pugnavit verus fidei pugil, adeo ut regem inter concionandum socordiae in puniendis haereticis acriter increpare non sit veritus. A rege missus est nuncius et orator ad concilium constantiense 1415, et 1419 ad Poloniae regem et Michaelem ordinis teutonici magistrum pro componenda pace. Qua occasione Witholdum Lithuaniae ducem ferocem alioquin tyrannum ad fidem convertit. Dum Viennam transiret, multa se ab Hebraeis didicisse testatur, quae ad sacramentum poenitentiae illustrandum et confessionem probandam spectant. Henricum VI., cui pariter erat a confessionibus et a secretis, comitatus est Parisios ad coronationem, quo in itinere decessit Rotomagi 3. Nov. 1430. Praefuit sodalibus provincialis munere. ‚Doctor praestantissimus' salutatur, haereticorum omnium malleus, non tam Waldensis quam Validus Ecclesiae ensis nuncupandus etc. et inter praecipuos ordinis theologos numerandus. Plurima reliquit scripta[1]), ex quibus prodiit (intra a. 1415—1429) quod instar omnium est, *Doctrinale antiquitatum fidei* ecclesiae catholicae adversus Wicleffitas et Husitas t. 3 (ex quatuor), in quorum 1. agit de Deo, Christo, Petro, Ecclesia atque religiosis; in 2. de sacramentis; in 3. de sacramentalibus. In 4., qui tamen non prodiit, cogitavit agere de jejuniis, indulgentiis, juribus et immunitatibus ecclesiasticis. Opus suum Romam misit ad Martinum V. pro approbatione. Prodiit Parisiis 1521—32 t. 3; Salmanticae 1566; Venetiis 1571 t. 3 in f. brevibus J. B. Rubei annotationibus illustratum; 1757—59 cur. Bonav. Blanciotti t. 3 in f. ed. praestans. Ejus etiam esse videtur *Fasciculi zizaniorum* mag. Jo. Wyclif cum tritico, ed. cura W. Shirley inter rerum brit. med. aevi SS. n. 5., Londini 1858. Propter affinitatem autem errorum Wicleffitarum et Husitarum cum innovationibus protestantium Thomae opus verum fuit armamentarium pro theologis polemicis sequentis aetatis.

408. Contra Graecos disputarunt sagaciter et solide aliquot theologi in concilio florentino, quorum sermones referuntur in illius concilii actis. Inter hos praeprimis nominandi sunt duo. Summis aequalium encomiis extollitur

[1]) Cf. Franz in op. Der Magister Nik. Magni de Jawor, Freiburg i. Br. 1898 p. 84-87. Alium Jo. de Francofordia O. Praed. laudat Quetif I, 795, quem interfuisse narrat conc. constantiensi, disputasse verbo et scripto adversus Hieronymum de Praga, exposuisse l. Job. et floruisse c. 1440.

[1]) Ea (49) diligenter recensent Villiers II, 833—42; Oudin III, 2214. Cf. Seeberg Realenc. XIII³, 749—753.

Julianus Caesarinus (Cesarini) doctrina, eloquio, rerum experientia, judicii acrimonia, vitae integritate gestisque pro sede apostolica illustris: quem Aeneas Silvius in ep. 52 ad Philippum Mariam ducem mediolanensem „virum sui temporis eloquentissimum, eruditissimum ac prudentissimum appellat, utpote qui spiritum nobilissimum et ad omnia, quaecunque ageret, divinitus aptum gereret.“ Hic florenti adhuc aetate jurisprudentiam in celebri gymnasio patavino aliquamdiu publice summaque cum laude docuit, atque celebrem Nic. Cusanum discipulum habuit. Ex protonotario apostolico et referendario signaturae pontificiae a Martino V. cardinalis diaconus creatus est 26. Maj. 1426, sed non publicatus nisi 8. Nov. 1430, ac legatus missus in Bohemiam ad reprimendos Husitas: pugna tamen cum ipsis infelicem habuit exitum. Ab Eugenio IV. ad concilium basileense missus praeses ejusdem est destinatus. Acribus literis pontificis adventum sollicitabat, verum Eugenius conventui illi non fidens concilium Ferrariam primum, mox Florentiam transtulit. Julianus ipse prius quidem ex parte concilii stetit, sed perspiciens plurium praelatorum aliorumque, qui Basileam convenerant, dolosa consilia, ad Eugenium se contulit. Hic eum destinavit ad excipiendum Joannem Graecorum imperatorem cum magno comitatu ad concilium adventantem. In hoc concilio eximia Juliani doctrina et studio effectum est, ut Graeci cum Latinis in dogma de processione s. Spiritus ex Patre Filioque conspirarent. Qua de re ita refert testis dignissimus card. Bessarion ad Alexium Lascarem imp.: „Quoad orationem nos excepit in omnibus vir optimus et admirabilis, et latinae gentis simulacrum et ornamentum naturae Julianus S. R. E. cardinalis dignissimus, qui multa et pulchra dicens et ad propositum argumentum adeo validis, manifestis et claris demonstrationibus problema absolvit, ut ostenderet, licere veritatem semper apponi divino symbolo synodice et vocante necessitate, ita ut nos pluribus diebus meditantes nihil ad haec respondere potuerimus[1].“ Concilio absoluto ab Eugenio in Poloniam et Hungariam legatus mittitur pro bello adversus Turcas urgendo, verum in clade infelici 10. Nov. 1444 cum rege Ladislao occubuit[2]) a. natus nonnisi 46. Reliquit scripta pro sede apostolica, sed inedita: orationes vero plures et disputationes insertae leguntur in actis conciliorum basileensis et florentini.

409. Alter theologus solertissimus est Joannes de Montenigro vel a familia vel a patria in Etruria ad oram maris Tyrrheni non longe a Pisis et Ligurno sic dictus. Ordinis erat Praed., philosophus subtilis, profundus theologus, graecae linguae peritus in paucis, in disputationibus acer suique compos. Diu rexit provinciam Lombardiae, unde in conciliis tunc coactis, quibus jussu pontificis affuit, saepius F. Joannis provincialis sine addito mentio occurrit. Primum interfuit concilio basileensi, in quo exhibuit patribus tr. de conceptione b. Virginis, quam negat fuisse immaculatam. Praecipua capita referri ajunt in op. gemino sodalis Jo. de Turrecremata. Fortiter stetit pro juribus sedis apostolicae, quam ob rem ipse et Turrecremata dicuntur ab Ambrosio Traversari „duo invicta

[1]) Apud Eggs Purp. docta III, 102, quem cf. fusius gesta hujus insignis cardinalis enarrantem p. 83-103; Hefele Conciliengesch. VII, 426 ss.; 660—737; KL. III², 26 ss. Legantur etiam praeclarae de ipso epistolae Ambr. Traversari I, 12 et III, 35; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 1. § 11. Vitam italice scriptam a Vespasiano florentino edidit Ughelli in episcopis grossetanis (fuit enim ab Eugenio IV. episcopus grossetanus electus) Italiae sacrae III, 671 ss. Senior est dictus, ut distingueretur a Juliano Caesarino juniori, qui cardinalis obiit a. 1510.

[2]) Cf. Aegidus Charlier *de morte Jul. Cesarini*, in Baluzii Miscell. III.

propugnacula insipientibus conatibus objecta (I ep. 15).« Hinc desciscentibus patribus ab Eugenio IV. continuo se ab iis segregavit et ad pontificem se contulit. Delectus vero est cum aliis theologis, qui cum Graecis in concilio florentino intellectuale iniret certamen de doctrinae capitibus controversis primasque partes habuit in disputatione de processione Spiritus s. ex Filio, ut ex actis liquet[1]). Quamdiu autem concilio supervixerit, non constat. — Socium in hac pugna habuit plane idoneum Andream Graecum non gente solum, sed et schismaticis ortum parentibus. Literis humanis et divinis egregie institutus linguam addidicit latinam lectisque patrum utriusque Ecclesiae operibus veritate agnita schisma abjuravitatque ordinem est ingressus Praedicatorum. Tum vero ad sedem Rhodiorum seu colossensem promotus affuit conciliis constantiensi, basileensi, et hoc ob spiritum oppositionis relicto, florentino. Comes legati apostolici ad Graecorum aulam multum pro adducenda concordia laboravit. A Juliano card. inter sex illos receptus est theologos, qui totidem graecis objecta sua proponentibus responderent, hinc plures habuit disputationes doctas et solidas, quae inter ejusdem concilii acta referuntur. Post concilium missus fuit a pontifice in Cyprum insulam qui unionem promoveret et devios adhuc et dissidentes ad frugem revocaret, quod strenue persecutus est et perfecit. Quamdiu adhuc supervixerit, nobis non constat[2]). Quatuor ejus assertiones adversus Graecos inseruit Bzovius annalibus ad a. 1438 § 8; orationem vero in conc. basileensi habitam nomine pontificis in textum: *Non sit schisma in corpore* (1. Cor. 12, 25) reperies apud Mansi XXIX, 468—481; fragmentum ex dialogo adversus Marcum Eugenium, quem fortiter solebat refellere in conc. ferrariensi et florentino, apud Migne P. G. CL, 862.

410. Neque praetermitti debet Ambrosius Traversari O. Camald., qui ex Porticu oppido non procul Florentia prodiit. In literis humanioribus, graecis praesertim magistro Emmanuele Chrysolora[1]) egregie erat institutus. Puer a. 14 ingressus est ordinem (1400) in eoque adeo eminuit, ut electus fuerit a. 1431 in abbatem generalem. Magna sollicitudine illius restaurare nisus est spiritum. Ab Eugenio IV. ad concilium basileense 1435 missus strenue pro pontifice stetit. Concilio Ferrariam, dein Florentiam translato linguae graecae peritia ad concordiae negotium multum contulit. Habuit orationem graece coram imperatore Graecorum, qui fassus est, latinorum neminem linguam graecam adeo callere ut Ambrosium. Ipsi (cum Bessarione) concreditum fuit munus redigendi unionis formulam.

[1]) Cf. Quetif I, 799. Egregias disputationes habes in actis conc. Alius est a Joanne Ragusio, de que mox p. 832.

[2]) Cf. Quetif I, 801 ss.; Hergenröther in Photii mystagogia p. 146 ss. qui ejus orationem Ferrariae in sess. 7. habitam multum laudat; Hefele Conciliengesch. t. 7 § 810; O. Schmid KL. I, 835.

[1]) Emmanuel Chrysoloras illustris Graecus, cui Italia graecas literas restitutas fere debet. Eum Joannes Palaeologus legatum Venetias misit ad auxilium implorandum adversus Turcas. Patavii literis latinis operam dedit, historiae naturali et mathesi. Venetiis primum literas graecas docuit, deinde Florentiae, quo a. 1396 evocatus fuit magno auditorum suorum profectu. Interfuit concilio constantiensi atque Constantiae obiit 15. Apr. 1415. Liturgiam Gregorii M. graece vertit et de processione Spiritus s. disputavit. Magna erat ejus celebritas et fama per universam Italiam. Ejus scriptorum exstant tantum tres *epistolae* Migne CLVI, 23—60, in quarum 1. ad imperatorem comparationem instituit veteris et novae Romae. Ibi etiam reperis ejus vitam p. 9—23 et Fabricii notitiam literariam, qui notat eodem fere tempore tres vixisse hujus nominis: Manuelem, Joannem et Demetrium. Cf. R. Sabbadini L'ultimo ventennio della vita di M. Crisolara in Giornale ligurino XVII (1890), 321—336.

Obiit 21. Oct. 1439 magno pontificis dolore, qui lacrymas suas continere non valens identidem ingeminavit: „Ambrosi fili, quis te mihi eripuit, quis Ecclesiae lumen adeo intempestive exstinxit? nam non sine veneni suspicione ferunt eum fuisse morte sublatum[1]). Fuit vir vere religiosus, semper utique suavis et serenus, suaeque dil gentiae literariae plurima reliquit testimonia: *Hodoeporicon* sive descriptio itineris sui a. 1431 suscepti lustrandis emendandisque monachorum et monialium ordinis sui moribus, Lucae 1681: quod tamen nonnemo suppressum mallet, neque enim omnia prodere decet. Patrum et scriptorum graecorum opera vertit latine, sed subinde in vertendo nimia utitur libertate: ita Chrysostomi, Palladii, Jo. Climaci, Basilii, Ephraemi, Dionysii Areopagitae (versio dilucida Parisiis 1498; 1515), Athanasii, Jo. Moschi, Jo. Damasceni, Andreae cretensis opuscula, Manuelis Calecae ll. 4 de erroribus graecorum (Ingolstadii 1608 in 8. ed. Stewart). *Epistolas* nitido stilo conscriptas ll. 21 publicavit Martene Monum. vet. collect. t. 3; ll. 25 Laurentius Mehus Florentiae 1759 t. 2 in f. hac inscriptione: A. Tr. aliorumque ad ipsum et ad alios de eodem Ambrosio latinae *epistolae* a Petro Canneto ab. Cam. in ll. 25 tributae[2]). Accedit ejusdem Ambrosii vita, in qua historia literaria florentina ab a. 1192—1410 ex monumentis potissimum nondum editis deducta est. Inter beatos recolitur 20. Nov.

411. De argumentis singularibus praeter eos, quos hactenus jam laudavimus, alii etiam disputarunt. Galfredus de Monte abbas s. Honorati elaboravit a. 1431 tr. *de potestate et auctoritate conc. basileensis,* qui a Lambecio in catal. bibl. vindob. s. l. et a. prodiisse affirmatur. — Bartholomaeus Mutinensis O. Pr., saepe etiam de Ferraria dictus, quia ibidem inquisitorem egit († 1448), composuit tr. *de Christo Jesu abscondito* in solemnitate corporis Christi ll. 6, Venetiis 1555 in 8. — Albertus a Sartiano (Sarthiano) dictus, Tuscus, initio Conventualium regulam est secutus, sed perfectioris vitae desiderio ductus a. aetatis 30. ad Observantes transire decrevit: inter quos vitae integritate et eruditionis commendatione florens unus fuit ex quatuor sodalitii observantiae columnis[1]) magnis encomiis ab aequalibus celebratus. Literas sacras a s. Bernardino Senensi didicit. Verbum Dei summo zelo accensus disseminavit pluribus in urbibus etiam primariis, in quibus magnum adolescentium numerum a seculi abstractum illecebris ad amplectendam ordinis sui regulam induxit: dictus propterea praestantissimus totius Italiae medicus. Ab Eugenio IV. cum apostolici legati potestate missus est, ut Hierosolymis praesertim consistens catholicae religionis curaret bonum: hinc multa quoque coenobia in cretensi insula, Hierosolymis, Byzantii, in Aegypto etc. instituit. Anno 1431 pontifex ei dedit in mandatis, ut adversus Turcas sacram expeditionem e suggestu proponeret: quod munus sic gessit, ut ad ejus conciones audiendas ad 50.000 hominum confluxisse perhibeantur. Missus deinde est 1440 cum quadraginta sodalibus ad Aethiopiae monarcham, tum ad orien-

---

[1]) Vitam ejus descripserunt praeter alias Mehus Augustinus Florentinus l. 3. historiarum suarum camaldulensium, Florentiae 1575. et Martene initio t. 3. veterum Mon. Cf. etiam Fabricius I, 78; Masius Über die Stellung des Kamald. A. Traversari zum Papste Eugen IV. und zum Baseler Concil, Döbeln 1888.

[2]) Cf. tamen F. P. Luiso, Riordinamento dell'Epistolario d'A. Tr. in Rivista delle biblioteche ed Archivi (1898. 1899) t. VIII—X.

[1]) Alii tres sunt s. Bernardinus Senensis, s. Joannes a Capistrano et s. Jacobus de Marca, de quibus suis locis.

tales Indos et circumposita regna, ut illos ad unionem cum Ecclesia romana ineundam et ad conc. florentinum invitaret, non sine fructu: Armeni saltem invitationi obsecundarunt. Biennio in Oriente commoratus est multosque haereticos et schismaticos ad Ecclesiam reduxit. Reversus in Italiam interfuit concilio florentino interpres constitutus inter Armenos et occidentales. Praefuit capitulo generali ordinis Patavii habito auctus a sede apostolica munere vicarii generalis. Piissimae vitae cursum consummavit 15. Aug. 1450 totque miraculis claruit, ut apud suos *Beati* vocabulo nuncupetur[1]). Ejus opera prodierunt argumentis et adnotationibus illustrata Romae 1688, quibus praefixa est ejus vita a Fr. Haroldo conscripta. In ea ex. gr. sunt tr. *de poenitentia; de eucharistiae sacramento; de conditione amicitiae* et de malitia invidentiae; *contra martyrum vituperatores;* quod nihil nocet ad virtutem humili loco nasci, *epistolae* (quarum 20 jam ediderat Martene in Mon. collect. t. III.) etc. — Sanctius (Sancius) Porta O. Pr. gente Aragonus in caesaraugustano conventu theologiam docuit concionibusque inclaruit. A Benedicto XIII. Avenionem accitus s. palatii magister constituitur. Cum Benedictum, ut aliqui referunt, verbis argumentisque etiam coram pro concione urgeret de schismate quacunque meliori via componendo et extinguendo, hic ita exacerbatus est, ut Sanctium in vincula conjestim et carcerem miserit. Inde tamen amicorum ope liberatus ad Innocentium VII. confugit, a quo peramanter susceptus capellanus et poenitentiarius factus est apostolicus († 19. Nov. 1429). Haec ejus opera typis prodierunt: Divinum ac proinde inaestimabile, sed et omnium, quae hucusque de Christifera virgine scripta sunt, praeclarissimum *Mariale*, Valentiae 1512; Lugduni 1513. 1517 cura Alph. de Castro; *sermones* de tempore dominicales, Lugduni 1517 t. 2 in 4; sermones *de sanctis,* ib. 1517 in 4., Hagenoae 1514; de quibus generatim ita Sixtus senensis: „Rudi ac simplici sermone conciones edidit, pia tamen moralitate refertas." — Nicolaus Wigelius (Weigel) Briegensis in Silesia, theologiae doctor, professor in lipsiensi academia, imo et (1427) rector et 1427—1428 vicecancellarius, canonicus wratislaviensis, interfuit nomine episcopi merseburgensis, ducis Saxoniae et universitatis concilio basileensi († 11. Sept. 1444). Concinnavit magnam Summam *de indulgentiis,* suo tempore satis diffusam, quam celeber card. Bessarion tanti aestimavit, ut eam sibi transcribendam curaverit. Ex ea c. 41 prodiit de valore indulgentiarum adversus Jo. Hus disputatio, apud Walch Monumenta medii aevi II. fasc. 1. p. 25—66. Ipsa summa nunquam prodiit, sed ejus epitome *Clavicula indulgentialis* et absolutionis sacerdotalis, 1481 s. l. Prolixam sed non semper satis accuratam epitomen exhibet Amort de orig. indulgentiarum notitia, Augustae V. 1735 p. 266—281. Auctoris nostri doctrinam bene tuetur Paulus Zeitschr. f. kath. Theol. XXIII (1899), 743—754 adversus Brieger.

[1]) Cf. Argelati Script. mediol. biblioth. II. p. 1. pag. 1290 ss.; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2 c. 1 § 15; Haroldus B. Alb. a Sarthiano Vita et opera 1668; Neri La vita e i tempi del b. Alb. da Sarteano, Quaracchi 1902.

II. S. Scriptura.

412. Paucorum admodum exegetarum opera typis impressa fuere eaque fere concionatoribus destinata; non propterea neglectum fuit s. Scripturae studium, ut testantur tot labores manuscripti. Stephanus Marquardi

de Stockerau magister artium, dein et theologiae in academia viennensi († p. 1427), illustravit Esdram et Nehemiam, necnon et ep. ss. Pauli, Petri et Jacobi. — Petrus Nani Venetus, torcellanus episcopus († 1426), composuisse dicitur dictionarium historico-biblicum, necnon commentaria in omnes fere s. Scripturae libros — Joannes de Gamundia (Gmünden) celeber mathematicus et astronomus in universitate viennensi, qui ob suas praelectiones et scripta scientiae mathematicae et astronomicae per Germaniam parens meret dici[1]). Ipse forte primus fuit, qui in usum annorum adhuc futurorum calendaria utilia jam in antecessum concinnaverit. Canonicus erat ad s. Stephanum († 23. Febr. 1442). Ipse exposuit Exodum. — Hunc illustravit etiam Joannes Ganwer, (Gauwer, Gattwer etc.) O. Carm. Germanus, hinc dictus Teutonicus, theologiae magister, qui interfuit conc. basileensi, et concinnavit insuper concordiam evangelistarum et commentaria in 4 ll. sententiarum († c. 1438). — Antonius Massa (Massanus, Massetanus) O. Min. suis concionibus adeo populo placuit, ut ad magnam diei partem absque cibo audiretur. Ob virtutis praestantiam electus est in ministrum ordinis generalem, postea factus episcopus massetanus: neque tamen hisce dignitatibus auctus a concionando destitit († 1435). Reliquit *lectiones spirituales* super expositionem Alexandri de Hales in ps. 50., Neapoli 1692—1700 t. 2 in 4 (m. 100). Prodiit etiam ejus *relatio legationis constantinopolitanae* a. 1422 obitae, Parisiis 1612; etiam in coll. conc. inter acta concilii senensis 1423. — Helmicus Amoris de Zutphania professus est ordinem Crucigerorum in venlensi conventu dioecesis coloniensis, et a. 1415 electus in priorem generalem. Auctoritate pontificia et caesarea suffultus plura reformavit monasteria ordinis. In capitulo generali 1433 officio cessit decessitque 28. Jul. 1441. Scripsit anatomen seu medullatam et exactissimam explicationem parabolarum seu proverbiorum sapientissimi Salomonis juxta quadruplicem s. Scripturae sensum. — Henricus Wichingham[1]) O. Carm. Anglus insignis theologus († 2. Mart. 1447) exposuit Isaiam et Apocalypsim. — Christophorus de Bononia O. S. Aug. s. theologiae lector et concionator (fl. 1428) exposuit Canticum canticorum. — Danielem prophetam Jacobus Solidus Florentinus antea physicis speculationibus addictus et medicus, dein O. Serv. b. M. V., qui etiam interfuit conciliis basileensi et florentino († 1440). Cum epidemiae morbo plurimi per Italiam eo tempore laborarent, l. *de remediis* contra pestem eruditum edidit, quem patres florentini Bononiae 1533 imprimi curarunt. — Petrus Caldarinus (Calderonus) O. Min. Conv. Messanensis, theologiae doctor, episcopus antiochensis († 24. Nov. 1440), commentaria supra Oseam prophetam scripsit. — Franciscus Senensis O. S. Aug. regens studii senensis et suae provinciae praepositus (fl. 1436) scripsit commentarios in quatuor Evangelia et in omnes d. Pauli epistolas. — Has pariter interpretatus est ejus sodalis Raymundus de Altoponte (Hautpont) Gallus, s. theologiae magister et regens studii parisiensis (fl. 1426). — Joannes de Graz artium magister et decretorum doctor in universitate viennensi, dein canonicus zagabriensis († 1450), reliquit Expositionem Evangeliorum. — Epistolam ad Romanos commentariis illustrarunt Joannes Winninghem O. Praed. coloniensis, theologiae in patria magister, dein ad recens erec-

[1]) Cf. Bruhns Allg. d. Biogr. XV, 456 s.

[1]) Ab hoc alius est Thomas Wichingham sodalis, pariter Anglus, qui floruit sec. praecedenti (c. 1372) et cui tribuuntur commentaria in Magistrum sententiarum.

tam academiam lovaniensem vocatus, qui primus scholam theologicam aperiret (1433; † 23. Maj. 1449), et Robertus Cibolius (Ciboule) theologus parisiensis[1]), academiae rector et demum cancellarius (fl. 1450), cujus duo supersunt libelli ascetici editi. — Epistolas Pauli et Evangelium s. Joannis exposuit Petrus Reicher de Pirchenwart in academia viennensi philosophiae professor, dein theologiae doctor et magister († 1436). — Epistolas canonicas aliosque Scripturae ll. Joannes Noblet O. Carm. doctor et professor parisiensis ante suum in ordinem ingressum „arte, usu et professione corporum aegrotantium salutifer medicus," ut inquit Trithemius c. 783 († 1440 vel 1444). — Joannes Brunius (de Bruyn) O. Carm. bruxellensis († 1450) reliquit commentaria in ep. d. Pauli, in l. Ecclesiasticum et in magistrum sententiarum. — Joannes Haytonus O. Carm. Anglus, philosophiae et theologiae professor, linguarum graecae et hebraicae peritus († 1428), scripsit annotationes in Ev. ss. Matthaei, Lucae et Joannis, in ep. s. Pauli ad Cor. ll. 2; in ep. ad Hebraeos, in Apocalypsin lect. 46; Summam de virtutibus etc. — In Apocalypsim scripsisse referuntur: Joannes Tacesphalus (Tiscephale) Anglus, haeresum hostis acerrimus ex ordine Carmelitarum († 1427), quem aliqui eundem esse putant cum Joanne Titlesphalo (Tytleshale) ejusdem ord., cui tamen Villiers plura alia adscribit praeter commentarium in Apocalypsim scil. commentaria in sententiarum magistrum, praelectiones ss. Bibliorum etc., et quem circa a. 1354 floruisse refert. — Joannes Thorpe (Torpe) ejusdem ord., Anglus, doctor ingeniosus dictus († 1440), et Joannes Tilnaeus (Tillonegus) professor cantabrigiensis (fl. c. 1436), cujus laudatur etiam compendium sententiarum. — Bertholdus Puechhauser O. S. Aug., Ruchower ab Aschbach appellatus[1]), Ratisbonensis, doctor oxoniensis, in universitate viennensi theologiae magister et provinciae bavaricae praepositus et per Bavariam vicarius generalis (1435), reliquit super Apocalypsim lectiones 107, expositionem in Joannis Evangelium et magistrum sententiarum. — Denique Conradus Weilheim O. Min. († 1349). — Martinus de Luzena cognomento El Machabeo hispanam versionem elaboravit (ineditam) Evangeliorum et XIII Pauli ap. epistolarum, cujus codex asservatur in escurialensi bibliotheca. — Joannes Bastonus (Bestonus) O. Carm. Anglus, disputator vehemens et orator facundus (1428). — Henricus Jerung magister et syndicus (fl. 1450) concinnavit *Elucidarium Scripturarum*, Norimbergae 1476 l. rarus.

413. Reliqui sunt tres[2]), quorum nomina magis innotuere, non tam propter labores exegeticos quam propter alia eorum gesta vel scripta. Nicolaus de Dinkesbühl (urbe Sueviae) or-

[1]) Cf. Feret IV, 304—309. Arnulphus Greban Compendii in Gallia natus, canonicus cenomanensis (fl. 1450) *Actus apostolorum* rythmis gallicis reddidit, quam versionem ejus frater Simon Caroli ducis andegavensis secretarius perfecit. Prodiit Parisiis 1537; 1541. 1550.

[1]) Gesch. der Univ. Wien I, 441; Ossinger vero p. 721 notat eum male nominari Ruchavoser.

[2]) Petrus de Rosenheim OSB. prior in monasterio mellicensi, cui Martinus V. munus concredidit reformandi monasteria sui ordinis, quod felici successu in pluribus praestitit, et quem concilium basileense a. 1432 in Bohemiam, ut se Husitis oponeret, misit († c. 1440 vel 1441), haud pauca et etiam concordantias quatuor Evangeliorum scripsit, quae tamen non prodierunt. Saepe vero prodiit ejus *Roseum memoriale* divinorum eloquiorum, Bononiae 1489; Norimbergae 1493 etc., in quo brevibus distichis singulorum ll. et cc. argumentum expressit. Cf. Kropff bibl. mellic. Vindobonae 1747 p. 206 ss.; Esser KL. IX², 1937.

namentum academiae viennensis, ‚lux Sueviae' subinde salutatus, immerito a nonnullis inter sodales O. S. Aug. recensitus, natus est c. 1360, atque in facultate artium viennensi promeruit baccalaureatum, dein (1390) doctoris lauream. Habuit ibidem praelectiones de philosophia, mathesi, physica; transiit dein ad theologiae studium et percursis solitis gradibus academicis doctor renunciatur a. 1409. Ter functus est munere decani, munere etiam rectoris, et cum iterum hoc honore donaretur, ei renunciavit, factus interea canonicus ad s. Stephanum. Magna apud omnes, etiam Austriae ducem, valuit auctoritate, hinc haud infimas habuit partes in negotiationibus et conatibus pro componenda tempore tristissimi schismatis Ecclesiae concordia et unitate. Interfuit propterea concilio constantiensi, unus fuit ex deputatis nationis germanicae pro eligendo novo pontifice. Ipsi demandatum munus nomine concilii salutandi neoelectum pontificem et Sigismundum Caesarem, necnon et examinandi testes in causa Hieronymi Pragensis et Joannis patriarchae constantinopolitani. Episcopatum passaviensem sibi ab Alberto V. duce, cui erat a confessionibus, oblatum modeste recusavit. Ultimis annis vitam duxit a negotiis publicis semotam decessitque a. 1433 ad Mariae Cellam (Maria Zell). Plurimos reliquit studii diligentiaeque suae fructus, fere ineditos. Saepius prodiit ejus *Postilla* cum sermonibus evangeliorum dominicalium, Argentorati 1496; alii ejusdem *sermones*, qui teste Aenea Silvio avide etiam a doctis legebantur, ut de praeceptis decalogi, de octo beatitudinibus, de septem peccatis mortalibus et virtutibus oppositis, de dilectione Dei et proximi, de tribus partibus poenitentiae, de oratione dominica et salutatione angelica, de quinque sensibus collecti prodiere Argentorati 1516 in f. Inter inedita sunt commentaria in Psalmos, Isaiam, Evangelium Matthaei, in aliquot epistolas s. Pauli, in magistrum sententiarum et quaestionibus sententiarum[1]) etc.

414. Alter est Joannes Stojković (Stoicus), a patria communiter de Ragusio dictus, O. Praed., qui studiorum causa Parisios fuit missus ibique consecutus est theologiae lauream. Universitatis nomine interfuit conciliis pisano et senensi, de quorum actis plura refert opere mox citando. Ab ordinis magistro Barth. Texier constitutus est apud Martinum V. procurator ordinis generalis. In concilio basileensi tanti factus est a Juliano Caesarino cardinali et synodi praeside (cf. p. 819), ut ab eo, dum legatione detentus in Bohemia morabatur, cum Joanne Polemar (cf. p. 815) delegaretur concilii praeses. Totus exinde vixit hujus concilii rebus promovendis multasque suscepit legationes et negotia pro eo. Ibi fortiter disputavit cum Bohemis; dein a concilio missus fuit cum Henrico Menger canonico constantiensi et Simone Freron canonico aurelianensi legatus Constantinopolim pro urgendo concordiae negotio cum Graecis. Post biennium Basileam rediit (1337) rationem legationis redditurus. Deficiente synodo a legitimo pontifice Eugenio IV. et ipse inter eos fuit, qui multum laboraverunt sermonibus et disputationibus pro illius conciliabuli auctoritate tuenda: hinc a Felice V. antipapa factus est ardzensis (Ardžiš in Peloponneso) episcopus, imo et cardinalis, sed mox morte est praereptus[2]) c. a. 1443. Multa de eo leguntur in actis concilii basileensis, plures ejusdem epistolae ex urbe CP. (apud Mansi XXIX, 650 ss.), in primis prolixa

[1]) Cf. Aschbach Geschichte der Wiener Universität, Wien 1865. I, 430-40; Esser KL. IX, 315 s.; Stanonik Allg. d. Biogr. XXIII, 622 s.

[2]) Cf. Fr. Appendini Notizie istoricocritiche sulle antichità, storia e letteratura de Ragusei, Ragusii 1803 p. 74 ss.; et praefat. Mon. conc. gen. I. p. XIII-XVIII.

ejus disputatio contra magistrum Jo. de Rokycana Bohemum *de communione sub utraque specie* laicis non concedenda, quae etiam exstat in Canisii antiquis lectionibus IV², 467—565; Mansi Conc. XXIX, 699—868; Hardouin VIII., 1655—1760 Ejus relationem *de* sua *legatione ad aulam CP.* dedit Mansi in postrema appendice suae collectionis Conc. et Haller Conc. basil. I, 331-364. Recenter cur. Fr. Palacký prodierunt duo scripta magni momenti pro concilii historia: *Initium et prosecutio basileensis concilii* (ad a. 1431); et tr. *quomodo bohemi reducti sunt ad unitatem Ecclesiae* in Monumentis conciliorum sec. XV. editis a sociis caes. academiae, Viennae 1857, I, 1—286. Memorandus quoque est propter suos labores circa concordantias vocum indeclinabilium. Cum enim magna esset eo tempore cum Graecis de particulis *ex, per, cum* etc. concertatio, cogitavit Joannes de colligenda ejusmodi particularum concordantia, cui operi institit annis quinque usus in primis opera Jonae Scoti, magistri in artibus atque theologia, capellani sui[1]). — Ipsius labore usus est Joannes Alfonsi de Segovia, qui tertius est speciali mentione memorandus. Hic omnia, quae Joannes de Ragusio collegerat ordine alphabetico disposuit et adjecto prologo in lucem dedit: hinc etiam sub ejus nomine prodiit, Basileae 1496; 1525; Lugduni 1526. Verum hic Joannes sive a patria, sive proprio gentis cognomine Segoviensis vulgo nuncupatus suis in concilio basileensi gestis magis innotuit. De ejus ante concilium illud vita fere nihil constat, nisi quod fuerit canonicus toletanus, archidiaconus de Villavitiosa in ecclesia ovetensi et doctor theologiae salmanticensis, qui disputationem de Trinitate et incarnatione cum Mauro quodam habuerit. Indicto Basileae concilio eo se contulit salmanticensis academiae nomine et jussu Joannis II. regis. Magnam in eo habuit auctoritatem stetitque pro concilii praepontifice superioritate. Post concilii ab Eugenio IV. scissionem adhaesit conciliabulo schismatico, unusque erat ex illis triumviris, quibus synodus jus detulit eligendi eos, qui suffragia darent in electione antipapae. Missus fuit quoque legatus a concilio, dein a Felice V., qui eum mox cardinalem et episcopum caesariensem creaverat, ad promovendam suam causam, sed absque successu. Postquam Felix se pontificatu male usurpato abdicavit (1449), et ipse dimisit cardinalis titulum secessitque in monasterium: ubi vero et quando obierit, non constat. Haec ejus opera: *De auctoritate Ecclesiae* seu *de insuperabili sanctitate* et summa auctoritate generalium conciliorum vel tr. X avisamentorum (c. 1539). Explanatio *de tribus veritatibus fidei* decretis per s. gen. synodum basiliensem, item et de quinque conclusionibus, ex quibus Eugenius quondam papa IV. arguitur haereticus iterum in revocatos errores prolapsus (1439); dicta *circa materiam neutralitatis principum* (1439). *Justificatio* sententiae latae contra Gabrielem olim Eugenium papam IV. a s. basileensi concilio; *de magna auctoritate episcoporum* in concilio generali[1]). — Sed opus ejus praecipuum est: Gesta concilii basileensis ad a. 1444; ultra hunc a. non videtur gesta esse prosecuta. Eorum pars major ad a. 1439 prodiit in Mon. conc. gener. sec. XV t. II et III. cura E. Birk, quam ed. continuavit Rud. Beer (Vindobonae 1873—96): sed ea

[1]) Cf. Feret IV, 327—31, qui ejus opera inedita de concilio basil., de Ecclesia, contra manichaeos etc. recenset.

[1]) De gemino argumento opusculum praelegit in conc. basileensi Joannes natione Gallus, cujus nomen sub titulo patriarchae antiocheni saepe recurrit etiam in concilio constantiensi, quod habes apud Mansi XXIX, 512—34, in quo tuetur concilii super pontificem auctoritatem, fuit enim vehemens illius concilii assecla. In conc. vero constantiensi alterius fuit sententiae. Hinc a P. de Alliaco fuit impugnatus. Cf. de Hardt VI, 63 ss.

ed. ob defectum diligentiae et accurationis graviter carpitur[1]). Continentur autem eo opere pretiosa documenta, quae vel verbotenus vel per capita adducuntur, pretiosae insuper notitiae: hausit enim plene ex actis originalibus: spiritu tamen schismatico adversus Eugenium IV. est infectum. *Septem allegationes* (oppositas Joannis de Monte nigro assertionibus cf. p. 820) et totidem avisamenta pro informatione PP. conc. basileensis a. 1436 circa ss. V. Mariae immaculatam conceptionem ejusque praeservationem a peccato originali in primo suo animationis instanti, quod opus edidit Petrus de Alva, Bruxellis 1664. Contra illud scripsit Jo. de Turrecremata de veritate conceptionis (cf. infra p. 884). Zelo propagandae inter Mohammedanos fidei Joannes in monasterio, quo se incluserat, vocatis legis arabicae magistris Alcoranum in linguam non solum latinam, sed et patriam convertit et ineptias ejus refutavit. Elenchum capitum exhibet Nicolaus Antonius[1]) in bibl. veteris hisp. l. 10. c. 4 n. 195 ss.

[1]) Haller Conc. basil. Studien und Dokum. etc. t. I, ubi fusius de nostro agit auctore p. 19—53, notat p. 43 annot.: Alle, die je in der Lage waren, die Ausgabe zu benutzen, dürften in ihrer Verurtheilung einig sein.

[1]) Quem cf. etiam de aliis operibus et gestis n. 172 ss.; Knöpfler KL. VI, 1766.

III. Historia ecclesiastica.

415. Ex *chronicis* hujus periodi aliquot nominasse sufficiet. Joannes Brando O. Cist. monasterii dunensis in Flandria († 13. Jul. 1428) collegit *chronodromum* sive chronicon ac cursum temporum a rerum origine ad a. 1414., quod ad a. 1431 continuavit Bartholomaeus de Becka, et Aegidius de Roya († 1478) ad a. 1463., qui et illud in compendium redegit. Hoc compendium cum Hadriani de Budt continuatione ad a. 1480 prodiit Francofurti 1620 in t. 1. annalium rerum belgicarum[1]); ab a. 1384—1488 in Chroniques relatives à l'histoire de la Belgique sous la domination des ducs de Bourgogne (Collection de Chroniques Belges), Bruxellis I, 1—710 ed. Kervyn de Lettenhove. — Theodoricus ab Engelhusen (Engelhusius) Einbeccensis ex magistro artium, qui ‚universale' studium primo incipere juvit Erfordiae et in multis locis scholas rexit, presbyter monasterii in Wittenborch († 5. Maj. 1434), compilavit *Chronicam novam* vel chronicon chronicorum ab o. c. ad a. 1420: de quo opere in proloquio scribit: »Est scil. novum et antiquum, breve quoque sed et prolixum, antiquum materia et auctoritate, novum vero compilatione, breve quoque propter multorum dictorum in brevi perstrictionem, longum vero propter immensae materiae multitudinem. Est ergo doctorum auctoritate, nostrum autem sola partium ordinatione.« Plurimorum auctorum operibus est usus (ad 83), quorum indicem exhibet Leibnitius[1]), et cum illud com-

[1]) Edmundus de Dynter, Antonii Joannis et Philippi Burgundiae et Brabantiae ducum secretarius, aulae pertaesus sacris est initiatus factusque canonicus ad d. Petri Lovanii, inde vero transiit ad canonicos reg. s. Aug. († 1448). Plura opera reliquit ad historiam Brabantiae et Burgundiae spectantia, quorum editiones cf. apud Potthast p. 386.

[1]) Script. brunsvic. II, 20 s. et ex eo Fabricius I, 510 s. Cf. plura de nostro auctore apud Grube hist. Jahrbuch 1882. III, 49—66., qui de eo scribit p. 65: Nach dem Urtheil seiner Zeitgenossen soll sein Wirken (in der Schule und bei der Kloster-

posuerit in scholarum utilitatem, plurimos inseruit ex aliis versus memoriales (qui dicuntur esse Theodorici Lange canonici einbeccensis) pro juvanda memoria circa facta et personas. Et revera multum diffusum fuit eo tempore, ipse dictus est propterea lumen Saxoniae, Saxo eximius. Aliquoties illud retractavit continuavitque; et post ejus mortem illud Matthias Döring ad a. 1464, alii ad a. 1497 continuarunt. Prodiit (ad 1433) cura Leibnitii l. c. p. 978—1143. Alia quoque composuit opera, ut *Laienregel*, Collectarium sive expositionem l. Psalmorum (ineditam) ejusque argumenti, ut ad nos minus spectent; ex parte saltem *chronicon episcoporum hildesheimensium* necnon abbatum s. Michaelis, quod ipsi fuit tributum; edidit hoc Leibnitius op. cit. II, 784—806. Humilitatis studio doctoris lauream saepe sibi oblatam recusavit. — Non tanta accuratione, etsi fusiori stilo, eoque vivaci et rhetorico compilavit *chronicam* suam *novellam* Hermannus Corner (Korner) O. Praed. lubecensis, cursor sententiarum Magdeburgi, lector in monasterio s. Mariae Magd. Lubecae et 1436 s. Scripturae magister († post 1. Aug. 1457), ab o. c. usque sua tempora, quam iterum iterumque continuavit et demum deduxit ad a. 1435; eam edidit Eccardus in corp. hist. medii aevi II, 432—1343, omissis tamen iis, quae tempora Caroli M. praecedunt; J. Schwalm Goettingen 1895. Exstat triplex ejusdem retractatio germanica, nulla tamen videtur esse auctoris originalis, sed ipsius opus fuit illi fontis instar. Ceterum Corneri opus a fidelitate commendatur. Continuationem dialecto saxonica ab a. 1435—66 Leibnitius ed. in Scr. rer. brunsv. III, 203—16. — Andreas de Redusiis (Redusius de Quero) cancellarius tarvisinus historiam a primordiis mundi usque ad a. 1428 condere aggressus pleraque remotiorum temporum ex notis scriptoribus, ut multis chronicorum scriptoribus solemne, repetiit, quibus propterea omissis Muratori illud vulgavit tantum ab a. 1368—1428 inter SS. rer. ital. XIX, 741—866. — Ibidem p. 873—906 reperies *chronicon foroliviense* Hieronymi foroliviensis O. Praed. magistri theologiae ab a. 1397—1433, qui cum hic narrationis filum abrumpat circa 1434 obiisse videtur[1]).

416. De *concilio constantiensi* praeter tot, quos supra jam nominavimus, scripserunt plures alii[2]). Guilelmus Fillastre (Philasterius) natione Gallus, juris utriusque doctor electus est decanus Rhemorum; hinc in utilitatem canonicorum celebrem instruxit bibliothecam, quam magna codicum antiquorum ingenti pretio comparatorum copia locupletavit, scholamque theologicam fundavit. Non absque infamiae

reform) von durchgreifendem Erfolge gewesen sein, und man steht nicht an, ihn als lumen Saxoniae zu bezeichnen. Schum Allg. d. Biogr. VI, 141 s.; de ejus chronica B. v. Heinemann N. Arch. XIII (1888), 173—187.

[1]) Cf. Fabricius I, 396; Potthast p. 355 s.; Lappenberg Über H. Corneri Chronikon in Arch. f. ä. Geschichtskunde VI, 585—624; Michelsen a. d. Biogr. XXI, 707 s.

[1]) Cf. de utroque chronico Acta erud. lips. 1733 p. 354 s.

[2]) Ad historiam hujus temporis illustrandam per quam utiles sunt *epistolae* (LXXVI) Joannis de Monsterolio (Montreuil en Cauxi. e. Caleto) insulensis praepositi (1398), canonici quoque parisiensis, Caroli VI. Francorum regis secretarii, proditorie Parisiis 1418 occisi. Eas habes in Martene ampl. coll. t. II. De una earundem, quae est libellus acerbus bile infectus adversus Sigismundum regem cf. Finke hist. Jahrb. VIII (1887), 465—474. Cf. Ant. Thomas de Jo. de Monsterolio vita et operibus, 1883. — Scriptum quoddam huc spectans Joannis abbatis Bonae Vallis (Bonneval in Gallia) exhibet Haller Conc. bas. I, 277—307.

nota stetit pro Benedicto XIII. in tristi illo schismate et in regis et ecclesiae gallicanae auctoritatem invectus, regis incurrit offensam. Postmodum tamen ei conciliatus ob literarum peritiam archiepiscopatum ad Aquas sextias obtinuit, nec multo post creatus est a Joanne XXIII. cardinalis. Interfuit synodo constantiensi, in cujus sessione X. datus est commissarius cum Jordano Ursino, qui Joanni XXIII. clam fuga elapso abdicationem persuaderet. A Martino V. missus est legatus a latere in Galliam cum eodem Jordano Ursino pro unione stabilienda et conservanda. In praemium bene navatae operae nominatus est archipresbyter basilicae lateranensis († 6. Nov. 1428). In mathematicis erat versatus et linguae graecae peritus: hinc Platonis libros omnes e graeco latinos reddidit. Dum interesset synodo constantiensi scripsit pretiosum diarium ab a. 1414—18, quod est fons primi ordinis pro historia hujus concilii teste Finke, qui illud hactenus anonymum huic asseruit cardinali ediditque hac inscriptione[1]): *Aus dem Tagebuche des K. Fillastre* (omissis monumentis et actis jam cognitis) in op. Forschungen und Quellen zur Geschichte des Konstanzer Konzils, Paderborn 1889 p. 163—242. Fragmenta aliqua jam prodierant apud van der Hardt Concilium const. et in coll. conc. ed. Mansi t. XXVII. Orationem elegantem, quam habuit in consistorio Romae 8. Okt. 1463 coram Pio II. de expeditione in Turcas, a Sauerland editam lege in rom. Qtlschr. V (1891) 343—363. — Aliud diarium collegit magna solertia Udalricus de Richenthal civis constantiensis, testis omnium oculatus[2]), quod prodiit Augustae 1483 ed. prima et rara: *Das Concilium so zu Konstanz gehalten* ist worden des J. 1413, Augustae V. 1536 (m. 200); Francofurti 1575; accurate secundum codicem antiquissimum ed. Buck: Ulrichs v. Richenthal *Chronik des Konstanzer Konzils 1414—18*, Tübingen 1882; in photographischen Nachbildungen (cum 300 imaginibus), Lipsiae 1895, ed. splendidissima (m. 1100). Scripsit etiam über Hus und Hieronymus, Augustae 1483 in f., cujus fragmenta exhibet Höfler Geschichtschreiber der husitischen Bewegung II, 399—405. — Jacobus de Cerretanis cantor ecclesiae taurinensis, literarum apostolicarum scriptor (1418), episcopus teremensis (1429—40) confecit ex concilii actis *Regestum* (non semper satis accuratum) omnium gestorum tam ante pro s. concilii generalis celebratione, quam in ipso s. concilio constantiensi (1413—17), cujus compendium exhibet Finke op. supra

[1]) Cf. Finke Röm. Qtlschr. I (1887) 46 ss. et in op. supra cit. c. 5.

[2]) Der wissenschaftliche Wert dieses hochinteressanten Tagebuches ist ein vielseitiger ... Werthvolle Beiträge liefert die Chronik ferner zur Personalkunde sowie in kulturhistorischer Beziehung. Ohne sich auf kritische Erörterungen einzulassen, schildert der Verfasser den Verlauf des Konzils von Anfang bis zu Ende, läßt alle weltlichen und geistlichen Theilnehmer von Namen und Rang an uns vorüberziehen, führt uns zu den kirchlichen Festen und den weltlichen Ergötzungen der Großen, charakterisirt uns die höheren Klassen, das gewöhnliche Volk in seinem Leben und Treiben, Denken und Handeln, in seinen schlechten und guten Eigenschaften, ergeht sich über Preise der Lebensmittel und Wohnungen, lehrt uns Sitten und Gebräuche, Lebensweise und Lebensart damaliger Zeit kennen, kurz er entwirft ein ebenso lebendiges als interessantes Sittengemälde vom Beginn des 15. Jahrhunderts. Histor.-pol. Bl. 1884. XCIII. 891; Fromme in Röm. Qtlschr. X (1896), 149 notat tamen: Man muß Rich. gelesen haben um zu wissen, welche Ungeheuerlichkeiten er oft zu Tage fördert. So wertvoll er als Statistiker und als Erzähler von Äußerlichkeiten sein mag, so unzuverlässig wird er in der Darstellung von Ereignissen, denen er fernsteht oder die seine Begriffe übersteigen. Lorenz 1 § 8. De Ulrici familia cf. Beyrle Ulr. v. R. in Ztschr. f. d. Gesch. des Oberrheins XIV (1899), 1, 13—27.

cit. p. 243—66, et fragmenta passim reperiuntur apud Bzovium et in actis conciliorum Coleti etc. Plura etiam reperiuntur in epistolis seculo praeterito repertis Petri Tzech (Tzach), de Pulka, quod est oppidum patrium in Austria inferiori, dicti etiam Petrus de s. Bernardo, quas edidit Fr. Firnhaber in Archiv für Kunde österreich. Geschichtsquellen, Wien 1856 t. XV. Porro Petrus erat decus et ornamentum universitatis viennensis, prius facultatis artium, dein theologicae. Ipse saepius selectus fuit, qui ejusdem nomine gravia tractaret negotia: hinc etiam ab eadem missus est theologus ad concilium constantiense. Praeter plura scripta philosophica edita reliquit alia dogmatico-polemica et exegetica, necnon et conciones, omnia inedita. Obiit[1]) a. 1425. — Theodoricus Vrie (Freye, Urie etc.), Osnabrugensis O. S. Aug., theologiae lector in variis conventibus (fl. c. 1440) scripsit[2]) 1417 historiam concilii constantiensis Sigismundo imp. inscriptam *de consolatione Ecclesiae ll. 8* (9) partim metro partim prosa, in forma dialogi inter sponsam i. e. Ecclesiam afflictam et in partes distractam, et sponsum i. e. Christum consolantem, quae prodiit Coloniae 1484, et apud van der Hardt t. 1. p. 1. mutatis pro arbitrio inscriptionibus p. 1—221 conc. constantiensis; inter op. Gersonii Parisiis 1484 IV, 324-392. Alia ejusdem opera ut tr. de conceptione immaculatae V. manserunt inedita. *Sermonum* de festivitatibus V. gloriosae specimina exhibet Jostes in Ztschr. für Gesch. und Alterthumsk. Westphalens t. XLIV in diss. Zur Gesch. der mittelalt. Predigt in Westf. — *Acta* concilii constantiensis edidit 1500 Hagenoae Hieronymus de Croaria, juris consultus, bis academiae tubinganae rector (1492 et 1496), dein (1497) juris canonici Ingolstadii professor. Verum ea non sunt ipsa Acta originalia et integra, sed tantum eorum epitome basileensis concilii jussu a. 1442 ex plenioribus actis excerpta ejusque auctoritate munita. Recusa fuerunt Parisiis 1506; Hagenoae 1510; Mediolani 1511. Posterioribus ed. in collectionibus conc. alia ex plenioribus actis adjecta fuere; ita in labbeana t. XII. appendix accessit prolixior ex Felicis Contelorii (cf. Nomencl. I², 489) collectione[1]). — Epitomen eorundem, quam confecit Joannes Dorre juris consultus et decanus ecclesiae wormatiensis s. Andreae, qui concilio interfuit, mansit inedita. Ea usus est de Hardt cum ejusdem encomio.

417. De concilio *basileensi*[2]) egerunt praeter Joannem de Ragusio aliosque, quos supra indicavimus p. 832 ss., Andreas Gattaro de Patavio legatus venetus in concilio basileensi, qui conscripsit *diarium* ab a. 1433—35. Prodiit primum germanice versum ab H. Zehntner in Basler Jahrbuch 1885 p. 1-54; dein in conc. bas. V, 377-442 cur. Coggiola. — Joannes de Turonis notarius et comes episcopi constantiensis (in Gallia) in hoc conc. ut notarius collegit *Regestrum actorum* in legationibus a s. concilio in Boemiam a 4. Jan. 1433— 16. Jun. 1437, quod edidit

[1]) Cf. Aschbach Gesch. der Wiener Univ. I, 424—428.

[2]) Cf. ejus vita, de qua tamen fere nihil constat, apud van d. Hardt ejus historiae subjecta p. 222—227; de ipso opere cf. Finke hist. Jahrb. VIII. (1887), 454—465 et Forschungen und Quellen zur Geschichte des Konstanzer Konzils Paderborn 1889 p. 38—51; Keller KL. XII, 1125 - 1127.

[1]) Cf. v. d. Hardt Conc. Const. IV. proleg. c. 3.

[2]) Huc referri potest Cataldinus de Bonis Compagnis, sive Boncompagnius de Visso Fulginatensis, qui disputavit *de translatione concilii basileensis*, quae disputatio prodiit in Oceano juris seu tract. tractatuum, Venetiis 1584 XIII, 15—24. Nisus quoque est in tr. ad Joannem XXIII. vindicare ejus jus pontificale jure pisani concilii in abrogatione Gregorii XII. et Benedicti XIII. assertum, quem edidit Mansi coll. conc. XXVII, 449-88.

Birk in actis conc. basileensis I, 785-867. — Petrus Bruneti (Brunet) scribarum concilii primus et notarius, canonicus attrebatensis († 28. Apr. 1451) accuratum *Manuale* concinnavit[1]) t. 3, quo complexus est gesta et acta seu protocolla ab 8. Febr. 1432-1438. Verum dolendum est, superesse tantum t. 1. et ex parte 2. mss., quos vulgavit Haller in suo opere: Concilium Basiliense. Studien und Quellen zur Geschichte des Konzils von Basel, t. 2: Die Protokolle des Konzils 1431-1433. Aus dem Manuale des Notars Bruneti, Basel 1897. Continuationem pro a. 1434 et 1435 t. 3 ib. 1900; ab a. 1436 habes in t. 4 Basileae 1903. Commendantur autem hae relationes (Protokolle) ab accurato ordine chronologico, fidelitate, notitiarum plenitudine. — Ibidem I, 60—107 continentur relationes seu literae Udalrici Stöckl, qui concilio interfuit ab a. 1432—1437, in quibus saepe lingua germanica sincere et prudenter stilo simplici et aperto novitates concilii refert. Fuit U. Stöckl (Trunculus) OSB. tegernseensis, monachus qui nomine abbatiarum boicarum interfuit illi concilio, factusque est abbas wessobrunensis (1438; † 6. Maj. 1443). Praefuit valde laudabiliter et religiose, meruitque dici ‚inceptor reformationis vitae monasticae.' Ejus praeterea sunt *Psalterium gloriosissimae V. Mariae* in tria rosaria partitum, Typis monasterii tegernseensis 1580, et hymni, quos primum vulgavit Dreves[2]) inter *Analecta hymnica* Lipsiae 1888. III, 169—198. Hos tamen postea censuit esse Christiani de Lilienfeld. VI, 1—204 et XXXVIII, Lipsiae 1901 *Psalteria Wessofontana* Ulrichs Stöcklin v. Rottach Siebenzehn Reimpsalterien. — Hisce addatur Jordanus nobilissimae familiae Ursinae (degli Orsini) ex antistite neapolitano ab Innocentio VII. creatus cardinalis. Gregorium XII. in exstinguendo schismate segnius se gerentem deseruit. Eo in concilio pisano deposito, Alexandro V. adhaesit et hoc morte mox sublato Joanni XXIII., a quo in variis legationibus fuit adhibitus et factus episcopus albanensis et poenitentiarius magnus. Pro concordando Ecclesiae statu acerrime pugnavit: hinc et pro Martino V. stetit magna animi abnegatione, nam inter familias Ursinam et Columneam, ex qua ille erat, diuturnae et acerbae vigebant simultates. Missus est a Martino legatus in Hungariam et Bohemiam et alia regna septentrionalia ad exstirpandas Husitarum et Wiclefitarum haereses; ab Eugenio IV. legatus ad concilium basileense, in quo pontificis causam impense defendit. Decessit 29. Maj. 1539 vir sane rerum gestarum magnitudine, virtutibus et vitae sanctimonia clarus[1]). Collegit et ipse *Diarium* gestorum in conc. basileensi, cujus partem vulgavit Mansi in suppl. ad conc. t. V.

418. Gesta contra Husitas praeter auctoris jam citatos describit Andreas Ratisbonensis O. Can. reg. s. Aug. in canonia s. Magni (St. Mang) decanus, in l. *Expeditiones in Bohemiam* contra Husitas haereticos apud Höfler Geschichtschreiber der hussitischen Bewegung II, 406—55; dialogus *de Husitis*, ib. I, 565—596. Ejus praeterea sunt[2]) Acta conc. constantiensis;

[1]) Cf. Beer Sitzungsber. der phil.-hist. Kl. der k. (Wiener) Ak. der W. t. CXXIV (1891); contra quem tamen disputat Haller in hist. Ztschr. (ed. Sybel LXXIV (1895). 3, 385-406.

[2]) Dreves de eo t. III. praef. p. 18 scribit: P. U. Stöckl ist einer der fruchtbarsten Reimdichter des spätern, vielleicht des ganzen Mittelalters, die es je gegeben. Cf. de eo P. Lindner in accuratissima notitia Familia s. Quirini in Tegernsee. Die Äbte und Mönche der Benediktinerabtei Tegernsee, München 1897 p. 42 ss.

[1]) Cf. Eggs II § 97; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 1 § 9.

[2]) Cf. Potthast p. 44²; 656.

chronicon generale seu Chronica pontificum et imp. romanorum a Chr. n. usque ad 1422, cum continuatione ad a. 1438 (cujus pretium est nonnisi ab a. 1410), in Pezii thes. anecd. IV. 3, 275—636; a Joanne Chrafft praedicatore cambensi interpolatum et continuatum ad a. 1490 in Eccardi corp. hist. I, 1931—2176, recenter ed. a Leidinger 1902; *diarium sexennale* ab a. 1422—27 apud Oefele Scr. rer. boic. I, 15—30; *Chronicon de ducibus Bavariae* seu chronicon de principibus terrae Bavarorum ad a. 1439, cui adjecta est historia fundationum nonnullorum monasteriorum per partes Bavarorum: ed. cum notis a Freher Ambergae 1620. Propter hoc opus est dictus *Titus Livius boicus*. In iis tamen, quae ab ejus aetate remotiora sunt, auctor multa tribuit famae et narrationibus vagis, neque debito usus est scriptorum selectu, credulus magis quam sagax et criticus. Prodiit illud et germanice cum Leonardi Bauholzii (Pauholtz de Operchoven) continuatione ad a. 1486, in Freybergs Sammlung hist. Schriften, Stuttgart und Tübingen 1829, II, 369—454 etc. *Chronicon episcoporum ratisbonensium* ab origine 484—1428 apud Oefele Scr. rer. boic. I, 32—38. *Opera omnia* prodierunt demum cura Ge. Leidinger, München 1903, inter quae compendium *de conditione civitatis ratisbonensis* et *diversis haereticis* concilii constantiensis, opus accuratum et grave.

419. Pro historia ecclesiastica diversarum regionum plura reperiuntur in Actis legationum Petri de Fuxo (de Foix), Senioris cognominati, ut distingueretur ab alio, qui fuit episcopus venetensis (Vannes, 1475), cardinalis diaconus (1476), legatus apostolicus († 1490), quique junior est dictus. Oriundus erat noster Petrus prosapia nobilissima comitum Archambaldi (Archambaud) et puerulus oblatus est fratribus Min., quorum vestem induit. Studiis operam dedit in conventu tolosano. Ab Alexandro V. dictus est episcopus lascurensis, etsi defectu aetatis laboraret: a Joanne XXIII a. 1414 cardinalis. Interfuit concilio constantiensi, in quo ingenii sui dotibus splenduit. Missus est legatus in Aragoniam (1425-1430) ad comprimendum schisma, quod ibidem pertinaces adhuc numeraverat asseclas. Ecclesiam lascurensem in commendam accepit 24. Jan. 1433 episcopus albanensis designatus 14. Mart. 1431. Ab a. 1432 ad mortem usque (13. Dec. 1464) legati munere in ditione avenionensi est functus, quam non sine expeditione bellica recuperaverat legitimo pontifici Eugenio IV. Ejus actis legationis in Aragonia plurimum usus est Bzovius Annal. eccles. t. XV. Juxta Ehrle ea constituunt unum ex praecipuis et utilissimis fontibus, imo fontem primi ordinis historiae ecclesiasticae sec. XV. pro tristi illo schismate: hinc accurate assignat ea, quae a Bzovio verbotenus ex his actis hausta sunt, cum id ipse non satis significaverit, lacunas aliquot supplet et tria prolixiora documenta, quorum epitomen tantum Bzovius dederat, in extenso exhibet in Archiv VII, 432—463. Porro in iis componendis usus est cardinalis opera Bernardi de Rosergiis (Rousergue) peritissimi canonistae, qui erat juris utriusque doctor, in theologia magister et cancellarius tolosanus. Factus est postea praepositus ecclesiae metropolitanae tolosanae, dein episcopus vasatensis (Bazas 1446—1450) et 1450—1452 Montis albani, demum archiepiscopus tolosanus (1452-1475). Ibidem p. 496—514 exhibet Ehrle testamentum cardinalis nostri cum accurata introductione historica, nam illud pariter magni pretii historici esse censet.

420. Thomas Walsingham (a patria sic dictus) Anglus[1]), OSB., in

[1]) Alius ab eo est Thomas Walsingham O. Carm. professor oxoniensis

coenobio s. Albani, cantor et scripturarius, auctor est historiae anglicanae sive *historiae Angliae* brevis ab a. 1272-1422, quam ediderunt Matth. Parker (cum Asserio Menevensi), Londini 1574 in f. ed. non accurata, sed rara; Guil. Cambden inter anglica, hibernica, cambrica a veteribus scripta, Francofurti 1603 p. 43—108; H. Th. Riley in Chronica monasterii s. Albani (1349-1411), Londini 1863. 1864 t. 2 inter rer. brit. m. aevi SS. n. 28. *Gesta abbatum* monasterii s. Albani t. 3 (ab a. 792—1411, ib 1867—1869, *Ypodigma Neustriae,* ed. Riley, ib. 1876. Hujus tamen op. genuinitas est dubia. — Guilelmus Lindwoodus (de Lindewoode, de Tilio nemore, Lindenwald) Anglus; juris, maxime ecclesiastici, peritia Henrico V. et VI. Angliae regibus acceptus, ab a. 1435—46 episcopus menevensis, collegit illustravitque *Provinciale* sive constitutiones archiepiscoporum cantuariensium XIV a Steph. Langtono ad Henr. Chicheley († 1443) ll. 5, quae prodiere Parisiis 1505 in f. ed. accurata, sed rara; Londini 1557; Oxonii 1579 in f. et cum annotationibus curante Rob. Sharrokio 1663. — Petrus Cochon presbyter et notarius apostolicus Rotomagi (fl. 1430) reliquit *Chronique normande* ad a. 1430, quod primum edidit Ch. de Robillard de Beaurepaire, Rotomagi 1870 in 8. — Joannes de Stavelot (Stabulanus) OSB. in coenobio s. Laurentii juxta muros urbis leodiensis († 1449) continuavit (1400—1449) *Chronique du pays de Liége,* quod coeperat Joannes Des Prez (Preis) vulgo dictus d'Outremeuse († c. 1400), continuavit vero ejus sodalis Joannes Lossensis ad a. 1459. Edidit illud demum Ad. Borgnet in Collection de chroniques Belges inédites, Bruxellis 1861 n. 10. et seorsim. — Jacobus[1]) de Susato (alias de Sweve) perillustri stemmate natus habitum ordinis s. Dominici in conventu susatensi a. 1390 suscepit. Pragae doctoratus lauream promeruit, ubi scriptis et disputationibus Husitarum erroribus se opposuit. Verum cum aliis germanis urbe cedere est coactus: hinc Coloniam se contulit, ubi studii generalis regentem egit et electus est (1417) facultatis theologicae decanus: denominatus postea inquisitor per ditionem coloniensem, et dioeceses bremensem et paderbonensem. Archiepiscopo coloniensi Theodorico de Moersa erat a confessionibus et a consiliis († 1440). Plurima reliquit scripta, ut chronicon V. T., commentaria in ll. Sapientiae et Ecclesiastici, in Evangelium s. Matthaei, in ep. ad Titum et Hebraeos, in 4 ll. sententiarum, opuscula de theologicis quaestionibus varii argumenti, historica, inter quae *chronicam* brevem *rerum gestarum ordinis* ab initio ad a. 1415, quam in compendium contraxit Alb. Castellanus O. Pr. (de quo infra). Ea prodiit in Martene vet. SS. coll. VI, 344—396 inscripta *Breve chronicon* magistrorum generalium et virorum illustrium O. Praed., et subjecta constitutionibus ordinis, quae prodierunt Venetiis 1504. Plures dein ejus chronicam vel contraxerunt, vel interpolarunt, vel continuarunt usque ad 1680 in ed. constitutionum 1690, „foedis, ut verum fatear, hallucinationibus ad antiquas et primaevas additis seu typorum seu scriptorum interpolatorumve vel amanuensium errore[2]) " maculatam. *Chronicon episcoporum coloniensium* ad

(† 1310), cujus multa memorantur opera inedita, ut commentaria in Ecclesiasticum, determinationes s. Scripturae, elucidationes l. 1. sententiarum etc.

[1]) Ab eo est distinguendus Nicolaus de Susato celeber theologiae doctor, academiae heidelbergensis decus, a Ludovico Rheni palatino ad concilium constantiense missus, unus ex electoribus germanicae nationis cardinalibus adjunctis pro eligendo novo pontifice. Reliquit quaestiones in sententiarum libros.

[2]) Cf. Quetif I, 774.

a. 1420, apud Seibertz Quellen der westphäl. Geschichte I, 165—215. — Andreas Bilius (de Biliis) O. S. Aug., Mediolanensis, regens studiorum Bononiae et vicarius provincialis († 1435), plurima composuit opera (33), inter quae *historiae* mediolanensis et lombardicae ll. 9 ab a. 1402—31, apud Muratori Scr. rer. it. XIX, 9—158; Graevium Antiq. it. IX p. 6. Alia, inter quae commentaria in Genesim, Evangelia, magistrum sententiarum, libros Aristotelis etc., manserunt inedita[1]).

421. Joannes Tirel O. Ci. videtur continuasse ad a. 1426 *chronicon abbatum Majoris Monasterii* (Marmoutier), quod forte Joannes hujus monasterii sodalis perduxerat ad a. 1227, sed Tirel omisit tres abbates, qui post a. 1227 illi praefuerunt. Prodiit ad calcem historiae francorum Gregorii turonensis editae a Laur. Bochelin, Parisiis 1610; in Salmon Recueil de chroniques de Tourraine 1954 p. 318—37, cum continuatione ad a. 1617 ib. p. 381—90. — Joannes Amundesham OSB. collegit *annales monasterii s. Albani,* quos edidit H. Th. Riley Londini 1870. 1871 t. 2; praefigitur chronicon rerum gestarum (ab a. 1422-1431) a quodam auctore ignoto compilatum. — Thomas Rudborne (Rudbuon, Radburnus) OSB. monasterii hidensis in suburbio wintoniensi, senior dictus[2]), scripsit circa 1400 historiam majorem de fundatione et successione ecclesiae wintoniensis usque ad a. 1138, quae edidit Wharton in Anglia sacra I, 179 ss. — Ludovicus Barbus nobilis Venetus OSB., ex abbate s. Justinae de Padua episcopus tarvisinus (1437—43), disseruit de initio et progressu congregationis benedictinae s. Justinae de Padua, in Pezii thes. aned. II, 3 p. 267—310. Ejus *formula orationis et meditationis* excusa est Romae 1605; et ad calcem caeremonialis benedictini, Panormi 1676. — *Chronicam abbatum b. Mariae V. in Arena* (Sandstift) can. r. s. Aug. Wratislaviae ad a. 1429 composuit Jodocus de Ziegenhals abbas († 1447), qui Cracoviae studiis operam dederat ibidemque a. 1442 et 1443 Summam Raymundi exposuerat. Eam retractatam et continuatam ad a. 1470 (ab aliis ad a. 1779) a Benedicto Jonsdorff ejus successore[1]) (1470-1503) reperies apud Stenzel Scr. rer. sil. II, 156—286. — Hermanno Zoestio O. Cist. († 1445), qui etiam dictus est Monasteriensis (a loco nativitatis), tribuunt nonnulli *Chronicon Campi s. Mariae* (Marienfeld prope Harsewinkel), quod edidit Frid. Zurbonsen, Paderborn 1884 in 8. Ipse tradidit *Exhortatorium* concilio basileensi pro calendarii juliani reformatione. Actum de ea est in sess. 6. Sept. 1437, sed ad exitum non pervenit. Reliquit[2]) plura scripta inedita, ut de calendario judaico, de vocibus definitivis in conciliis generalibus et de potestate ecclesiae et papali, in quibus disputat adversus potestatem rom. pontificis etc.

---

[1]) Cf. Argelati Script. med. t. 1. p. 2 pag. 159 ss.

[2]) Senior dictus est, ut distingueretur a Th. Rudborne monacho wintoniensi cathedralis ecclesiae s. Savithuni, qui junior cognominatus est: floruit enim a. 1438—80. Hujus est *Breviarium chronicorum* a Bruto usque ad a. 18. Henrici III. regis (1234) sive historia minor, apud Leland Collectanea II, 404—30. Eodem hoc tempore floruit Th. Rudborne theologiae doctor oxoniensis, post archidiaconus sudberiensis, demum episcopus menevensis († ante a. 1442), cui tribuitur *chronicon.* Estne forte idem cum Rudborne seniore? Fabricius VI, 552; Oudin II, 2722.

[1]) Hujus est etiam *Böhmische Chronik* ad a. 1470, ex qua Fr. Wachter inter SS. rer. siles. XII, 109—23 ea tantum refert, quorum auctor erat testis.

[2]) Cf. Wattenbach Sitzungsber. der k. pr. Ak. der W. zu Berlin 1884 p. 93—109; Zurbonsen Westdeutsche Ztschr. f. Gesch. und Kunst 1899 pag. 146—173.

422. Simon de Tornaquinciis de Florentia s. theologiae magister O. S. Aug. († 13. Apr. 1429) collegit ex ll. Confessionum s. Augustini *vitam s. Monicae* matris d. Augustini, quae prodiit in ed. benedictina opp. s. Aug. t. X. suppresso auctoris nomine. Hic juxta Mansi videtur esse ille Simon de Fl., qui cum aliis suiordinis sociis pisano concilio a. 1409 interfuit atque cum aliis delectis viris consultus, num liceret concilio duos aemulos pontifices exauctorare et alium eligere, respondit, in ea rerum circumstantia sat esse patribus ita Ecclesiae consulere[1]). — Thomas Antonii Nacci O. Praed. de Senis (n. 1349, ordinem ingressus 1366) vir vitae sanctimonia clarus, seraphicae virgini Catherinae senensi singulari spiritualique necessitudine conjunctus et a morte etiam ipse beatis accensus, non canonica Ecclesiae auctoritate, sed fidelium aestimatione, facundus erat verbi Dei praeco atque efficax animarum piarum rector. Ardore divino succensus loca, quae Dominus sua vita et morte sanctificavit, pia peregrinatione visitavit, unde redux Venetias feliciter appulit, ubi deinceps ad mortem usque commoratus est. Scripsit *vitam b. Catharinae de Senis* V. ord. de poenitentia s. Dominici, in qua sequitur textum Raymundi a Capua (cf. p. 724) et longum supplementum adjicit. Edita fuit a Bonino Mombritio inter alias SS. vitas[2]), et per partes a Papebrochio in actis SS. 30. Aprilis t. III, 967; italice prodiit Florentiae 1477 ed. valde rara; Neapoli 1478; Mediolani 1488; 1489. Aliae ejusdem scripta edidit Flam. Cornelius (Corner) in Eccl. ven. illustr. VII (1749) p. 1—234; et 363—420. Quando obierit non satis constat; aliqui assignant annum mortis 1430. — *Vitam b. Coletae* O. S. Clarae († 1447) gallice conscripsit Petrus de Vallibus seu de Remis O. Min., qui ei erat a confessionibus, quam ejus sodalis Stephanus Juliacensis latine reddidit et bollandistae ediderunt in actis SS. die 6. Mart. I, 539—81. — Ibidem etiam ad d. 18. Apr. II, 601-8 legitur *vita b. Jacobi de Oldo* laudensis tertii ord. s. Franc. a Bassiano Dordanone O. Min. ejus confessario (fl. 1448) latine scripta cum notis. — Nicolaus de Arimino O. Min. (fl. 1433) scripsit *Raynaldi* archiepiscopi Ravennatis *vitam* († 1321), quam habes in Ughelli It. sacrae II², 382—87; in Act. SS. III, 692-696. — Ulpho monachus O. S. Birg. in coenobio wadstenensi († 1433) reliquit vitam sive *legendam dominae Catharinae s. m.* filiae s. Brigittae de regno Sueciae, quam aliis ed. omissis habes in actis SS. 24. Mart. III, 505—18, et absque auctoris nomine in Fant SS. rer. suecic. 1871 III, s. 2 p. 244—63; Stockholm 1869. Ipsi tribuit Henricus Schück *vitam D. Petri Olavi* (Olafsson † 1378) seu specimina ex vita ad promovendam ejus canonizationem, ab ipso edita 1895. — Lupus de Olmedo (de Ulmeto, non recte de Oliveto) Hispalensis O. S. Hier. ordinis prior generalis († 1433), pro regula s. Augustini induxit regulam ex operibus s. Hieronymi haustam, quam inscripsit *Flores s. P. Hieronymi*, quae prodiit inter op. s. doctoris ed. Mariani Victorii Lugduni 1530 t. IV. p. 351; Novocomi 1621 cum *Lupi vita* a Pio Rubeo ordinis praeposito generali conscripta. Praeter regulae defensionem et illustrationem scripsit etiam *vitam s. Hieronymi*, quae in prima operum hujus sancti editione tacito auctoris nomine prodiit et Mariano Victorio usui fuit[1]). — Hieronymus

[1]) Mansi in ed. sua bibl. lat. Fabrici VI, 488; ipsam consultationem exhibet in suppl. coll. conc. III, 1138.

[2]) Ejusdem sanctae *vitam* non diu post descripsit Nicolaus Borghesi (Burgensius) eques et senator senensis (fl. 1483), Venetiis 1501; aliorum quoque vitas concinnavit. Cf. Fabricius III, 102.

[1]) Cf. Nic. Antonius l. 10 c. 3 n. 129 s.

Pragensis[1]) eremita camaldulensis, s. paginae professor, missionarius per Poloniam et Lithuaniam, interfuit conc. basileensi 1431, in quo acrius stetit adversus Eugenium IV. († 1440). Sermonem habuit in Carthusia basileensi *de s. Romualdo,* quem habes in Act. SS. 7. Febr. II, 124—140.

423. Ad *historiam literariam* referri possunt: Joannes Grossus (Le Gros) Tolosanus O. Carm., qui de abolendo tristi schismate fuit admodum studiosus magnaque pollebat auctoritate apud Gallos et Hispanos. Electus fuit a. 1389 in magistrum generalem ab una ordinis parte, nam et ipsa congregatio O. Carm, in duas scissa erat partes. Interfuit conc. pisano et constantiensi, sed jam ab a. 1411 praefuit universo ordini ad a. 1430, quo ob affectam valetudinem muneri resignavit († 1437). Collegit *Viridarium O. b. M. V. de Monte Carmelo ll. 3*, in quibus agit de viris illustribus ordinis. Prodiit Venetiis 1507 in f. (cum speculo Carmelitarum Philippi Riboti); Antverpiae 1680. Alia ejus scripta ut qq. variae de ss. Scripturis manserunt inedita. — Nicolai Cantlow (Cantilowe, Cantolupus, Cantilupus, Cantilowinus etc.) O. Carm. Bristoliensis, doctoris cantabrigiensis († 21. Sept. 1441), *chronicon fundationis Cantabrigiae* seu l. de antiquitate et origine universitatis cantabrigiensis edidit cum Th. Sprotti chronico Thomas Hearne, Londini 1719 in 8. Alia, ut ejus commentaria in l. l. sententiarum, non aspexerunt lucem. — Laurentius Pignon (Pinon) O. Praed. Senonensis, theologiae erat lector in conventu rhemensi, dein a. 1403 prior, Philippo Bono Burgundiae a confessionibus et consilio. Hoc agente electus est episcopus bethlehemitanus (1423), postea antissiodorensis (1433; † 1449). Meruit de historia sui ordinis, scripsit enim ejusdem *chronicon,* et collegit catalogos sanctorum (41) et sanctarum (5), promotorum ad dignitates extra ordinem (non ita accuratum), magistrorum ordinis (usque a. 1410); priorum provincialium Franciae (ad a. 1403); capitulorum generalium et provincialium Franciae (ad a. 1411), fratrum, qui claruerunt doctrina. Hoc plurimum usi sunt Quetif et Echard in suo opere Scriptores O. Praed. atque ita per partes illud ediderunt, annotationibus vero criticis plurimum illustravit Denifle Archiv II, 195 ss. — Ludovicus de Vallisoleti (Valleoleti, Valladolid) pariter O. Praed. Parisios studiorum causa est missus, et theologiae magister est creatus. Datus fuit celebri Jo. Capreolo in magnis scholis successor. In patriam reversus Joanni II. Castellae regi erat a confessionibus, a quo orator regius missus est ad concilium constantiense, in quo haud otiosus fuit, ut liquet ex ejusdem concilii actis, in quibus saepe ejus nomen occurrit. Fuit postea notissimus professor universitatis vallisoletanae ejusdemque facultati theologicae 6. Febr. 1418 a Martino V. datus est ad vitam ut prior et decanus. In comitiis generalibus ordinis 1426 Bononiae habitis, cum electorum suffragia ita inter ipsum et Thomam de Regno dividerentur, ut non satis liqueret, quis esset legitimus magister generalis, sponte uterque suo juri cessit. Vixit saltem usque ad a. 1436. Composuit et ipse tabulam quorundam doctorum O. Praed., in qua fuse disserit de operibus Alberti et s. Thomae, nomina exhibet fratrum primo legentium sententias Parisiis (quantum ad ordinem non accurate); dein disserit de aliquibus aliis doctoribus O. Praed.: „quae praecipua pars operis, inquit Quetif I, 790, quam in tota hac bibliotheca sparsim exhibemus, ubi se dat occasio.“ Ejus *historia de Alberto* demum prodiit tacito nomine

[1]) Alius a famoso Hieronymo Pragensi Husi amico et socio propter suos errores in conc. constantiensi damnato et 30. Maj. igne combusto.

auctoris in Catalogo codd. hagiograph. Bibl. reg. Bruxell., quem ediderunt hagiographi Bollandiani, Bruxellis 1889 II. 95—105. — Vespasianus florentinus describit virorum illustrium 103 vitas, qui seculo XV. exstiterunt. Eas publicae luci demum dedit em. card. Mai in Spicilegii t. 1., Romae 1839. Vitae Eugenii IV. et Nicolai V. apud Muratori SS. rer. it. XXV, 253—92 lingua patria prostant. — His adde presbyterum Marianum de Senis (da Siena), qui descripsit *Viaggio in Terra Santa* (a. 1431), qui l. recentiori aetate non semel prodiit, Florentiae 1822; 1862; Parmae 1843; 1865.

IV. Theologia practica.

424. Schisma triste demum compositum fuit in conc. constantiensi electusque Otto ex nobilissima Columnensium gente cardinalis diaconus, qui in s. Martini honorem, quo die festo peragebatur electio (1417), dici voluit Martinus V. Sub Bonifatio IX. in Italia nuncii fungebatur munere; ab Innocentio VII. creatus est cardinalis (1405). Defuncto hoc pseudopontifice adhaesit Gregorio XII., quo synodo pisana (illegitime) deposito secutus est Alexandrum V. et Joannem XXIII. Vir erat doctrina juris canonici praestans, prudentia, mansuetudine, justitiae studio et in negotiis gerendis dexteritate insignis. Finem imposuit conc. constantiensi 22. Apr. 1418; Ecclesiae reddidit unionem, Italiae pacem et romanae urbi ad ruinam fere redactae pristinum splendorem. Experimentis minus laetis conc. constantiensis edoctus nomen concilii teste Joanne de Ragusa in immensum abhorruit; convocaverat tamen concilium Papiam, quod dein Senas fuit translatum, quod exitu ob pestem caruit (1424). Tandem cogitaverat de convocando consilio basileensi, sed apoplexia tactus obiit 20. (21.) Febr. 1431 »temporum suorum felicitas« in epitaphio appellatus[1]): desideratus post obitum ab his etiam, qui viventem oderunt. *Bullae* aliaque monumenta collecta non habentur, sparsa reperiuntur in Bullario romano, in Annalibus Bzovii, Raynaldi etc., in Hardt Act. conc. const., ubi inter alia legitur ejus *Reformatio* in capite et curia romana a. 1418 nationibus oblata[1]) necnon et concordata cum nationibus inita I, 1015—1045; 1055 ss. — Martinum mox secutus est post conclave unius diei 3. Mart. 1431 Eugenius IV. antea Gabriel Condolmerius dictus, patria Venetus n. 1383, Gregorii XII ex sorore nepos, canonicus congr. s. Georgii in Alga. Ab avunculo suo factus est episcopus senensis, dein et cardinalis et marchiae anconitanae legatus. Convocationem concilii basileensis ejusque praesidem cardinalem Cesarini (cf. p. 819) confirmavit. Cum vero illud ad schisma vergeret, ipsum Ferrariam (1437) dein Florentiam (1439) transtulit, eoque magis quod Graeci unionem cum Ecclesia romana ambirent. Ea demum post multas disputationes confecta est (1439), sed absque stabili fructu: non enim diu

[1]) Cf. de eo prae primis Pastor Gesch. der Päpste 1[3], 209—279; Contelorius Martini V. vita ex legitimis documentis collecta, Romae 1641. De ejus electione cf. Hieronymus Zurita (Surita, Curita) insignis historiographus hispanus 31. Oct. 1580 in op. Los cinco libros primeros de la 2. p. de los annales de la corona de Aragon, Zaragossa 1669 III 131, de qua relatione cf. Fromme Röm. Qtlschr. X (1896), 145 ss.; de auctore N. Antonius in Bibl. hisp. n. I, 604 s.

[1]) Melius apud Hübler Die Konstanzer Reformation, Leipzig 1867 p. 128—151; 164 ss.; etiam in Act. conc. Mansi XXVII, 1177—1184; 1189 ss.; Hardouin VIII, 86—883; 1888 s. Cf. Hefele § 775. 777.

postea recruduit schisma. Ejus *decreta* in conc. florentino edita unionis Graecorum, pro Armenis et et Jacobitis habes apud Denzinger Enchir. Symb. n. 586-606. Decessit 23. Febr. 1447 a. aetatis 64. Pontificatum gessit inter assiduas turbas prospera modo, adversa etiam saepe fortuna pressus[1]). Fabius Cunctator prudenter se gessit cum concilio basileensi, quod in apertum vergebat schisma electo pseudopontifice Felice V., qui tamen sub Nicolao V. pontificatu male usurpato se abdicavit (1449, 7. Jan. † 1451). Ejus *constitutiones, decreta et epistolae* etc. leguntur in tomis conciliorum, in actis praesertim conc. basileensis, ferrariensis et florentini, apud Bzovium, Raynaldum, Waddingum, in Bullario etc.

425. Pauci sed celebres fuere juris canonici interpretes. Joannes de Imola discipulus Jo. de Lignano, Baldi de Ubadis, Antonii de Butrio etc., Patavii, Ferrariae et Bononiae jus canonicum docuit et in docendo totam suam trivit vitam. De eo scribit Aeneas Silvius (Pius II.) de viris ill. n. 19: „Fuit sui temporis lumen juris, sed in agibilibus mundi ignarus. Hunc Imolae vidi in domo sua, cum Patavium irem, nec vidisse voluissem, minuit enim praesentia famam. Nam homo is erat, qui in scriptis totus esset, atqui is non mortuus est, cum libri ejus manserint, extra quos nihil fuit.« Obiit 13. Mart. 1436. Haec ejus opera: *Commentaria* in 3 priores ll. decretalium Gregorii IX., Venetiis 1498; 1500; Lugduni 1549; Venetiis 1575 t. 3 in f.; *in Clementinas,* Romae 1474; Venetiis 1475; 1480; 1486; 1492; 1500, utrumque opus magna diligentia elaboratum[2]). *Consilia,* Mediolani 1493; Bononiae 1495; Lugduni 1539 etc. Doujat de eo scribit[1]): „Quamvis de jure interrogatus aliquando obmutuerit, in pretio tamen super reliquos aetatis suae doctores fuit, et in utroque jure excellit, adeo ut ejus opiniones prae aliis recipiantur: gravis certe Bartoli censor habetur.« — Celebrior est Nicolaus Tedeschius (de Tudeschis, Tudescus) OSB. Catanae, ut dicitur, nobili genere ortus a. 1386, vulgo Siculus, vel Panormitanus, etiam abbas modernus dictus. Panormitani rationibus quidem variis, sed frustra eum sibi vindicare nituntur[2]). Anno aetatis 14. vestem s. Benedicti induit. Magistris claris Francisco Zabarella et Antonio Butrio usus tantos fecit in jurisprudentia progressus, ut nobilissimas Catanae, Senis, Parmae ac Bononiae cathedras fuerit adeptus magnoque juventutis accursu, plausu ac fructu jus utrumque annos minimum viginti sit interpretatus dictusque fuerit ‚lucerna juris clarissima.' A Martino V. electus est abbas s. Mariae Maniacis ad Aetnae radices sitae, aliisque gradatim muneribus honoribusque auctus rege Alphonso adnitente archiepiscopus panormitanus est factus a. 1437. Regis jussu concilium basileense orator adiit, in quo dicendi copia, juris peritia, nominis auctoritate emicuit. Initio quidem Eugenii IV. partes strenue defendit[3]). Sed praevalente regis gratia, qui interim contra Eugenium fuit irritatus, pluribus pontificis depositionem persuasit ursitque et Amedeo in pseudopontificem electo adhaesit, a quo cardinalis est renunciatus: et exinde acerrimus conciliabuli in favorem Felicis V. propugnator exstitit aliorumque consiliorum, quae sunt reprobanda, fuit fautor. In eo tamen laudandus, quod introducentibus in concilium multitudinem presby-

[1]) Cf. Pastor op. cit. I[3], 280—347.
[2]) Cf. Schulte II, 296—98; Fantuzzi IV, 351—57: Tiraboschi VI, p. 1. l. 2 c. 4. n. 9.

[1]) Praenotionum canon. l. 5 c. 7 p. 423.
[2]) De qua controversia cf. Mongitore bibl. sic. II, 98.
[3]) Cf. Fleury hist. eccl. l. 108 § 56 ss. Panormitano se opposuit Jo. Segoviensis, ut ibidem § 57 legere poteris.

terorum ob episcoporum defectum liberrime contradixerit. Etsi rogatus purpurae dignitatam nunquam deponere voluit. Dum variis dilationibus procrastinando rem protraheret, morbo correptus vitam finivit 15. Jul. 1445 multum moriens questus, quod nepotum suasu concilii, ut ipse dicebat, veritatem reliquisset. Nonobstante hac macula opera juridica ejus maximi fiunt[1]): nam pontificum decreta ea doctrinae soliditate est interpretatus, ut alter Bartolus inter juris professores dici promeruerit, in eo vel maxime commendatus, quod lucidum ordinem observans nullibi non perspicuus clarusque appareat. Ejus opera prodierunt saepe, collecta Venetiis 1592 t. 8; 1617 t. 9, inter quae eminent *Lectura*[2]) *in decretales,* in Sextum, in Clementinas; *Consilia* (226), Lugduni 1537 in f.: *quaestiones VII* subtilissimae (una cum consiliis) Lugduni 1584; 1586; Venetiis 1571 etc. Tr. *super conc. basileense* et de ejus potestate ac papae[1]), in quo amplissime conciliorum materia pertractatur, Lugduni s. a. (c. 1505); 1512 cum aliis ejusdem opusculis. In eo tuetur concilii super ponsificem auctoritatem. *Thesaurus* singularium in jure canonico decisorum conscriptus in conc. basileensi et secundum ordinem alphabeticum pro faciliori usu dispositus, in t. 9. ed. venetae, in qua reperiuntur additiones Jac. Anelli de Bottis ad commentaria, consilia et quaestiones, nec non Gualvarii Bononiensis *repertorium* et tr. *de differentia legum canonumque.* Scripsit etiam super l. d. Bonaventurae in ll. sententiarum, Venetiis 1477. Ex ejusdem operibus collegit Antonius Corsetus siculus, Andreae Barbatii discipulus, professor juris canonici Bononiae et Patavii *Repertorium* utile, Venetiis 1499; Mediolani 1511 etc., in quo rationem habet operum aliorum scriptorum; illudque usui fuit pro conficiendis indicibus ad Panormitani opera[2]). Fuerat Corsetus abbas commendatarius s. Mariae de Arcu ac regis Ferdinandi capellanus, patavinus canonicus, et Romae camerae apostolicae auditor. Postea 26. Jul. 1501 designatus est a rege Ferdinando episcopus melitensis, mox tamen ex potione veneni, ut refert Mongitore, Romae obiit 18. Aug. 1503.

---

[1]) Schulte p. 312: Nikolaus gehört unstreitig zu den bedeutendsten Kanonisten des Mittelalters. Zwar geht seine Darstellung überall in die Breite, dieser Fehler wird aber aufgewogen durch seine ausgezeichnete Kenntnis und Verwertung der Literatur, ein scharfes Urteil, einen auf die Bedeutung der Rechtsfragen für das Leben gerichteten Sinn ... Man darf sagen, daß seine Schriften nachtrugen, was nach denen von Joh. Andrä, auf dessen Schultern er steht, noch zu machen war. Über sie sind die Späteren nicht hinausgekommen, haben sie vielmehr nur ausgebeutet. So begreift man, daß er trotz seines kirchenpolitischen Standpunktes sich allgemeiner unbedingter Schätzung erfreut und zu jenen Schriftstellern gehört, die beständig angeführt werden. Cf. Fabricius V, 128; Tiraboschi l. c. c. 5. n. 4 ss.

[2]) Hanc triplicem Lecturam in compendium redegit Hieronymus Fantonus O. P. de Ferrariis dictus, quia ibidem functus est munere inquisitoris generalis († 1532), quod prodiit Venetiis 1564. Ejus quoque est *Repertorium* locupletissimum tam ll. quam sententiarum quam quodlibetorum doctoris subtilis J. Duns Scoti, Venetiis 1588 cura Julii Hissopii Cesenatis, qui adjecit opiniones et propositiones a Scoto contra Thomam ad probandum assumptas, necnon et indicem locupletissimum in 4 vol. Capreoli.

[1]) Tr. *de auctoritate papae et imperatoris* et institutionis conciliorum ss. praesertim basileensis cum annexione quorundam dubiorum et casuum, Lugduni 1517 in 8. alius est ab eo, quem in textu indicavimus.

[2]) Cf. Schulte II, 348 s., qui alia Corseti opera recenset ut *de auctoritate glossae*, Mediolani 1486. Longe plura recenset Mongitore biblioth. sic. I, 60 s., ut *de juramento et ejus privilegiis,* in tract. univ. juris t. IV; *Consilia* Lugduni 1560 in f.; *Regulae juris* in op. Dom. Atonis, Tiraquelli, Corseti etc. *Regulae juris* collectae, Francofurti 1586 in f. etc.

426. Praetermissis Joanne Milis Veronensi juris utriusque doctore et advocato (fl. 1440), cujus *repertorium juris* saepius prodiit ut Basileae 1488; Lugduni 1510 in 4. etc. — Prosdocimo de Comitibus Patavino, juris civilis, dein canonici professore, episcopi cancellario et vicario in rebus fori civilis († 1438), cujus aliqua exstant inter tract. univ. juris — Ludovico Pontano, patria Spoletano, institutione Romano, juris professore senensi et protonotario Romae, legato Alphonsi regis Aragoniae ad concilium basileense, pro quo orationes (quae quamvis vehementes carent soliditate) habuit[1]) contra romani pontificis auctoritatem († 1439), et qui *de relictis ad pias causas* disseruit, Papiae 1483; 1489 etc. — Martino de Caraziis (Caractus, Garatus) Laudensi[2]), professore Papiae et Senis (fl. 1438—45). — Joanne de Brogniero episcopo vivariensi (1385), a Clemente VII. facto cardinali et episcopo ostiensi (1409; † 16. Febr. 1426), cui tribuuntur *regulae Cancellariae* tum Joannis XXIII., tum Martini V. (apud de Hardt I p. XXI, 954—964—991) — Guilelmo de Monteserrato, qui scripsit commentarium *super pragmaticam sanctionem* Caroli VII., *de potestate generalis concilii* ac *de episcoporum electione,* de intellectu regulae basileensis conc. circa hanc electionem; *de reservationibus* per papam ex rationabili causa factis, et de regia praerogativa in electivis dignitatibus, Parisiis 1514 cum Cosmae Guymier glossis et cum additionibus Philippi Probi Parisiis 1666 inf. — Jordano Bricio juris professore et consistoriali advocato, provinciae Galliarum judice majore, cujus est pro Eugenio IV. a. 1433 tr. adversus card. Dominicum de Capranica, qui ad ipsius electionem, licet ad cardinalatum jam designatus a Martino V. non fuerat adhibitus a cardinalibus, a Baluzio in Miscell. III. 303—50 vulgatus[1]): jam ad eos transeamus, qui *theologiam moralem* excoluerunt. Nicolaus ab Auximo (Ausmo), cum esset doctor u. j. et advocatus, in visione admonitus et ad ordinem Min. vocatus, strenuus socius fuit s. Bernardini Senensis in promovenda ordinis reformatione, lectoremque quoque egit theologiae et

[1]) Cf. Mansi in ed. sua bibl. latinit. Fabrici IV, 371. Reliquit quoque *consilia* et *allegationes* Papiae 1485.

[2]) Cf. de eo et aliis hic memoratis Schulte II, 395 et passim alibi.

[1]) Hic Dominicus a Capranica nobilis Romanus natus a. 1400 primam infantiam transegit ab omni puerili vitio immunem. Juri utrique operam dedit sub Julio Caesarino et Joanne Imolensi. Laurea adepta a Martino V. inter primos camerae apostolicae clericos eligitur, inde in secretariorum numerum est adscitus. In gravissimis negotiis a pontifice fuit adhibitus, quibus bene gestis episcopus firmanus renunciatur, dein 23. Jul. 1523 cardinalis, quem tamen Martinus V. non publicavit, sed in pectore reservavit. Defuncto interim pontifice frustra ad electionem novi pontificis a cardinalium collegio admitti petiit: Eugenius IV. vero, qui electus fuerat, male in eum erat affectus: hinc ad concilium basileense provocavit, quod causa discussa eum ut cardinalem recepit. Eugenius concilii sententiam probavit et cum interim Dominici praeclaras virtutes agnovisset, ei est reconciliatus, honoribus eum et dignitatibus auxit summumque poenitentiarum constituit. Cardinalibus autem tanta in veneratione fuit, ut mortuis Eugenio IV. et Callixto III. pontificatu dignus judicaretur. Cum virtutum illustrium exercitio juge conjunxit literarum studium: in ditissima sua bibliotheca vix erat liber, cui non impresserit studii attenti vestigia († 14. Aug. 1458). Institutor est collegii Capranici. Plura reliquit scripta: *Tr. dell'Arte del ben morire,* Florentiae 1487 (de hujus tamen genuinitate dubitat Ad. Franz in Katholik 1900 I, 132—138); quaedam ad religionem spectantia non erudite magis quam eleganter. Cf. Bapt. Poggio in ejus vita edita a Baluzio: Eggs l. III, 33—50, prae primis Catalani in l. raro: De vita et scriptis D. Capranicae, Fermo 1793; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2 c. 1. n. 12, qui ib. c. 5 n. 20 ss. alium laudat cardinalem canonistam insignem Branda da Castiglione († 5. Febr. 1443), in gravissimis hinc negotiis adhibitum.

plures insignes concionatores formavit. Jubente Martino V. hierosolymitanam peregrinationem et praefecturam suscepit. Cum s. Bernardinus praeesset monasteriis reformatis de Observantia, sibi selegit commissarium et vicarium Nicolaum, qui plenus diebus et meritis Romae decessit, quo tamen a. non satis constat. Adjecit *supplementum* ad celebrem *Summam Pisanellam* seu Magistrutiam (cf. p. 612), quod saepius prodiit, Venetiis 1473; 1474; 1476; 1481; 1484; 1495; Genuae 1474 etc., a quo non distinguitur *Summa casuum* ipsi tributa; *della confessione* sub nomine s. Bernardini, 1494 in 4; *Interrogatorium confessorum,* Venetiis 1489; *Quadriga spiritualis,* quae est instructio catechetica de fide, de peccatis et decem praeceptis, de operibus caritatis etc., Esii 1475; cum Giardino di Orazione, 1494 sine auctoris nomine[1]); *Declaratio* super regula F. Min., quam ss. Bernardinus et Jo. Capistranus approbarunt etc.

427. Magnam nominis famam promeruit Jonnnes Nider (minus recte Nieder, Nyder) O. Praed. ex pago Isny in Suevia, Viennae et Coloniae studiis operam dedit, quibus absolutis concionibus habendis et confessionibus excipiendis totum se dicavit. Concilio constantiensi adfuit, inde in Italiam profectus arctiorem ordinis observantiam a celebri card. Jo. Dominici inductam didicit. In Germaniam reversus Viennam est missus ad lauream in theologia assequendam et ad regendam cathedram. Admodum inclaruit in illa academia multosque doctrinae fama attraxit discipulos. Electus est a. 1427 in priorem conventus praecipui norimbergensis et exinde totus incubuit in promovenda arctioris observantiae regularis disciplina in conventibus ordinis per Germaniam dispersis: quare ab ordinis magistro generali Barth. Texier constitutus est vicarius omnium conventuum reformatorum per Germaniam. Dum concilium basileense celebraretur, praefuit conventui basileensi. Patribus ab eruditione agendique solertia acceptissimus fuit, cujus et opera illi in gravissima causa sunt usi, maxime in Bohemorum negotio, nam cum aliis quinque legatus fuit missus, qui eos ad pacem et ut Basileam venirent, invitarent, nec sine fructu. Cum synodus ab Eugenio IV. coepisset deficere, mansit ipse pontifici fidelis multaque propterea est passus. Viennam iterum se contulit ad docendum magno collegarum gaudio, qui eum bis in decanum elegerunt. Non destitit tamen a reformationis negotio. Colmarium propterea profectus, ut eam induceret in conventum sororum, decessit Norimbergae 13. Aug. 1438 sepultusque fuit ad latus Raymundi de Capua sui quondam magistri generalis et reformationis praecipui fautoris. Quam plurima reliquit opera: praecipua sunt: *Myrmecia bonorum* sive *Formicarius* in 5 ll. divisus, ad exemplum sapientiae de formicis, quibus christianus quilibet tum admirabili formicarum exemplo tum historiis pro re accommodatis et ad parandam sibi sapientiam et ad vitam honeste pieque instituendam efficacissime eruditur, saepe editus s. l. et a.; Argentorati cur. Jac. Wimpheling 1517; Parisiis 1519; Duaci 1602 cum bonis annotationibus Georgii Colvenerii; Helmstadii 1692 sub titulo *de visionibus et revelationibus. Liber V. de maleficis*[1])

[1]) Cf. Jeiler KL². 9, 335; Sbaralea p. 550; Dietterle, die franziskanischen Summae confessorum, Döbelen 1893 p. XVII ss.

[1]) De hoc argumento scripsit et Angelus de Gambellionibus (Gambilio) Aretinus, insignis juris consultus et juris professor Ferrariae et Bononiae, in tr. *practica maleficiorum* 1472 s. l.; Coloniae 1599 et cum Alberti Gandini op. de eodem argumento Venetiis 1573; 1598 in f. adjuncta auctoris vita scriptore Ph. Diplovataccio. Alia ejusdem opera respiciunt jus civile. Cf. Fabricius I, 95; Schulte II, 365.

et earum deceptionibus, aliquoties prodiit in *Malleo maleficarum* Henrici Institoris. *Praeceptorium divinae legis* i. e. tr. de decem praeceptis, s. l. (Basileae) et a. (c. 1473), ed. rarissima; Argentinae 1476; Parisiis 1482; 1507 etc. saepissime editus, saltem decies et septies sec. XV; tr. *de contractibus mercatorum,* Parisiis 1514 etc. saepe pariter editus; *consolatorium timoratae conscientiae,* Parisiis 1487 in 4; 1494; Romae 1604 in 8. etc.; *de lepra morali* in c. XIII. Levitici, s. l. et a. (c. 1465); (Norimbergae c. 1470 vel 1471); Parisiis 1473; 1489; Lovanii 1475 in 4. etc.; *Manuale confessorum* ad instructionem spiritualem pastorum, s. l. et a. (c. 1466); Parisiis 1473; 1489 etc., duodecies saltem sec. XV. editum. Ascetica sunt: *Vierundzwanzig guldin harfen* halten den nächsten Weg zum Himmel, novies saltem editum sec. XV; quae est versio libera collationum 24 Cassiani; *Dispositorium bene moriendi,* seu ars moriendi bis editum; s. l. et a. (c. 1465); *Alphabetum divini amoris* seu de elevatione mentis in Deum, Gersonio subinde tributum, hinc inter ejus opera editum III, 770 ss.; Alostae 1487; Parisiis 1516; *de modo bene vivendi* Bernardo tributum, Parisiis 1494; Romae 1604; *de reformatione religiosorum* ll. 3, opus praeclarum, doctrina et mirabili pietate refertum, Parisiis 1512; Antverpiae 1611; *sermones* ejus quinquies saltem prodierunt, ut Argentinae 1489; Parisiis 1500 in 8; *epistolae* pretiosae pro historia concilii basileensis et transactionibus cum Bohemis, inter Monumenta conc. gener. sec. XV, Viennae 1857. Alia manserunt inedita, ut commentarius in magistrum sententiarum[1]).

[1]) Cf. accuratam biographiam K. Schieler Mag. Jo. Nider aus dem O. der Prediger Brüder, Mainz 1885; et hujus epitome KL. IX², 342 ss.; Aschbacher Gesch. der Univ. Wien, I, 446—51; P. Beck Allg. d. Bi. XXIII, 641—646.

428. Laurentius de Ridolphis (Rodulphis, Ridolfi) advocatus et professor Florentiae in gravissimis legationibus adhibitus, scripsit tr., ubi formantur 70 qq. principales *in materia alienationis rei ecclesiasticae,* Pisciae 1489 in f.; tr. continens *materiam usurarum,* Venetiis 1472 cum aliorum juris consultorum opusculis. Obiit c. a. 1450. — Philosophiam potius moralem illustravit Leonardus Bruni (Brunus) a patria Aretinus (n. 1369) vulgo dictus, philosophus, orator et historicus insignis, cujus tamen major est celebritas a literis classicis, graecis praesertim, de quarum cultura maxime fuit sollicitus. Hic Colucci Salutati et Em. Chrysolorae discipulus Petrarcae exemplo incredibili ardore studiorum excitatus his totum se dedit: hinc meruit ab Innocentio VII. adscisci (1404) in secretarium: quo munere functus est etiam sub Gregorio XII, Alexandro V. et Joanne XXIII. Hunc comitatus est Constantiam, et post ejus abdicationem diu munus gessit cancellarii reipublicae florentinae († 9. Mart. 1444). Hoc ejus epitaphium: »Postquam Leonardus e vita migravit, historia luget, eloquentia muta est, ferturque musas tam graecas quam latinas lacrimas continere non potuisse.« Juxta Aeneam Silvium nemo post Lactantii aetatem Ciceronis eloquentiae propius accessit. Plura veterum opera ex graeco in latinum vertit, qua in versione fidelissimum egit interpretem. Inter ejus opera plurima eminent *historiae florentinae ll. XII* (ad a. 1420), Argentorati 1610 in f.; versio italica Donati Acciajuoli saepius jam viderat lucem Venetiis 1476; 1561; Florentiae 1492 etc.; latine et italice ib. 1856; *Rerum suo tempore in Italia gestarum ab a. 1378—1440 commentarius,* Venetiis 1475; 1485; ad calcem praecedentis op. Argentorati 1610; Francofurti 1732; Muratori Scr. rer. It. XIX, 913—942; *epistolarum ll. 8,* praemissa vita Augustae 1521; Basileae 1535; Hamburgi 1724; ll. 10

Florentiae 1741; et aliis omissis[1]) Aristoteles *de moribus*, Lovanii 1475; Parisiis 1504; 1516 etiam sub inscriptione: *Introductio in moralem disciplinam* familiari Jo. de Stobnicza commentario explanata, Viennae 1515 in 4; Dialogi duo *de disputationis excercitationisque studiorum usu* et necessitate, Basileae 1536; Norimbergae 1734; s. Basilii tr. *de instituendis discipulis* scil. de non legendis gentilium ll. vel qualiter legi debeant (ineditus).

429. Ad *theologiam pastoralem* spectant praeter plures ex iis, quorum jam mentionem fecimus, Nicolaus de Plowe seu de Staravolcio de Blonie (Plovius) theologus et juris canonici consultus, episcopi posnaniensis capellanus, cujus plura exstant scripta: Tr. sacerdotalis *de sacramentis* deque divinis officiis et eorum administrationibus nutu episcopi conscriptus, a capitulo approbatus et clero in usum praescriptus, quo continetur etiam expositio missae clara, et agitur de horis canonicis, censuris, irregularitatibus. Cum esset valde practicus, saepissime prodiit, saltem decies sec. XV., undecies Argentinae 1488—1512; primum forte Vratislaviae s. a., dein Argentinae 1476 etc. et per partes in Oceano juris t. XIV; Parisiis 1514 etc. Ejus *sermones* de tempore et de sanctis prodierunt Argentorati 1495. — Arnoldus Gheiloven Roterdamensis studiis operam dedit Bononiae et Paviae, postea factus est can. reg. s. Aug. in viridi valle (Groenendael) prope Bruxellas († 31. Aug. 1442). Composuit *Speculum conscientiae* (Nosce te ipsum), subinde Gnotisolitos cognominatum constans ll. 2, quorum 1. agit de legibus et statutis, et de peccatis mortalibus; 2. de jure ecclesiastico poenali, Bruxellis 1476 in f.; 1479; 1490, Reper-

[1]) Cf. Mazzuchelli Scritt. d'Italia II, 4, 2196 ss.; Fabricius I, 269; Bone KL. II², 1372; A. Zeno I, 82; Tiraboschi VI. p. 2. l. 3 c. 1 n. 25 ss.

torium utriusque juris aliaque, ut videtur inedita[1]). — Nicolaus Magni de Jawor (Jauwer, Jauer, quod est oppidum patrium) Silesius, natus c. 1355, studiis vacavit Pragae, ubi magisterium promeruit artium, dein et theologiae. Rector praefuit academiae 1397, cathedramque rexit atque in ecclesia s. Galli concionatorem egit. Anno 1402 Heidelbergam transiit eamque universitatem tot magistris tum claram annos illustravit 33 ad mortem usque 22. Mart. 1435. Diu erat facultatis theologicae decanus, a. 1406 academiae rector ejusque nomine interfuit conc. constantiensi et basileensi. Canonicatu fruebatur in ecclesia s. Spiritus. Plurima reliquit scripta, quae manserunt inedita et ex quibus specimina adducit Ad. Franz, qui eum oblivioni eripuit et quasi ad vitam revocavit, in op. de eo Friburgi 1898 edito, ut ex ejus disp. *de tribus substantialibus* (pro monialibus) p. 62-76; *de superstitionibus* p. 163—195. In append. vero exhibet q. *utrum status propriis omnibus renunciantium alienaque mendicantium sit status perfectior* et vitae Christi conformior, p. 206-216; q. *de haereticis* p. 217-223; *sermonem* ejus habitum in conc. constantiensi p. 225—240, quem ex parte et sat mendose vulgavit van der Hardt de const. conc. IV, 45; V, 27, et ejus sermonem habitum in synodo wormatiensi p. 241—248.

430. Ut jam ad *ascesim* veniamus, impense laudat Trithemius de SE. c. 806 Joannem Rode (Rhode) patria Trevirensem „regularis observantiae instauratorem celeberrimum, ex cujus labore et fundamento novissima ordinis nostri reformatio Bursfeldensis coepit. Hic quondam literis operam dedit in gymnasio heidelbergensi, ubi s. theologiae baccalarius et canonum licentiatus doctissimus evadens mente et corpore mundum jamjam contemnere videba-

[1]) Cf. Foppens I, 202; Rivier Biogr. nat. 7, 708.

tur. Factus deinde metensis ecclesiae canonicus et s. Simeonis decanus atque curiae treverensis Officialis, omnia pro Christi amore contempsit et ordinem carthusiensem extra Treverim cunctis mirantibus intravit et prius aliquot annos prioratus officium (licet renuens et invitus) suscepit. Cernens autem Otto archiepiscopus treverensis virum illum esse doctum, expertum et zelosum, auctoritate summi pontificis de Carthusia extractum in praefato monasterio (s. Matthiae ap. extra muros treverenses OSB.) abbatem constituit et per eum multa coenobia in sua dioecesi reformavit . . . Scripsit autem pro reformatione monachorum *Constitutiones* utiles, et l. *de vita ac bono regimine abbatis,* quem primus edidit Pez in bibl. asc. I, 159—204. Ipse defunctus est 1. Dec. a. 1439. — Hermannus de Petra (van den Steen) (Petri) O. Carth. Santdorpius, Belga, vir in divinis Scripturis admodum versatus ac vitae integritate clarus, carthusiae burgensis monialibus per a. 34 praefuit († 1428), pro quarum spirituali profectu habuit 50 sermones *de oratione dominica*, Aldenardae 1480; Lovanii 1484. — Joannes Kraemer O. Carth. buxheimensis monasterii, Institor dictus, duo reliquit opuscula: *Breviloquium* animi cujuslibet religiosi reformativum, in quo monita non contemnenda sub descriptione 20 avium immundarum tradit; *de evitanda mala ira,* apud B. Pez in sua bibl. ascetica VII, 115-388, et quorum primum multum olim in monasteriis licet aspero et rudi stilo conscriptum lectitabatur († c. 1440). Ejus sodalis Gerardi de Schiedam (Stredam) laudantur plura opuscula ascetica, sed inedita († 1443) — Joannes Geuss (Geiz) e palatinatu superiori artium magister et theologiae doctor[1]) in universitate viennensi et canonicus, concionator ardens († 7. Aug. 1440) disseruit *de vitiis linguae*, Norimbergae 1479 in 4. — Joannes Moirs Coloniensis, de quo nihil certi scimus (fl. c. 1426), auctor est libri populo admodum grati, cujus Falk hist.-pol. Bl. 108, 212—219 quatuordecim editiones intra 1474—1523 recenset, inscriptum *Seelentrost,* qui exhibet exempla ad illustrandum decalogum: praeclarissimum opusculum hujus seculi lingua vulgari concinnatum. — Praetermisso Petro ad Boves (aux boeufs) O. Min. genevensi theologo universitatis parisiensis et eximio ecclesiaste (fl. 1390-1430), cujus *sermones* prodierunt Lugduni 1520; Parisiis 1521; Antverpiae 1643 in 4: Henricus de Balma O. Min. Genevensis, b. Coletae a confessionibus, vir magnae religionis, pietatis ac doctrinae († 23. Febr. 1439), scripsit *de mystica theologia* seu de triplici via ad sapientiam, passim s. Bonaventurae tributum et cum ejus opusculis editum, ut Argentinae 1495; Amstelodami 1647 in 12; *Stimulus amoris divini* ad Christi passionem sub s. Bonaventurae nomine saepissime editus, sed judice Sbaralea tr. abjectus sane et doctore seraphico indignus, compilatus ex illius aliorumque opusculis et ab aliis interpolatus, Parisiis 1490; 1507; Venetiis 1535 in 16; 1537 etc. — Praecipue vero mentione dignus est Henricus Mande (erronee Maude) Dortrechtanus n. c. 1360, prius scriba Guilelmi VI. comitis Hollandiae, qui concionibus piissimi viri Groote (cf. p. 718) motus totum Deo se dedit et aula relicta (1391) ad Florentium (p. 720) se contulit, inde transiit Windeshemium ibique vitam transegit, quin canonicus sit factus sacrosque ad ordines certis de causis potuerit promoveri. „Magnae fuit devotionis, narrat Busch in suo chronico windeshem., et exstaticae contemplationis, ut nunquam a lacrimis missam audiendo se contineret; flebat autem uberrime Dei liquefactus amore et

[1]) Cf. Linsenmayer J. Geuss, ein Prediger des 15. Jahrh. Passauer Monatsschr. III (1893), 825 ss.

offensionis suae timore. Praesertim cum ad eucharistiae venerabile sacramentum erat accessurus, tunc totus in lacrimas videbatur resolutus, ut chori pavimentum seu corporis indumenta lacrimis mundaret". Multis fruebatur visionibus et exstasibus († 1431). *Apocalypsim* sive revelationem ei ostensam super statu devotorum canonicorum reg. defunctorum latine redditam in suum recepit Busch chronicon, aliasque ejusdem visiones refert. Quatuordecim saltem libellos asceticos composuit stilo classico lingua patria de vita scil. spirituali, mentis devotione et interna in Deum contemplatione, in quibus revelationes sibi factas refert. Ii diu manserunt inediti: demum 1854 van Itersen pastor ea reperit, et eorum tria edidit Moll, in biographia Jo. Brugmann I, 259—313; aliud scil. *amorosam querelam* amantis animae ad Deum suum pro liberatione tenebrarum defectuumque suorum, in Calendario pro protestantibus Hollandiae 1860 p. 116—122. Ea admodum sunt devota, magna conscripta unctione stiloque florido. Specimina exhibet Hirsche, qui fusius de eo diserit, Realenc. II², 720—729. Plenius de eo agit novaque ejusdem opuscula edidit v. G. Visser, H. Mande Bijdrage tot de Kennis der Nord-Nederlandsche Mystick, Gravenhage 1899. Propter affinitatem sentiendi cum Ruysbroeck dictus est „Ruysbroeck batavus". Cf. Schulze Realenc. XII³, 183-18".

431. His addantur *concionâtores* quidam praeter tot, quos jam recensuimus, ut Joannes de Werden facundus O. Min. praedicator (fl. c. 1440), qui sub titulo *Dormi secure* reliquit sermones Norimbergae 1486; sermones *de Sanctis*, Lugduni 1488 et post alias ed. revisi, emendati et notis illustrati a Rod. Clutio O. Praed. Coloniae 1612; 1616; 1625; *sermones dominicales*, Lugduni 1488; Parisiis 1507; Argentinae 1521 in f. — Joannes Gritsch concionator celeber[1]) O. Min. reliquit *sermones* de tempore et de sanctis per annum, Lugduni 1492; Venetiis 1495; *quadragesimale*, (Ulmae) 1476; Basileae 1477; Norimbergae 1488 etc.; habuit sec. XV. ed. saltem 25. Prima editio a. 1475 (Ulmae) est rarissima. — Joannes Keck OSB. ex Sueviae oppido Giengen s. theologiae magister decretorumque doctor, in monasterio tegernseensi prior, interfuit concilio basileensi et ab Alberto III. Bavariae duce missus est orator ad pseudopapam Felicem V., qui eum constituit poenitentiarium († 1450). Scripsit multa volumina[2]) in regulam s. Benedicti, sermones, et quaedam etiam de concilio: ex quibus prodiit tantum cura Quirini ab. tegernseensis *Sacrorum sermonum silvula*, Tegernsee 1574 in 8.

432. Inter concionatores hujus periodi prae primis est laudandus s. Bernardinus Massae quidem in Etruria piis nobilibusque parentibus 8. Sept. 1380 natus, sed origine et a longo incolatu Senensis communiter dictus. Honeste educatus inter prima grammaticae studia pietatis atque misericordiae operibus totum se impendit. Aegrotantium cura adolescens, dum atrox pestilentia grassaretur, incredibili caritate sese exercuit. Gravi morbo tentatus eoque ad quatuor menses patientissime tolerato demum incolumis, de vitae religiosae instituto capessendo deliberare coepit. Post assiduas preces asperasque poenitentias ex divina inspiratione s. Francisci ordinem est ingressus (1402) et quidem ea in familia, quae rigidissime servaret regulam. Cum ei praedicandi onus esset impositum et

[1]) Cf. Eubel Gesch. der oberdeutschen (Straßburger) Minoritenprovinz Würzburg 1886 pag. 35.

[2]) Haec diligentissime recenset P. Lindner in l. Die Äbte und Mönche der Benediktinerabtei Tegernsee pag. 51 ss. sub num 47.

ipse se minus idoneum agnosceret ob vocis exilitatem ac raucitatem, Dei ope implorata, non sine singulari gratiae beneficio ejusmodi impedimento est liberatus. Exinde concionibus per universam Italiam inclaruit, et tristissimis illis temporibus, quibus vitia atque crimina redundabant et cruentis factionibus divina humanaque erant permixta, collapsam pietatem moresque verbo et exemplo magna ex parte restituit: quo factum est, ut praeclarae civitates eum sibi episcopum a summo pontifice postularent: quod ille munus invicta humilitate constantissime rejecit. Ordinis reformationem strenue fortiterque promovit, adeo ut fratrum reformatorum familia, quae ipso ordinem ingrediente tantum 20 numerabat conventus, ipso moriente amplecteretur ultra 250 domos intra et extra Italiam. Egregios formavit discipulos, inter quos emicuerunt s. Joannes Capistranus et Jacobus de Marchia. Invocationem cultumque nominis Jesu, quem semper in ore et in pectore gerebat, adeo ardenter propagavit, ut propterea haereseos fuerit a quibusdam insimulatus et ipse se debuerit apud romanum pontificem Martinum V. tueri. Denique vir Dei immensis laboribus exhaustus multis magnisque editis miraculis, libris etiam pie docteque conscriptis Aquilae Vestinis beato fine quievit 20. Maj. 1444. Jam post sexennium ab ejus morte a Nicolao V. inter sanctos fuit relatus[1]). Ejus scripta prodierunt collecta Lugduni 1501; Venetiis 1591 t. 4 in 4; Parisiis cura De la Haye 1636 in 4; 1650 pp. 5 in t. 2 in f. (m. 130) et Venetiis 1745 t. 4; sed nondum prodiit editio critica, accurata, tanto viro digna, cum neque omnium scriptorum genuinitas sit certa, et forte opera ipsius adhuc supersint in eas editiones non recepta. Potiora scripta sunt: *Sermones* de religione christiana, de Evangelio aeterno, de contractibus et usuris (14), de vita christiana, de pugna spirituali et de inspirationibus (45), de amore, de quatuor novissimis, de confessione, de speculo peccatorum, de augustissimo eucharistiae sacramento, de b. Virgine (seorsim Norimbergae 1473), in Apocalypsim etc., quorum plures etiam seorsim prodierunt[1]). Magnus erat verbi Dei ‚buccinator,' ut a nonnemine dicitur; quasi ‚alter Paulus', ut inquit Aeneas Silvius praedicavit; et Maphaeus Vegius in vita ipsius testa-

[1]) Vitam nostri sancti mox a morte scripsit Barnabo, in qua tamen praetermittit ejus infantiam et juventutem: eam habes in Act. SS. 20. Maj. V,* 277*—284. Biennio nondum elapso eam narrat Leonardus Benvoglienti vir cultus et muneribus civicis auctus. Hujus vitam fere integram s. Jo. Capistranus vitae, quam ipse adornavit, inseruit, est enim fide digna, ab auctore, qui sanctum bene noverat. Ea etiam usus est Maffei Vegio in sua biographia (a. 1453) in Act. SS. l. c.* 287—305; fere integra prodiit in Historia plurimorum sanctorum, Coloniae 1483; accurate prodiit in Anal. bolland. XXI (1902), 58—80. Aliam vitam scripsit Ludovicus Vicetinus O. Min. concionator apostolicus (1455), quam capitulum gen. a. 1484 ubique per ordinem a fratribus legendam praescripsit et in Act. SS. l. c. *262—*277 habes. J. Toussaint Das Leben des h. Bernardin v. S., Regensburg 1873; Alessi Storia di S. B., Mondovi 1899. De ejus operibus cf. Sbaraglia p. 131 ss.

[1]) Cf. Jeiler KL. II², 441, qui inter alia notat: Die eigenen Schriften des H. sind größtentheils tractatus seu sermones, nicht Predigten nach moderner Art, sondern förmliche Abhandlungen über Gegenstände der Moral, Ascese und Mystik, die von sehr reichem theologischen und kanonistischen Wissen Zeugnis ablegen und auch wichtige Aufschlüsse über die damalige Zeit geben. Es ist schwer einzusehen, wie sein zahlreiches Auditorium die nöthige Fassungskraft für so gediegene Abhandlungen gehabt hat. Cf. Paulus Thureau-Dangin Un prédicateur populaire dans l'Italie de la Renaissance s. Bernardin de Siena 1388—44, Paris 1896 ed. 2., opus classicum; Bacci Le prediche volgari di s. B. di Siena nel 1427, Siena 1895.

tur, se hunc saepe concionantem cum admiratione auscultasse „quod in pronunciationis gratia adeo larga naturae manu donatus fuerit, ut nihil dignius, nihil praestantius dici possit“: et sane dicendi praedicandique munus et artem diu jacentem hic primus erexisse fertur. *Considerationes*, per quas anima Dei gratia mediante pervenire potest ad contemptum rerum terrenarum et amorem coelestium, italice Lucae 1686.

XIV.

Theologi annorum 1451—1475.

I. Theologia dogmatica.

433. Haud pauci floruerunt in *Minorum* familia, quorum opera ad nos pervenerunt. Ita Nicolaus de Orbellis (Dorbellus) Andegavensis, theologiae magister, juxta Joan. a s. Antonio (II, 392) ‚in scholastica philosophia nulli secundus,' doctoris subtilis acerrimus vindex, in pictaviensi gymnasio docebat et disputabat. Posteritati dedit[1]) *super sententias compendium singulare* elegantiora doctoris subtilis dicta summatim comprehendens, Lugduni 1503; Parisiis 1517 in 8. etc.; *Commentarius* in 4 ll. sententiarum saepe admodum editus, Rotomagi s. a.; Parisiis 1488; 1498; 1499; 1511; 1517; Lugduni 1503; Hagenau 1504; Venetiis 1517; ad calcem quarundam editionum additus est (ut parisiensi 1498; 1511) tr. *declarationum quorundam terminorum* secundum doctrinam illuminati doctoris (Fr. Mayronis), estque declaratio divinorum nominum et attributorum. *Super summulas* Petri Hispani ad mentem Scoti, Parmae 1482; Basileae 1494; Venetiis 1489; 1517; *Compendium* dignissimum et utilissimum considerationis mathematicae, quoad arithmeticam et geometriam secundum ea, quae sunt necessaria naturalibus et supernaturalibus scientiis, Bononiae 1485; *de scientia mathematica,* physica, de anima, de coelo et mundo, meteoris, metaphysica ac ethica (quae forte sunt ejus commentaria in Aristotelem), Basileae 1494 in 4; et ib. 1503 cum ejus *logica.* Tribuuntur ei quoque *sermones* in omnes epistolas quadragesimales, Lugduni 1491 etc. Vixit adhuc a. 1465., quo vero obierit non constat. — Guilelmus Vorilongus (Vorlion, Forleo), Brito, theologus celeber et profundus, ea fuit doctrinae opinione, ut cum gravissima ferveret controversia de sanguine Christi inter Minores et Dominicanos (p. 885), evocatus fuerit e Gallia, ut coram Pio II. ea de quaestione disputaret; in qua tamen non videtur adeo emicuisse doctrinae soliditate. Scripsit *super quatuor ll. sententiarum* juxta doctrinam s. Bonaventurae et (praecipue) Scoti. Prodiit Lugduni 1484; 1489 in f.; Parisiis 1503; Venetiis 1496; 1519. Opus absolvit precibus

[1]) Cf. Sbaraglia p. 561; Jeiler KL. 9^2, 970.

ad Deum, b. Virginem, s. Franciscum, ad s. Paulum, ad s. Thomam, ad s. Bonaventuram, demum ad doctorem subtilem, ad quem hisce utitur (nimis exaggeratis) verbis: »Nunc ad te, amor meus, o doctor subtilis Joannes dictus, de donis se convertit lingua mea; non autem suspicor quemquam in terris viventem tuas laudationes digne celebrare sermonibus, quem miramur« etc. Repertorium, quod alio nomine dicitur *Vademecum* vel collectarium non opinionis Scoti, sed opinionum in Scoto nullatenus signatarum, Patavii s. a.; Argentinae 1501. Decessit Romae 1464. Aliqui ab eo distinguunt Guilelmum Forleo, quem Britannum dicunt, sed immerito juxta Sbaralea p. 320 col. 332. — Circa a. 1468. prodiit *Compendium ll. sententiarum* in modum conclusionum compositum s. l. (probabiliter Augustae V.) Joannis de Fonte O. Min., quo tamen is vixerit tempore, non liquet. — Joannes Coloniensis O. Min. Conv. reliquit *quaestiones* (430) J. Scoti abbreviatas et ordinatas per alphabetum super 4 ll. sententiarum, reportatis, quodlibetis, metaphysicis et de anima s. l. et a., Venetiis 1473; Basileae 1510 in 4, in qua tamen ed. qq. variant a prima[1]) ed. numero et loco, cum decisionibus cujusdam fr. Min. Obs., qq. capitibus adjunctis, notisque ac directorio praevio, necnon ingenti tabula et indice per Mich. Wildeck s. paginae professorem et majoris ecclesiae basileensis concionatorem, cura Dan. Meyer ejusdem ord. et theologiae professore (fl. 1510). Tribuitur ipsi et *commentarius in 4 ll. sententiarum* antiquis typis cusus, sed forte est idem opus cum priori. — Praetermittimus ex eodem ordine Petrum de Castiglione Italum, qui docuit in academia conimbricensi. — Angelum Serpetri Perusinum, per Umbriam contra haereticam pravitatem inquisitorem, qui ob pietatem, doctrinam, prudentiam omnium consensu in totius ordinis ministrum generalem electus fuit (1450; † 19. Aug. 1454) — Henricum de Werlis, universitatis coloniensis doctorem, disputatorem acutum et concionatorem egregium, ministrum provincialem per Westphaliam a. 32 († 10. Apr. 1463), qui praeter tractatus varios theologicos composuit tr. *de potestate pontificis* supra universalem Ecclesiam tam synodaliter congregatam quam dispersam occasione schismatis tempore conc. basileensis, ideoque ab hoc atro calculo notatum, sed ab ipso in *Clarificatorio* defensum (uterque tr. est ineditus) — Hugonem de Schlettstadt (fl. 1452), qui »s. Bonaventurae fuit sectator et interpres luculentus, enucleans ea, quae in singulari philosophia illius obscura et rariora simplicibus videri potuerunt,« ut scribit Trithemius de SE. c. 702.

434. Ordo *Praedicatorum* gloriatur Joanne de Turrecremata (Torquemada oppido patrio), qui fuit gentis hispanae ordinisque sui decus Ecclesiaeque universae splendidissimum lumen[1]) et columen (n. 1388). Patria erat Pincianus avita nobilique et chris-

[1]) Inscribitur etiam haec ed. *Quaestiones magistrales* in ll. sententiarum, metaphysices et de anima Jo. Scoti.

[1]) Ex eadem familia est Thomas de Torquemada pariter O. Praed., nostri ex fratre nepos. Natus est Vallisoleti 1420, et quamvis studiis strenue incubuerit, supremos scholae honores modeste semper admittere detrectavit. Praefuit prioris munere a. 22 conventui segoviensi. Magni factus est a Ferdinando et Isabella regibus, quibus erat a confessionibus et a consiliis status. Omnes infulas recusavit, unum inquisitoris per universa coronae regna generalis munus ab a. 1483 admisit atque magno obiit zelo († 16. Sept. 1498). Scripsit varias ordinationes seu statuta circa modum procedendi inquisitorum (a. 1484. 1485. 1488 et 1498), quae jussu Alph. card. Manrique archiepiscopi hispalensis et inquisitoris generalis typis prodierunt in *Copilacion de las instruciones* de l'officio de la inquisicion etc. Matriti 1576. Cf. Quetif I, 892.

tiana de stirpe oriundus. Pietati studiisque in ordine ab a. aetatis 16. egregiam navavit operam, adeo ut nulla in eo desideraretur virtus. Ludovicus a Vallisoleto Joannis II. Castellae regis ad concilium constantiense legatus eum habere voluit comitem. Postea a superioribus Parisios missus est, ut gradus consequeretur academicos. In Hispaniam reversus maximam fecit omnibus aestimationem sui non solum doctrinae soliditate, sed et prudentia, religione, morum animique facilitate, hinc in priorem electus fuit conventus pinciani, dein toletani. Inde Romam venit et ab Eugenio IV. factus est magister s. palatii 1431: qui eum et theologum misit ad synodum basileensem (1432). A patribus designatus fuit tum Augustini de Roma propositionibus examinandis[1]), tum b. Birgittae revelationibus recognoscendis, cum ex illis excerpta fuissent 123 loca suspecta vel ambigua. Examine instituto loca illa ab omni vindicavit censura. Ceterum concilium hac in causa ultra non est progressum, neque postea sedes apostolica[2]). Sed et in aliis de fide negotiis seu cum Bohemis seu cum Graecis seu de reformatione non parum claruit et pro sedis apostolicae dignitate strenue laboravit, Eugenium constanter adversus quorundam impetus et conamina propugnando: quam ob rem pontifex in diplomate 30. Oct. 1436 Joannis scientiam, virtutes ac probitatem sibi, sedi apostolicae et romanae Ecclesiae plurimum profuisse agnoscit. Soluto concilio adhibitus est ab eodem pontifice in variis difficillimis legationibus et in negotio unionis Graecorum cum Ecclesia romana in concilio ferrariensi mox Florentiam translato. In praemium eruditionis, virtutis laborumque creatus est cardinalis 18. Dec. 1439, assignata ipsi ecclesia s. Sixti, unde passim dictus est cardinalis a s. Sixto. In omnibus majoribus Ecclesiae negotiis deinceps etiam ab Eugenii successoribus fuit adhibitus. Cum Bosniae rex regni sui magnates Manichaeorum sordibus infectos, ut in fide catholica instituerentur Romam misisset (1461), eos Pius II. Joanni tradidit, quos sic veritatem docuit, ut errorem imbibitum palam ejurarint. Obiit Romae 26. Sept. 1468 magni factus a viris suae aetatis primi nominis, ut a Bessarione, Jo. Ant. Campano, Nic. Perotto, Blondo historiographo etc., ab Eugenio IV. et Pio II. defensor fidei dictus. Auctor fuit liberalissima sua largitate utilissimae et beneficae sodalitatis b. Virginis Annunciatae, cujus scopus est, quotannis virgines egenas romanas dote juvare, ut in matrimonio honesto collocentur. Quidquid temporis negotiis publicis surripere potuit, libris doctis scribendis impendit, quorum haud paucos reliquit.

435. Ex operibus, quorum 27 edita sunt, saltem 14 manserunt inedita, en potiora: Commentarii (admodum prolixi) *in decretum Gratiani,* Lugduni 1519 t. 6 in f.; Romae 1555; Venetiis 1578 t. in 4 in f., in quibus qq. canonicas scholasticorum more tractat s. Thomae vestigiis insistens. *Gratiani decretorum ll. 5* secundum Gregorianos decretalium ll. titulosque distincti, Romae 1726 t. 2, de cujus tamen operis genuinitate dubitatur[1]). *Summa de Ecclesia,* Romae 1489; Lugduni 1496; Salmanticae 1560; Venetiis 1561: in ea vero agit l. 1. de universali Ecclesia; l. 2. de Ecclesia romana et pontificis ejus primatu, cui summam vindicat potestatis plenitudinem, adeoque ipsam infallibilitatis praerogativam; l. 3. de universalibus conciliis; 4. de schismaticis et haereticis. LL. 2. et 3.

[1]) Cf. ejus *repetitiones* super quibusdam Augustini de Roma propositionibus apud Mansi Conc. coll. XXX, 979—1034.

[2]) Cf. Mansi XXX, 698-814, ubi omnia, quae huc spectant, reperies.

[1]) Cf. Schulte II, 323 ss.

recepti fuere, quia dives constituunt armamentarium pro tuendis romani pontificis juribus, a Roccaberti in suam bibliothecam max. pontificiam t. XIII, 283—575, sicut et ejus l. *de potestate papae* et concilii generalis auctoritate (p. 575—611), in quo 1. ostendit apostolicam sedem non fovere haereses, sed destruere, et 2. romano pontifici jure divino omnes inclinare caput: est scil. responsio ad basileensem oratorem coram Eugenio IV. in concilio florentino exhibita: prodierat Coloniae 1480; Venetiis 1563 opera Camilli Campegii, quae ed. dicitur a priori differre; Oeniponti 1871 ed. Jo. Friedrich. Tr. contra avisamentum quoddam Basiliensium, *quod non liceat appellare a concilio ad papam,* apud Mansi Conc. coll. XXX. 1072—1094; Tr. in favorem Eugenii IV. *contra decreta conc. constantiensis,* in quo fuit depositus Joannes XXIII. et contra gesta in conc. basileensi adversus Eugenium, ib. p. 550-90; Venetiis 1563 in 4. etc. Apparatus *super decreto unionis Graecorum* in s. oecumenico conc. Florentiae celebrato ab Eugenio IV. promulgato, Venetiis 1561 (cum summa de Ecclesia); Meditationes *in vitam Christi,* Coloniae 1607 in 12; Antverpiae 1607 in 12; Expositio brevis et utilis (desumpta ex Hieronymo, Augustino, Remigio et Cassiodoro) *super toto psalterio,* Romae 1470; 1476; Moguntiae 1474 editio rara et pretiosa (m. 170); Argentinae 1485; Venetiis 1485 inf.; 1513; 1524 in 8. et saepius alibi; Quaestiones spirituales convivii delicias praeferentes *super evangeliis* tam de tempore quam de sanctis, Norimbergae 1478 in f.; Brixiae 1498; Lugduni 1500; 1508; 1509 etc., a quo amplitudine videtur differre opus appellatum *Flos theologiae* complectens qq. dignissimas cum solutionibus earundem circa textum epistolarum atque evangeliorum tam de tempore quam de sanctis et festorum emergentium totius anni cum introductionibus thematum praeclarissimis de quacunque materia praedicare valentibus applicabilium, Basileae 1481 in f. etc. Tr. *contra principales errores perfidi Mahometis* et Turcarum sive Saracenorum, Parisiis s. a.; Romae 1606 in 8; *Flores sententiarum* d. Thomae Aq. de auctoritate summi pontificis, Augustae 1496; Lugduni 1496 ad calcem summae de Ecclesia; Venetiis 1562 cum aliis tract. gemini argumenti; tr. *de corpore Christi* adversus Bohemos, Lugduni 1578 in 24; tr. *de veritate conceptionis bb. Virginis* pro facienda relatione coram patribus conc. basileensis a. D. 1437 mense Julio de mandato sedis apostolicae legatorum ejusdem s. concilio praesidentium compilatus, recognitus et nova cc. divisione clarior redditus opera Alb. Duimii de Catharo O. Praed. Romae 1547 contra Joannis segobiensis avisamenta et allegationes (cf. supra p. 835): in quo immaculatae V. conceptioni adversatur. Tr. *de efficacia aquae benedictae* contra Petrum Anglicum in Bohemia, s. l. (Romae) et a.; Augustae 1480; Romae 1524, cui ed. accedit tr. *de defectibus in missa* adversus Petrum Anglicum; 1559; *Revelationes s. Birgittae* cum earum apologia, Coloniae 1628; *orationes* seu diss. *duae* in conc. florentino lectae, in quarum prima contra Graecos demonstrat confici eucharistiae sacramentum sive in azymo sive in fermentato atque verius esse Christum D. consecrasse in azymo; in altera agit de forma transubstantiationis ostendens, verbis Salvatoris, non aliis, fieri transubstantiationem, quae reperiuntur in actis ejusdem concilii. Tribuuntur ipsi praeterea *Expositio literalis* omnium s. Pauli epistolarum, Basileae 1490; et *quodlibetica,* quae dicuntur prodiisse Argentinae 1490 cum sermonibus et tractibus Petri de Alliaco. Ipse quoque impugnavit[1]) assertiones quasdam Alphonsi Tostati, de quo cf. infra p. 918.

[1]) Cf. Quetif I, 837; Ant. Nicolaus in bibl. vet. hisp. l. X. c. 10 n. 515 ss.; Le-

436. Bartholomaeus Lapacci, Rambertinus, Rimbertinus vel Ubertinus, vel simpliciter de Florentia a patria dictus, Ecclesiae sec. XV. columen fuit juxta Quetif ac praeclarum ordinis s. Dominici et aevi sui sidus. Natus est a. 1399. Scholas rexisse diligenterque patrum studio incubuisse videtur, nam inter decem theologos ex parte Latinorum selectos, qui cum Graecis conferrent de decreto unionis et concordiae formando, et ipse censetur fuisse. Joanni de Turrecremata in munere magistri s. palatii successit. Missus dein fuit cum card. Francisco legato a latere in Orientem et dictus episcopus coronensis, ubi disputavit cum famoso Marco Ephesino acerrimo adversario unionis Graecorum cum Latinis initae in concilio florentino. Occupata a Turcis Graecia sedem suam relinquere est coactus. Hinc Florentiam secessit ibique decessit 1466. Ex tr. Jo. de Tambaco O. Praed. (cf. supra p. 663) extraxit l. *de sensibilibus deliciis paradisi* respectu omnium exteriorum sensuum corporis humani in patria, Venetiis 1498. Reliquit (ineditos) praeterea sermones, tractatus ut de Spiritus s. distinctione a Filio etc. et tr. de sanguinis pretiosissimi crucifixi divinitate ad ss. papam Pium (II.). Haec controversia tunc temporis acriter agitabatur inter theologos ord. Minorum et Dominicanos. Hinc habita est celebris concertatio coram Pio II. in natalitiis Domini a. 1463. Ex ordine s. Dominici selecti fuere qui disputarent Gabriel Cassafages patria Barcinonensis, prior et regens studii bononiensis, necnon et inquisitor generalis Vercellinus de Vercellis et Jacobus de Brixia, inquisitor, qui forte idem est cum Jacobo de Petris (Petri) O. Praed. brixiensi theologiae magistro, cui aliquot opera (inedita) tribuuntur. Hic Jacobo de Marchia O. Min. publice praedicanti, fusum in cruce Christi Domini sanguinem triduo mortis divinitati non mansisse conjunctum, nec triduo illo fuisse adorandum, mandavit ut errorem revocaret: nisi quam primum pareret, diem coram suo tribunali de fide responsuro dixit. Hinc vel in populo nata discordia, aliis Minoritis faventibus, aliis Dominicanis adhaerentibus. Has turbas ut sedaret Pius II., quaestionem ad suum evocavit tribunal et judicium. Ex Minorum familia[1]) comparuerunt Franciscus de Savona, postea cardinalis de la Rovere et demum pontifex Sixtus IV., (secundi nomen tacetur) et Guilelmus Vorilongus (cf. p. 625). Disputationis argumentum erat: Utrum sanguis Christi effusus in cruce et in resurretione resumendus permanserit personae Verbi adunatus ut corpus ejus in sepulcro eidem personae hypostatice conjunctum permansit. Disputatio tribus diebus agitata est adeo ardenter, ut media hieme disputantes in sudorem resolverentur. Disputatione soluta Pius II. omnibus bene expensis noluit controversiam peremptorie dirimere, sed in aliud tempus decisionem distulit, interim graviter prohibens, ne alterutra sententia haeretica diceretur vel statueretur peccatum esse alterutram tueri[2]).

derer der spanische Card. Joh. von Torquemada, sein Leben und seine Schriften, Freiburg 1879. coll. diss. Langhorst Stimmen aus Maria Laach 1879 XVII, 447—62, qui auctorem nostrum tuetur adversus accusationes ac si ipse exaggeraverit pontificis potestatem prae episcopis, ejusque subinde emendat opiniones. Feret IV, 336—343.

[1]) Cum his sensit et stetit etiam Laurentius Roverella episcopus ferrariensis († 1476), cujus elogium cf. apud Tiraboschi VI p. 1. l. 2. c. 1 n. 23.

[2]) Cf. Quetif I, 822 ss., qui etiam ibidem meminit quorundam scriptorum occasione hujus controversiae compositorum, quae fere omnia sunt inedita, et quaedam ex disputationis actis exhibet. Refert tamen Leonardus de Utino, de quo mox, in suo tr. de sanguine Christi, Pium II. in ep. ad episc. Hispaniae jussisse, ut fratribus Minoribus liceret in sua sententia perstare, aliis vero non licere eisdem contradicere. Schroedl KL. VI, 1153.

Sententiam Dominicanorum exposuit hujus ordinis sodalis Leonardus Matthaei, vulgo de Utino „primus“ et „senior“ ad discrimen alterius recentioris dictus, qui insignis fuit concionator totaque Italia celeber, s. Thomae doctrinae mire affectus, hinc ejus scita sermonibus suis omnibus ut fundamenta ponit. Bononiae fuit regens scholae et prior et Lombardiae inferioris provincialis[1]). Theologus interfuit concilio Ferrariam translato, ibique tum etiam Florentiae coram patribus synodi conciones habuit († 14. Maj. 1469; secundum alios 1470). Ejus tr. mirabilis *de sanguine Christi* in triduo mortis effuso an fuerit unitus divinitati, Venetiis 1617 prodiit; ejus *quadragesimale aureum* 1471 s. l. (Venetiis) et alibi; Sermones quadragesimales *de legibus* (idem forte opus), Venetiis 1473; Sermones aurei *de sanctis,* Utini 1466; s. l. et a. (Moguntiae 1470); Venetiis 1473; 1475; Spirae 1478; s. l. et a. (Argentorati 1480) etc.; *Sermones floridi* de dominicis et quibusdam festis, Ulmae 1478 etc.; omnes[2]) simul Norimbergae 1478; Spirae 1479; tr. *ad locos communes concionatorum,* Ulmae 1478. — Magnis encomiis celebratur Raphael de Pornasio (Pornassius) natali loco in Liguria tractus Januensis, de quo ita Barth. Fazio[1]): „R. Pornassius dialecticae ac philosophiae itemque divinarum rerum artibus ornatus inter theologos nostri temporis singularis judicatur. Rerum antiquarum studiosus, earum maxime, quae ad mores et religionis cultum pertinent. Platonis, Aristotelis ac ceterorum philosophorum veterum scripta, quae consentire cum Evangeliis et Christi veri ac summi Dei nostri dictis viderentur, in unum volumen collegit, dictaque cum dictis contulit, ut summam sapientiam h. e. Dei Verbum ac Filium omnium philosophorum sententias non aequasse modo, sed etiam superasse doceat . . . In disputationibus subtilis atque acerrima vitae innocentia ac puritate.“ Sacrae theologiae erat magister, fideiinquisitor in tota ditione januensi et Marchia (1430—1450) ac suae eruditionis reliquit ad 30 opuscula de argumentis praesertim, quae tunc tractabantur in concilio basileensi, quae diligenter recenset Quetif, ex quibus tantum p. prior t. *de communi et proprio,* scil. de paupertate religiosa prodiit Venetiis 1503. — Antonius de Carlenis Neapolitanus, coadjutor Andreae archiepiscopi amalphitani cum jure successionis: et revera Andrea absente ecclesiam amalphitanam administravit et ab a. 1449 proprio nomine rexit († 1460). Scripsit super 4 ll. sententiarum. — Theophilus Cremonensis praelo subjecit *Commentaria s. Thomae* de Aquino in Aristotelis varios ll., a se diligentius ad varios codd. mscr. recognita et a notariorum mendis expurgata, Venetiis 1471 in f.; *propositiones* ex omnibus Aristotelis opp. collectae, ib. 1493 in 4.

[1]) Cf. Kaulen KL. 7, 1817; Liruti Notizie dei Letter. del Friuli 1, 371. — Leonardus de Utino junior pariter O. Praed. toto seculo posterior fuit. Ob aliquas propositiones de praedestinatione prae concione populo propositas sat duras accusatus fuit apud Joannem Grimani patriarcham aquilejensem (1545—50), qui illas censuit sustineri posse, imo pro illis in literis ad vicarium suum datis stetit. Ferunt vero patriarcham propter has literas doctrinamque iis contentam ad cardinalatum jam promovendum eum honorem sub Pio IV. non esse adeptum. Res quoque delata est ad patres tridentinos, qui Grimani propositiones a censura immunes censuerunt. Cf. Quetif II, 135; Werner der h. Thomas III, 470 annot.

[2]) De his sermonibus censet Keppler KL. X, 337: Mit konstanter Dreitheilung; riesiges Material, aber musterhaft geordnet, voll Gelehrsamkeit, Gründlichkeit, Verstandesschärfe, jedoch wenig populär und etwas vernachlässigt in der Form.

[1]) De viris ill. p. 42. Cf. Quetif I, 831; Tiraboschi VI. p. 1 l. 2. c. 1 § 16.

437. Ex ordine *s. Augustini* nullum reperimus celebriorem theologum. Martinus Corbejus seu a Corbenis Tolosanus († 1470) plurima reliquit mscr.; pro more commentaria in Aristotelem, magistrum sententiarum, et in cantica canticorum, in ep. ad Romanos, l. in canonem bibliorum etc. — Ejus concivis et sodalis Guilelmus Safontis (Safontius), theologiae magister et regens studiorum Lemovici († c. 1453) pariter in magistrum sententiarum scripsit. — Quod praestitit et Isaias Bonerus Cracoviensis, s. theologiae doctor († 8. Febr. 1471), cujus in sanctitatis fama defuncti memoriam academia cracoviensis quotannis sermone celebravit. Ejus commentarii in 4 ll. sententiarum prelo dicuntur publicati, sed ubi et quo anno nos latet. — Augustinus de Cumis Mediolanensis, theologiae magister († c. 1451) composuit breviloquium in ll. sententiarum et disputavit de conceptione b. Mariae V., de quatuor virtutibus cardinalibus, de septem peccatis mortalibus etc. — Neque ex *Carmelitarum* familia aliquis speciali modo inclaruisse legitur. Plures interpretati sunt magistrum sententiarum: David Bosco (Boys) Cambrensi, theologo oxoniensi plura tribuuntur, sed inedita (fl. 1451). — Joannes a Mechlinia, a familia Hulsthout cognominatus, doctor, magister et vicecancellarius coloniensis, multis annis philosophiam et theologiam docuit († 1489). Ejus praeter commentaria (inedita) in magistrum sunt *Copulata* secundum doctrinam Alberti M. in ll. 3 Aristotelis de anima, Coloniae 1491; Aristotelis *parvorum naturalium* textus latine cum commentario ex Alberti M. doctrina collecto, ib. 1498 in f.; *Speculum historiale O. b. M. de Monte Carmelo*[1]) in speculo ordinis carmelitici, Venetiis 1507 etc. — Joannes Stamberg (Stanbrigius, Stenobrigus) Carmelitarum in Anglia suo aevo facile princeps, doctor erat oxoniensis, episcopus banchorensis (1448), dein herefordensis (1453; † 11. Maj. 1474), cujus consilio saepius usus est Henricus VI. Plurima reliquit, praesertim indices ad ss. patrum opera, sed omnia inedita. — Nicolaus Coch doctor et professor parisiensis, narbonensis provinciae a. 31 praepositus, decessit fere centenarius a. 1451 relicto etiam commentario in Genesim. — Godefridus de Loe (Lor) Belga, professor theologiae in universitate lovaniensi († 1469). — Goswinus Hexius (Haeks) Brabantus doctor parisiensis, episcopus hieropolitanus et auxiliaris ultrajectinus († 1475), cujus plura laudantur opera inedita[1]). — Joannes Faci (Phaci) Gallus, s. Scripturae professor, prior generalis (1431), Eugenio IV. carus, qui episcopus regiensis sub metropolitano aquensi factus est, scripsit etiam in aliquot s. Scripturae locos († 22. Dec. 1464). — Joannes Soreth Cadomensis magister ordinis generalis (1451; † 25. Jul. 1471); a Trithemio de SE. c. 847 impense laudatus, ut „carmelitici ordinis decus, gloria, splendor et reformator, qualem nostra raro viderunt secula, rarius cernent ventura. Totus Deo deditus, totus lectioni et orationi intentus, contemptor mundi; amator, norma et speculum monasticae conversationis, angelicae puritatis imitator“ etc.

438. Praetermissis Gasparino Borro O. Serv. b. M. V., qui diu publice sententias magistri exposuit et 4 ll. in eas ad mentem Scoti scripsit (fl. 1475) — Ambrosio Spiera

[1]) Cf. Biogr. nat. de Belg. 9, 691. Ceterum quae spectant hunc auctorem non satis liquent: non desunt qui tres ex ipso faciunt: Jo. de Mechlinia, Jo. Hulsthout et Jo. de Molinis, cui tribuunt speculum historiale, ut auctor bibl. carmelitanae, quem supra p. 653 secuti sumus.

[1]) Cf. Foppens bibl. belg. I, 379; Allg. d. Bi. X, 310.

seu Spera Tarvisino ejusdem ord., quem sodales magnis encomiis efferunt ob omnigenam doctrinae eruditionem († 1454) et cujus opera[1]) pro fide catholica Venetiis 1485 prodiisse leguntur (non tamen, ut videtur, subtilissimum scriptum super libris sententiarum), Quadragesimale *de floribus Sapientiae*, ib. 1476; 1481 — Antonio Cerdano O. S. Hier. Majoricensi, quem Pius II »principem theologorum« dixit, archiepiscopo messanensi et cardinali († 12. Sept. 1459) — Joanne Bapt. Caccialupi (Gazalupis) de comitibus de Tuscia a s. Severino Campaniae oppido, juris civilis professore senensi et advocato consistoriali in rom. curia, cujus plura edita sunt[2]), quae spectant ad jus civile, Repetitio *de summa Trinitate*, Papiae 1508 in f., et in collectione Repetitionum, Lugduni 1553; et *Modus studendi* in utroque jure, cui subjecit indicem juris consultorum usque ad a. 1462; in Titulorum omnium juris tam civilis quam canonici *expositiones*, Venetiis 1564; Lugduni 1569; 1578; Lipsiae 1721 cum Guidone Panzirolo — Henrico de Zoemeren vico Brabantiae, doctore parisino, professore Lovanii et decano antverpiensi († 1472), qui in gratiam Bessarionis scripsit epitomen 1. p. dialogi Guil. Occami *de haereticis*, Lovanii 1481 in f., et controversiam habuit cum Petro de Rivo professore philosophiae de futuris contingentibus, qua Romam delata, sententia in favorem Henrici lata est[3]): ex clero seculari mentione digni sunt: S. Joannes Cantius a loco nativitatis in ditione wratislaviensi (n. 1415), qui Cracoviae studiis operam dedit ibidemque cathedram theologiae illustravit († 1473). Interpretatus est praeter Magistrum sententiarum et s. Thomam s. Matthaei Evangelium et s. Pauli epistolas. — Heimericus de Campo, n. in oppidulo Sonn prope Buscum-Ducis, qui Coloniae philosophiam docebat atque decanum facultatis artium agebat. Demum factus est regens bursae laurentianae et vicecancellarius universitatis. Doctrinam Alberti M., quae suo in gymnasio florebat, strenue voce et calamo propugnavit contra Thomistas bursae montanae. Cum a. 1426 fundatae a Joanne Brabantiae duce academiae lovaniensi magistri ex uniuersitate coloniensi postularentur, unus e multis Heimericus delectus est et post a. 1429 Lovanium profectus 15 a. cathedram theologicam rexit, factus subin canonicus collegiatae d. Petri lovaniensis, itemque Anderlechi. Ferias transigere amabat apud religiosos bethlehemitas haud procul Lovanio, quos docebat complementa artis et scientiae Raym. Lulli, quod ‚omne scibile' praenotabat († 1460). Scripsit *Problemata* inter Albertum M. et s. Thomam ad utriusque opinionis intelligentiam multum conferentia, Coloniae 1496; 1517 recusa; *Promptuarium argumentorum disputatorum* inter lilium Albertistam et spineum Thomistam; et *Reparationes naturalis philosophiae* secundum processum Albertistarum et Thomistarum, Coloniae 1492. Multa manserunt inedita, ut supra ll. 4 sententiarum magistri, tr. de concilii auctoritate, in quo contra concilium basileense adhaeret Eugenio IV.; eum scripsit impulsu Nicolai Cusani. — Joannes Gochius a loco patrio Goch, Pupper (proprie Capupper) nomine familiae, et Mechliniensis a loco commorationis nuncupatus, fundator domus canonissarum s. Augustini in Thabor apud Mechliniam († 28. Mart. 1475), de cujus vita nihil certi est compertum, scriptis suis fere ineditis magnos excitavit rumores. Discipulus erat famosi Wesselii (cf. infra). Prodierunt ex ejus scriptis *de libertate christiana* dialogus; Antverpiae 1521, l. rarissimus, sed ad

[1]) Cf. Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. I, 204.
[2]) Cf. Morus Bibl. picena III, 119 ss.
[3]) Cf. Feret IV, 144.

finem non perductus; *de quatuor erroribus* circa legem evangelicam exortis et religionibus factitiis dialogus apud Walch Monumenta I fasc. 4 p. 73—240; *de scholasticorum scriptis* et religiosorum votis epistola apologetica contra Dominicanum quendam (cf. Engelbertum Cultrificis, de quo infra), ib. II fasc. 1. pag. 3—24, et alibi jam antea. *In Dei gratiae et christianae fidei commendationem* contra falsam et pharisaicam multorum de justitiis et meritis operum doctrinam et gloriationem fragmenta aliquot, s. l. et a. (Antverpiae 1523). Merito quidem in ejus scriptis reprehenduntur aversio a philosophorum, Aristotelis praesertim, scriptis et a scholastica theologia, aliquot opiniones minus sanae de votis religiosis, de discrimine inter presbyteros et episcopos, sed frustra et contra veritatem Protestantes ut Flaccius, Walch, qui Gochii scripta edidit cum prolixis prolegomenis, Ullmann, Lechler etc., eum adnumerant testibus errorum Lutheranismi. Ceterum dubitari subinde potest de textus integritate[1]). Ea porro in classem l. ll. prohibitorum indicis relata sunt. — Cajetanus de Tienis vicentinus primum medicus, philosophus, dein canonicus († 1462), qui Averroistarum sectabatur opiniones, reliquit commentaria in aliquot Aristotelis opera. — Joannes Germanus (Germain) Cluniacensis, in Sorbonna studiis operam dedit factusque est episcopus nivernensis, dein cabillonensis, ordinis velleris aurei cancellarius, ducis Burgundiae in concilio basileensi legatus († 2. Febr. 1461). Ex plurimis ejusdem scriptis, inter quae sunt commentaria in magistrum sententiarum, dialogus inter Christianum et Saracenum ll. 5, l. contra opiniones Magistri Augustini de Roma (cf. p. 881), de conceptione b. Mariae V. etc., prodierunt tantum Liber *de virtutibus Philippi (III.)* Burgundiae et Brabantiae ducis, vulgo Boni, apud Ludewig Relig. msc., 1737 XI, 3-127; et apud Kervyn de Lettenhove in Chroniques relatifs à l'hist. de la Belgique etc., 1876. II. Collection de Chroniques Belges p. 1—115; et *Mappa mundi* spiritualis, sed retractata, alphabetice disposita et additionibus aucta in *typographia sanctorum Christi martyrum*[1]). Parisiis 1573. Opus originale reperit Fischer in bibl. regiae bruxell. cod. 1038.

439. Nominandus jam est Nicolaus a vico Cues ad Mosellam sito Cusanus cognominatus n. 1401. A patre professione nauta, nomine Krebs (Chrypffs Chrypftz), puer durius tractatus clam aufugit benigneque exceptus fuit a comite de Manderscheid. Studiis humanioribus operam dedit Heidelbergae, Patavii juri, sed simul mathesi, philosophiae atque literis classicis incubuit magistro utens celebri Juliano Cesarini (cf. supra p. 819). Annos n. 22 doctoris decretorum gradu fuit insignitus. Advocatum primo egit, verum mox se ad theologiam convertit et jam a. 1430 comparet decanus capituli s. Florentii Confluentiae, dein archidiaconus et protonotarius apostolicus. Interfuit concilio basileensi missus a comite Ulrico de Manderscheid, electo archiepiscopo trevirensi, ut hujus causam adversus ejus aemulum Rabanum de Helmstatt episcopum spirensem ab Eugenio IV. ad sedem trevirensem promotum ageret. In illa synodo[2]) et ipse

[1]) Cf. Niemoeller S. J. KL². 6, 1678-84; Otto Clemen Joh. Pupper v. Goch, Leipzig 1896 et Realenc. VI³, 740—743; Knaake theol. Studien und Kritiken 1891 p. 738-774.

[1]) Cf. Feret IV, 153—59.

[2]) Cf. de ipso in conc. basileensi disserentem Birk in hist. Jahrb. 1892. XIII, 770—782. — De Joanne de Lysura quia de Lieser oppido trevirensis ditionis, Cusani aequali, cf. F. Falk Katholik 1896 II, 437—454. Fuit ipse Theodorico electori moguntino a consiliis, concilii basileensis assecla, sed postea transiit ad

concilii potestatem supra papae auctoritatem extulit, quem in finem scripsit l. *de concordantia catholica ll. 3*, in quibus fuse agit de juribus et auctoritate conciliorum, quam pontifice superiorem tuetur, in eoque donationem Constantini M. rejicit. Huc pertinet etiam ejus disp. *de auctoritate praesidendi in concilio generali* edita a Düx in op. der deutsche Cardinal N. v. Cusa, Regensburg 1847. I, 475—91. At cum vidit adversariorum Eugenii IV. conatus et studia eo vergere, ut dirum in Ecclesiam schisma renovaretur, eorum audaciam detestatus Julianum Caesarinum, quem honorabili vocabulo patrem suum et praeceptorem nuncupare solet, et Aeneam Silvium secutus pro Eugenio IV. ejusque auctoritate scriptis et viva voce decertavit: qua de re consulatur ejus ep. prima ad Rodericum archidiaconum de Trevino regis Castellae in francofordiensi conventu oratorem, in qua de summi pontificis potestate ex fundamenti notione disserens, eam conciliis et principibus praeponit ac schisma diabolicum crimen et stygis abortum nominat. Etiam in negotio cum Husitis partem habuit binasque ad eos propterea literas dedit, et in promovenda unione Graecorum cum Ecclesia romana: qua in causa missus est legatus Constantinopolim atque inde imperatorem ad conc. comitatus est florentinum (1437). Ab Eugenio IV. in Germaniam destinatur ad impediendum schisma, atque adeo strenue pontificis causam egit, ut ab Aenea Silvio diceretur Eugenianorum omnium Hercules. Porro in hisce legationibus teste Aenea Silvio „tanti viri religionis zelus, animi candor, prudentiae vis, judicii gravitas, facundiae splendor et consummatae profunditas doctrinae omnium plausu excepta quam maxime enituit“. Hinc Nicolaus V. Eugenii successor eum ob eximiam doctrinam et miram prudentiam 20. Dec. 1448 (ab illo, ut ferunt, in pectore reservatum) cardinalem proclamavit, mox 1450 ecclesiae brixinensi praefecit atque ipse eum in episcopum ordinavit deditque negotium promulgandi jubilaeum et reformandi clerum tam regularem quam secularem per Germaniam. Visitavit[1]) varias Germaniae provincias non sine fructu praeseditque conciliis provincialibus Salisburgi, Bambergae Magdeburgi, Moguntiae (14. Nov. 3. Dec. 1451) et Coloniae (23. Febr. 8. Mart. 1452) etc., reformavit quam plurima monasteria (127), principes excitavit ad bellum sacrum contra Turcas, sed in cassum. Demum a. 1452 adiit sed non sine difficultate sedem suam. Mox tamen ortum est acerrimum, diuturnum, bellicosum dissidium inter ipsum et Sigismundum Austriae ducem, quod duravit ad mortem usque cardinalis[2]), quam obiit legatus apostolicus

Eugenii IV partes. Magnas habuit eo tempore in gravissimis negotiationibus partes decessitque canonicus moguntinus et praepositus b. Mariae ad gradus 27. Aug. 1459.

[1]) Cf. de hac visitatione Hergenröther-Hefele Conciliengesch, VIII § 838; Grube histor. Jahrb. 1880. 1, 393-413 et Uebinger ib. 1887 p. 629-66; Linneborn in Studien u. Mitth. aus dem Ben. u. Cist. Orden XX (1899) 277 ss Nicolaus von Cusa, sagte am Ende des Jahrhunderts der Abt Johann Trithemius (de vera studiorum ratione apud Janssen Geschichte des deutschen Volkes t. 1 statim ab initio), erschien in Deutschland wie ein Engel des Lichts und Friedens inmitten der Dunkelheit und Verwirrung, stellte die Einheit der Kirche wieder her und befestigte das Ansehen ihres Oberhauptes, und streute reichen Samen neuen Lebens aus . . . Er war ein Mann des Glaubens und der Liebe, ein Apostel der Frömmigkeit und der Wissenschaft. Sein Geist umfaßte alle Gebiete des menschlichen Wissens, aber all' sein Wissen ging von Gott aus und hatte kein anderes Ziel als die Verherrlichung Gottes und die Erbauung und Besserung der Menschen. Man kann darum aus seiner Wissenschaft wahre Weisheit lernen. Confer elogium insigne ipsi a Janssen l. cit. tributum.

[2]) Cf. de hoc dissidio A. Jaeger der Streit des N. v. C. mit Herzog Sigmund von Österreich Innsbruck 1861.

in itinere Liburnium versus pro urgenda expeditione navali adversus Turcas Tuderti in Umbria 11. Aug. 1464: nam in quamplurimis gravissimis negotiis a romanis pontificibus adhibita fuit ejus solertia. Celebratur ab aequalibus et posteris non solum ejus eloquentia, qua quidquid ex tempore dicendum incidisset, id tali copia disserebat, ut illi soli facultati studuisse videretur, sed et eruditionis vastitas. Callebat linguas graecam et hebraicam, quod tunc rarum, mathesim[1]) et astronomiam, ut testatur ejus *consilium de reparatione calendarii* concilio basileensi a. 1436 inter op. p. III. pag. 1155 Basileae 1565 propositum, sed ob alia negotia neglectum, et quod terrae motum circa solem quamvis a priori probaret. Sagax erat non solum theologus sed et philosophus: studium literarum classicarum unus ex primis plurimum promovit et fovit.

440. Plura ejusdem opera (non) omnia) collecta prodierunt s. l. et a (f. Basileae a. 1476); ed. Fabro Stapulensi Parisiis 1514 t. 3 in 8; et plenius Basileae 1565 t. 3 inf., quorum potiora sunt: *De docta ignorantia* praecisionis veritatis inattingibilis ad Julianum card. ll. 3, qui inter parum solidas quasdam, quibus sacris vult mysteriis lumen affundere, referti sunt profundis et ingeniosis meditationibus (scr. 1440). Hoc in opere non parum se opponit philosophiae scholasticae. Opus impugnavit[1]) Jo. Wenck heidelbergensis magister theologiae in *Ignota literatura:* hinc respondit (1449) Cusanus *apologia* doctae ignorantiae. — *De conjecturis* sive omnem humanam veri positivam assertionem esse conjecturam ll. 2 (sat obscuri) ad eundem Julianum. *De filiatione Dei;* dialogi, ut *Idiotae* (a. 1450) ll. IV.; *de Genesi mosaica,* de sapientia, de mentis natura, de staticis experimentis; *de visione Dei* sive de Icona et facilitate mysticae theologiae ad abbatem et fratres tegernseenses, qui tr. bellas continet meditationes: Compendium sive *directio speculandae veritatis.* Singularis inscrip-

[1]) Cf. Katholik 1887. II, 143–65; 251—77; 337—56, ubi fuse exponitur ejus doctrina de mundo. Pag. 158: „In seiner Methode unterscheidet sich N. von den Scholastikern namentlich durch die eigenthümliche Rolle die er der Mathematik, insbesondere der Geometrie zutheilt. Die Mathematik macht er zur Grundlage seines ganzen Systems . . . Überall fast zieht er die Geometrie heran, um seine metaphysischen Sätze zu verdeutlichen und zu versinnbilden." Hinc scripsit Schanz der Card. N. v. Cusa als Mathematiker, Rottweil 1872; die astronom. Anschauungen etc., ib. 1873, et Zimmermann: Der Card. von Kues als Vorläufer Leibnizens, Abhandl. der Wiener Akademie 1852. Ratione hujus sagacitatis in rebus mathematicis et physicis etc. absolvitur diss. in Katholik l. c. p. 355: Nic. von Kues ist ein Blatt und zwar das erste Blatt einer neuen Epoche in der Kosmologie. De ejus theologia cf. Uebinger in disp. sagaci (cf. Ganter OSB. in Zeitschr. f. k. Theol. XIII (1889), 530-546) die Gotteslehre des N. Cusanus Münster 1887, qui et Cusani exhibet Tetralogum *de non aliud* a se recenter repertum et ad codices emendatum. A Scheeben dicitur n. 1066: Geistreicher Vertreter einer neuen spekulativen Beleuchtung der Glaubenslehren. In philosophia tamen non satis cavit opiniones vel saltem modum loquendi, qui pantheismum sapit, hinc Gruber KL. IX², 1346 censet: Die Philosophie N. v. Cusa kann als das Mittelglied zwischen dem Pantheismus des Mittelalters und dem der Neuzeit betrachtet werden. Cf. F. J. Clemens, G. Bruno u. N. v. C., Bonn 1847; et generatim Stöckl Geschichte der Philosophie des MA. III, 23-84 Moguntiae 1866. Denique cf. Katholik 1895. XI, 477, ubi Cusanus celebratur ut primus chartographus, qui Germaniae chartam delineaverit, quae primum prodiit 1491, et pro qua Seb. Münster vulgavit 1530 l. pro tabula N. Cusae intelligenda.

[1]) Opus commendavit impense Bernardus de Waging OSB. († 1472), de quo infra, in suo *Laudatorio* doctae ignorantiae et invitatione ad amorem ejusdem, quod et defendit contra quendam impugnatorem in *Defensorio Laudatorii,* utrumque ineditum.

tionis est l. *de Possest* seu dialogus trilocutorius cum Bernardo et Joanne de possibilitate sive materia universi. Nomine vero *possest* designat Deum, quia in Deo posse et esse convertuntur. *De beryllo* sive speculo intellectuali, per quod res cognoscimus; *de dato Patris luminum* Jac. I, 17; *de quaerendo Deum; de venatione sapientiae* l. lectu dignus; *de Deo abscondito* dialogus gentilis et Christiani etc. Et haec t. 1. continentur. — T. 2. habes *de b. Mariae V. annunciatione* devotum dialogum; *excitationum* ex sermonibus sacris ll. 10, in quorum 8. immaculatam Virginis conceptionem tuetur. — *De catholica concordantia* ll. 3, de qua supra egimus; ep. 7, quarum sex sunt *ad Bohemos* de usu communionis et amplectenda unione Ecclesiae; *de pace* seu de concordantia fidei dialogus Petri cum Graeco, Arabe, Indo, Chaldaeo, Judaeo, Scytha, Gallo, Persa, Syro, Hispano, Turca, Alemanno, Tartaro, Armeno, Bohemo et Anglo; *cribratio Alcorani ll. 3* ad Pium II. (etiam in Th. Bibliandri sylloge scriptorum adversus Mohammedanos, Basileae 1543); Conjectura *de novissimis diebus* (Amstelodami 1700 in 12 cum gallica versione). T. 3. continentur opera mathematica. — Plura[1]) opera germanice vertit F. A. Scharpf Friburgi 1862.

441. Jam ad theologos *polemicos* veniamus. Contra *Mohammedanos* disputavit ut diximus Nicolaus de Cusa. Contra *Judaeorum* superstitiones scripserunt Joannes Lopez (Lupus, Lupi) O. Praed. Hispanus s. theologiae magister, cujus tamen opus eruditum non prodiit, et Petrus de Cavalleria Caesaraugustanus (fl. 1469), cujus tr. inscribitur *Zelus Christi contra Judaeos*, Saracenos et infideles, ed. ab Mart. Alph. Vibaldo glossis adjunctis affatim eruditis, Venetiis 1592 in 4. — Plurimi vero sunt, qui contra haereticos illius temporis pugnarunt, nominatim contra *Wicleffitas* et *Husitas*. Ita Joannes Bury O. S. Aug. Anglus, theologus cantabrigiensis contra Reginaldum Pecoch (Peacock, Pavo) episcopum asaphensem (1444), dein (1450) cicestrensem suis pestiferis scriptis de libertate Evangelii, de secularium potestate, de aequalitate ministrorum, de legibus et doctrinis hominum, de utriusque speciei communione, de non dotandis clericis, totam Angliam inficere allaborantem calamum acerrime strinxit. Porro Pecoch, qui erat doctor oxoniensis, se opposuerat Wiclefitis, sed nimio reformationis aestu in aliud incidit extremum, negavit Ecclesiae conciliorumque infallibilitatem. Ob suos errores accusatus in synodo lambethana (1457) articulos quosdam tamquam erroneos et haereticos revocare jussus et depositus est († c. 1460). Judicio critico praeditus melius quam Valla donationis Constantinianae infirmitatem patefecit. Wharton edidit *A Treatise proving Scripture to be the rule of faith*, Londini 1688, et Babington ejus opus praecipuum: *The Repressor* of over much blaming of the clergy, ib. 1860 t. 2. — Joannes IV. Hoffmann misnensis episcopus (1413-51), patria Swidnicensis, theologiae doctor Pragae primum, dein Lipsiae, disseruit *de communione sub utraque specie*, Venetiis 1571; *de officio missae* et omni-

[1]) Cf. de auctore nostro literaturam apud Potthast p. 667; Scharpff Der Card. u. Bisch. N. v. C., Moguntiae 1843; cujus tamen p. altera non prodiit; Der C. u. B. N. von C. als Reformator in Kirche, Reich und Philosophie, Tübingen 1871; J. M. Düx, der deutsche C. Nic. v. Cusa und die Kirche seiner Zeit, Regensburg 1847 t. 2; Funk KL. IX², 306-15; Uebinger hist. Jahrb. 1893. XIV, 549—62, qui exhibet ejus testamentum. Condidit cardinalis de Germania bene merentissimus a. 1451 hospitale in loco patrio pro 33 infirmis, quod ad nostra tempora conservatum est, in cujus bibliotheca dicuntur asservari plura ejusdem manuscripta.

[1]) Cf. Kaulen KL. IX, 1743; J. Lewis Life of R. Peacock, Londini 1744.

bus, quae in illo peraguntur ll. 6, opus ut videtur ineditum. Tr. ejus *de breviario* ed. Alb. Schoenfelder 1901. — Joannes Papaussek (Papouschek, Papauskonem) Sobieslaviae oriundus, carolinae universitatis professor Pragae, parochus in Teyn, demum litomericensis praepositus († 2. Febr. 1455), unus ex praecipuis Rokycanae factionis et Utraquistarum adversarius erat: hinc exsilium pro religione passus illud fortissime tulit, ideoque ab Aenea Sylvio laudatus: ejus tamen scripta videntur mansisse inedita. — Hoc celebrior est Hilarius Litomericensis, doctor theologiae Bononiae creatus et decanus ecclesiae metropolitanae pragensis, et temporibus illis turbulentis dioecesis administrator (1461), vir magnus, qui et religionem sub Georgio rege labantem sustinuit[1]). Plurima doctissima opera publici juris fecit, quorum nonnulla Cochlaeus in Husiticis et Canisius in antiquis lectionibus referunt. Ita ejus *disputatio* cum Jo. Rokycana († 1473) coram Georgio rege a. 1465 quinque continuos dies habita; correctior prodiit notis et praefatione illustrata ab Adaucto Voigt sch. pi. Pragae 1775; *tr. contra perfidiam aliquorum Bohemorum*, Argentinae 1485, aliaque quaedam scripta contra Rokycanam; *Sermonem* ad senatum populumque Plznensem (Pilsen), ed. Millauer Pragae 1820. Postquam Georgius rex a Paulo II. fuit excommunicatus, fortiter stetit pro causa catholica per Bohemiam tuenda. Obiisse legitur 31. Dec. 1468 et quidem ex veneno. — Leonardus Huntpichler de Brixenthal in Tiroli magister artium in facultate Viennae (1426) Aristotelis ll. exposuit. Inde Coloniam transiit theologiae vacaturus et canonicus est factus. Anno 1435 eum iterum Viennae invenimus sententiarum interpretem. Post a. 1447 ingressus est ordinem s. Dominici. Quinquies in facultate theologica decanum egit († 1472), ejus tamen opera haud pauca non prodierunt (cf. Fabricius IV, 549). — Hujus sodalis Henricus Kalteisen (de ferro frigido) patria Confluentinus unus ex doctioribus viris erat suae aetatis. Theologiae operam dederat Viennae et Coloniae, et in hujus civitatis academia ss. literas est interpretatus simulque concionibus habendis institit ecclesiastes clarissimus. Inquisitor fidei per Germaniam constitutus est. Ad concilium basileense a. 1431 vocatus ad art. 3. ab Udalrico presbytero nomine Bohemorum proposito de libera verbi Dei praedicatione oratione prolixa per tres dies continuos respondit (apud Canisium Lect. ant. IV², 628—708 et passim in actis conc.) ostenditque, a simplicibus sacerdotibus, nisi missionem accipiant, nullatenus praedicationis officium esse assumendum. Ab Eugenio IV. factus est magister s. palatii a. 1443; a Nicolao V. missus legatus ad universitatem lovaniensem et archiepiscopus dictus nidrosiensis in Norvegia (Drontheim) a. 1452. Sed cum non fuerit admissus, factus est archiepiscopus caesariensis. Biennio ante mortem se recepit ad sodales confluentinos ibique 3. Oct. 1465 decessit. Reliquit plura opera manuscripta: prodiit tantum praeter illam orationem, de qua supra, *Speculum devotionis rythmicum* cum aurea fabrica et gaudiis b. Virginis in Ephem. dominicanis Fr. Steill, Dilingae 1692 p. 524—46. De inedito ejusdem responso a. 1448 *de indulgentiis praedicatis* (Leodii) cf. N. Paulus in Ztschr. f. k. Theol. XXVII (1903), 368—372. — Tertius hujus ordinis est Nicolaus Jacquerius patria Divionensis, qui interfuit concilio basileensi et c. 1450 inquisitorem fidei egit. Anno 1466 missus est in Bohemiam adversus Husitas, ut eos verbo et scriptis ad bonam frugem revocaret. Insulas rediit 1468 ad conciones habendas et poenitentium con-

[1]) Cf. Balbini Bohemia docta II, 162; Stanonik Allg. d. Biogr. XII, 393.

fessiones excipiendas. Ex mandato episcopi tornacensis juridice inquisivit in miracula b. Coletae († 1447) in ordine ad beatificationem, cui causae dum instaret obiit a. 1472. Praeter alia composuit dialogum *de s. communione* contra Husitas, impressum ut fertur Tornaci 1466; *flagellum fascinariorum haereticorum*, Francofurti 1581 in 8. — Multum innotuit Aegidius Carlerius (Charlier) Cameraci exeunte sec. XIV. natus. Studiis vacavit Gersonii discipulus Parisiis in collegio navarreo factusque est theologiae professor et decanus ecclesiae cameracensis a. 1431. Interfuit pro suo episcopo concilio basileensi, cujus nomine suscepta legatione cum aliis Pragam perrexit, ut Husitas ad communionem Ecclesiae revocaret vel saltem ad concilium alliceret. Cum Bohemi suas propositiones seu postulata ad quatuor revocassent articulos, quibus in concilio singulis singuli theologi responderunt, Carlerius per quatuor dies de secundo art. scil. *de punitione publicorum peccatorum* disputavit: quam disputationem prolixam reperies in actis conciliorum (Hardouin VIII, 1759—1824; in Canisii lect. antiq. IV². 566—627). Cum respondere nisus esset Nicolaus Taborita, dedit *responsionem* ad replicas N. super punitione peccatorum publicorum (apud Mansi coll. conc. XXX, 391—450). Recedentibus legatis bohemis Basileä iterum missus et cum aliis legatis Pragam pro prosequendo conciliationis negotio, de quo composuit l. copiosum *de legationibus* concilii basileensis pro reductione Bohemorum (1433—36), quem primum edidit Ernestus Birk in Monumentis conc. gen. sec. XV, Vindobonae 1857. I, 358—700. Rediit rebus in concilio ad seditionem vergentibus ad ecclesiam munusque suum strenue obeundum. Interfuit concilio provinciali remensi a. 1456. Decessit vir doctus in bona senectute 23. Nov. 1472 relictis pluribus suae eruditionis fructibus, qui 2 v. in f. prodierunt, saltem ex parte, Bruxellis 1478. 1479., ed. rarissima: quorum primum inscriptum *Sporta fragmentorum*, complectitur inter alia tr. *de perpetua virginitate b. Mariae; pro coelibatu* praesertim ecclesiasticorum, *contra iconomachos, defensorium Ecclesiae, de communione sub utraque specie* etc.; alterum inscriptum *Sportula fragmentorum* continet ex. gr. tr. *de electione Judae proditoris; de hierarchia ecclesiastica, de decimis, de integritate confessionis*, contra consummati seculi calculatores etc. Scripsit etiam narrationem *de morte Juliani Caesarini card.*, in Baluzii Miscellaneis I, 351 ss. Alia manserunt inedita, ut commentarius in 4 ll. sententiarum, Scutum fidei[1]) etc.

442. In controversiis cum *Graecis* eminet illustrissimus Bessarion, vir insigniter doctus et cultus. Natione erat Graecus, patria Trapezuntinus, natus parentibus inferioris conditionis a. 1395. Constantinopoli in literis bene institutus sub magistro Chrysokokkes ordinem s. Basilii est ingressus et cum antea appellaretur Basilius, secundum alios Joannes, voluit jam Bessarion ab antiquo sancto monacho aegyptio appellari. Plenius in scientia philosophica et mathesi profecit sub Ge. Gemisto Plethone[2]). Brevi ad summas

[1]) Cf. Oudin III, 2550 ss.; Jungmann KL. III³, 89 ss.; Feret IV, 309—13; Birk in praef. ed. Mon. conc. gen. l. p. XXI—XXXI.

[2]) Hic vir CP. n. c. 1355 fuit admodum eruditus, philosophiae platonicae penitus addictus, hinc Cosmo de Medicis auctor fuit instituendae academiae platonicae. Palaeologo imp. erat acceptus sed unionis cum latinis adversarius. Reliquit quam plura scripta, inter quae *de platonicae et aristotelicae philosophiae differentia*, juxta quam illa quam maxime hanc praecellit. Hanc et alia quaedam reperius apud Migne CLX, 821—1020. Decessisse videtur senex fere centum annorum a. 1452. Graves nactus est adversarios ut Georg. Trapezuntinum, Theodorum Gazensem et praesertim Georg. Scholarium, qui

dignitates promotus factus est a. 1437 archiepiscopus nicaenus. Cum Graecorum imperatore Joanne VII. Palaeologo ad concilium florentinum venit, in quo unus fuit ex sex Graecis, qui cum totidem theologis latinis disputarent de praecipuis controversiae capitibus. Quo magis crevit Marci ephesini oppositio adversus unionem cum Ecclesia romana, eo magis praevaluit spiritus pacis et concordiae in animo Bessarionis: unde ipse et Georgius Scholarius tunc adhuc laicus[1]) praecipui fautores unionis fuere. Qua occasione habuit ornatissimam et doctissimam orationem, quae lectu dignissima exstat in actis conc. (Hardouin IX, 319—72). Confecta ipso praeprimis auctore unione purpura ab Eugenio IV. ornatus est una cum Isidoro[2]) archiepiscopo kiewensi 18. Dec. 1439. dictusque est exinde cardinalis nicaenus, sicut Isidorus cardinalis ruthenus. Vixit jam in Italia negotiis ecclesiasticis et literis. Aliquoties missus est legatus apostolicus ad principes christianos, quo eos excitaret ad sacrum bellum inferendum Turcis. Ravennae exarchatum et Bononiam inflexibili justitia et aequitate legatus administravit 1451—55. Omnia quae potuit praestitit pro tuenda unione et servanda patria a Turcarum invasione, sed frustra. Ob insignes animi dotes, prudentiam et indolis nobilitatem non semel parum abfuit, ut in pontificem eligeretur, nisi obstitisset quorundam aemulatio et malevolentia. Maecenas erat literatorum, quorum celeberrimi ejus domum frequentabant; literarum, graecarum praesertim, studium et cultum liberalissime promovebat, bibliothecam optimis et selectis codicibus graecis divitem solerter colligebat, quam testamento reipublicae venetae legavit. Monasteria Basilianorum per Italiam, quorum erat protector, sollicite fovebat, operibus editis religionis bono studebat. In ultima legatione ad Ludovicum XI. Galliae regem indigne susceptus moerore tabescens et re infecta Romam rediit: sed in itinere Ravennae ingenti omnium luctu e vita migravit 18. Nov. 1472. Tantos brevi tempore Bessarion in latine loquendi et scribendi stilo progressus fecit, teste cardinali Papiensi ejus collega, ut inter latini sermonis peritissimos numeraretur. In consistorio quidquid in re proposita optimum erat, ita exprimebat, ut post se dicturis

---

patriarcha factus scripta ejus damnavit ignique tradidit. Cf. Stöckl KL. X, 105.

[1]) Hic etiam Gennadius dictus postea adhaesit Marco Ephesino factusque est unionis adversarius. Capta urbe constantinopolitana institutus est a Turcarum Sultano patriarcha (1453; † f. 1468). Aliquot ejusdem scripta habentur in Migne PG. CLX, 320–773. Cf. Ehrhard apud Krumbacher p. 119 s.

[2]) Hic post suum reditum in Russiam conjectus est in carcerem propter initam cum latinis unionem. Inde tamen post annum fuga dilapsus Romam rediit. Missus est legatus apostolicus ad imperatorem Graecorum. Capta a Turcis urbe et ad mortem quaesitus vix vitae periculum evasit, sed captivitatem incognitus incidit, qua soluto pretio exemptus Romam iterum pervenit. Decessit episcopus sabinensis 27. Apr. 1463. Erat autem vir insigniter doctus, ingenio subtilis et acer, in dicendo nervosus et gravis. Exstant aliquot ejusdem disputationes in actis conc. florentini, necnon brevis *narratio expugnationis urbis Constantinopolis*, Migne patrol. PP. graec. 159, 953—56. Cf. plura de eo in Eggs Purp. doctae l. III § 18. et Migne l. c. 943—53; Frommann Kritische Beiträge zur Gesch. der florent. Kircheneinigung 1872 p. 138-163. Socius legationis ejus fuit Leonardus ab insula patria Chiensis dictus O. Praed. virtutibus, eruditione et praeclare in Oriente gestorum laude illustris, a. 1444 archiepiscopus mitylenensis, captae urbis CP., dein et insulae Lesbo, ad quam redierat, testis, imo et captivus († 1482). Descripsit luculenter expugnationem CP. (Migne 159, 923 s. etc.) et *epistolam* misit de Lesbo a Turcis capta, quam primus edidit Car. Hopf Regimonti 1866. Contra Car. Poggi (Bracciolini † 1459) l. *de vera nobil tate* tr. *de vera nobilitate* composuit, in quo genuinam et christianam notionem nobilitatis dilucidat. Cf. Streber KL. VII², 1816; Quetif I. 816.

nihil relinqueret, et patres in ejus sententiam ut plurimum irent. » Diem integrum eum ibi loquentem sine fastidio audivissem, inquit idem Papiensis, ita semper habebat, texebat, apte ornateque dicebat, quod animum oblectabat et rem adjuvabat.« Valla judice latinorum erat graecissimus, et graecorum latinissimus. Ejus opera collecta exhibet Migne Patrol. PP. graec. 161, 137—746. Potiora sunt: *Responsio* ad (Marci) Ephesii capita, primum edita a Jos. Hergenroether; *Apologia inscriptionum* Becci (cf. 402) contra Palamam, scil. de processione Spiritus s. etiam a Filio; *Refutatio* syllogismorum Maximi Planudae de processione Spiritus s. contra Latinos; *de processione Spiritus s.* ad Alexium Lascarim; *de successu synodi florentinae* et de processione Spiritus s. (etiam apud Hardouin IX, 1043—1077); *epistola* generalis seu encyclica, quam patriarcha factus constantinopolitanus (1463) ad Graecos emisit; oratio *de sacramento eucharistiae* et quibus verbis Christi corpus perficiatur, Argentorati 1513; asceticarum s. Basilii constitutionum *compendium;* commentarius de Joan. 21, 22. 23; *epistola* etc. Plura ex his prodierunt etiam inter opuscula aurea Petri Arcudii[1]).

443. Alius e Graecis, qui pro unione cum Latinis steterunt, fuit Gregorius Melissenus, Mammas et Stategopulus dictus, O. S. Bas., Joanni Palaeologo a confessionibus. Hic interfuit conc. florentino patriarchae alexandrini vicarius et Latinis omnimode favebat. Decretis subscripsit sincera mente, quibus per totam vitam immota constantia adhaesit. Factus est primus protosyncellus, dein (1445 vel 1446) invitus licet et reluctans patriarcha constantinopolitanus. Crescentibus in diem schismaticorum conatibus et difficultatibus contra unionem, quinquennio tantum sedem retinuit et a. 1451 sive injuste pulsus sive abdicato regimine sponte cedens, Romam confugit, ubi nihil proficientibus quae pro eo reducendo susceptae erant, tractationibus, illustris exsul non sine sanctitatis opinione a. 1459 diem obiit supremum. Summis eum laudibus celebrat Georgius Trapezuntinus tamquam confessorem et martyrem, veritatis athletam et Ecclesiae columnam. Eum CP. discedentem triste ejus urbis excidium praedixisse plures graeci scriptores tradunt; modestiam et humilitatem viri ejus scripta patefaciunt, quibus unionem tot adversariorum moliminibus agitatam acerrime propugnavit. Haec ejusdem quae supersunt opera (apud Migne 160, 13—248): *Apologia* contra (Marci) Ephesii confessionem primum edita curante J. Hergenroether; *Responsio* ad ep. Marci Ephesii ex variis sanctorum sententiis (apud Labbe coll. conc. XIII, 739 ss. Hard. IX, 601—69); l. apologeticus sive ep. ad imperatorem Trapezuntinum *de additione* (Filioque) *in symbolo facta,* apud Allatium Graeciae orthod. I, 419—68. — Joannes Plusiadenus archypresbyter, post susceptam episcopalem in Achara curam Methonensis dictus, disceptationem composuit dialogi forma *de differentiis inter Graecos et Latinos* et de sacrosancta synodo florentina; *responsionem* ad libellum D. Marci Eugenici . . . in quo Marcus quid de sacros. synodo florentina sentiret, exponit; expositionem (copiosam) *pro s. et oecumenica synodo florentina,* quae legitime congregata est et defensio quinque cc., quae in decreto ejus continentur, nempe 1. de processione Spiritus s.; 2. de azymis et fer-

[1]) Cf. Eggs op. cit. III, § 19. Al. Bandinii in commentario ejus op. praemisso apud Migne; Krumbacher Gesch. der byz. Literatur p. 117² s.; H. Vast Le card. Bessarion, Paris 1878, biographia bona; Rocholl Bessarion Studie zur Gesch. der Renaissance, Leipzig 1904, diss. minus accurata et adaequata; fasc. liter. Bessarion I (1896), 10 ss.; 65 ss.; 610—617; Haeusle KL. II, 528—532.

mentato; 3. de purgatorio; 4. de fruitione SS.; 5. de primatu papae: quae olim tribuebatur Gennadio Scholario patriarchae CP. Verum Cuperus[1]) illam asseruit Josepho nostro et non immerito. Prodierat jam inter acta Conc. flor. edita a Zanetti Romae 1577; versa fuit in linguam graecobarbaram seu vernaculam a Jo. Matth. Caryophilo, Romae 1628; latine Dilingae 1581 cur. Fabio Benevolentio sub Gennadii nomine; *Canon* in octavam synodum Florentiae habitam, cui subnexa est *Synaxarium* s et oec. synodi sive brevis narratio eorum, quae in conc. florentino gesta sunt: quae omnia collecta reperies in Migne PG. CLIX, 959—1394. Ejus opera produnt magnam eruditionem, plurimorum enim patrum utitur testimoniis, sincerum concordiae amorem, quam etiam olim viguisse inter Ecclesiam occidentalem probare nititur[2]).

444. Denique inventa typographia non defuerunt, qui de edendis patrum operibus jam essent solliciti, quorum quidem forte praecipuus est Antonius Harena dictus Rhaudensis O. Min. Conv. in oppido Rhaude ducatus mediolanensis in lucem editus, qui puer adhuc sub Matthaeo Cremonensi grammaticae rudimenta percepit. Non solum in theologia bene fuit excultus, sed prae primis in literis humanioribus. Oratoriam et poësim adamavit, imo publicus eloquentiae professor exstitit Mediolani. Cum viris cultissimis amicitiam fovit: etiam Laurentio Vallae fuit aliquando amicissimus atque ab eo in dialogis tribus de voluptate et vero bono primas obtinuit; at postmodum Vallae indignationem incurrisse traditur, quod in aliquo opere ipsius elegantias contempsisse visus fuisset. Ingens propterea orta inter eos simultas eruditis est nota. »Hic, inquit Sbaralea p. 89, Ord. Min. Conv. primus, qui criticam in antiquorum ll. exercens et latini sermonis candori ac puritati studens *Opera Lactantii* ad mscr. codd. fidem diligenti collatione facta emendavit, praefixa locorum notatione, quae minus cum veritate conveniebant.« Lactantius ita castigatus prodiit 1465 in monasterio sublacensi ed. rarissima; Romae 1468; 1470; 1474; Venetiis 1472; 1478; 1483; 1490; 1497 etc. LL. 3 in errata Lactantii Firmiani ad Eugenium IV., opus est ineditum: neque enim omnibus arrisit ejus in Lactantium censura. Alia quoque opera ad literas humaniores spectantia[1]) manserunt inedita († 1455).

[1]) In hist. patriarcharum CP. Act. SS. Aug, t. 1. praefixa p. 193*.

[2]) Krumbacher op. cit. p. 119: Joseph erweist sich durch diese Schriften als einer der gelehrtesten Freunde der Union, der ein reiches Wissen in gefälliger, einfacher und volksthümlicher Sprache in den Dienst der Sache stellte, die er als die richtige erkannt hatte.

[1]) Cf. Argelati bibl. SS. Mediol. II. p. 1. pag. 1213 ss.

II. S. Scriptura.

445. Initium ducimus a viro eximia eruditione et vitae sanctimonia celeberrimo, illustri Belgii sidere, ordinis carthusiani gloria Dionysio de Ryckel, quod oppidum est provinciae nunc limburgensis. Eum merito potuissemus inter theologos scholasticos vel inter mysticos laudare, nam propter insignes raptus et exstases, propter libros asceticos mira unctione et pietate conscriptos ‚doctor exstaticus' est salutatus. Natus est Dionysius (Henricus forte ante dictus) van Leeuven a. 1402 vel 1403. Puer,

ipso teste, antequam coepit frequentare scholas, custodivit et pavit oves parentum suorum. Maximo dein ardore coepit studiis incumbere, ut de se referat: „Tantus mihi adhuc in primordiis disciplinae inerat literarum amor, ut nocturnis temporibus, dum lunae se splendor diffundens per fenestrae rimas emicaret, diurnum putans radiare jubar, mox intempestae noctis silentio surgens, nisi fores clausae fuissent, ad scholas properassem[1]." Quae semel legerat memoria tenebat. Anno aetatis 13. in distantiores regiones (forte Deventriam) studendi ratione fuit deductus coepitque studere philosophiae, atque religiosam instituere vitam: ibi ejus cum celebri Nicolao Cusano tunc condiscipulo videtur coepisse amicitia. Juvenis 18 a. sensit se vocatum ad Carthusiam, sed cum hic ordo neminem reciperet ante a. 20., se recepit interim Coloniam studiis altioribus daturus operam, atque adeo in s. Scriptura et theologia profecit, ut a. natus 21 magisterium in philosophia promeritus sit. Vocationi jam obsequens ordinem Carthusianorum Rurimundae est ingressus. In ipso jam ingressu virtutes perfecti religiosi prae se tulit, hinc vel a tirocinio raptibus et illustrationibus supernis mirum in modum divinitus fuit auctus. Post prolixam orationem et contemplationem reliquum tempus lectioni et scriptioni dabat somni aliorumque corporis levaminum fere oblitus. „Contemplationi et orationi cum tanto fervore instabat, ut eum nihil scribere potuisse unquam putares. Rursus in scribendo ac legendo tam sedulus erat, ut nec orare nec contemplari eum posse unquam aestimares." Ita de eo Trithemius[2]). Vere mirandum est, quomodo potuerit tot opera legere, tot libros componere, vix enim in antiquitate parem habet, qui tot scripserit libros et quidem de argumentis omnis generis. Legisse vero se testatur ipse praecipuorum theologorum commentaria in magistrum sententiarum, opera illustrium ss. PP. Orientis et Occidentis, quam plurima in s. Scripturam commentaria et etiam philosophos non solum gentiles sed et arabes, opulentissimam suppellectilem omnis scientiae inde sibi colligens et derivans in sua opera. Non tamen semper ipsi licuit frui quiete et studio imperturbato, nam injunctum ipsi fuit munus procuratoris monasterii; postmodum fundatio novae Carthusiae, quae ingentes ei labores ob angustias rei temporalis difficultates peperit. Nicolaus Cusanus, dum legatus apostolicus visitaret Germaniam et Belgium, ejus sanctitate, zelo, eruditione captus eum socium laboris apostolici secum habere voluit. In legati utilitatem scripsit: *De munere et regimine legati,* qui l. tamen periit; *de reformatione claustralium; de reformatione monialium; contra vitia superstitionis.* Undique fuit consultus a praelatis et principibus, religiosis et laicis. Scriptis suis omnibus prodesse voluit. Instruit et ad morum reformationem excitat, terret et solatur omnis conditionis homines. Studiis, laboribus et austeritatibus fractum munere rectoris levavit capitulum ordinis generale a. 1469. Se recepit iterum Ruremundam, ubi sancte se ad mortem paravit, hinc vel calamo valedixit triplici praesertim dicto seu lumine identidem se recreans; „Lux aeterna luceat eis, Domine; Maria unxit pedes Jesu, ut scil. in se excitaret compunctionis spiritum; Sancti, qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem." Decessit 12. Mart. 1471 a. aetatis 69. in odore sanctitatis, hinc martyrologiis fuit insertus, beatus vel venerabilis salutatus, ut a s. Francisco Salesio et a s. Alph. Ligorio aliisque venerationis signis honoratus. Causa beatificationis coepta fuit ab Henrico Cuyck episcopo ruremondano († 1609),

[1]) De munificentia Dei a. 26.
[2]) De script. eccles. ed. col. 1546. p. 354.

sed turbis bellicis toties intervenientibus nunquam ad finem perducta[1]).

446. Innumera reliquit opera et opuscula (circa 187), quibus universam fere theologiam complectitur: scripta ea sunt stilo simplici et candido, qui non caret unctione. „In iis elucet, inquit Leo XIII. in lit. ad ord. carthusiani superiores (Apr. 1896), simul mira christianae asceseos peritia, simul singulare studium illustrandae tuendaeque fidei.“ Eorum aliquot saepissime prodierunt, ut infra indicabimus de singulis disserentes[2]). Ingenti demum conatu et superatis innumeris difficultatibus ea conjunctim edidit sodalis plane egregius Theodoricus Loër de Hoogstraeten (de Stratis † 26. Aug. 1554) intra decem annos vol. 18 in f. et 10 in 12. vel 18., quae editio neque est completa, neque homogenea, cum per partes apud diversos prodierit typographos; integra vero rarissima est et aliquot volumina pretio plane ingenti venduntur (3 v. pro 600 fr. vel 500 m.). Quare optime merent de theologia monachi ord. Cart., qui novam inchoarunt omnium quotquot reperire potuerant operum tam insignis viri editionem in t. 48 distribuendam, quorum jam multi prodiere Monstrolii typis Cartusiae S. Mariae in Pratis 1896 in 4. Sed jam potiora Dionysii opera recenseamus. Primum locum occupant *commentaria* (prolixissima) in universam s. Scripturam a Genesi usque ad Apocalypsim (m. 280), quorum aliqua ad minimum ter, alia decies vel vicies et ultra prodiere. Laudantur prae ceteris commentaria in psalmos, deinde in Job, ll. sapientiales, in prophetas, Evangelia et epistolas s. Pauli: ea enim sunt piissima et clarissima ex patrum fere veterumque theologorum operibus apte contexta, in ipsisque splendet triplex s. Scripturae sensus satis accurate expositus, literalis vero diligentius investigatus et dilucidatus: stilus vero non est prorsus a scholasticorum consuetudine alienus, sed aliquantulum politior, mediusque inter veteres patres et recentiores scholasticos. Minus laudantur ea, quae exponunt libros historicos. *Monopanton* seu redactio (per locos communes) omnium epistolarum b. Pauli in unam, vel (aucta) *Concordia ep. Pauli* et aliorum apostolorum (Parisiis 1642 ed. 9; etiam gallice ib. 1663). Utitur autem prae primis laboribus Hugonis a s. Vict., s. Thomae, Bonaventurae et Nic. Lyrani. — Philosophica sunt commentaria *super Boëtium* de consolatione philosophiae, *compendium philosophiae* (utile) etc. Ratione horum scripsit Leo XIII. in lit. cit. „Ad cetera religiosi auctoris merita illud etiam accedit, quod cum scholasticam philosophiam calleret optime, inde hauserit sapienter quo et catholica dogmata confirmaret et pietatem impensius foveret.“ Primus omnium libellus, quo palaestram literariam inauguravit, *de ente et essentia* periit. Ejus occasione haec notatu digna scripsit[1]): „In adolescentia mea, dum in studio et via Thomae instruerer, potius sensi quod esse et essentia distin-

[1]) Cf. de nostro auctore Houghton Vita . . . et operum ejus fidissimus catalogus, Coloniae 1532; Le Vasseur († 1693) in Vita ipsius in Ephem. O. Cartus. Monstrolii 1890, I, 294—328; Theodoricus Loer in vita, Coloniae 1530 in 12; 1532 in 8., recepta in Acta SS. mensis Mart. II, 247—55; et in ed. nova I, XXIII-XLVIII; Welters Denys le Chartreux, Ruremonde 1882 aliosque citatos a Mougel op. mox cit. p. 5. annot.; Jocham KL. III 1801-8; de ejus doctrina cf. Krogh-Tonning Der letzte Scholastiker. Eine Apologie. Freiburg 1904.

[2]) Catalogum ipse texuit, quem exhibet Bzovius ad a. 1471 n. 21. Cf. novae ed. I p. L—LXX; Mougel Denys le Chartreux, sa vie, son rôle, une nouvelle édit. des ses ouvrages, Monstrolii 1896 (de eo Pfülf St. aus Maria Laach 1896- II, 516—25); idem Dion. d. Karthäuser, Mühlheim 1898; Ingold A la recherche de manuscrits de Denysle Ch., Montreuil sur Mer 1896.

[1]) In sent. t. 1 dist. 8. q. 7.

guerentur realiter, unde et tunc de illa materia quendam tractatulum compilavi: quem utinam nunc haberem, quia corrigerem. Etenim diligentius considerando, verius et probabilius ratus sum, quod non realiter ab invicem differant.« — Dogmatica sunt: *Commentarii* seu Collectanea per modum catenae in 4 ll. sententiarum, Venetiis 1504 (m. 250), Coloniae 1534; quibus, exhibito textu, paucis eum declarat; recenset dein quaestiones ejus occasione excitatas, citatis verbotenus praecipuorum theologorum sententiis, adeo ut summam habeas et epitomen controversiarum temporis praecedentis; demum suam modeste promit sententiam eamque probat. Juxta Scheeben[1]) priores hujus commentarii ll. longe praecellunt posterioribus. *Summa fidei orthodoxae,* Venetiis 1572; 1585 etc. valde utilis (sexies edita) seu summarium Summae theologicae s. Thomae; *compendium theologicum* de lumine christianae theoriae; dialogion (inter philosophum et theologum) *de fide catholica,* opusculum praecipue commendatione dignum, in quo apologiam fidei christianae ex ipsa ratione instituit. *De natura veri et aeterni Dei; creaturarum in ordine ad Deum* consideratio theologica; *de laudibus gloriosae Virg. Mariae ll. 4; de praeconio et dignitate ejusdem ll. 4,* in quibus tuetur Virginis immaculatam conceptionem. Fatetur enim de se in priori op. III, 20: »Adolescentulo adhuc vel potius puerulo inter bonum et malum discernere nondum valenti praeveniente pietate dulcissima contulisti nominis tui affectum et tui ipsius amorem.« *De venustate mundi*[1]). — *De auctoritate et officio summi pontificis; de potestate et jurisdictione ejusdem; de auctoritate generalium conciliorum,* quo in op. a recto deflectit tramite statuens superioritatem conc. super romanum pontificem: sed sensu valde restricto, alias enim statuit, in omnibus rebus, quae papalis praelationis mensuram, regulam magisteriumque concernunt, papam esse super concilium et super totam Ecclesiam. Eum autem excusare licet, cum haec opinio tempore tristissimi schismatis inter magnos invaluerit theologos, quibus praeter hanc theoriam alia non patebat via ad unitatem ecclesiasticam adeo turbatam resarciendam. *De IV hominis novissimis,* Coloniae 1535 etc., forte ultra quadragies editum et in varias linguas versum, subinde Gerh. de Vliedenhoven tributum, in quo tamen notat et refellit Bellarminus de purgat. II, 4 Dionysii opinionem, qua quibusdam visionibus innixus putat, animas in purgatorio incertas esse de aeterna sua salute. Ceterum Possevinus propterea textum interpolatum fuisse censet. *De particulari judicio* in obitu singulorum, quindecies editum; *de mutua cognitione beatorum* in patria. — Polemica sunt: *Contra perfidiam Mahometi,* hortante Nicolao Cusano conscriptum, Coloniae 1533. ed. rara; germanice: D. v. Rickel *Alcoran* oder des Türkischen Alcoranus Inhalt und Ablehnung, Argentorati 1540, versio nimis libera et minus fidelis, cum interpres sua subinde substituerit dictis auctoris. — Adjus canonicum spectant *De plurium beneficiorum usurpatione,* duodecies editum; *contra plura-*

[1]) Handb. der kath. Dogm. l. 1. n. 1069, qui praeterea de eo notat: An Tiefe steht er seinem Freunde N. v. Kues gleich, an Umfang und Korrektheit des Wissens über ihm; das Wahre und Schöne der Kusanischen Spekulation findet sich klarer und reicher bei ihm, so daß er neben Albertus M. und Heinrich v. Gent als Hauptvertreter der deutschen Theologie, auch der Mystik im Mittelalter gelten kann. Daher wurden auch seine Werke kurz nach dem Ausbruche der Reformation als Bollwerk gegen die Häresie gesammelt und zu Köln gedruckt.

[1]) De hoc l. Zoekler Studien und Kritiken 1881 p. 650-65 fuse disserit auctoremque exhibet ut praecursorem aesteticae modernae.

litatem beneficiorum; contra simoniam; contra avaritiam, contra ambitionem. — Multa sunt opera liturgica, ut piissima *expositio missae;* dialogus *de sacramento altaris; de s. communione frequentanda; de v. sacramento* sermones sex; *de sanctorum et reliquiarum veneratione; de modo devote psallendi,* sexies editum etc. — Quam plurima sunt ascetica vel mystica, summae utilitatis plenaque monitis admodum salutaribus, magna enim praeditus erat prudentia. Ejusmodi sunt commentarius *in ll. Dionysii Areopagitae* Coloniae 1536; 1556, quem prae ceteris patribus amabat, lectitabat, exponebat[1]); *expositio* ll. Jo. Climaci (Coloniae 1540); *de donis Spiritus s. ll. 4;* summa *de vitiis et virtutibus; de gravitate et enormitate peccati,* duodecies editum; speculum *de conversione peccatorum,* sedecies editum; *de arcta via salutis* et contemptu mundi, sedecies editum; *Speculum amatorum mundi,* sedecies editum; *de mortificatione vivifica,* sexies editum; *de fonte lucis* ac semitis vitae, undecies editum; *de discretione spirituum; Cordiale* sive praecordiale, duodecies editum; *de custodia cordis* et profectu spirituali, sexies editum; tr. *de passione Christi; Inflammatorium* divini amoris; instructiones *de vita et regimine* pro omni personarum conditione, praesulum, praelatorum, canonicorum, curatorum, principum, militarium, mercatorum, scholarium, virginum, conjugatorum, viduarum etc. (m. 100), quibus „miram asceseos peritiam" prodit, quam in eo laudat Leo XIII. ep. cit. Insigniora quaedam collecta prodierunt Coloniae 1559 in f. (m. 100); septem Lovanii 1576 in 8. Quae ad paedagogium spectant germanice versa prodierunt Friburgi 1904 in Bibliothek der kath. Pädagogik t. XV.

[1]) Cf. Stiglmayr Neuplatonisches bei Dionys. dem K. in hist. Jahrb. XIII (1899), 367—388.

474. Alius celeberrimus exegeta fuit Alphonsus Tostatus, ex oppido Castellae Madrigal oriundus. Salmanticae philosophiae et theologiae operam dedit, quibus tamen adjunxit utriusque juris prudentiam, linguarum hebraicae graecaeque notitiam, liberalium artium doctrinam. Capacissimum siquidem habuit ingenium, hinc discendi ardore brevi tempore ingentem sibi comparavit omnis scientiae thesaurum, ut de eo diceretur: „Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne," et a Scheeben n. 1070 vocetur ‚eruditionis gigas'. Magisterii pileum a. natus 25 sibi promeruit et ex cathedra omnes fere scientias sive artes publico salario donatus magno discipulorum concursu docuit. Ob viri famam Eugenius IV. ei canonicatum et scholastriam salmanticensis ecclesiae, penes quam dignitatem jus est omne academicum, contulit. Temporis lapsu in Italiam venit atque Senis, ubi tum pontifex versabatur, theses (21) disputandas proposuit, inter quas et has: „In nullo a. aetatis Christi eum mortuum dicere possumus, nisi quando incoeperit temporis sui a. 33. — Quod die annunciationis V. scil. 25. Martii, ut communiter asseritur, Christum passum fuisse dici non potest, sed die 3. Apr. eum mortuum fuisse dici necesse est. — Licet nullum peccatum cujuscunque conditionis et pro quocunque statu irremissibile sit, a poena tamen aut a culpa Deus non absolvit, nec aliquis absolvere potest" etc. Quae mox a theologis damnatae fuere ipseque de haeresi apud pontificem postulatus: hinc prolixam apologiam texuit, qua sensum a se intentum exponit, atque supplici formula porrecta pontifici suspicionem haereseos omnem detersit[1]). Rediens in

[1]) Cf. eam apud Raynaldum ad a. 1443 n. 24, qui rem gestam enarrat. Reliquit autem Jo. a Turrecremata tr. (ineditum) contra has propositiones; qui refert duas prop. de Christi mortis die ut temerarias et scandolosas, tertiam uti falsam, erro-

Hispaniam ascitus fuit a Joanne rege in consilium suum majorque cancellarius et abbas pincianae collegiatae ecclesiae factus est. Regis demum rogatu ab Eugenio IV. factus est episcopus abulensis († 1449), hinc saepe dictus est simpliciter Abulensis. Quo munere per sexennium piissime atque integerrime functus est, decessitque 3. Sept. 1455, divi vel beati praenomine a pluribus condecoratus. Mirum quod breviori vitae spatio (pervenit enim tantum ad a. 56. aetatis suae) tot conscribere libros potuerit: tot enim tamque magna opera composuit, ut singulis adultioris vitae diebus debuerit scribere quinque vel sex expansae chartae folia. Memoria item viguit felicitatis tenacitatisque vix credibilis, adeo ut quaecunque semel legisset, veluti e fidelissimo deposito statim et quandocunque reddiderit: hinc etiam de quovis argumento potuit scribere vel disputare: in scribendo tamen neglexit stilum. Prodierunt ejus *opera* collecta Venetiis 1507 t. 13; 1547; 1596 t. 17; plenissime demum ib. 1615 t. 24 in f.; 1728 t. 27 in f.; Coloniae 1613 t. 13. Reliquit scil. *commentaria* in libros historicos V. T. a Genesi usque ad l. 2. Paralipomenon; et t. saltem 7 (Venetiis 1596 t. 4) in Ev. s. Matthaei (ad cujus c. 19. habet integrum et pulchrum tr. de gratia), de quibus ita censet Cornely[1]): „Difneam et haereticam a deputatione trium cardinalium aliorumque virorum doctorum fuisse confixas.

[1]) Hist. et crit. introd. in ll. ss. n. 250. Ceterum de nostro auctore cf. Nic. Antonius Biblioth. vet. hisp. l. 10. c. 7. Tostati prolixissima commentaria in Matthaeum contraxit ad vol. 2 et Hispali 1491 in f. edidit inscripta *Floretum* Petrus Ximenes de Prexano (Prexamo) eximius vir, morum honestate, literis prudentiaque in salmanticensi lyceo, Tostati discipulus, dein et collega, segoviensis episcopi vicarius generalis atque inde Toleti canonicus magistralis et decanus, demum episcopus pacensis (1487) et a. 1489 cauriensis († 1495). Scripsit etiam contra Petrum oxumensem, ut infra dicemus, et *Lucero de la vida Christiana*, Salmanticae 1495, prohibitum quidem in Expurgatorio indice hispano, sed qua de causa se ignorare fatetur Nic. Antonius t. II. l. X. c. 15 n. 838.

fusissimi igitur sunt ejus commentarii, et fatendum est eum saepissime a textu explicando divagari innumerasque in suis explicationibus quaestiones dogmaticas (quadam occasione circa 170), quae ad rem non pertinent, scholastica methodo pertractare. Trium linguarum sacrarum peritus sensum literalem solum exponere se velle asserit, at quam plurimas allegoricas expositiones simul in medium affert. Postillam Lyrani frequenter adhibet, interdum impugnat. Non sine fructu hodie quoque ejus opera interdum adhibentur.“ „Major in eo, inquit Calmetus in bibl. sacra, disceptandi, productis in utramque partem rationibus, ubertas et usus, quam solida eruditio et sapor: quod tamen seculi potius quam ingenii vitio tribuendum est.“ Rich. Simon, quamvis carpat quaestionum superfluarum copiam, eum laudat: Il est neanmoins, inquit Hist. crit. du V. T. III, 12 p. 313, heureux dans ses digressions: de sorte que la lecture en peut être utile, parce qu'il est sçavant et exercé dans le style de la Bible. Postremis tomis continentur *Defensorium* trium propositionum, propter quas apud Eugenium IV. accusatus fuit, ut supra diximus; quo in op. liberius in pontificiam auctoritatem invehitur, quod temporum illorum injuriae adscribendum videtur. *L. de quinque figuratis paradoxis,* in quorum 1. poetice quidem, sed docte et ingeniose disserit de Christo et b. Virgine; in 2. et 3. pulchre de incarnatione et de vita Domini; in 4. et 5. prolixe de serpentis imagine; *de ss. Trinitate;* libellus super *Ecce virgo concipiet* Is. 7, 14; *de statu animarum post mortem* (ed. cum Barth. Sibyllae et Trithemii *de Deo et*

intelligentiis, Antverpiae 1621) etc. His demum subjecti sunt plures indices[1]), inter quos index conceptuum ad usum praedicatorum in totum annum; inde quaestionum (uterque confectus a Paulino Berti); index auctoritatum s. Scripturae, quas auctor in suis commentariis obiter exponit. Sequuntur jam aliqua ejusdem opera hispana: *Commentario sobre Eusebio* sive in ejus chronicon, Salmanticae 1506 t. 5 in f., opus praecipuae celebritatis, cui additus Tr. *de los dioses de la gentilidad* ò las catorze quaestiones (etiam seorsim Burgis 1545; Antverpiae 1551): inter quas qq. est et illa: »Cur tam frequenter Scriptores sacri tum Joannis Bapt. tum apostolorum, Deiparae autem V. sic raro meminerint.« *Confessional* en el qual despues de haver tratados de todos los pecados, pone en fin los casos al Obispo y sumo Pontifice pertenecientes, Lucronii 1529 in 4; alibi 1545; *Artes* y instruccion para todo fiel Christiano como ha de dezir Missa y su valor, Caesaraugustae 1503 in 4.

448. Prae his duobus luminaribus reliqui, quos in hac sectione nominabimus, non comparent: hinc et eorum labores oblivioni fere traditi sunt. Bernardini Gadoli O. Camald. abbatis (fl. 1460) brixiani in omnes s. Scripturae ll. annotationes laudantur. — Bernardinus du Rosier (de Rosergio) Tolosanus, in patria academia per a. circiter 20 utriusque juris professor, ex canonico regulari O. S. Aug. episcopus vasatensis, dein montalbanus, demum archiepiscopus tolosanus († 8. Mart. 1475) praeter alia inedita reliquit commentaria in Pentateuchum, in cantica canticorum, in acta apostolorum et Apocalypsim. — Ita pariter inedita manserunt commentaria in Pentateuchum Benedicti Stendal de Hallis s. Scripturae lectoris Erfordiae aliaque opera theologica (fl. c. 1470) — in Genesim Andreae Nicolai O. Min. Hungari, quibus Jo. de la Haye utitur (fl. 1474). — In Genesim, in 2. ep. ad Corinthios, in ll. sententiarum Joannis Grössel de Titmaning, qui quater fuit rector academiae viennensis et saepius decanus facultatis artium et dein facultatis theologicae († 1467) — in Exodum et in ep. ad Colossenses collegae ipsius Wolfgangi Haindl ex Austria inferiori, magistri regentis († c. 1473) — In aliquot ll. s. Scripturae Arnoldi de Limone O. Carm. lectoris biblici tolosani et episcopi bethleemitani (1436; † 1466) — Alfonsi a Palenzuolo O. Min. Hispani, s. theologiae lectoris et concionatoris Joannis II. regis, episcopi civitatensis (1460), dein ovetensis (1469; † 1470). — Joannes de Bercht Diestensis regularis O. S. Aug. in Viridi Valle doctrina et sanctitate clarus concinnavit ex patribus *Elucidatorium* in Psalmos Davidicos, quod edidit sodalis Marcus Masteleyn suppletis iis quae a Ps. 114—133 incl. deerant Antverpiae 1634. — Inedita praeterea sunt Seraphini Ferrari O. S. Aug. commentarius in cantica canticorum secundum sensum literalem, allegoricum et anagogicum t. 3 (latine et italice) — Orosii Hosii can. reg. lat., qui praecipuis congregationis muneribus obitis ejus rector generalis fuit renunciatus 1438 († c. a. 1456), commentaria in quatuor prophetas majores — Antonii le Cocq O. Carth. pedemontani (1458) commentarius in Job — et Gabrielis Sfortia O. S. Aug. Senensis e nobilissima stirpe prognati, viri piissimi contra suam voluntatem ad archiepiscopatum mediolanensem promoti (1454; † 12. Sept. 1457) com-

[1]) Indicem operum omnium juxta ordinem literarum digessit Franciscus de la Fuente (Fontanus) philosophiae et theologiae magister, canonicus complutensis ecclesiae collegiatae, in quo conficiendo octo annos impendit, Vallisoleti 1547 t. 2 in f.

mentaria in Evangelium et in 4 ll. sententiarum. — Antonii Bituntini O. Min. insignis concionatoris, quem Nicolaus V. lectis ejus commentariis in Magistrum tanti aestimavit[1]), ut ei solemni ritu doctoratus et magisterii gradum contulerit († 1459), *expositio mystica evangeliorum dominicalium,* Bergomi 1496 prodiit; *quaestiones* in epistolas et evangelia quadragesimalia, Venetiis 1494 cum postilla Nic. Lyrani; 1500; 1516; seorsim 1538; 1588; Lugduni 1541; 1569; *sermones dominicales,* Argentorati 1495; Venetiis 1499; Sermones (59) in omnes epistolas quadragesimales seu *de vitiis* al. de peccatis, Venetiis 1499, cui prologi instar praemittitur tr. de causis, *quare Deus fecit peccabile genus humanum. Speculum animae* ei tributum videtur esse illud, cujus auctor est Jo. Peckam[2]), nisi sit ejus Summa conscientiae, quae ut ejus Summa theologiae mansit inedita. — Commentaria inedita reliquerunt praeterea in ep. d. Pauli Joannes Rocchus de Portiis O. S. Aug. Papiensis, lector s. theologiae, concionator apostolicus et vir vere religiosus „qui divinitus in Lombardiae partibus ff. eremitarum s. Aug. ordinem reformavit," ut legimus in ordinis martyrologio a Barth. de Palatiolo a. 1487 edito († 13. Jul. 1462). — Paulus Matugliani O. Praed. in conventu bononiensi († 1469) et Conradus de Geissenfeld OSB. Mellicensis († 1460) epistolarum s. Pauli interpretes — Hilgerus de Burgis O. Carm. Coloniae diu theologiae lector, archiepiscopo a consiliis et confessionibus, episcopus buduanensis et auxiliaris archiepiscopi († 1452). — Aegidius de Bailleoeul Arthesius, lovaniensis doctor atque a. 25 in facultate theologica regens et legens († 18. Maj. 1478), cujus laudantur commentarii in omnes ep. apostolicas. — Aegidius de Dammis flander, dunensis monasterii O. Cist. monachus Martyrologium SS. primus vel inter primos ex pluribus codd. recensuit, auxit et locupletavit, sed morte praepeditus (1463) edere non potuit. Scripsit quoque lecturam super omnes psalmos et in ep. s. Pauli. — Joannes de Vernone Gallus, professor parisiensis († 1461), unus ex doctoribus selectis ad retractandam causam puellae aurelianensis, cujus memorantur commentaria in Apocalypsin et magistrum sententiarum. — Guilelmus Staphilartus Anglus, academiae oxoniensis ornamentum (fl. a. 1456). — Metrice ep. s. Pauli in latinum numerum vertit Petrus de Rosenheim († 1464; juxta alios jam 1441). — Jacobus Ferrarius de Regio literis graecis et hebraicis bene imbutus, terrae s. provincialis et episcopus in insula Corsica († 1465). — Nicolaus Kenton (Chenton, Conodunus) provincialis in Anglia († 4. Sept. 1468), cujus plurima sunt scripta inedita. — Petrus Giraldus (Chraldus) vicentinus (fl. c. 1460). — Petrus a s. Fide Anglus, norvicensis coenobii alumnus († 8. Nov. 1452) interpretatus est omnes ep. s. Pauli ll. 14, et etiam d. Petri epistolas. — Sevinus (Segninus) Cousin Pictaviensis, in academia patria professor († 1456) commentaria etiam reliquit in magistrum sententiarum. — Quibus demum addatur Thomas Gascoigne (Vasconius) natione Anglus doctor et academiae oxoniensis cancellarius, qui adfuit concilio florentino († 13. Mart. 1457) praeter alia collegit Dictionarium theologicum sive veritates ex s. Scriptura et aliorum sanctorum scriptis et notas in Psalmos scripsit[1]).

[1]) Laurentius Valla religiosorum hostis contra depingit eum Antidoti in Poggium l. 4 pag. 357 ut ineptum ac indoctum concionatorem.

[2]) De hoc supra egimus pag. 411 s. Ceterum Antonius B. fuit unus e selectis a Calixto III. ad praedicandum bellum contra Turcas.

[1]) Cf. Oudin III, 2459.

449. Unus est, cujus nomen plurimum insonuit, non tam propter labores exegeticos, sed propter literas humaniores, in quibus excelluit et ad quarum florem haud parum contulit, Laurentius Valla. Ortus est Romae, oriundus tamen fuit a Placentia. Magistris usus est praecipue Aurispa et Leonardo Aretino, »quorum alter graece legendo, alter latine scribendo ingenium excitavit meum, ille praeceptoris (uni enim mihi legebat), hic emendatoris, uterque parentis apud me locum obtinens,« scribit ipse Valla[1]). Annos natus 24 petiit a Martino V. secretarii munus, quo antea functus erat ejus avunculus, quod tamen non obtinuit. Placentiam se contulit, deinde Papiam, ubi eloquentiae cathedram rexit (1431). Adhaesit dein (1436) Alphonso regi neapolitano comes ejus expeditionum militarium et testis, imo et particeps praeliorum. Inde Romam se contulit a. 1443, sed apud Eugenium IV. accusatus propter errores suis scriptis contentos Barcinonem confugit iterumque Neapolim rediit. Honorifice a rege exceptus et diplomate poeta proclamatus cathedram eloquentiae obtinuit, sed mordaci maledicentia et opinionum audacia multos sibi fecit inimicos, qui ejus famae (sane non illibatae) non pepercerunt: inter quos eminet Franc. Poggi[2]). Interim defunctus est Eugenius IV., ejusque successor Nicolaus V. literarum humaniorum Maecenas ipsi benevolus Romam ut veniret invitavit (1448). Hic scholam eloquentiae instituit, factusque est canonicus lateranensis (etsi non sacerdos) et scriptor apostolicus († 1457). *Opera* ejus collecta prodierunt Lovanii 1483; Basileae 1540; 1543, inter quae summis encomiis celebratur *Elegantiarum latinae linguae ll. 6*, cujus innumerae fere sunt editiones, Romae 1471; 1475 etc. *De voluptate et vero bono ll. 3*, Basileae 1519 in 4., in quo se Epicuri discipulum si non palam, latenter saltem profitetur[1]); *de libero arbitrio*, cum aliis opusculis s. l. 1482 in f.; Basileae 1518; in utroque Boëthium impugnat; *contra donationis, quae Constantini dicitur, privilegium*, ut falso creditum est et ementitum declamatio, in qua non tam criticum prudentem, quam rhetorem verbosum agit (sicut et in aliis scriptis), procacibusque et homine christiano et catholico plane indignis in rom. pontifices et in omnes sacros ordines utitur, ac dominium rom. pontificis civile generatim impugnat. Haec tria opera olim relegata erant (nunc non amplius) in indicem ll. prohibitorum; ex op. elegantiarum tantum l. 6 c. 34. de persona contra Boëthium, ubi temere effudit: »In Deo non est persona magis quam in bruto.« In l. *de professione religiosorum* (ed. a Vahlen cum duobus aliis opusculis

[1]) Opp. p. 43 ed. basil. 1540. Distingui ab eo debet Georgius Valla Placentinus, medicus et humaniorum literarum Venetiis professor clarus, qui eodem fere tempore floruit († 1499). Cf. Tiraboschi Storia della Letteratura ital. T. VI l. 3. c. 5. n. 31 ss.; Barozzi, L. Valla, Firenze 1891; Mancini Vita di L. V., Firenze 1892.

[2]) Alius ejusdem aemulus et adversarius gravis fuit Bartholomaeus Facius Spediensis (Spezza), contra quem exstant L. Vallae *invectivarum* seu recriminationum in B. Facium et A. Panormitam ll. IV (inter ejus op. p. 460). Plura reliquit opera: *De humanae vitae felicitate; de excellentia et praestantia hominis*, Hannoviae 1611; *Historiarum et chronicorum epitome*, Venetiis 1533; *de viris sui aevi illustribus*, cur. Mehus Florentiae 1745 in 4: alia ad historiam profanam spectantia cf. apud Potthast p. 443. Reipublicae genuensi, dein Alphonso I. regi neapolitano erat a secretis. Cum eodem, quo Vallo, anno obierit (1457), lepide quis cecinit:

Ne vel in Elysiis sine vindice Valla susurret.
Facius haud multos post obit ipse dies.

[1]) Hinc Baumgartner de eo IV, 489: Am weitesten (inter humanistas illius temporis) ist wohl in schamloser Erneuerung des Heidentums L. Valla gegangen. Cf. Wurm KL. XII, 563—566, ubi dicitur: Der eigentliche Sturmvogel der literarischen Revolution.

Viennae 1869) negat professionis religiosae meritum. *Calumnia theologica* L. Vallae olim Neapoli intentata, quod negasset, symbolum membratim articulatimque per apostolos esse compositum, Argentorati 1522, contra Antonium a Bitonto, qui eum propterea reprehenderat. Hic nominandus est propter suas *annotationes in N. Testamentum* ex diversorum utriusque linguae codd. collatione, Parisiis 1506; Basileae 1526 cura Erasmi, et inter Criticos sacros. Eae magis sunt grammaticales quam theologicae, sed non inutiles. Quum vero indebita cum licentia Vulgatam non semel aggrediatur; acerbissime invehatur in s. Augustinum et s. Thomam, theologos omnes, imo omnes nimia jactantia ita dijudicet ac si ipse solus linguam graecam et latinam calluerit, quamvis haud paucos gravesque errores grammaticales admiserit, prohibitae olim erant ‚donec corrigantur'[1]). Ceterum teste Rich. Simon ipse primus fuit, qui in suis annotationibus alias citaret lectiones variantes earumque haberet rationem[2]).

450. Hisce denique addantur: Johannes Rellach O. Praed. vel forte O. Min. e monasterio dioecesis constantiensis, praedicator apostolicus belli adversus Turcas (fl. 1451), qui elaboravit versionem s. Scripturae primam germanicam, quae jam ante Lutherum prodiit[3]) — Nicolaus Malermi (Malhermi, Malherbius) abbas O. Cam. Venetus († 1481) primus Biblia integra, ut ipse profitetur, secundum proprietatem literae de verbo ad verbum transtulit italice, vulgatam potius quam hebraicos et graecos fontes secutus, Venetiis 1471 t. 2 in f.; 1477; 1487 (m. 500); 1507; 1517 (m. 150), ultra quadragies usque ad initium sec. XVI edita; recentiori aetate prodiit tantum versio librorum aliquot singularium. Stilus est adhuc rudis sapiens dialectum venetum, quod non est adeo mirandum, cum lingua itala tunc nondum fuerit satis exculta[1]). Edidit quoque *Vitas sanctorum* italice, ib. 1475. — Adjumentum saltem pro interpretanda s. Scriptura praebet *Vocabularius breviloquus* cum arte diphtongandi sive libello de dictionibus, quae cum diphtongo scribuntur et de accentuandi arte et punctandi Guarini, nobilis viri veronensis (1370—1460), qui ardore bene discendi linguam graecam juvenis Constantinopolim profectus est ibique celebrem magistrum Em. Chrysoloram per quinquennium audivit, codices pretiosos collegit, quorum tamen pars in reditu naufragio periit. Docuit deinde graecas latinasque literas Venetiis primum, dein Ferrariae, Veronae, etiam Tridenti, tum Florentiae, discipulos nactus clarissimos, quare ipse inter instauratores literarum nomen est promeritus eximium[2]). Adeo placuit ejus labor, ut l. citatus ad a. 1504 ed. 25 meruerit, etiam a Reuchlinio retractatus suppresso nomine prodierit 1475.

---

[1]) Cf. Cornely l. c. n. 250.

[2]) Hist. critiqne du N. T. c. 12. et 21, ubi carpit nimium ejus pruritum, quo affectat in versione linguae elegantiam citatque epigramma illud compositum in L. Valla, qui reformare voluit in omnibus et ubique linguam latinam:

„Nunc postquam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba latina loqui.
Juppiter hunc coeli dignatus honore fuisset
Censorem linguae, sed timet ipse suae."

Cf. etiam Hist. crit. des princ. comment. du N. T. c. 34 pag. 484 ss.

[3]) Cf. accuratas diss. Fr. Jostes in hist. Jahrb. 1894 p. 771—95; 1897 p. 133—46.

[1]) Cf. Tiraboschi Storia della Lett. it. VI l. 2. c. 1. n. 30; R. Simon Hist. crit. du N. T. c. 40 pag. 483 ss.; Minocchi in Dictionnaire de la Bible ed. Vigouroux Paris 1903 III, 1022 ss., ubi alterius versionis ejusdem aetatis meminit cur. typographo Nic. Jenson, quae penitus antiquata recusa fuit cur. Car. Negroni(†1896), Bononiae 1882—87 t. 10 in 8.

[2]) Alia ejusdem opera ad literas humaniores spectantia cf. apud Fabric. III, 112.

III. Historia ecclesiastica.

451. Ad historiam *universalis* Ecclesiae referri (saltem ex parte) possunt haud paucorum opera. Sozomenus natus Pistorii 1387 concilio constantiensi interfuit. Canonicatu in ecclesia majori pistoriensi potitus scripsit stilo humili et barbaro historiam seu *chronicon universale*[1]) ab o. c. usque ad a. 1455, cujus specimen tantum exhibet Muratori SS. rer. it. XVI, 1063-1198 scil. ab a. 1362—1410, quia nonnisi vulgaria continet, et in reliquis, quae bonae frugis sunt, Joannem et Matthaeum Villanos, qui lingua italica scripserunt, totos descripsit († 1458). — Gimignanus degl'Inghirami di Prato auditor Rotae, qui interfuit concilio constantiensi (24. Jul. 1460), reliquit *memorias* circa historiam tam ecclesiasticam quam civilem ab a. 1378-1452, quas exhibet Caes. Guasti in Archivio storico ital. 1888 ser. V. t. I, 43—68. — Matthaeus Palmieri Florentinus interfuit concilio florentino et post summas reipublicae florentinae dignitates variasque legationes cum honore et laude obitas[2]) decessit 1475. Hic chronicon Prosperi, quod in a. 448 desinit, continuavit additis mille annis usque ad a. 1449, quae continuatio inscribitur de temporibus sive *Chronicon florentinum* et qua tale passim impressum fuit cum chronicis Eusebii Hieronymi, Prosperi, Mediolani c. 1475; Venetiis 1483; Parisiis 1518 etc. Illud ad a. 1482 prosecutus est Matthias[1]) Palmieri Pisanus, secretarius apostolicus († 19. Sept. 1483), cui Germanus quidam adjecit alteram continuationem usque a. 1501; tertius itidem Germanus telam prosecutus est ad a. 1536; omissis antiquioribus editionibus emendatius inter Tartinii rer. it. SS. I, 235 prodiit Florentiae 1748 (ab a. 447). — Cornelius Zantfliet (Santfliet, Santoliet) OSB. Leodiensis († c. 1462) concinnavit stilo candido *Chronicon* ab o. c. ad a. 1461, cujus partem ab a. 1230—1461 publicae luci dedit Martene ampl. coll. V, 67—504. Ex ejus l. *de gestis episcoporum leodiensium* profecit Jo. Chapeauville, qui eum scriptorem fidelissimum ac diligentissimum dicit, pro suo opere de eodem argumento. — Matthias Döring (Döringck, Dornig) O. Min. natus 1390-1400, doctor et professor ss. literarum Erfordiae (ante a. 1431), electus est Saxoniae provinciae minister (1428—1461). Interfuit consilio basileensi, in quo consensit depositioni Eugenii IV. et electioni Felicis V; ibidemque ab ea parte sui ordinis, quae tunc concilio adhaerebat, in generalem ministrum assumptus (1443) et per dictum concilium confirmatus fuit[2]).

[1]) Cf. P. F. X. Ram Recherches sur la chronique universelle de Sozomenus de Pistoie, Bruxellis 1851; Fabricius VI, 495; Potthast p. 1027; Tiraboschi l. 3. c. 1. n. 30; Zaccaria bibl. pist. p. 29.

[2]) In poëmate inedito *Città di Vita* cum Origene videtur sensisse, erroremque ejus de animabus, tertio quodam genere angelorum, ob peccatum in corpora detrusis, comprobasse: hinc haeresis suspicionem incidit, ejusque liber ex theologorum sententia damnatus ignique traditus est, non ipse, ut Trithemius forte ex falso rumore scribit SE. c. 798.

[1]) Vertit hic etiam e graeco latine *Aristeae historiam* de LXX interpretibus, quae prodiit primum in latinis bibliis excusis Romae 1472; Norimbergae 1475; Parisiis 1521 etc. Cf. Zeno l, 100.

[2]) Cf. P. Albert M. Döring ein deutscher Minorit des 15. Jahrh. Stuttgart 1892; histor. Jahrb. 1892; XI. 439—490 ubi copiosam reperies literaturam; Eubel Katholik 1893. II, 16—21; Michael Zeitschr. für k. Theol. 1894 p. 711—15; Potthast

Sed postea huic muneri cedens reliquum vitae suae in kyritzensi conventu transegit et obiit, ut sperare licet, in pace cum sede apostolica (24. Jul. 1469). Praeter *Defensorium Nic. Lyrani* contra Paulum burgensem, de quo supra egimus p. 813, commentaria super Isaiam (opus grande) et in ll. sententiarum, sermones (inedita) etc., et opus malum ex Marsilio Ficino haustum *contra primatum papae* (seu confutationem primatus papae) a protestantibus praeeunte Flacio Illyrico saepius editum (etiam sub nomine Gregorii Heimburg), continuavit forma diarii *chronicon* Theodorici Engelhusii (cf. p. 836) ab a. 1420—1464., quam continuationem exhibet, sed mendose, Menken SS. rer. Germ. III. 1—64; Riedel Codex diplom. brandenb. IV. t. 1. pag. 209—56. Ea magni est momenti pro bellis husiticis: sed in iis, quae pertinent ad concilium basileense et rom. pontifices celebresque cardinales, partium studio inquinatur mordacique stilo est conscripta. In concilio disputaverat de art. 4. Husitarum atque in propositione circa husitarum art. de donatione Constantini hujus genuinitatem tuetur atque jus vindicat Ecclesiae possidendi bona temporalia. Ejus *liber perplexorum Ecclesiae* periit. Adversarius erat non solum curiae romanae, sed et Nic. de Cusa. — Aliqua etiam reperiuntur apud Blondum Flavium foroliviensem, qui ab Eugenio IV. ad Pium II. romanis pontificibus a secretis erat (n. 1388; † 4. Jun. 1463). Scripsit[1]) *Romae triumphantis* (i. e. veteris) *ll. X; Romae illustratae,* qualis scil. fuit post tot devastationes suo tempore, ll. III; *Italia lustrata* sive illustrata per regiones seu provincias XVIII; *historiarum* ab inclinato romano imperio et Roma per Alaricum a Chr. 410 capta usque ad a. 1440 *decades tres* ll. XXXI; decadum duarum priorum ad a. 1400 epitomen composuit Aeneas Silvius, quae inter ejus opera prodiit. Procul Blondus ab eloquentia prisca fuit, neque satis diligenter quae scripsit examinavit: non quam vera, sed quam multa scriberet, curam habuit[1]). Prodierunt ejus opera Basileae 1531; 1559 in f.

452. Gebhardus Dacher Constantiensis († 1572) in sua *historia magnatum* in constantiensi concilio primis conc. annis (1414. 1415, Mansi coll. conc. 28, 625—54; de Hardt V p. 2 pag. 10—50) recenset eos, qui illi synodo interfuere. — De concilio *basileensi* prae primis duo viri celebres referunt, qui eodem etiam a. sunt defuncti: Thomas Ebendorfer de Haselbach et Aeneas Sylvius. Ille natus est in oppido Haselbach Austriae inferioris 10. Aug. 1387. Studiis operam dedit in universitate viennensi ab a. 1405. Artium licentiatus factus (1412) varia Aristotelis opera est interpretatus, munus decani hujus facultatis et rectoris academiae obiit. Ad theologiam conversus a. 1419. in facultate theologica cursor biblicus est admissus, sententias postea legit (1420). factus baccalaureus formatus (1421). demum (1428) theologiae doctor creatus mox facultatis decanum egit; factus est quoque canonicus ad s. Stephanum et capellanus aulicus munusque vice-

p. 382; hist.-pol. Bl. 1894. 114, 624—29; Gebhardt M. Doering hist. Ztschr. LIX, (1888), 248—293, et jam antea in N. Archiv XII (1887), 517-530; Krause Allgem. d. Biogr. XX, 664—666.

[1]) Cf. Potthast p. 160.

[1]) Aequius tamen judicat Tiraboschi, qui VI. p. 2. l. 3. c. 1 n. 2 ss. accurate de eo disserit. Or in tutte queste opere, inquit, benchè si veggano non pochi falli da lui commessi, scorgesi però al tempo medesimo una singolar diligenza nel raccogliera da tutti gli autori quanto giovar poteva al suo intento; ed essendo esso le prime, che in tal genere si pubblicassero, non può negarsi, che non ci diano grande idea del vasto sapere e del continuo studio del loro Autore. Cf. etiam Ap. Zeno Diss. Voss. I, 229.

cancellarii academiae obiit. Etiam in facultate medica doctoratus lauream est adeptus (sed quando, non liquet). Eminuit inter professores universitatis sua prudentia, eruditione, agendi pro illius bono dexteritate et studio, ut nullum gravius negotium academicum perageretur, cui ipse non interveniret consilio et auctoritate. Hinc bis adhuc (1429. 1445) electus est universitatis rector: parochum quoque egit atque concionatorem. Nomine universitatis interfuit (1432—1434) concilio basileensi non otiosus spectator, sed solers negotiorum particeps: atque a concilio adhibitus fuit ad reducendos Husitas in Ecclesiam, non semel missus in Bohemiam ad pacem cum illis conficiendam: saepe volente imperatore regni interfuit comitiis: magna fruebatur auctoritate apud omnes, apud pontificem, imperatorem, cui erat a consiliis, concilii patres, apud nobiles et c ves viennenses, praesertim apud suos in cathedra collegas. A Friderico imperatore legatus passim missus fuit ad varia tractanda negotia, ipsius tamen postea incurrit offensionem. Post vitam annis posterioribus propter politicas turbas admodum agitatam senex a. 77 ad meliorem transiit 11. Jan. 1464. Reliquit plura scripta historica, theologica et philosophica, e quibus tantum prodierunt: *Chronicon austriacum* ad a. 1463, editum[1]) ab Hier. Pez inter Scriptores rerum austr. II, 689—986 omissis l. l. et magna parte 2., qui compilati sunt sine judicio critico ex chronicis antiquioribus; utilius jam est pro factis suae aetatis. *Chronicon regum* (imperatorum) *romanorum*, liber augustalis ab aliis dictus, cujus ll. 6. et 7. omissis iis, quae aliunde compilata jam nota erant, prodierunt cura Alfr. Fr. Přibram in Mittheilungen des Instit. für österr. Geschichtsforschung, Innsbruck 1890 t. complem. III, 96-213; *Diarium gestorum* per legatos concilii basileensis pro reductione Bohemorum ed. a Birk in Mon. conc. gen. I, 701-783, pro historia hujus concilii et negotii pretiosum. *Sermones dominicales* super ep. Pauli, s. l. 1478 in f. Inedita manserunt plurima, ut prolixa admodum commentaria in Is. cc. 16 t. 5 in f.; in Ev. Joannis, in ep. ad Hebraeos, in sententiarum ll. 4; sermones plurimi, erat enim insignis concionator; chronicon pontificum romanorum[1]), tractatus morales etc. Merito ergo Ebendorfer potioribus theologis sui temporis accensetur[2]). Reprehensioni tamen quorundam erat obnoxius, quod in suis praelectionibus esset nimis diffusus et prolixus: nam uno et viginti annis legens de Isaia ad finem c. 1. non pervenit, ut refert Trithemius c. 705.

453. Celebrior est alter concilii basileensis testis et particeps Aeneas Sylvius. Natus est ex nobili Piccolominorum stirpe 18. Oct. 1405 in Etruriae oppido Corsignani, postea in ejus honorem Pienza dicto, haud procul Senis. Studio praesertim literarum humaniorum, dein Senis magno cum profectu jurisprudentiae operam dedit, de qua adhuc juvenis praelectiones habuit. Spectatissimus erat discendi ardore et morum candore. Dominicum Capranicam cardinalem, qui a sua ecclesia, quam regebat, Firmanus est dictus, ad basileensem synodum comitatus est (1431) eique a secretis fuit, licet nonnisi 26 a. aetatis suae ageret. Secretarii quoque munere fungebatur apud alios, praecipue apud card. Albergatum, a quo in Scotiam est missus. Inde vero rediens semper magis suis talentis, loquendi facundia et agendi dexteritate innotuit,

[1]) Cf. Widemann hist. Jahrb. XX (1899), 352—357.

[1]) De hoc fusius refert Levinson Mittheil. des Inst. für österr. Geschichtsf. XX (1899), 69—99.

[2]) Cf. Aschbach Gesch. der Wiener Universität I, 493—526; Krones Allg. d. Biogr. V, 526—528; Birk in praef. ed. conc. p. XXXI—XLIV.

et a synodo nominatus est referendarius, postea literarum apostolicarum abbreviator, cancellarius et negotiorum procurator generalis. Frequenti legatione honoratus atque in gravissimis negotiis fuit adhibitus, ut vix sit regio vel major urbs Europae septentrionalis, ubi non fuerit negotiorum causa: nam fuit missus in Angliam, Scotiam, Galliam, in varias Germaniae urbes, in Sabaudiam et ad Grisonum rempublicam. Interim ecclesiae collegiatae s. Laurentii praeposituram Mediolani obtinuit. Orto schismate ipse pro concilio stetit et scripsit; praefuit clericus caeremoniarius pro tuendo ordine conclavis, in quo electus est Felix V. antipapa, atque cum aliis mandato synodi ei annunciavit electionem factam: imo aliquamdiu Felici V. a secretis fuit. Anno 1442 secutus est aulam Friderici III. imp., a quo laurea privilegiisque poetarum donatus atque in variis legationibus Romam, Mediolanum, Neapolim, in Bohemiam atque ad alia loca fuit adhibitus. Interim promeruit et gratiam Eugenii IV., cujus causam dextere egit apud Germaniae principes. Nicolaus V. eidem, postquam a. 1445 factus est sacerdos, contulit episcopatum tergestinum (1447), quem tamen post biennium adepto senensi dimisit; idemque pontifex eum misit nuncium apostolicum in Austriam, Hungariam, Bohemiam atque Silesiam etc., ubi demandatis sibi negotiis optato eventu functus est. Quare a Calixto III. creatus est cardinalis (1456) et inaudito fere successu jam post biennium 19. Aug. 1458 illo mortuo electus est in pontificem sub nomine Pii II. Non est nostrum fusius de ejus pontificatu disserere, in quo digne se gessit, etsi non felix in suis conatibus fere heroicis adversus Turcas ob socordiam principum christianorum. Obiit Anconae 14./15. Aug. 1464, quo profectus est, ut conscenderet ipse classem adversus Turcas paratam[1]).

[1]) Cf. pulcherrimam biographiam L. Pastor in op. Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des MA. Freiburg 1889 II, 1—289; G. Voigt Enea Silvio de'Piccolomini als Papst Pius II. und sein Zeitalter. Berlin 1856-63 t. 3; Tiraboschi VI. p. 2. l. 3. c. 1 n. 21 ss.; Funk KL. X, 46 ss.; Ap. Zeno diss. Voss. II, 87; Potthast p. 19—25 de variis ejusdem opp.; Catalogo della raccolta che per la bibliografia del Petrarca e di Pio II è gia posseduta e si va continuando dall'Av. (Dominico) De'Rossetti († 1842), Trieste 1834 in 8; Guilelmus Insulanus Juliacensis in opusc. Aula, quo l. refelluntur et attenuantur criminationes in aulam Aenae Silvii ab U. Huteno conjectae, Coloniae 1539; Francofurti 1606. Fuit Guilelmus in medicina versatus, sed prae primis literarum humaniorum studiosus. Obiit praepositus ecclesiae s. Adalberti Aquisgrani 1547. Cf. Hartzheim p. 108. *Expeditionem Pii II* adversus Turcas descripsit Leodrisius *Crivelli*, quam edidit Muratori SS. rer. it. XXVIII, 25—80. Porro Cribellus patria Mediolanensis n. 1413, archiepiscopo a secretis, juris canonici Papiae interpres (1443), post varia fata Pii II. invenit gratiam. Quando decesserit est incertum. Libros 1. et 2. Decretalium illustrasse dicitur. Cf. F. Gabotto ricerche intorno allo storiografo quattrocentista Lodrisio Crivelli in Archivio storico it. VII (1891), 267—298. Scripsit etiam *de vita rebusque gestis Sfortiae ducis* etc. (1369—1424) apud Muratori XIX, 627—732.

554. Haud pauca reliquit Aen. Silvius scripta, in quibus utitur stilo eleganti et polito. Ex his ad nos spectant: Libellus dialogorum *de generalis concilii auctoritate* et gestis basileensium, ed. a Kollar in Analectis Mon. Vindob. 1762. II, 686—790, quem tamen pontifex retractavit bulla 26. Apr. 1463 urgens illud „Aeneam rejicite, Pium recipite". *Historia concilii basileensis ll. 3,* (ab Oct. 1438 — Jul. 1440) etiam inscripta Commentarii *de gestis basileensis concilii,* quos scripsit dum esset Felicis V. secretarius. L. tamen 2., in quo agere debuisset de Eugenii IV. depositione periit, ejus loco quasi l. 3. inseritur in nonnullis ed. (ut lipsiensi 1791) ep. ipsius Aenae ad Joannem Segoviensem 13. Aug. 1440, in qua describit Felicis V. coronationem. Saepius prodiit haec historia[1]), ut Basileae

[1]) Cf. Birck Theol. Qtlschr. Tübingen 1894 LXXVI, 577—596.

1515; Coloniae 1535 in Fasciculo rerum expetendarum ac fugiendarum; Taurini 1624; Francofurti et Lipsiae 1791 etc., cujus velut retractatio est *Commentarius de rebus Basileae gestis*, editus a Fea in op. *Pius II. a calumniis vindicatus*, Romae 1823. *Commentarii rerum memorabilium*, quae temporibus suis (praesertim in Italia) contigerunt (1405—63), quos Joan. Ant. Campano episcopus teramensis ex pontificis mandato limavit, in 12 ll. distinxit, praefationem adjecit, Romae 1584 in 4; bene continuati ad a. 1469 ab ejus familiari card. Jacobo degli Ammanati († 1479), Romae 1894. Per errorem hoc opus tribuitur Joanni Gobellino de Lins, qui illud tantum descripsit. L. XIII. reperit et edidit Voigt op. cit. II, 359—77. *De miseria curialium* l. eruditis in deliciis (seu ep. 166 ed. bas.); *de viris illustribus* seu de viris aetate sua claris, apud Mansi, A. Sylvii *orationes* politicae et ecclesiasticae cum aliis ejusdem ineditis lucubrationibus, Lucae 1759. III. append. p. 144—213; plenius Stuttgardiae sumptibus soc. liter. 1842 in 8; *Dialogus*, in quo disserit etiam de donatione Constantini contra L. Valla: *de potestate sedis apostolicae* etc. Romae 1475 in f. ed. rara; apud Mansi l. c. III, ap. p. 85; *epistola retractationis* ad magistrum Jordanum rectorem universitatis coloniensis 13. Aug. 1447, prima ejus retractatio celebris, apud Fea op. c. p. 148—164, de qua cf. Hergenroethor Conciliengesch. VIII § 845. *Epistolae* (433), quae pro historia illius temporis magni sunt momenti, quarum numerantur saltem 166 ed., Argentorati 1475/76 in f.; Norimbergae 1481; 1486; 1506 etc.; Alias 149 recentissime ex cod. autographo edidit Dr. Ant. Weiss in diss. Aeneas S. Piccolomini als Papst Pius II. Sein Leben und sein Einfluss auf die literarische Kultur Deutschlands, Graz 1897; ex his aliquae sunt veri tractatus, vel diss. de argumentis theologicis. Aliquas etiam reperies apud Pastor Acta inedita I, 102 ss., Friburgi 1904. Ep. ad Jul. Caesarium, qua nitide describit Basileam rarius editam habes in Con. basileensi V, 365-373 cur. Rud. Wackernagel. *Historia bohemica* seu de Bohemorum origine ac gestis historia[1]) ab a. 894—1458, Romae 1475 in f. ed. rara; Argentorati 1490; Venetiis 1503 in 4; Pragae 1766 ed. correctissima etc.; *Historia rerum Friderici III. imp.* ed. a Kollar op. cit. II, 1—475; historia *de ratisbonensi dieta* 1454, apud Mansi op. cit. III. ap. p. 1—85; *Pentalogus* de rebus Ecclesiae et imperii, apud Pez thes. anecd. IV. p. 3. pag. 639—744. Plura ex his op. (non omnia) collecta prodierunt Basileae 1551; 1571; opera geographica et historica, Helmstadii 1699. 1700 t. 2 in 4; Francofurti et Lipsiae 1707; opera prius inedita ed. Jos. Cugnoni in Atti della R. Academia dei Lincei, classe di scienze morali 1883, Ser. III. t. VIII p. 319—686. Ejus l. *de liberorum educatione* (cujus p. 1. tantum ex 4 elaboravit) scriptus ad Ladislaum Hungariae regem germanice a P. Galliker versus receptus fuit in bibliothecam paedagogicam II, 241-98, Friburgi 1889. — Plures notitias et documenta ad conc. *florentinum* spectantia collegit Andreas a Cruce patricius romanus et advocatus consistorialis, qui illi interfuerat († 1462), sed

[1]) Hanc laudat Bohusl. Balbinus Boh. doctae II, 48 ss. duoque tamen ait in ea notari, quod scil. Sylvius negligat distinctionem temporum, nunquam enim prope tempus factorum annotatum inveniri, et corruptionem nominum bohemicorum tantam, ut nihil magis esse possit. Reperiuntur ibidem editiones ejus plurimae diligenter recensitae. Prodiit etiam bohemice Pragae 1510: addidit ei postea Mart. Cuthenus civis et syndicus antiquae urbis pragensis non inutiles quasdam ex historiis notas atque iterum eam edidit ib. 1539. Cutheni vero cum Silvio novam editionem cum praefatione sua curavit Adamus Weleslavinus 1583. De hoc eruditissimo polyhistore de historia bohemica benemerito († 1599) cf. Balbini Boh. docta II, 52 ss.

non edidit: quibus tamen usus est Horatius Justiniani pro sua *historia conc. florentini*, Romae 1638 et apud Harduin coll. conc. IX, 669—1080.

455. De *romanis pontificibus* egerunt praeter Albertum de Siegburg OSB. in historia pontificum romanorum compilata[1]) ex variis a Gregorio IX. usque ad Nicolaum V., inedita (praeter brevissimum fragmentum); cujus etiam memoratur glossarium in V. et N. testamentum — Alphonsum des. Maria, etiam Garsias de s. Maria cognominatum, episcopum burgensem († 1456), quem Aeneas Sylvius in suis commentariis de conc. bas. l. 1. magnis extollit encomiis, delicias Hispaniarum appellat, scientiae speculum dicit et a consilio, doctrina et eloquentia commendat[2]), in *anacephalaeosi* regum Hispaniae, rom. imperatorum, summorum pontificum necnon regum francorum ex majori opere excerpta, Granatae 1545 in f., inter Rob. Beli SS. rer. hisp. Francofurti II, 611; in Schotti Hisp. ill.[3]) I, 246 — Jannotius (Janetus) Manettus senator florentinus et a. 1452 a Nicolao V. equestri dignitate ornatus (1369-1459), qui narrat *vitam Nicolai V.* papae ll. 4, quam edidit Muratori SS. rer. it. III. 2. p. 907-60; *historiam pistoriensem* a condita urbe ad a. 1446, quae ab a. 1154 majoris est momenti, ib. XIX, 989-1076; et agit *de dignitate hominis et excellentia ll. 4*, Basileae 1532. Psalterium vertit ex hebraico in latinum, quod tamen non videtur prodiisse[4]). — Caspar Veronensis scripsit vitam Pauli II. ll. 4, quorum 2—4 Muratori edidit inter SS. rer. it. III. 2. p. 1025—50.

456. *Singularium urbium, dioecesium* vel *regionum* historiam ecclesiasticam praeter alios descripserunt Franciscus de Andrea O. Min. Viterbiensis, de quo ignoratur, cujus sit ordinis, in *Croniche di Viterbo* ad a. 1454, quod integrum edidit Fr. Cristofori in Archivio storico per le Marche e per l'Umbria 1888, a. XVIII. t. 4. p. 261-338, etiam seorsim Fulginii 1888; iterum prodiit in Archivio della soc. rom. 1902 fasc. 1—4. — N. (forte Nicolaus) Schreitwein (Schritowinus), qui collegit[1]) *catalogum* archiepiscoporum et episcoporum laureacensis et pataviensis ecclesiarum (250—1456). Is exstat apud Rauch rer. austr. SS. II, 431—521, cum continuatione (1477-1514), ib. 522-30. — Joanni Frank OSB. in monasterio ss. Udalrici et Afrae († 1472) debemus *Augsburger Annalen* (1430—62), quas publicae luci dedit Steichele in Archiv für die Geschichte des Bisth. Augsburg 1859. II, 79—122. — Nicolaus Gerung dedit *Chronicon episcoporum basileensium* breve ad a. 1475, quod prostat apud Brucker SS. rer. basil. minores p. 316. — Joannes Seffried de Mutterstadt vicarius cathedralis spirensis († 1472) *chronicam praesulum spirensis civitatis* seu chronicon spirense ab u. c. ad a. 1468, ab aliis continuatum ad a. 1512, (aliis ed. omissis) prodiit cur. Boehmer Fontes IV, 327-51. — Joannes de Eisenach (Eisenhard) decanus naumburgensis († 21. Dec. 1467) concise et accurate refert *acta et facta praesulum naumburgensium* (968—1467) ed. a Francisco Paulini in Syntagmate rer. et antiq. german., Francofurti 1698 in 4. Illud continua-

[1]) Cf. Oudin III, 2585.

[2]) Cf. plura de eo ejusque operibus apud N. Antonium l. 10. c. 8 n. 389 ss.

[3]) *De Hispaniae viris claris* et academiis, exstat ib. t. 4.

[4]) Ipsius vitam scriptam a Nald. Naldio edidit Muratori Script. rer. it. XX. 529—608. Cf. de eo Archivio della società romana di storia patria XIV (1891), 411—436.

[1]) Cf. Oudin III, 2614; Widemann histor. Jahrb. 1896 pag. 505 ss., secundum quem auctor est valde obscurus et fere aenigmaticus; Ratzinger ib. XVIII (1897) 603 ss.; XX (1899), 357—359.

vit Caspar Holzapfel ejus domesticus et amanuensis, scholasticus postea Senacensis in collegio b. V., ad a. 1496, ad quem usque superstes fuit. — In eodem illo syntagmate reperitur *chronicon mindense* Bussonis Watenstedii mindensis canonici hamelensis a. 1460, quod viri critici a Fr. Paullini confictum censent. — Arnoldus de Bevergern civis monasteriensis lingua vernacula scripsit *chronicon monasteriense* (722—1457), quod edidit Matthaeus Annal. vet. aevi V², 1-118; partem vero cum continuatione ab a. 1424—1524 Ficker Geschichtsquellen des Bisth. Münster I, 244—89—303. — Henricus Wolter canonicus s. Anscharii Bremae *archiepiscopatus bremensis chronicon* (788—1463) magna ex parte excerpsit ex Rynesberchii vicarii cathedralis († 1406) et Herberti Schene cellerarii cathedralis et canonici s. Anscharii († ante 1418) *Bremische Chronik* (cum continuationibus ad a. 1518 apud Lappenberg Geschichtsquellen des Erzstiftes und der Stadt Bremen p. 55—176), quod edidit Meibomius SS. rer. germ. II, 19—82. Ejus quoque est *chronicon rastedense,* ib. 89—119, sed admodum mendose; apud Langenbeck Scr. rer. dan. III, 166—209. — Sigismundus Rosicz Silesius vicarius cathedralis et subcustos († c. 1470) exhibet *chronicam* et numerum episcoporum wratislaviensium 1051—1468, quem edidit Franc. Wachter SS. rer. siles. XII, 31—36; W. Ketrzyński in Mon. Pol. hist. 1893. VI, 576—84; *Gesta diversa* transactis temporibus facta in Silesia et alibi 1238—1470 stilo quidem sicco, sed accurate et diligenter relata, in op. utroque supra cit.; *Berichte über die Husitenkriege* ed. a Colm. Grünhagen SS. rerum. siles. 1871. VI, 158—63.

457. Multa pro historia ecclesiastica Angliae reperiuntur in op. Georgii Williams Memorials of the reign of King Henry VI. *Official Correspondence* of Thomas Bekynton etc. London 1872 t. 2. Natus est Th. Bekynton Bekingtonii c. 1400. Absolutis Oxonii studiis factus est ducis glocestris cancellarius, Henrico VI. a. 1441 a secretis ac sigilli privati custos, dein episcopus bathonensis semperque adhibitus in negotiis publicis et legationibus († 14. Jul. 1465). — Petrus de Thymo van der Heyden canonicus et thesaurarius s. Gudulae bruxellensis († 26. Febr. 1473) concinnavit ex diplomatibus utile *chronicon Brabantiae,* cujus t. 1. ad a. 814. tantum prodiit cur. de Reiffenberg inscriptus P. a Thymo *historia diplomatica Brabantiae,* Bruxellis 1830 in 4. Collegit quoque martyrologium Brabantiae, quod tamen mansit ineditum[1]). — Rodericus Sancii de Arevalo natus in oppido s. Mariae de Nieva segoviensis dioecesis a. 1404., post decursum in salmantina academia juris studio decennium susceptaque doctoratus insignia sacerdos factus variis inde per Hispaniam dignitatibus est perfunctus atque plures obiit legationes ad romanos pontifices et aliquot principes. Promotus est ad sedem ovetensem; castellanus castri s. Angeli Romae a Paulo II. constitutus est: qui idem pontifex ejusdem fidei curam Ecclesiae romanae commisit eumque ad zamorensem ecclesiam, deinde ad calagurritanam, tandem ad palentinam transtulit († 4. Oct. 1470). Plurima reliquit opera stilo parum exculto, ut ipse fatetur, et quandoque barbaro conscripta, sed utique docta et humaniorum disciplinarum floribus saepe conspersa. Ex his pauca prodierunt: *Historia hispanica* ab adventu Herculis ad tempora Henrici IV. (1469), Palentiae 1470 in f.; Francofurti 1603 etc. *De monarchia orbis* et de origine et differentia principatus imperialis et regalis, Romae 1521. *Speculum vitae humanae,* in quo discutiuntur commoda

[1]) Cf. Oudin III, 2634 s.

et incommoda, dulcia et amara, solatia et miseriae, prospera et adversa, laudes et pericula omnium statuum vitae mortalis tam in statu spirituali quam temporali, Romae 1468; Augustae V. 1471; Beronae in Ergovia (Beromünster m. 300), Bisuntii 1488; Argentinae 1507 cooperante Wimphelinga; Parisiis 1542, Francofurti 1683 etc., per Europam diffusum, saepissime editum et in varias linguas, etiam germanicam, versum. Inedita manserunt ex. gr. Defensorium status ecclesiastici contra querulos, aemulos et detractores praelatorum et clericorum divisum in decem tr.; de monarchia orbis, in quo ostenditur apud rom. pontificem residere veram orbis monarchiam, et ad eum solum spectare regum et principum punitionem et depositionem, et non ad populum, nec ad barones cujusvis regni, cum defensorio hujus l. contra quosdam detractores: l. confutatorius sectae et superstitionis Mahometi; de auctoritate rom. pontificis et conc. generalium; de remediis schismatis; tr. de mysterio ss. Trinitatis et an possit probari naturalibus rationibus[1]) etc. Ceterum propter suum Speculum supra citatum, in quo invehitur in praelatorum, imo et curiae romanae abusus, in deliciis est quibusdam protestantibus, adeo ut Oudin (III, 2663) affirmet: »Doctrinam M. Lutheri atque aliorum protestantium semper professus est in libris suis, imo semper docuit et scripsit, pontificias omnes constitutiones christiano orbi inutiles, non necessarias, imo nocivas et exitiales: ut primus jure censendus sit, qui Romae doctrinam protestantium lutheranorum et calvinistarum amplexus fuerit, quem alii postea imitati sint. Ita M. Flacius Illyrius in Catalogo testium veritatis Centuria XV. ad a. 1464 etc.« sed plane gratuitae sunt ejusmodi declamationes: nam jura sedis apostolicae ultro agnovit et defendit. — Benedictus de Accolti (degli Accolti) Aretinus, in literis humanioribus egregie excultus, Florentiae juris civilis professor et reipublicae cancellarius († 1466), scripsit stilo quidem classico, sed judicio minus critico *de bello* a Christianis contra barbaros gesto pro Christi sepulcro et Judaea recuperandis ll. 4 (1095—1187), (Venetiis 1532); 1549 in 4; Basileae 1544; Florentiae 1623 ed. Th. Demstero: Groningae 1731 in 8. ed. Henr. Hofsnider, quae omnes ed. sunt valde mendosae; dialogus *de praestantia virorum sui aevi,* Parmae 1689; 1691 in 8; Florentiae 1847.

458. Nostra demum aetate Placidus M. Lugano edidit Antonii Bargensis († 1452) Oliv. *Chronicon Montis Oliveti* (1313—1451), Florentiae 1901, quod videtur sincerum et fide dignum et pretiosum pro historia hujus familiae. — Henricus de Bernten O. Cist. in marienrodensi monasterio prope Hildesheimium († 1463) scripsit *chronicon monasterii Marienrodensis,* quod exstat apud Leibnitium SS. rer. brunsvic. II. 432—64 cum continuatione alterius ad a. 1580 ib. 464—69. — Henricus Pomerius van den Bogaerde Bruxellensis, prior apud Septem Fontes et a. 1431 apud Viridem Vallem († 2. Jun. 1469), auctor est plurium scriptorum, quae rara sunt propter imagines ligno incisas[2]). Inter alia reliquit (1414-1421) opusculum fide dignum *de origine monasterii Viridis Vallis* (Groenendaal) et de gestis patrum et fratrum in primordiali fervore ibidem degentium pp. 3, scil. p. 1: Origines monasterii;

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. vet. l. 10 c. 11 n. 587—642 fuse et accurate de ipso deque ejus opp. disserens.

[1]) His subjicitur in eadem ed. Registrum (1452—1464) ab Joannis Whethamstede († 1465) . . . Roberto Blakeney quondam adscriptum: neutrius tamen est.

[2]) Cf. A. van Renterghem Biogr. nat. de Belg. XVII, 926 s.

2. p. Vita b. Jo. Rusbrochii; p. 3: Vita fr. Jo. de Leuwis alias de Affliginio, qui dictus est Bonus coquus, in Anal. Bolland. 1884. IV, 263—333. — Martinus de Senging OSB. prior in ep. ad Joannem de Weilhaim (28. Oct. 1457) refert *de statu monasterii bursfeldensis* sub initium suae reformationis, quam Pez in bibl. ascet. VIII, 550—555 publicae luci dedit. Ad conc. basileense direxit *Tuitiones observantiae regulae s. Benedicti*, in quibus disserit de statu monasteriorum OSB. in Austria, ib. pag. 505—550. — Ab hoc alius est Martinus OSB. patria Hungarus, monachus in monasterio Scotorum Viennae, cujus electus est abbas (1446). A Nicolao Cusano designatus est qui cum duobus aliis monasteria OSB. provinciae ecclesiasticae salisburgensis visitaret et reformaret, quod praestitit non sine multis laboribus et difficultatibus. Renunciavit a. 1455 dignitati abbatiali, ut quietius incumberet scribendis variis operibus († 29. Jul. 1470): ex his tamen ll. argumenti potius ascetici prodiit tantum l. inscriptus *Senatorium* apud Hier. Pez Script. rer. austriac. II, 626 ss., in quo refert de se deque visitatione sua deque aliis argumentis, quae ad historiam Austriae spectant[1]). — Joannes episcopus eichstettensis (III.) illustris (1445—1464), quem Pius II. dixit »columnam auream et praecipuam Ecclesiae,« narrat *historiam reformationis monasterii s. Walpurgis* in bibl. ascet. ed. a Pez VIII. 650—71. — Joannes Meyer O. Pr. (fl. 1460) collegit l. *de viris illustribus O. Praed.* pp. VI, quem ed. Mone Quellensammlung zur badischen Landesgesch. IV, 13; fragmentum edidit Denifle in Arch. f. Literatur etc. II (1886), 190 s.

459. *Hagiologi* fuere: Joannes Brugman (Brugnanus) O. Min. Hempensis in ditione Cliviae n. forte c. 1400, theologiae lector, olim laxiori regularum observantiae deditus, ex corde conversus factus est strictioris disciplinae fervidissimus apostolus. Incredibili zelo Hollandiae et Germaniae inferioris provincias peragravit verus populi in vitia prolapsi, cleri universi et ordinis sui reformator: multosque conventus strictiori observantiae deditos quaqua versus magna plebis christianae aedificatione condidit. Hinc inter primos provinciae coloniensis reformatae fundatores est numerandus, cujus et vicarius fuit. Obiit meritis plenus prophetico quoque spiritu clarus 19. Oct. 1473. *Vitam s. Lidwinae* († 1433) ter scripsit. Prima prodiit Coloniae 1483; juxta Dirks Hist. lit. p. 4 Lovanii 1485 sine auctoris nomine. Cum vero Jo. Gerlach eandem plenius descripserit (Delft 1487; 1490), hujus vitam latine vertit additionibusque locupletavit. Haec tamquam vita prior prodiit in Act. SS. 14. Apr. II, 270-273. Hujus Thomas a Kempis epitomen confecit, quae inter ejus prodiit opera ed. Sommalii III, 114. Denique novam concinnavit vitam ex aliorum relationibus auctam, quae prodiit Schiedami 1498 ed. rarissima, in Act. SS. ib. p. 306—364. Elaboravit quoque piissimas *de vita Christi* meditationes, quas primum edidit Moll op. cit. II, 283—407. Quanta autem fuerit in concionando facundia, liquet ex adagio usque ad nostra tempora a populo usurpato: Utinam ut Brugman loqui possem[1]). —

[1]) Cf. Braunmüller KL. VIII, 935.

[1]) Janssen I, 682 annot. ed. 18: Jo. Brugman aus Kempen am Niederrhein, der innigste Freund des als Reformationstheologe in ganz Europa bekannten Dionysius Rickel war neben dem Franziskaner Died. Coelde einer der gewaltigsten Volksprediger seiner Zeit und als solcher zwei Jahrzehnte hindurch in den niederdeutschen Provinzen rastlos thätig. Vgl. über ihn Theol. Studien und Kritiken 1860 S. 165—174, ubi magnis encomiis celebratur in recensione scil. egregii op. Joh. Brugman und das religiöse Leben unserer Väter im 15. Jahrh. auctore Moll Amsterdam 1854 t. 2, in quo exhibentur

Romanus Simon O. S. Aug. lector theologiae Patavii scripsit a. 1458 *vitam b. Helenae* tertii ord. Erem. s. Aug., cujus versionem ex antiquo italico mscr. concinniorem dedit Jo. B. Sartorius, Utini 1362: inde versionem latinam confecerunt editores act. SS. Apr. III, 248. — Simon de Zanachis O. Carth. Parmensis, prior domus ss. Mariae et Hieronymi de Montello (1472), composuit *vitam b. Ursulinae* Parmensis OSB., quae italice conversa prodiit Parmae 1615; latine in actis SS. 7. Apr. I, 725—39 cum notis Henschenii, et in Monum. hist. ad prov. parmens. III, 516—535. — Laurentius Giacomini O. Praed. Etruscus, episcopi fanensis vicarius generalis, a Martino V. episcopus Achajae dictus et episcopi florentini auxiliaris († 15. Jun. 1455 a. aetatis 86), scripsit *Vita della gloriosa V. B. Verdiana* da Castel Fiorentino latine, dein italice, quam additionibus auctam edidit Laur. Poltri O. Vallumbr., Florentiae 1692. Prodierat jam antea iteratis vicibus sub nomine b. Attonis ab. Vallisumbrosae etc., cui per errorem fuit tributa, ita Viterbii 1565. — Joannes Mattiotti narrat *vitam s. Franciscae Romanae* Fundatricis Oblatarum Turris Speculorum († 1450), cui erat a confessionibus, in Actis SS. 9. Mart. II, 92—176. — Petrus Andreas de Castaneis (fl. 1460) concinnavit *vitam s. Andreae Corsini O. Carm.* ep. fesulani († 1373), quae exstat in Actis SS. 20. Jan. II, 1064—72. — Siccone (Secco) Polentone[1]) cancellarius patavinus († v. 1463) scripsit praeter alia *vitam b. Antonii Peregrini* († 1287), in Anal. boll. XIII (1894), 417-425; *vitam b. Helenae Enselminae* in Act. SS. 4. Nov. II p. 1, 510. — Jo. Matthias Tiberino (Tuberino) narrat *martyrium s. Simonis pueri* a Judaeis Tridenti crudeliter necati (1475) Romae 1475; in Act. SS. 24. Mart. III, 495-502. — Joannes Tortellinus Aretinus literarum graecarum addiscendarum causa profectus est in Graeciam. Archipresbyter aretinus factus est, postea vero Romam se contulit, ubi in aula Eugenii IV. primum, deinde apud Nicolaum V. gratiosus diem obiit a. 1466. Hic memorandus est ob *vitam s. Athanasii*, quae praefixa legitur opusculis athanasianis ed. Parisiis 1520; in vitis SS. Al. Lipomanni t. III. et in Hagiologio Ge. Wicelii, Moguntiae 1541. *Vitam Zenobii* edidit Surius 25. Maj. — Mauritius Gaufridi OP. Gallus, s. theologiae professor et clarus concionator, auctor fuit *vitae s. Yvonis* presbyteri ecclesiae trecorensis, quam Papebrochius publicae luci dedit in actis SS. 19. Maj. IV, 581—608. — Joannes Capgravius O. S. Aug. Anglus, patria Cantianus, s. theologiae doctor oxoniensis, praepositus provinciae Angliae (12. Aug. 1464) retractasse dicitur *Sanctilogium* Joannis Tynmouthensis (cf. p. 594), quod inscriptum *Nova Legenda Angliae* sub ejus prodiit nomine, Londini 1516. *Chronicle of England* from the Creation of the world to 1417, destitutum judicio critico, ed. a Fr. Car. Hingeston Londini 1858 in 8. inter SS. rer. br. med. aevi n. 1; *de Henricis illustribus pp. 3*, in quarum 1. agit de sex Henricis imp., p. 2. de sex regibus Angliae Henricis; in 3. de hujus nominis 12 illustribus viris toto orbe dispersis[1]), ibid. Reliquit autem quamplurima opera inedita, inter quae commentaria in plerosque ll. s. Scripturae et in 4 ll. sententiarum. — Joannes Alvares

etiam plures epistolae, sermones etc. auctoris nostri. Cf. et Patrit. Schlager Katholik 1902 I, 119—132; 232—256; Schulze Realenc. III[3], 507—510.

[1]) Cf. Jo. Erh. Kappius prof. lipsiensis in diss. de S. Polentono cancellario pat. historiae literariae sec. XV. in Italia instauratore, Lipsiae 1733; Fabricius VI, 307 s.

[1]) Cf. Potthast p. 185[2]. De ineditis cf. Oudin III, 2595.

presbyter militaris de Alvis Ferdinando Portugalliae regi a secretis († p. a. 1470), descripsit hujus sancti principis apud Fez in Africa in captivitate defuncti a. 1443 acta lusitanice, quae edidit retractata Hier. Lopes hoc titulo *Cronica de sancto e virtuoso iffante dom Fernando* filho del rey dō Johā I. que se finou em terras de Mouros 1527 s. l. ed. admodum rara; reformada e augmentada per Frai Jeronymo de Ramos, Olisipone 1577; latine in Actis SS. 5. Jun. I, 563—91. — Franciscus Hispalensis O. Min. narrat (1480) *Legendam ss. MM. quinque ff. Min.* colimbriensium Berardi de Carbio, Ottonis presb., Petri a s. Geminiano, Adjuti, Accursii in Mauritania (1220), in Portugaliae monum. I, 105—116, Olispone 1856—1861.

IV. Theologia practica.

Quatuor hac periodo occurrunt pontifices, quorum primus est Nicolaus V. Antea dicebatur Thomas Parentucelli de Sarzano n. 15. Nov. 1397. Diu haesit in obsequio card. Albergati viri sanctissimae vitae, quocum Romam transmigravit, ubi Eugenii IV. promeruit gratiam. In variis negotiis probatus dictus est episcopus bononiensis (1444) et jam post biennium in praemium legationis ad Germaniae principes bene gestae cardinalis (1446): mox vero post tres menses unanimi cardinalium consensu ipso frustra reclamante electus est 6. Mart. 1447 pontifex. Sub ipso finem demum habuit schisma a concilio basileensi inauguratum. Felix V. antipapa ei se subjecit, a quo honorifice fuit habitus. Sextum celebravit jubilaeum magno fidelium concursu; Bernardinum Senensem inter sanctos retulit, Fridericum III. imperatorem coronavit. Quaqua versus legatos misit, principes christianos excitavit, subsidiis non pepercit, ut occidentales se opponerent Turcarum invasioni, qui jam Constantinopolim ceperant, sed irrito conatu ob principum indolentiam vel mutuas discordias. Decessit optimus pontifex, „lumen et decus Ecclesiae suique seculi“ a suo biographo Vespasiano da Bisticci salutatus, pacis amore, studio justitiae, morum puritate commendatus 24—25. Mart. 1453. Artes et literas humaniores impense fovit. Maecenas erat liberalissimus virorum eruditorum et simul effusissimae in egenos misericordiae. Romam quasi ex ruinis resuscitavit ad insolitum antea splendorem, ecclesias et aedes publicas restauravit, celeberrimam vaticanam bibliothecam condidit, collectis ad 9000 libris, pretiosis ditavit codicibus atque ita urbem reddidit artium, literarum scientiarumque emporium seculum quasi aureum inaugurans[1]). *Epistolas* et *decreta* sparsa reperies in Annalibus Raynaldi, Bzovii, Waddingi, in Bullario magno etc. Ejus ad Constantinum imp. epistolam a Theodoro Gazensi graece versam habes in Migne P. G. CLX, 1201—1212. — Nicolaum V. secutus est 8. Apr. 1455 jam senex

[1]) Cf. insignem ejus biographiam auctore Pastor Gesch. der Päpste I[3], 351-630, qui de eo scribit p. 629: Nikolaus V. ist ohne Zweifel der beste und auch einer der größten Päpste der Renaissancezeit. Echte Liberalität, wunderbare Vielseitigkeit, eine glühende Liebe zur Wissenschaft und Kunst, eine von keinem seiner Nachfolger erreichte Kühnheit der Pläne waren ihm eigen. Alle diese herrliehen Eigenschaften aber waren gepaart mit tiefer echter Frömmigkeit und reinen Sitten. Auch Gegner der Kirche nennen ihn „einen der Edelsten, welche die Tiara getragen.“ Cf. Hefele Conciliengesch. VII § 831; Hergenroether ib. § 836; Manetti Vita Nicolai V. apud Muratori rer. it. SS. III, 2, 907 s.; Vespas. Florentinus Vita N. V. ib. XXV, 267 s.; Georgius Vita N. V., Romae 1772 etc.

Calixtus III., antea Alfonsus Borja (Borgia) dictus, Catalanus patria, juris utriusque doctor, episcopus valentinus (1429) et ab Eugenio IV. ob dexteritatem in gerendis dificillimis negotiis cardinalis creatus 12. Jul. 1444. Pontifex electus unum hoc negotium prae oculis habuit, ut principes christianos omni quo poterat studio ad comprimendos Turcas Occidenti jam insultantes excitaret. Hinc inducta pia consuetudo fideles campanarum ad meridiem pulsu ad fundendas provocare preces. Sed et hi conatus in languentis jam Occidentis commodum plerumque in irritum cesserunt. Solus fortissimus Hunyadus s. Jo. Capistrani multiplici subsidio sustentatus se illis opposuit gloriosissimamque et vere mirabilem de illis retulit victoriam 22. Jul. 1456. Obiit inter assiduos conatus prosequendi bellum contra Turcas die 6. Aug. 1458 in festo Transfigurationis, quod festum instituerat in perennem illius splendidae victoriae, cujus meminimus, memoriam[1]). Ejus *bullae* et *decreta* reperiuntur apud Raynaldum, d'Achery Spicil. III, 796—804 ed. par. 1723, Hardouin IX, 1375—1378 etc. — Secutus est Pius II. (1448—1464), de quo supra jam egimus p. 934 ss., quem excepit Paulus II. Vocabatur hic antea Petrus Barbo atque n. est Venetiis 1417, nepos ex sorore Eugenii IV. Jam a. 1440 creatus est a suo avunculo cardinalis. Pontifex electus 30. Aug. 1464 et ipse omni nisus est solicitudine Occidentis Christianos excitare, ut viribus unitis se Turcarum opponerent invasioni, sed haud feliciori successu praedecessoribus suis ob principum christianorum socordiam et discordiam. Stetit pro sedis apostolicae juribus, pro fidei puritate; viros doctos, artium cultores atque literas fovit, sed merito se opposuit effreni humanistarum licentiae. Ipse constituit, ut magnum jubilaeum quater seculis singulis celebraretur. Decessit[1]) 26—27. Jul. 1471. Plures ejusdem epistolae reperiuntur apud Raynaldum ad a. 1464—1471 et Pastor in op. cit.

461. Non adeo celebres canonistas reperimus hac epocha, sicut alias: non tamen desunt qui mentione sint digni[2]). Potior forte est Joannes de Anania (Anagni), qui Bononiae juri canonico operam dedit sub Petro de Ancharano factusque est juris utriusque doctor. Postquam aliquamdiu cathedram juris rexit, advocatum egit variaque munera civica obiit. Defuncta uxore distribuit bona sua in pauperes statumque clericalem iniit factusque est canonicus ad s. Petrum, vicarius archidiaconi Petri Barbi dictusque a Nicolao V. archidiaconus bononiensis 17. Nov. 1448. Moriens voluit vota solemnia profiteri O. Serv. b. M. V. († 17. Febr. 1457). Vir erat magnae scientiae et scrupulosae conscientiae, sanctae vitae et moribus spectatissimis. Elaboravit commentarium (a viris doctis laudatum) *super V. l. Decretalium*, Bononiae 1479, cum *repertorio* 1480; 1497; Mediolani 1492. 1497; *super Sexto decretalium*, Mediolani 1492; utrumque simul Lug-

[1]) Cf. Pastor I[8], 633—763; Häusle KL. II[2], 1705—1710; Hergenroether VIII § 841.

[1]) Cf. Mich. Canensius Vita Pauli II. ed. Quirini Romae 1740; Gaspar Veron. de gestis Pauli II. apud Muratori rer. it. SS. III, 2, 1025 ss. et praesertim Pastor op. cit. II[3], 293—447 et KL. IX, 1633—1635; Hergenroether § 848.

[2]) Praetermittimus Benedictum de Benedictis Capra cognominatum, Perusinum, in urbe sua patria juris professorem († 3. Jan. 1470), de quo cf. Vermiglioli I, 206; Schulte II, 344. Ex pluribus ejusdem op. quaedam *consilia* prodierunt cum consiliis Ludovici Bolognini Venetiis 1576 in f. etc. — Fantinum Dandolo Venetum, juris aliquando professorem, a republica in variis negotiis et legationibus adhibitum, demum 1447 episcopum patavinum († 1459), cujus opera de jure canonico manserunt inedita; prodiit tantum *fidei catholicae compendium*. Cf. degli Agostini Scritt. veneti I, 1 s.

duni 1546 in f.: 1553: *Consilia* (utilia) Bononiae 1481 cum consiliis aliorum; 1496; Mediolani 1491; 1496; Venetiis 1496; 1575 etc.; *quaestiones*, Lugduni 1572; *de magia et maleficiis*, Lugduni 1669 in 4; tr. *de jubilaeo* s. l. a. et typographi nomine[1]) etc. — Joannes Koelner de Vankel magister artium liberalium, j. u. doctor et professor ordinarius juris canonici in universitate coloniensi (fl. 1460), reliquit *summarium textuale* et conclusiones super Sexto et Clementinis, et *summarium et effectus* extravagantium Joannis XXII., quae simul saepius prodierunt. Coloniae 1483; 1488; 1493; 1494; Parisiis 1509 etc. — Marianus Socini Senis n. 1401 sub celebri Panormitano et Patavii studuit, et forte Patavii, fere semper Senis docuit († 30. Sept. 1467). In omni disciplinarum genere eruditus, in omnibus artibus liberalibus apprime excultus, nobilissimis virtutibus praeditus, in primis effusa in pauperes liberalitate, laudabili modestia ornatus erat. A suo amico Aenea Sylvio magnis encomiis ob solidam eruditionem maturitatemque judicii, culturam sentiendique nobilitatem effertur factusque est ab eo post suam in pontificem electionem advocatus consistorialis. Praeter lecturam in decretales admodum prolixam (ineditam) composuit[2]) varios tractatus ut *de oblationibus*, inter tr. un. jur. t. XIV; *de obligationibus* et de instantia, Mediolani 1439 etc.; *de citationibus*, Pisciae 1490; *de foro competenti*, *de libelli oblatione* et mutuis petitionibus, Mediolani 1494; *de litis contestatione*, Senis 1492; *repetitiones*, consilia utilia, saepe consulta, Lugduni 1529; Venetiis 1571 etc. — Philippus Francus de Franchis Perusinus jus canonicum docuit Perusii, Papiae et Ferrariae, unde a pontifice romano sub excommunicationis poena redire coactus est ad cathedram patriam († 13. Sept. 1471). Composuit lecturam *super Sexto*, in qua plurimum nititur Dominico de s. Geminiano[1]), Venetiis 1499 in 2 v. in f.; 1505; Lectura super titulo *de regulis juris in VI.*, Venetiis 1499; super rubrica *de appellationibus*, Perusii (c. a. 1477); Senis 1488 etc.; *Repetitio* c. Si pater de testamentis in VI., Papiae 1489; 1500. — Petrus de Monte (dal Monte) origine Venetus, artium doctor et juris consultissimus[2]), episcopus brixiensis (1442; † 12. Jan. 1457) concinnavit *Repertorium juris*, Romae 1476 l. 2 in f.; Norimbergae 1476 t. 3; Patavii 1480 t. 2 etc., opus copiosum, in quo priora repertoria retractat, plurimis quaestionibus auget, recentiori literatura ditat, jus quoque civile respicit; *de potestate romani pontificis* et generalis concilii, in quo tuetur jura primatus contra tot impug-

[1]) Cf. Fantuzzi Scritt. bolog. I, 224-30; Schulte II, 320.

[2]) De ejus op. ita scribit Schulte p. 320: Seine Schriften können auf großen wissenschaftlichen Wert keinen Anspruch machen, geben aber eine Fülle interressanter Notizen für die Literatur, bekunden zugleich großen Fleiß und werden häufig citiert. Cf. Tiraboschi n. 8 s. Ab eo distingue ejus filium Bartholomaeum Socinum, qui in jure civili habitus est oraculum. Natus est 25. Mart. 1436 diuque in academia pisana jus utrumque docuit tanta fama, ut veneti stipendio copioso promisso eum Patavium attraxerint. Cum vero cogitaret clam proficisci, in itinere captus et Florentiam reductus in carcerem est conjectus. Demum liberatus Pisae manere coactus est. Post aliquot tamen annos eum Patavii docentem reperimus. Ultimis vitae annis linguae usum amisit († 1507). Summa erat dum viveret ejus fama, sed opera ejus, quae ad jus civile spectant, modo neglecta jacent. Ejus inter alia est: *Regulae* cum suis ampliationibus et fallentiis a toto jure delectae s. l. 1529 (m. 300). Cf. Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 3. n. 33 s.

[1]) Bekundet keinen Fortschritt und ist nur ein Nachtragen von Citaten u. dgl. zur Glosse. Schulte II, 342; Vermiglioli II, 19.

[2]) Cf. degli Agostini Scritt. ven. I, 346; Gradenigo Brixiae sacrae p. 337; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 3. n. 25.

natores illius temporis. Prodiit sub titulo (ascititio) *de primatu*, Lugduni 1552 cum annotationibus Nic. Chalmot professoris pictaviensis; Romae 1577 cum Felini annotationibus; in tract. univ. jur XIII. 1. 144; in Roccaberti bibl. pont. XVIII, 100. Idem videtur esse cum opere, quod ex originali transcriptum edidit Fel. Sandaeus inscriptum *Monarchia*, in qua generalium conciliorum materia de potestate romani pontificis et imperatoris discutitur, Lugduni s. a. (c. a. 1540.), et forte cum eo, quem contra Nicolaum Tedeschi conc. basileense propugnantem scripsisse legitur.

462. De argumentis *specialibus* juris canonici egerunt praeter Antonium de Canario Ravennatem, advocatum († 1451) — Paulum de Martabuffis O. S. Aug., a patria vulgo de Roma dictum, juris utriusque doctorem, summi pontificis ecclesiasten ordinarium, poenitentiarium in basilica s. Petri, cujus opuscula Romae 1539 prodierunt — Guilelmum Bont doctorem nascentis academiae lovaniensis et primarium juris canonici professorem, archidiaconum, canonicum ad s. Gudulam Bruxellis, cujus est Quodlibetum *de usuris* et emptione redituum vitalium ac perpetuorum, quod prodiit s. l. et a et typ. n.; in tr. univ. jur. VII, 74 ss. etc. († 1454) — Casparem de Perusio OSB. episcopum Frequenti (Frigento), qui interfuit concilio constantiensi († 1455) — Jacobum de Zocchis (Zocchum) Ferrariensem, juris professorem Patavii († 1457), cujus exstant commentarius in caput *Omnis utriusque sexus*, Patavii 1472; Lecturae in 1. et 4. l. Decretalium: Antonius de Rosellis patria Aretinus n. c. 1400, juris professor Bononiae et Senis. Romam accitus est a Martino V. atque in urbe negotia tractavit pro Sigismundo imperatore, cui aliquamdiu fuit a secretis, pro rege neapolitano et collegio cardinalium. Etiam Eugenius IV. gravia ei negotia tractanda commisit per Germaniam et Galliam eumque comitem palatinum declaravit. Spe delusus obtinendi cardinalatus honorem, ut ferunt, Patavium secessit cathedramque juris a. 28 rexit († 16, Dec. 1466). Magni adeo factus est ob eruditionem, ut ‚juris monarcha,' eloquentissimus inter juris consultos et inter oratores maximus diceretur juris consultus. Tenacissimae etiam erat memoriae. Plura condidit opera, inter quae *de legitimatione*, Papiae 1494; 1498 etc.; *de jejuniis*, Romae 1486; Coloniae 1497 etc.; *de usuris* ter s. l., a. et n. typogr.; *de indulgentiis* in Tr. univ. juris, Venetiis 1584 XIV, 150. Praeprimis vero innotuit tr. *de potestate imperatoris ac papae*, et an apud papam sit potestas utriusque gladii, et de materia conciliorum, qui saepe prodiit inscriptus *de monarchia*, Venetiis 1483; 1487, in quo negat rom. pontificem habere jus in temporalia, imo negat ejus potestatem spiritualem majorem esse auctoritate episcoporum: hinc olim prohibitus ‚donec corrigatur[1]'. Eum impugnavit etiam Henricus Institor, de quo infra, in l. *Replica* adversus dogmata perversa Roselli, Venetiis 1499 in f. — Adversus Heimburg tristis famae virum primatus jura nequiter impugnantem scripsit Theodorus Laelius juris doctor et auditor Rotae, episcopus feltrensis, dein tarvisinus, cui morienti adstitit Paulus II., qui eum ob eruditionem et eloquentiam tanti fecit, ut dixerit illum citharam suam »quod videlicet illa esset usurus, si quando vel alliciendi, vel monendi vel refellendi essent principes[2]).« Eum

[1]) Cf. Kaulen KL. 1², 996: Schulte 2, 303. Alius ab eo est Joannes Bapt. Roselli ejus cognatus, professor patavinus juris modo civilis modo canonici ab a. 1452 ad mortem usque a. 1510. De utroque cf. Tiraboschi VI p. 1. l. 2. c. 3. n. 10 ss.

[2]) Ita card. Papiensis ad Bessarionem apud Eggs Purp. docth l. 3 n. 39.

plures cardinalibus accensent, non tamen videtur actu fuisse cardinalis, sed vir tantus, cui promotio ad cardinalatum praesagiebatur. Decessit 31. Mart. 1466 a. aetatis 37. Haec ejus scripta: *Replica pro papa Pio II.* et sede romana adversus Gregorium de Heimburg[1]), cum hujus scriptis apud Goldast Monarchia imperii II, 1593—1604; *Zur Geschichte des Kardinalates,* ein Tractat des B. von Feltre und Treviso Th. de Lelli über das Verhältniss von Primat und Kardinalat, ed. a Sägmüller Romae 1893 in 8.

463. Accedamus jam ad *theologiam moralem,* cujus plures cultores, qui eam seorsim a dogmate tractaverint, recensere licet. Horum agmen ducit vir illustris, quem Ecclesia sanctis accensuit. S. Antonius (Antonio di ser Niccolò di Pierozzo de Forciglioni) a statura parva vulgo Antoninus appellatus, Florentiae natus est a. 1389 patre Nicolao de Forciglioni, avo Pierozzo patriae reipublicae quater proconsule. Admodum juvenis ingressus est ordinem s. Dominici et exinde coepit maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum indixit bellum, omne tempus ab exercitiis spiritualibus liberum lectioni aut scriptioni tribuebat. Disciplinae regularis rigidissimus fuit custos, fautor et promotor prudens: hinc prioris munus variis in monasteriis subire debuit, factusque est vicarius generalis congregationis etruscae, quae complectebatur monasteria reformationi addicta. In explicandis consiliis tantae fuit dexteritatis, ut communi elogio ‚Antoninus consiliorum' diceretur. Hinc cum prior esset conventus romani, accitus fuit sessionibus rotae romanae et Florentiae adhibitus in congregationibus pro efficienda unione cum Graecis Orientis. Propter tam insignes ejusdem dotes et merita ab Eugenio IV. florentinus archiepiscopus a. 1446 renunciatus est, sed aegerrime tandem nec nisi apostolicis minis perterrefactus, ut episcopatum acciperet, acquievit. In eo munere vix dici potest quantum prudentia, caritate, mansuetudine et sacerdotali zelo excelluerit. Vixit etsi in tanta dignitate constitutus ut pauper religiosus, sed simul ut beneficentissimus pastor, dives in elargiendis eleemosynis, omnibus omnia factus, virtutis exemplar, magister cleri et populi, morum reformator. Magni factus est a romanis pontificibus; ab Eugenio IV. Romam accitus est qui sibi morienti assisteret atque ultima administraret sacramenta; Nicolaus V. eum secum retinere voluit prohibuitque tribunalibus, ne appellationem ab archiepiscopi sententia acceptarent. Obiit piissi-

[1]) Natus est Gr. de Heimburg (Heimbürger) in Franconia ineunte sec. XV. Erat juris utriusque doctor. Interfuit conc. basileensi opinionibus illis addictus, quibus adhaerebant etiam Nicolaus Cusanus et Aeneas Sylvius, cui erat a secretis. Sed postea ab his descivit, imo et acriter in eos est conversus. Syndicum egit Norimbergensem a. 30, dein (1458) Alberto duci Austriae a consiliis erat, hujusque causam contra card. Cusanum et ipsum Pium II. defendit. Hinc hujus et Pauli II. excommunicationem incurrit. Obiit tamen poenitens et cum Ecclesia 19. Mart. 1472 reconciliatus sequenti mense Augusto ejusdem a. Non est ratio cur nonnemo ex protestantibus eum praecursoribus reformationis accenseat, imo eum Lutherum laicum vocet. Vehementia characteris sane abreptus plura nullatenus probanda effudit, imo acerrime in rom. pontifices invehitur, a pontifice ad concilium appellat: sed ipsum primatum romani pontificis non rejecit. L. *de confutatione primatus papae,* qui sub ejus nomine prodiit, est Matth. Döering (cf. supra p. 931). Laelio opposuit *Apologiam* contra detractiones et blasphemias Th. Laelii. Alius a nostro est Henricus de Heimburg (fl. 1279), cujus sunt *Annales* sive Cronica bohemorum ab a. 861—1300 excerpti ad a. 1126 ex Cosma pragensi in Mon. Germ. XVII, 712-18 ed. Pertz; et in Jos. Emler Fontes rer. boh. III, 306—21. Cf. Stamminger KL, V², 1648—52; Paul Joachimsohn, Gr. Heimburg, Bamberg 1891. col. hist. Jahrb. 1896, 554-9; Potthast p. 573². De Henrici de H. annalibus cf. Krones Arch. für österr. Gesch. LXXXV (1900), 1 ss.

mus[1]) praesul 2. Maji 1459. Fuit sepultus praesente et funus cohonestante Pio II., qui et pompam ipse ordinabat et omnia praescribebat; ab Hadriano VI. inter sanctos relatus est 31. Maj. 1523.

464. Plurima eaque permagna reliquit opera et docta, illudque mirandum in eo praedicatur, quod omnes fere scientias per se nullo adhibito praeceptore absolutissime didicerit. Haec vero sunt potiora: *Summa theologiae moralis* pp. 4 distincta. In 1. agit de anima ejusque potentiis intellectu et voluntate, tum de peccatis in genere et de legibus universim; in 2. agit de septem vitiis capitalibus eorumque sobole, de simonia et usura, de restitutionibus, de peccatis linguae, de votis deque infidelitate; in 3. p. disserit de variis hominum statibus, de septem sacramentis, de beneficiis, de censuris ecclesiasticis etc. In 4. p. tractat de virtutibus cardinalibus et theologicis, de gratia, ubi fere totidem verbis unum s. Thomam exscribit, cujus p. 2. 2. generatim in tota summa sequitur additis sane pluribus casibus et materiis ex jure depromptis. Ea forte prima est complectens totum fere corpus seu systema theologiae moralis, atque saepissime prodiit, integra saltem novies sec. XV; undecies sec. XVI; bis sec. XVIII; ex. gr. Venetiis 1477—80; 1582; Norimbergae 1477—79; optimae sunt ed. Veronae 1740 cur. Petro Ballerini cum annotationibus t. 4 in f.; et Florentiae 1741 pp. 4 in t. 2 curantibus Mamachi et Remedelli. Prodiit etiam inscripta *Juris pontifici et caesarei summa* . . . decisionibus etiam s. conc. tridentini ad matrimonii sacramentum pertinentibus necnon Evaristi papae decretis et novis annotationibus nuper aucta et locupletata, Venetiis 1582 t. 4 in 4; 1591 etc. Singulares tractatus et partes ex hac summa derivatae seorsim prodierunt. — *Summa confessionalis* in 3 pp. distincta, in quarum 1. agitur de potestate confessoris addito tr. de excommunicatione; in 2. modus interrogandi traditur; 3. p. est tr. brevis de restitutionibus. Inscribitur etiam *Summula confessorum,* vel de eruditione, directione, instructione simplicium confessorum; ea plus vicies prodiit et italice versa saltem sexies, s. l. et a. (Moguntiae c. 1468); Coloniae c. 1470 s. l. et a. (Monte regali 1472); Romae 1472; Venetiis 1480; Parisiis 1516; Lugduni 1502 hac inscriptione: *Confessorum refugium* atque in naufragio portus tutissimus. Tr. sacerdotalis *de sacramentis,* de divinis officiis et eorum administratione, Argentorati 1488 etc. — *Trialogus* super evangelio de duobus discipulis euntibus in Emaus, Florentiae 1680, in quo disserit de vaticiniis messianis V. T. — *Opera a ben vivere* . . . con altri suoi amaestramenti, Florentiae 1458; *Lettere,* ib. 1859, quibus feminam nobilem instruit de conjungenda vita activa contemplativae; *Regola di vita cristiana,* ib. 1866 in 8. pro vidua Laurentii de'Medici. — Aliud s. Antonini opus grande est *Chronicon* sive opus historiarum sive summa historialis ab o. c. ad a. 1457, dives, diligenter compilata, cui deest tamen judicium criticum, hinc „apud eruditos non habet magnam auctoritatem in rebus historicis, praesertim antiquis: quia vir

[1]) Cf. plura de eo in praemissa ed. opp. veronensi 1740 vita scripta a Francisco de Castiglione canonico ejusque annis octo familiari in actis SS. 2. Maj. I, 13—25, cui plura adjecit sodalis Leonardus de Serubertis, († c. 1469) ib. 326–35; in Actis SS. ib.; Quetif I, 817; Mazzucchelli I. p. 2. pag. 867; Stanonik KL. I², 983. Porro Franciscus ille descripsit etiam *martyrium Antonianum* scil. Antonii de Ripolis s. Antonini quondam discipuli, quod Leander Albertus inseruit suo operi de viris illustribus O. Pr. Bononiae 1507. Cf. etiam Ap. Zeno in diss. Voss. I, 362 ss.; Tiraboschi VI p. 1. l. 2. c. 1. n. 31; Ilgner die volkswirtschaftlichen Anschauungen A. v. Fl., Paderborn 1904.

iste sincerus et credulus quaslibet narratiunculas apud alios auctores inventas bona fide transcripsit[1]). « Saepius prodiit ut Venetiis inter sancti op. 1474—79 t. 4; seorsim ib. 1480 t. 3 in f.; Norimbergae 1484 t. 3 in f.; 1491 etc.; Lugduni ex recensione et cum annotationibus P. Maturi S. J. 1586 t. 3 in f. etc. — Ipsius tamen non est opus quadragesimalium et de sanctis sermonum *flos florum* nuncupatum, opus plane spurium, inquit Quetif I, 819, Antonio indignum, qui et ipse in his sermonibus citatur ac proinde auctoris recentioris[2]) foetus.

465, Praetermissis aliis, qui de argumentis specialibus[3]) disseruerunt nec adeo inclaruerunt, uti sunt Joannes Vineti O. Praed. Gallus, facultatis theologicae parisiensis magister et inquisitor apostolicus Carcassonae (fl. 1452), qui tr. compilavit *adversus daemonum invocatores,* Parisiis 1483 — Bernardus Bazin canonicus caesaraugustanus (fl. 1474), qui auctor est tr. *de magicis artibus* et magorum maleficiis, Parisiis 1506; Francofurti 1580; Lugduni 1620 — Jacobus Florentinus O. Min., qui *Summam Raynerii Pisani* (cf. supra p. 661) seu Pantheologiam castigavit interpolavitque paucis subtractis multisque additis, reducendo etiam aliquas materias subtiles ad stilum faciliorem et clariorem, quae summa sic reformata saepius prodiit Norimbergae 1477; 1486; Coloniae 1486; Venetiis 1486; 1585; Lugduni 1519; Parisiis 1685 etc. — Joannes Consobrinus (Sobrinus, Sobrinho) O. Carm. Olisiponensis, magni magistri nomen consecutus, carus Alphonso V., clarus immaculatae conceptionis b. Mariae V. propugnator, in declamandis sermonibus ad populum celeberrimae opinionis, qui, ut inquit Trithemius (c. 867), »contra inimicos fidei primum in Anglia ac deinde in Portugallia magnos et efficaces latratus dedit,« obiitque intoxicatus a Judaeis a. 1475 (secundum Nic. Antonium multo serius) et cujus opus *de justitia commutativa,* arte campsoria ac alearum ludo prodiit Parisiis 1496 (secundum alios 1486) — Siffridus Teuto O. Praed. episcopus cyrensis et auxiliaris archiepiscopi moguntini (fl. 1459), cujus sunt *determinationes duae* ad archipraesulem moguntinum:

[1]) Cuperus in actis SS. mensis Aug. IV, 17. Nec dissentiunt vel ipsi sodales. Cf. Schütz comment. crit. de scriptis et script. hist. p. 82.

[2]) Id est Gabrielis Barletta (de Barolo) insignis concionatoris, qui fere eodem tempore floruit (1470). Quod si hujus essent, sunt forte ab amanuensibus ex ore et ex tempore dicentis, ut fere fit et in aliis virorum illustrium contigit concionibus, excepti qualitercunque et ab ineptis postea interpolati, vitiati et adulterati. Ceterum tantae hic erat famae, ut diceretur: ‚Nescit praedicare, qui nescit Barlettare'. Ejusque sermones satis genuini saepissime prodierunt, ut Brixiae 1498; Venetiis 1577 ed. optima, et magna cum laude memorantur, ut a Wildt KL. I², 2019: Sie zeichnen sich aus durch echte Volkstümlichkeit, kernigen Humor, Anschaulichkeit der Darstellung und großen Reichtum an treffenden Bildern, Vergleichungen und Beispielen.

[3]) Nominare saltem decet Henricum Tocke Bremensem n. 1390, Rostochii theologiae professorem (1419) et rectorem (1424), canonicum magdeburgensem, Friderico I. electori brandenburgico a concionibus. Magnae auctoritatis erat apud archiepiscopum magdeburgensem, cujus nomine interfuit concilio basileensi. Adhibitus fuit in negotiationibus cum Bohemis bisque propterea Pragam venit. Ideo autem memorandus, quod valide se opposuerit superstitioni, quae magnas tunc temporis et diuturnas controversias excitavit circa hostias eucharisticas, quae ferebantur miraculosae et magno hominum concursu colebantur in Wilsnagk. Licet in pluribus synodis fuerit reprobata, etiam in synodo provinciali magdeburgensi, cui interfuit Cusanus (1451), et a facultate theologica erfordiensi, duravit ille cultus usque ad reformationis tempora. Cf. Knöpfler KL. V², 1729—1734.

1. an princeps catholicus possit protegere vel permittere Judaeis usuram exercere; 2. an possit inhibere matrimonium liberum suis subjectis ad bonum principatus, quae duo opuscula prodierunt in ipsis typographiae incunabilis s. a. l. et n. typographi; *Responsiones* ad qq. IV: 1. An possit absolvi catholicus Judaeo usuram exercenti domum locans; 2. An contractus venditionis frumenti fraudem sapiat et sint absolvendi? 3. An absolvendi vendentes reditus cum pacto de revendendo; 4. An res raptae possint in pios usus vel suos tuta conscientia converti a fure vel restituendae. Opusculum exile pag. 16 s. l. et a. — Ambrosius de Vignate professor taurinensis (fl. 1473), cujus disp. *de usuris* extat in tract. un. juris VII, 50 — Franciscus de Platea (Piazza) O. Min. Bononiensis juris utriusque doctor († 1460), qui clare disseruit *de restitutionibus*, usuris et excommunicationibus, tr. saepe editi Venetiis 1472; 1474; 1477; Spirae 1489 etc. — his inquam praetermissis, speciali mentione dignus est Jacobus de Jüterbogk (Junterbork, Jutirbock etc.) quod est oppidum patrium in antiqua Saxonia, in seculo Benedictus Stolzenhagen appellatus[1]). Natus est c. 1381 parentibus pauperibus omniaque perpessus in juventute paupertatis incommoda. Juvenis a. 20 ingressus est ordinem Cisterciensium in coenobio, quod dicebatur Paradisus in dioecesi posnaniensi. Ob praestantes animi dotes fuit missus ab abbate Cracoviam, ubi tam in philosophia quam in theologia lauream doctoratus promeruit atque in academia theologiae lectorem et concionatorem egit. Amore rigidioris disciplinae transiit ad Carthusianos atque in academia erfordiensi jus canonicum docuit, rectoris quoque munere a. 1455 functus est tanta auctoritate, ut ejus verba scriptaque, juxta Trithenium de scriptoribus Germ. c. 192, quasi pro Apollinis oraculo haberentur († 1465 vel 1466). Scriptor erat admodum laboriosus, cum circa 75 ejusdem scripta jam noscantur[2]), quae agunt de jure canonico, de theologia morali et pastorali, de ascesi etc. Ea produnt eruditionem, soliditatem, judicium practicum. Potiora sunt *Quodlibetum statuum humanorum* s. l. et a. (Esslingae c. 1475), manuale systematicum et practicum theologiae moralis pro statibus diversis tam ecclesiasticis quam laicis. *De animabus exutis a corporibus*, s. l. (Norimbergae) et a., (Erfordiae c. 1463); Lipsiae 1496, saepius ob suam utilitatem editus, etiam hac inscriptione: *De apparitionibus animarum* post exitum a corporibus et de earundem receptaculis, Burgdorfii in Helvetia 1475 in f.; s. l. et a. (Norimbergae c. 1485); Patavii 1482: in eo respondet etiam q., num animae post mortem appareant, quod non impossibile censet: *de valore missarum* pro defunctis celebratarum, s. l. et a. (1493), cui ed. subjecta est Jo. de Mechlinia (cf. p. 889) *determinatio*, utrum perfecta Dei opera impediri possint daemonis malitia, in quo l. varios carpit abusus; *tr. de causis multarum passionum*, praecipue iracundiae, et remediis earundem, in Pez bibl. ascet. VII, 389—444; tr. *de indulgentiis*, apud Walch Monum. inedita medii aevi Goettingae 1764 II, 2, 163 ss., in quo bene et accurate, quod doctrinam de illis spectat, disserit[2]). Multa scripta ejus-

[1]) Multiplici nomine in codd. designatur scil. etiam Jac. de Polonia, de Paradiso, Cisterciensis, Carthusianus, de Clusa, unde data fuit occasio bibliographis eum distinguendi seu dividendi in plures auctores.

[1]) Bened. Tromby Storia critico-cronol. e diplom. del patriarca s. Brunone e del suo ordine Cartusiano, Neapoli 1773. VI; Pez biblioth. asc. t. 7; Kellner Theol. Qtlschr. 1866 p. 322 ss.; Kessel KL. VI², 1166 ss.; Oudin III, 2647.

[2]) Janssen Gesch. des deutschen Volkes I, 56 a. ed. 18: Zu den wichtigsten Werken darüber (de indulgentiis) gehört das

dem respiciunt morum reformationem, quam pro viribus in omnium hominum classe promovere nitebatur. Huc spectant ejus *Petitiones religiosorum* pro reformatione sui status, apud Klüpfel Vetus biblioth. eccl. frig. Brigojae 1780 p. 146 ss.; *de negligentia praelatorum*, apud Walch, l. c. I, fasc. 4., in quo graviter carpit abusus religiosorum circa paupertatem; *Avisamentum ad papam* pro reformatione Ecclesiae, Nicolao V. oblatum, apud Klüpfel l. c. p. 134 ss., in quo principia et sensa reperiuntur, quae in conc. basileensi resonuerunt, modeste tamen et cum reverentia proposita; *de septem Ecclesiae statibus* in Apocalypsi descriptis seu de auctoritate Ecclesiae ejusque reformatione: cujus scripti genuinitas dubia videri posset, nam etsi ejusdem fere argumenti est cum ll. praecedentibus, differt ab iis haud parum dictionis tono acerbo et sentiendi ratione: nimis nigris enim coloribus statum Ecclesiae depingit et animum prorsus despondet de futuro. *Sermones dominicales* autorisante Nicolao papa V. s. l. et a.; *de erroribus et moribus Christianorum*, Lubeccae 1488 (m. 150). *Lavacrum conscientiae*, quod probabiliter est ipsius, saepe editum, novies saltem sec. XV.; Coloniae 1506; Argentinae 1515. Jam 1465 exstitit ejus versio.

466. His addantur qui *theologiam pastoralem* excoluerunt. Primo loco eum laudabimus, quem Ecclesia sanctorum honoribus dignum censuit, Joannem scil. de Capistrano ab oppido patrio in agro aquilano, a familia Chioli dictum. Natus is est 24. Jun. 1386 (secundum alios 1385) jurique dedit operam, et cum ingenii dotibus excelleret, a Ladislao rege neapolitano institutus est jam a. 1412 Perusii gubernator, quae urbs tunc Ladislao erat oppignerata. Defuncto rege ortisque propterea turbis conjectus est in carcerem, ubi nactus est otium meditandi rerum humanarum vanitatem. Visione s. Francisci Assisinatis recreatus et gratia Dei excitus decrevit se illius addicere militiae. Libertate recuperata gravibusque superatis tentationibus vestem seraphicam induit 4. Oct. 1416. In theologia magistrum habuit s. Bernardinum Senensem, condiscipulum s. Jacobum a Marchia. Magistrum suum comitatus est in laboribus apostolicis, donec ipse zelo apostolico et Spiritu Dei repletus expeditiones apostolicas incredibili est aggressus successu, ingenti per Italiam auditorum concursu, mirabili animorum commotione. Institutus est a Martino V. contra Fraticellorum sectam cum Jacobo de Marchia[1]) inquisitor et contra omnem haereticam pravitatem inquisitor generalis. Disputans Romae cum Gamaliele synagogae magistro eum cum 39 sociis ad veritatis professionem adduxit. Cum s. Bernardino regularis disciplinae strictiorem observantiam zelavit atque felicissimo non solum per Italiam fructu, sed et per alias Europae regiones pro-

von Jakob von J. Es enthält sehr genaue kanonistische und kasuistische Erörterungen und betont mit einer Ausführlichkeit und Klarheit, die nichts zu wünschen übrig läßt, daß die Reue und Buße die Grundbedingung der Rechtfertigung sei etc.

[1]) Hic Jacobus etiam Picenus dictus, quia in Piceni agro asculano ortus, s. Bernardini discipulus et s. Jo. a Capistrano socius, doctrina, spiritu prophetico innumerisque miraculis illustris († 1476) a Benedicto XIII. inter sanctos fuit relatus. Reliquit plurima scripta (inedita), ut commentaria in 4 ll. sententiarum, de sanguine Christi, *dialogum contra fraticellos*, quos diu strenue impugnavit inquisitor contra eos auctoritate pontificia institutus: unde ejus tr. magni est momenti ad cognoscendam et dijudicandam hanc sectam. Publicae luci dedit illum Mansi in Miscellaneis IV, 595—610. Indefesse quoque pugnavit adversus Manichaeos in Bosnia et Croatia, Patarenos et Arianos in Hungaria, a quibus plurimas passus est insidias et molestias, sed omnia superavit profligato ex multis locis haeretico veneno.

movit atque propagavit, adeo ut Pius II. referre potuerit eam brevi ad 20.000 cultores numerasse. Auctoritate apostolica ab Eugenio IV. sibi collata praefuit munere commissarii generalis universis monasteriis reformatis. A romanis pontificibus passim in gravibus negotiis varias in regiones ablegatus est: omnium vero splendidissima missio fuit, cum postulatus a Friderico III. legatus apostolicus peragravit Carinthiam, Stiriam, Austriam, Bohemiam, Germaniam[1]). Ingens enim ubique erat auditorum confluxus, ita ut Viennae multa hominum millia concionantem circumdederint, mirus ubique fuerit fructus morumque conversio. Innumeros haereticos, Husitas in primis, ad veram reduxit fidem, confirmante Deo ejus verba stupendis signis. Imminente post captam Constantinopolim Turcarum horrenda invasione, ipse Christianorum animos excitavit contra praesens periculum: Hungaros praesertim alacritate quam maxima succendit tantoque ardore expeditionem promovit bellicam, ut a teste oculato diceretur „omnium cruce signatorum rector, judex, dux, capitaneus et imperator.“ Ipsi prae primis cum Joanne Corvino (Hunyades) duce exercitus christiani inclito debetur splendidissima apud Belgradum victoria, cui ipse interfuit nutantes jam milites maximo propriae vitae periculo succendens novaque replens virtute. Hac victoria fracta est hostium crucis potentia et Europa diu a tanto liberata periculo (22. Jul. 1456). Non diu illi supervixit, sed eodem anno 23. Oct. decessit vir et miles vere apostolicus tot triumphis contra Ecclesiae hostes gloriosus. Ad postulationem principum et civitatum permisit Leo X. ejus cultum in loco patrio, Gregorius XV. in ordine s. Francisci; Alexander VIII. eum a. 1690 sanctis accensuit; canonizationis tamen bullam promulgavit demum 1724 Benedictus XIII. Non obstantibus tot laboribus apostolicis vir Dei haud pauca conscripsit, 50 saltem tractatus de argumentis spectantibus ad jus canonicum, theologiam moralem, pastoralem et polemicam: ea tamen manserunt fere inedita, pauca data sunt publicae luci, et haec semel tantum vel iterum. Ita secundum Oudin prodierunt Venetiis 1578: *De judicio universali*, de antichristo, de bello spirituali; 1583: *De usura et contractibus*. In collectione inscripta tractatus juris universi, ib. 1584, plura occurrunt ejusdem scripta ut *speculum conscientiae* I, 323 ss.; *de papae et concilii sive Ecclesiae auctoritate*, XIII, 1, 32, in quo strenue pontificis jura ac infallibile tuetur magisterium. *De cupiditate* necnon de usura, de comparatione redituum prodiit s. l. et a.; *Additiones* in commentaria supra ll. decretalium Guidonis Papae (qui postea fuit Clemens IV.), Venetiis 1588; *Vita s. Bernardini*, quae legitur operibus s. Bernardini praefixa[1]), etc.

467. Petrus Suberti (Seibert) decretorum doctor urbisque s. Pappuli sub metropoli tolosana episcopus († 1454), disseruit de cultu vineae Domini seu *de visitatione episcopali*, quem l. Jo. Chapuis recognovit et cum *Baculo pastorali* Jo. Francisci Pavini edidit Parisiis 1508; 1514. Instructissimam docet rationem episcopos, ut cum aedificatione publica fructuque animarum

[1]) Cf. de ejus itinere per Germaniam Falk in Katholik 1891. I, 149—55.

[1]) Cf. vita ejus scripta a Nicolao de Fara ejus socio, et alia scripta a Christophoro a Varisio alio ejusdem socio († 26. Sept. 1491) in actis SS. 23. Oct. X, 439—546; Wadding passim in suis annal. t. IV—VI ed. lugd. 1648 (t. IX—XIII ed. rom. 1734); A. Hermann, Capistranus triumphans, Coloniae 1700; Guérard S. Jean de Capistrano et son temps, Bourges 1865; Kerval S. Jean. de C. son siècle et son influence, Paris 1887 in 12; Marx-Streber KL. VI², 1606—11; Gaudentius Beitr. zur Kirchengesch. des XVI. u. XVII. Jahrh., Bozen 1880. I, 430-46, Jacob Joh. v. Kapistran, Breslau 1903 aliosque apud Potthast p. 1369.

suas visitent dioeceses. Dividitur in 8 pp., quarum 7 sunt Suberti, pro octava subjiciuntur duo opuscula Petri de Pennis O. Praed. (cf. supra p. 551) alterum *(Thalamoth)* contra Judaeos, alterum contra Alcoranum et Mahommedanos (quae tamen duo opuscula in ed. a. 1503 omissa fuere). — *Statuta provincialia provinciae upsaliensis* collegit jussu archiepiscopi Nicolai Birger de Strengenaes praepositus (intra 1443—48), quae constituunt codicem disciplinae ecclesiasticae[1]), 1525 ed. princeps, et cur. Nettelblad in Schwed. Bibliothek II, 189. — Hermannus Ryd (Rid) de Reen scripsit tr. de *vita et honestate clericorum*, qui editus fuit a Wolfgango Wissenburgio in Antilogia papae p. 606—722; Flacius Illyricus auctoris mentionem facit in catalogo testium veritatis l. 19 p. 1900. — Joannes Koppischt de Auerbach (quod est oppidum palatinatus superioris), non cum Joanne Urbach (cf. p. 773) confundendus, theologiae doctor et vicarius episcopi bambergensis, composuit *Summam* (de sacramentis), Augustae 1469 etc., quae saepius prodiit etiam sub titulo *directorium curatorum* s. l. (Spirae) a. et typogr. n. — Bernardus de Waging (Baging), quod est oppidum Bavariae superioris, prius can. reg. s. Aug., dein OSB. in monasterio tegernseensi prior, „pater providus dictus et zelosus", disciplinam strenue exemplis, verbo et scriptis fovit non solum in proprio conventu, sed et in aliis monasteriis, hinc a sodalibus, ab abbatibus et episcopis, quibus erat oraculi instar, nominatim a Nic. Cusano aestimatus. Hujus, ut diximus p. 898 opus de docta ignorantia defendit, ab eoque Brixinam fuit vocatus ad promovendam disciplinae ecclesiasticae reformationem et constitutus visitator monasterii adeo pertinacis Sonnenburg († 2. Aug. 1472). Ex ejus scriptis[1]) aliqua tantum edidit Pez in sua bibl. ascetica t. VII. scil. *Remediarius pusillanimium et scrupulosorum* p. 445—536; *de spiritualibus sentimentis* et de perfectione spirituali, ib. V, 1—404, sed retractatum ab Ant. Volmar O. Cart. († 19. Nov. 1633), qui stilum emendavit, non pauca resecuit, quaedam de suo addidit. — Engelhardi Kunhofer *Confessionale* complectens tr. decem praeceptorum prodiit s. l. a. et typogr. n. — Albertus de Eyb juris utriusque doctor, canonicus et archidiaconus wirceburgensis (n. 1420), Papiae studio juris vacavit, in pluribus adhibitus suae dioecesis negotiis atque Pio II. acceptus (24. Jul. 1475). Concinnavit institutionem rhetoricae, quam in matris suae honorem inscripsit *Margaritam poëticam*, Norimbergae 1472; *Ob ainem manne sey zu nemen ein Eeliches Weib oder nit*, ib. 1472; 1517; *Spiegel der Sitten* constans sententiis et exemplis, Augustae 1511; tr. *de praeparatione ad mortem* et ein *Gesprüch zwischen dem Tod und einem Bauern*, quod prodiisse dicitur[2]) 1477. — Ambrosius Floridus O. S. Aug. Patavinus, theologiae magister (fl. 1469), reliquit *praelectiones casuum conscientiae*, 1602 in 4. et commentaria in ll. sententiarum t. 4 in f. (inedita). — Alphonsus Martini a Toleto regis Joannis II capellae minister et archipresbyter de Talavera scripsit l. non parum utilem admonendae juventuti et ab amasiarum laqueis servandae: *Compendio breve* y muy provechoso para informacion de los que non tienen experiencia de los malos y daños que causan las malas mugeres a los locos amadores etc., Logrono 1529; Hispali 1547 in 8. — Stephanus Hoest Laudenburgensis, canonicus spirensis († 1471), theologus viae modernae

[1]) Cf. Hefele VIII, 21 ss.

[1]) Cf. Braunmüller KL. 2², 438; Pez in praef. t. VII. bibl. asc.; in primis Lindner op. cit. p. 65—73.

[2]) Cf. Stamminger KL. IV, 1151; Haenle Allg. d. Biogr. VI, 447—449.

heidelbergensis, ut dicitur in titulo op. editi, praeter inedita reliquit l. *Modus praedicandi subtilis et compendiosus,* Argentinae 1513 in 4., cum quibusdam aliis scriptis cooperante saltem Wimphelinga. — Quaedam in utilitatem cleri concinnavit Stephanus Bodeker parentibus humilioris conditionis natus 1384 Rathenovii dioecesis brandenburgensis. Ingressus est Praemonstratensium ordinem, studiis vacavit cum laude Erfordiae, Lipsiae et Pragae factusque 1412 decretorum doctor et canonicus brandenburgensis. Ab episcopo Jo. de Waldow constitutus est vicarius generalis, dum ipse concilio interesset constantiensi. Postea est auctus (1419) dignitate praepositi cathedralis et translato episcopo ad sedem Lebusiensem, a Martino V. dictus est ipse episcopus (1421). Plures habuit synodos. Initio quidem favit theoriae, quam dicunt conciliarem, quae in concilio basiliensi tantopere praevaluit, sed gradatim ab illo recessit adhaesitque Eugenio IV. Magni aestimatus est a Nic. Cusano. Post bene gestum munus episcopale decessit[1]) 15. Febr. 1459. Plura ex ejus scriptis manserunt inedita, ut commentarius in orationem dominicam, sertum b. Mariae, specimen Mariologiae, tr. prolixus de symbolo apostolorum et de decem praeceptis cursus quidam dogmaticus et moralis pro clero. Prodiit ejus *notularius* seu breviarius (vel ordo) divinorum in synodo 1422 editus, anno scil. 1488, ed. rarissima; *de horis canonicis* ed. a Schoenfelder in Sammlung mittelalt. Abhandl. über das Breviergebet, Breslau 1902 t. 2.

468. De *paedagogia* bene meruit Maphaeus Vegius Laudensis 1406 natus. Puerum duodennem maxime commoverunt conciones s. Bernardini Senensis atque in bonis sensibus confirmarunt. Philosophiae et jurisprudentiae patris mandato operam dedit, etsi a pueritia in poësim esset propensus. Studiis absolutis Papiae poësim docuit, deinde et jus. Impense promovit studium literarum humaniorum felicique successu illud animavit spiritu religionis. Sub Eugenio IV. Romam venit, factusque est secretarius brevium, datarius et canonicus basilicae vaticanae. Prae modestia episcopatum recusavit. Ingressus est jam adulta aetate ordinem can. S. Aug. Suis impensis et curis translatae fuere reliquiae s. Monicae ex Ostia Tiberina Romam et in nova capella a se pretiose fabricata conditae sunt, in qua et ipse sepultus est († 1458). Vir erat cultissimus, insignis poëta, et quod magis laudandum morum candore, integritate vitae et pietate praestans[1]). Stilo pereleganti scripsit *de educatione liberorum* et eorum claris moribus ll. 6, Mediolani 1491, et saepissime etiam alibi editum, nostra aetate Tornaci 1854; gallice 1513; germanice Gmünd 1856 interprete F. J. Köhler, et in bibl. paedagogica Friburgi 1889 interprete K. A. Kopp, opus practicum et plane egregium. *Dialogus* de veritate inter Alithiam et philaliten, s. l. et a. (c. 1467). *De perseverantia religionis ll. 6,* ad quosdam sorores, opus solidae ascesis, utilissimum, Parisiis 1511; *de quatuor hominis novissimis* meditationes nobilissimae, cum op. de educatione Basileae 1541; *Philalethes* seu veritas invisa exsulans, s. l. et a.; Argentorati 1515; Viennae 1516; quae collecta habes in bibl. max. PP. XXVI, 632 ss. aliaque ad literas humaniores spectantia. *De antiqua s. Petri ap. basilica* in Vaticano ll. 4, in Act. SS. Jun. VII, 61—85, diss. historico-archaeologica erudita; *vita s. Bernardini Senensis,* ib. Maj. V, 287*—305*. Prolixum condidit car-

[1]) Cf. Ph. W. Gerken Ausführliche Stiftshistorie von Brandenburg Braunschweig 1766; Alb. Schoenfelder in hist. Jahrb. XXIII (1902), 559—577.

[1]) Cf. Fr. Hiss Lit. Handweiser 1889 c. 753 ss.; Fabricius V, 15 s.; Knecht KL. XII², 641—645.

men de vita et laude s. Antonii *Antoniados* inscriptum ll. IV, Antverpiae 1559, — Alii clari paedagogi[1]) hujus temporis fuere Victorinus de Feltre, professor mantuanus († 2. Febr. 1447) et Quarinus Filelfo († 1460).

469. Praetermittere penitus nolumus virum, etsi minus probandum, qui hac aetate innotuit, Felicem Hemerli, (Malleolum) Turigii in Helvetia a. 1388 vel 1389 natum, ibidemque canonicum necnon et Zofingae. Bononiae bis juri operam dederat, et bis inscriptus erat universitati erfordiensi. Cum eo tempore omnium animos occuparet sollicitudo de componendo schismate, et ipse principiis Gersonii, Alliaci aliorumque theologorum illius aetatis imbutus partem habuit in illis controversiis. Interfuit concilio constantiensi fungens munere notarii apostolici. Factus praepositus capituli ad s. Ursum solidorensis (1421), de statutis hujus capituli in melius reformandis sollicitam dedit operam. Anno 1428 electus est »rex chori« capituli tigurini. Minus felix erat in reformando hoc capitulo, imo adeo in se concitavit animos, ut intentatam a sicario mortem vix evaserit, gravibus tamen vulneribus fuerit affectus. Concilio basileensi adfuit, partem habuit in controversiis cum Husitis. Aliquamdiu inhaesit Felici V. antipapae, quem solemniter Soliduri excepit, sed de composito sub Nicolao V. schismate laetatus est. Reformationis aestu ultra modum abreptus plurimos sibi fecit adversarios. Ultra 30 libellos acres admodum composuit, in quibus non solum invehitur in Beghardos Beginasque et Lollhardos, contra mendicantes validos, Svitenses, canonicos turicenses, praepositos ecclesiasticos suos, card. Cusanum, aulam pontificiam, sed ne Martino quidem V. et Nicolao V., quos tamen ante adeo laudaverat, parcit. Ab adversariis suis captus (1454) in carcerem fuit conjectus, in quo detentus ad a. ut videtur 1457 plura composuit scripta. Interim resignavit suae praeposituraе obiitque parochus in dioecesi lausanensi ante a. 1464. Ejus scripta ex occasione composita, hinc jam antiquata, produnt eruditionem in s. Scriptura, operibus patrum et jure canonico, sed et spiritum nimis acrem omnia dijudicandi, carpendi et reformandi: propterea tamen reformatores sec. XVI. de eo gloriari nequeunt quasi fuerit eorum praecursor, nam candide fatetur: »Omnipotens per vicarios suos in terris feliciter ordinavit, et est fides nostra, quod in summo pontifice est plenitudo potestatis poenae et remissionis et coeleste habet arbitrium[1]).« Prodierunt plura ex ejus scriptis vol. 2 in f., quorum unum prodiit s. l. et a., alterum Basileae 1497 cura Seb. Brant. Ea quondam erant in ll. prohibitorum indice, juxta recentissimam ed. in eo non amplius comparent.

470. Inter *ascetas* primum assignemus locum Laurentio Justiniano (Giustiniani). Natus is est Venetiis 1381 nobilissimis parentibus et vel puer morum gravitatem prae se tulit. Exacta inter pietatis officia adolescentia ad castum Verbi et animae connubium a divina Sapientia invitatus de religiosae vitae instituto capessendo deliberavit convolavitque ad canonicorum s. Georgii in Alva congregationem. Sanctissimam rigidissimamque ibidem vitam duxit: hinc a sodalibus in priorem iteratisque vicibus in supremum congregationis moderatorem

[1]) Cf. Kunz Biblioth. der kath. Pädag. Freiburg 1888. I, 34 ss.; Tiraboschi l. 3. c. 5 n. 13.

[1]) In l. de negotio monachorum. Cf. de auctore nostro Fiala Dr. Felix Hemmerlin als Propst des St. Ursenstiftes zu Solothurn 1857; in fasc. lit. Urkund. Beitr. zur vaterländ. Geschichtsf. I, 281—792 cum 38 documentis; et KL. V, 1761—65; Reber F. Hemmerlin neu nach den Quellen bearbeitet, Zürich 1846.

fuit electus, quam prudentissime rexit et constitutionibus ita formavit, ut velut ejus fundator habitus sit. Ab Eugenio IV. patriae episcopus designatus est 1433, et quem magna contentione honorem detrectaverat, majori gessit cum laude. Praetermittimus ejus merita in suam patriam, virtutum splendorem, prodigam in pauperes caritatem, ingentem religionis zelum, dignus sane qui ab eodem pontifice ‚gloria et decus praesulum' coram cardinalibus vocaretur, et qui a Nicolao V. translato e gradensi civitate titulo primus Venetiarum patriarcha renunciaretur. Cum in lethalem incidisset morbum et commodiorem domestici lectum seni atque aegro pararent, aversatus ejusmodi delicias tamquam a durissima morientis sui Domini cruce plus nimio abhorentes, consueto in stramine se jussit deponi, et finem vitae suae adventare praenoscens sublatis in coelum oculis, „Venio, inquit, ad te, oh bone Jesu;" ac die 8. Jan. 1455 obdormivit in Domino. A Clemente VII. beatis 1524, et 1690 ab Alexandro VIII. sanctis fuit adnumeratus [1]). Reliquit plura opuscula ascetica pulcherrima, mira unctione conscripta et pietatem solidam spirantia. Junctim prodierunt Basileae 1560; Lugduni 1568; Venetiis 1606; 1721; 1751 t. 2 in f.; Coloniae 1616; Lugduni 1628. Inter ea sunt: *Lignum vitae; de disciplina* et monasticae conversationis perfectione; *de casto connubio Verbi et animae; fasciculus amoris; de triumphali Christi agone; de interiori conflictu; sermones* in Domini et sanctorum solemnitatibus; *de vita solitaria; de contemptu mundi; de spirituali interitu animae; de regimine praelatorum; de obedientia; de humilitate; de perfectionis gradibus; de incendio divini amoris. Dottrina della vita monastica,* Venetiis 1494.

471. Huic subjicimus virum in ascesi incomparabilem v. Thomam Hemerken (Hämmerlein) a Kempis vulgo dictum, quia in oppido Kempen coloniensis dioecesis est ortus c. 1379 vel 1380. Puer Daventriam fuit missus ibique familiaritatem iniit Florentii vicarii ecclesiae daventriensis (cf. p. 720). Hujus piissimi viri institutione quam maxime in pietate et virtute profecit ejusque consilio adiit Montem d. Agnetis canonicorum reg. s. Aug. domicilium haud procul Zwolla ad Vectam fluvium sita. Locum, ubi ipsius frater prior erat († 1432), probat et velut in portum vitae tutissimum se recipit adolescens a. 20. Tirocinium per septennium fere protraxit, quo absoluto sacram induit vestem (10. Jun. 1406). Sacerdos ordinatus fuit 1413—1414. Comes erat et affabilis omnibus, atque in primis vitae innocentia sanctimoniaque conspicuus, adeo ut plurimos sui visendi audiendique causa attraheret. Nunquam otiosus, semper vel lectita-

[1]) Cf. Acta SS. 8. Jan.; Bernardus Giustiniani in luculenta *Vita b. Laur. Justiniani* Venetiis 1475; 1606; Lugduni 1628; Patavii 1691 in 4; in actis SS. Jan. I, 551—64; in ed. operum etc. Hic B. Giustiniani seu Justinianus sancti nostri erat nepos n. 6. Jan. 1408, non modo apud senatum, verum etiam apud rom. pontifices, cardinales et ceteros Italiae principes ac urbium senatores in pretio habitus. A. natus 19 senator, reipublicae legatus ad aulas parisiensem et romanam, unus ex decem membris supremi consilii a. 1465 et reipublicae erat procurator (1474; † 10. Mart. 1489). Scripsit praeterea *de d. Marci Ev. vita,* translatione et sepulturae loco, Venetiis 1492; 1534; in Burmann thes. script. It. t. V; et in primis eleganter et sententiose *de origine urbis Venetiarum* deque rebus a Venetis gestis ll. 15, Venetiis 1492; 1534; italice versi a Lud. Domenichi, ib. 1545, propter quam meruit dici ‚pater historiae venetae'. Cf. Ap. Zeno disp. Voss. II, 154; Tiraboschi VI. p. 2. l. 1. c. 1. n. 39. — A s. Laurentio et Bernardo distingue Leonardum G. patricium venetum († 10. Nov. 1446), cujus exstat *Vita s. Nicolai* ep. myr. e graecis auctoribus praesertim Sim. Metaphraste collecta et conscripta ex Lipomano ed. 1. apud Surium 6. Dec. VI. 795—810.

bat aliquid vel libros in communem usum describebat, ut ex. gr. quater s. Scripturam (quae exemplaria adhuc servantur), vel pro instructione fratrum aliquid commentabatur. Bis functus est munere subprioris. Grandaevus annos n. 92 decessit 26. Jul. 1471. Amabat solitudinem, disciplinae religiosae erat exemplar, in exercitiis pietatis exstaticus, spiritu Dei plenus, ut testantur ejus (38) scripta[1]). Ea junctim saepe prodierunt (c. 19 ed.) (Ultrajecti 1473); Norimbergae 1494; plenius cura Sommalii SJ., Antverpiae 1600 t. 3; 1607 t. 3 ed. optima et plenissima; 1615, quae ed. 3. et sequentes sunt negligenter curatae; Duaci 1625; 1635; Coloniae 1660; 1680; Genf. 1759. Novam operum omnium editionem inchoavit Pohl in t. 8 distributam, cujus prodiit t. 2. complectens praeter imitationem Christi opuscula *de disciplina claustralium; ep. devota* ad quendam regularem; l. *spiritualis exercitii; de recognitione propriae fragilitatis; de recommendatione humilitatis; de mortificata vita; de elevatione mentis;* brevis *admonitio* spiritualis exercitii; Friburgi 1904 in 12; et t. 5 ib. 1902, qui continet orationes et piissimas meditationes *de vita J. Christi,* quas jam ediderat in programmate gymnasii Thomaei kempensis 1895. Eae sec. XVI. magni fiebant et admodum vulgatae erant per Germaniam s. l. et a. (c. 1488) etc., et a Sommalio receptae sunt in alteram op. Thomae a K. editionem, sed in seqq. iterum omissae; germanice prodierunt Norimbergae 1491; 1521, Ingolstadii 1586; in posterioribus ed. adjectae fuere duae aliae partes. Secundum Zenner eae potius videntur esse Arnoldi O. Carth. († 1487), de quo infra loquemur. Sed Pohl in Ztschr. für k. Th. XX (1896), 551-565 (coll. 171-178), genuinitatem tuetur. Recentissime prodierunt t. 3. continens inter alia Sermones *de vita et passione Domini,* Meditationem *de incarnatione Christi, orationes* de passione Domini et b. Virgine et aliis sanctis etc. et t. 6 seu *sermone* ad novitios. Inter ejus opuscula eminent ejus *de imitatione Christi ll. 4,* de cujus operis praestantia necesse non est fusius scribere, cum id innumerae editiones (ultra bis mille), versiones in quam plurimas linguas, jugis omnium piorum usus abunde testentur: nec volumus ingredi diuturnas, prolixas, eruditas saepeque repetitas controversias[1]) de ejus genuinitate, cum sententia longe communior illud nostro vindicet Thomae. Praeter hoc et alia, quae supra recensuimus, lectu dignissima sunt *Soliloquium animae, Hortulus rosarum, Vallis liliorum, de tribus tabernaculis, de renunciatione seculi; de vera compunctione, Manuale parvulorum* etc. T. 3. ed. Sommalii continentur *vitae* praecipuorum fundatorum et sodalium (12) vitae communis, Gerhardi Groot, Florentii Radewjns, Jo. Gronde, Jo. Bringkerink; Roberti Berner, Henrici

[1]) Cf. de iis Fabricius IV, 493 ss.; Vitam et syllabum operum omnium Thomae a K. ab auctore anonymo sed coaevo non longe post obitum illius conscriptam ed. G. Heser Ingolstadii 1650; Parisiis 1651. Antiquae ejusdem imagini subscriptum legebatur hoc ejus dictum: „In omnibus requiem quaesivi et nusqam inveni nisi in een hoechsken met en buexken seu ut ipse dicebat „Nisi in angello cum libello;“ et aliud ejus dictum „Nusquam tuta quies, nisi in cella, codice, Christo“.

[1]) Cf. de his ex. gr. Rosweydus S. J. in Vindiciis Kempensibus in ed. ll. de imitatione Christi, Antverpiae 1617; Amort in pluribus hac de q. libellis; Malou Recherches historiques et critiques sur le véritable auteur de l'Im., Tournay 1858 ed. 3; Denifle Zeitschr. für k. Theol. 1882 p. 692—718; 1883 p. 692—742; 1885 p. 193—196 (qui genuinitatem in dubium vocat); F. X. Kraus Allgem. d. Biogr. 38, 74—85, qui literaturam et argumenta succincte, sed bene proponit etc. Circa 35 auctores numerantur, quibus ab aliis aliisque piissimus hic libellus fuit assertus. Cf. varias ed. in Rosenthal Catal. 81; Pohl in KL. XI². 1673—1689; Schulze Realenc. XV², 598—613. Ed. critica cur. Hirsche prodiit Berolini 1874.

Rune, Gerhardi de Zütphen, Aemilii de Buren, Jacobi Viana, Joannis Kessel (Cacabi), Arnoldi Schoonhoven et s. Lidwinae (de qua cf. supra p. 946); *epistolae* spirituales etc. Ejus *chronicon montis s. Agnetis* (1386—1471) edidit Rosweydus in ed. sua Chronici Windeshemensis, Antverpiae 1621. Ex ll. de imitatione Christi concinnavit Georgius Heser SJ. *Summam theologiae mysticae* servatis ubique auctoris verbis accommodatam tribus viis vitae spiritualis, Augustae V. 1726 in 8. cura Eusebii Amort, Monachii 1793.

472. Praetermissis Joanne Wischler cognomento de Spira n. Freinshemii in palatinatu inferiori 1383, qui relictis pinguibus beneficiis ingressus est OSB. (1418) et strenue promovit ordinis reformationem coenobii mellicensis prior († 1456), ex cujus plurimis scriptis[1]) Pez aliqua edidit ut l. *de studio lectionis regularis spiritualis* ejusque impedimentis, in bibl. asc. IV, 113—256 — Joanne Canales O. Min., cui a Curribus cognomen fuit, theologiae in universitate ferrariensi professore († 1462), cujus sunt opus *de coelesti vita, de natura animae* ejusque immortalitate, *de paradiso* animaeque felicitate, et *de inferno* animaeque cruciatu, Venetiis 1494; *opus quadragesimale*, Florentiae 1494; *sermones*, Venetiis 1539 — Petro Hieremia Panormitano O. Praed. ecclesiaste facundo et vere apostolico, visitatore generali, quem Siculi inter beatos colunt (n. 1381; † 3. Mart. 1452) et cujus *sermones* prodierunt primum per partes, dein et conjunctim Lugduni 1512 in 4; Hagenoae 1551 (de sanctis et b. Maria V.); quadragesimales de peccato, ib. 1514 — B. Alano de Rupe (de la Roche) O. Praed. Gallo, rosarii M. Virginis ardente praecone et promotore[2]), theologiae lectore (n. c. 1428; † 8. Sept. 1475), cujus scripta aliqua (5) Jo. Andr. Coppenstein a se recognita, ad aevique sui salivam, ut ait, apparata, rescissis quibusdam, aliis explicatis, mollito aliquantulum stilo, typis commisit sub inscriptione *Alanus redivivus* scil. de psalterio seu *rosario Christi et Mariae* tr. in 5 pp. distributum[1]), Friburgi 1619 in 4; Coloniae 1624; Neapoli 1630 — Hieronymo de Werdea (Donauwörth) artium et philosophiae magistro viennensi, dein OSB. in monasterio Mondsee priori († 9. Oct. 1475), cujus tr. *de profectu religiosorum* edidit[2]) Pez in bibl. asc. II, 171-227 et insignem *epistolam* G. Dreves in Zeitschr. für k. Theol. 1896 p. 179-86 — Henrico Birnbaum (de Piro) O. Carth. Coloniensi (n. 1403; † 19. Febr. 1473), in pluribus conventibus priore et disciplinae religiosae fervido promotore, cujus plura opuscula ascetica (inedita) laudantur[3]) — digni mentione praeterea sunt Jacobus de Gruitroede, quod est oppidum Limburgi batavi haud procul distans Ruremunda, O. Carth., prior monasterii ss. apostolorum leodiensis, qui obiit in odore sanctitatis 12. Febr. 1472, unde beatis leodiensibus accensetur. Plura reliquit scripta ascetica, quae subinde Dionysio Rickel tributa fuere. *Colloquium Jesu et senis*, Daventriae 1491; *Specula* (5) omnis status humanae vitae scil. praelatorum, subditorum, sacerdotum, secularium hominum et

[1]) Cf. de eo Pez in proleg. Anecd. t. II. pag. XXXIV et in praef. bibl. ascet. t. IV. Fabricius IV, 428.

[2]) Cf. Stamminger KL. 1[1], 397.

[1]) Melius haec opuscula latuissent notat Schüz comment. crit. p. 51, innixus crisi auctorum gravium, ex. gr. Cuperi in diss. de Guzmanica s. Dominici stirpe n. 52 ss. Hinc exhibetur ut auctor fabulosus, et Quetif ipse I, 851 s. aperte fatetur multa, quae narrantur, veritate non niti auctoremque pie excusat. Schüz vero p. 406 iterum de hoc auctore disserens opuscula supposita esse conjicit.

[2]) Cf. plura de eo apud Staufer Mondseer Gelehrten Wien 1864 p. 15 ss.; Honor. Khobalter OSB. in op. Poma Septembris h. e. Acta literaria v. Mag. Hier. de W.

[3]) Cf. Kessel KL. II, 862.

senectutis, Norimbergae 1495; Coloniae 1540 in 8; *Lavacrum conscientiae,* Coloniae 1501 saepius editum; multa alia manserunt inedita[1]). — Joannes de Indagine (Hagen) O. Carth. n. 1415 in oppido Haddendorp prope Stadthagen in principatu Schaumburg-Lippe, prior successive Erfordiae, deinde in domo Gratiae Dei haud procul Stetino, demum Isenaci in Thuringia († c. 1475), vir admodum religiosus, atque adeo laboriosus et industrius, ut ll. ultra 300, ima circa 492 composuisse feratur[2]), qui tamen fere omnes manserunt inediti. *De perfectione* et exercitiis cartusiensis ordinis prodiit Coloniae 1608; Lugduni 1643. Inter inedita sunt commentaria in omnes fere ll. V. et N. T., de quatuor sensibus Scripturae, de potestate ecclesiastica et de auctoritate papae in concilio contra Bohemorum errores etc. — Guilelmus Spreeuwen Trudonensis, can. reg. tungrensis, vir piissimus, ex utero materno Deo dicatus, contemplationi totus addictus († 24. Jul. 1467), meditatione vitae ac passionis Christi exardescens collegit *Fasciculum myrrhae* seu pios discursus super mysteria redemptionis humanae et praecipua totius anni festa, Lovanii 1631 in 12; *Schola triplex* perfectionis, compassionis et jubilationis[3]), ib. 1632 in 12. — Fridericus de Heilo prope Amstelodamum presbyter erat admodum devotus, monasterio de visitatione b. Mariae V. prope Harlemum donatus seu sine votis addictus, variis in monasteriis monialium confessarium egit. Vitae ipsius fata sunt satis ignota, sed praeclara ejus scripta insigne de ipsius pietate ferunt testimonium († 11. Oct. 1455). Pauca tamen typis fuere impressa a Car. Pool in monographia Frederic van Heilo en zijn Schriften, Amstelodami 1866. Inter ea sunt *Apologia* super resignatione regiminis sororum, ib. p. 65-85; epistolae graves; tr. *de peregrinantibus* contra peregrinantes, in quo non ipsas carpit peregrinationes, sed abusus, qui in ipsis occurrere solebant; aliquot fragmenta *de fundatione domus regularium* prope Harlemium[1]) etc.

473. Joannes Herolt OP. in conventu norimbergensi prior et lector, Germanus, auctor, cujus vitae fata sunt plane ignota, suis tantum sermonibus vel instructionibus innotuit, in quibus sub nomine discipuli solet latere († 31. Aug. 1468). Eas recenset accurate suo more N. Paulus[2]). Sunt porro: Liber discipuli *de eruditione christifidelium,* in quo agit de decalogo, de

---

[1]) Cf. Trithemius de S. E. c. 824; Biblioth. nat. de Belgique X, 75.

[2]) Cf. Trithemius de SE. c. 822; Tromby Storia critico-chronolog. e diplomatica, Neapoli 1779; Car. Jos. Morotius Theatrum chronol. s. O. Carth. Taurini 1681; Kessel KL. VI, 1698. Ab hoc distingui debet alius Joannes ab Indagine parochus a. 49 Steinheimii (n. 1467; † 27. Mart. 1537), qui deditus erat astrologiae, chiromantiae etc., necnon opinionibus novatorum sec. XVI. juxta J. Frank Allg. d. Bi. XIV, 67; et longe celebrior Jo. ab Indagine OSB. abbate monasterii bursfeldensis († 1439), quod ita reformavit († 1469), ut inde coeperit florentissima congregatio bursfeldiana, cui a. 1596 adhaeserunt monasteria 75.

[3]) Cf. Foppens p. 423.

[1]) Cf. Schulze Realenc. VI³, 244—246.

[2]) In Ztschr. f. kath. Theol. XXVI (1902), 417—447, ubi etiam ejus doctrinam paucis complectitur auctoremque tuetur a quibusdam protestantium accusationibus. Notat autem non liquere, num Herolt ipse habuerit hos sermones, sed eos composuisse in commodum concionatorum, quibus revera profuerunt, ut testatur tam incredibilis editionum numerus. — De Henrico de Loufenberg capituli s. Mauritii Zofingae (1434) decano, postea monacho in monasterio s. Joannis argentoratensi (1445; † c. 1458) cf. Schumann Allg. d. Biogr. XIX, 810-813. Fuit diligens poëta sacer, qui in populi commodum carmina subinde prolixa admodum, saepe tamen nimis artificiosa condidit. Dolendum codices, quibus ejusmodi carmina continebantur, in urbis argentoratensis expugnatione 24. Aug. 1870 incendio periisse.

peccatis, de operibus misericordiae, de oratione dominica, salutatione angelica et symbolo apostolico et de septem donis s. Spiritus. Prodiit sec. XV. saltem septies, dein et Coloniae 1506; 1509; Argentinae 1509; Hagenau 1521. — *Sermones de tempore* (164), saepe editi; Norimbergae 1480; 1492; *Additiones* ad sermones discipuli; *Sermones* (48) *de sanctis*. Huic duplici sermonum seriei addi solent in editionibus duplex *Promptuarium exemplorum* (unum de miraculis b. Mariae V.). Sermonum autem numerantur sec. XV editiones 46, quas multae etiam sec. XVI. secutae sunt. Simul prodierunt Moguntiae 1612 t. 3 in 4. Promptuarium de festis sanctorum typis non prodiit. *Quadragesimale,* Reutlingae 1489. Sermones *super epistolas dominicales* sec. XV aliquoties prodierunt. Inedita sunt: Postilla super evangelia dominicalia et de sanctis . . . super epistolas de tempore et de sanctis; applicationes ad sermones secundum proprietates rerum naturalium. — In Italia celeber erat orator Alexander Oliva[1]) Saxoferatensis, a prima juventute in O. S. Aug. Deo dicatus. Praecipuas Italiae urbes suis commovit concionibus verus pacis angelus. Electus est a. 1460 ordinis prior generalis, mox a Pio II. cardinalis et in variis adhibitus legationibus († 1463).

---

[1]) M. Morici, Il card. Alessandro Oliva predicatore quattrocentista, Firenze 1899.

XV.

Theologi annorum 1476—1500.

I. Theologia dogmatica.

474. Inter *theologos scholae*, quorum ingens est numerus, sed haud magnum pretium et auctoritas, multum innotuit Gabriel Biel, quem aliqui ultimum scholasticum appellant, sane scholae ad senium vergentis et factionis nominalisticae, quam Deo favente mox subsecuta est laetissima verae theologiae scholasticae restauratio, ut infra videbimus. Natus est Gabriel Biel Spirae, studiis operam dedit Heidelbergae et Erfordiae, quibus absolutis inclaruit concionator cathedralis Moguntiae. Factus est praepositus butzbacensis in Hassia superiore. Sua agendi prudentia innotuit Eberhardo comiti de Würtemberg, qui cum vellet in sua ditione disciplinam restaurare ecclesiasticam, eum cum Benedicto helmstadiensi accivit (1477) eumque fecit praepositum primum urbacensem, dein einsidlensem. Ipsum comitem Romam est comitatus magnaque honoris significatione ibi exceptus est. Academiam tubingensem a comite noviter erectam cum Conrado Summenhart plurimum illustravit, primus enim illius et praecipuus fuit professor. In fine vitae se adjunxit clericis vitae communis congregationis windesheimensis († 1495 a. aetatis c. 70). Haec ejus opera: *Collectorium* sive epitoma ex Guilelmo Occam[1]) in 4 ll. sententiarum, Tubingae 1495; Basileae 1508; Lugduni 1515; cum supplemento in 4. l. a dist. 28. Wendelini Steinbach theologiae doctoris et professoris, Gabrielis auditoris († 14. Jan. 1519), quod posthumum seorsim

[1]) Scheeben n. 1073: Biel ist übrigens einer der besten von seiner Schule (nominalistarum), klar, exakt, und auch positiver und kirchlicher als viele andere; aber um so unbegreiflicher ist es, wie er sein Werk geradezu als collectorium aus den Schriften des sauberen Occam hinstellen kann, worin er nur darauf ausgehe, dogmata et scripta venerabilis inceptoris G. Occam angli indagatoris acerrimi circa 4 sent. ll. abbreviare.“ Janssen I, 144 ed. 18: Am einflußreichsten wirkte G. Biel unter den Scholastikern nominalistischer Richtung einer der Wenigen, welchen es gelang, ein System der Theologie aufzurichten, dessen kirchliche Orthodoxie von katholischen Theologen nie angegriffen worden ist. An seinen zahlreichen Werken rühmen auch die entschiedensten Gegner der Scholastik die Einfachheit, Kürze und Deutlichkeit des Ausdruckes. Man nannte ihn den Monarchen unter den Theologen.

addidit Gallus Müller, Parisiis 1521, Brixiae 1574 t. 5 in 4; Basileae 1512; 1588; Lugduni 1514; *Sacri canonis missae expositio* resolutissima literalis et mystica, etiam inscripta Lectura super canonem Missae, ipso inscio primum ab ejus discipulo W. Steinbach ed. Reutlingae 1488; Tubingae 1499; Basileae 1510; 1515; Lugduni 1514; 1527; 1542; 1612; Brixiae 1576, Venetiis 1567 etc. fructus praelectionum coram auditorio frequenti Tubingae habitarum, in quibus saepe ducem sequitur Egeling[1]), et haud raro utitur scriptis Alexandri Hal., Alberti M., Innocentii III. et Durandi. Neque solum canonem illustrat, sed et alias missae partes, locum et tempus sacrificii, vestes et vasa liturgica. Immiscet etiam quaestiones dogmaticas de transubstantiatione, materia et forma, sanctorum cultu, reliquiis et imaginibus etc. Significationis mysticae rationem habet innixus sententia certa »quod passio, resurrectio et ascensio Domini et cetera ad humani generis salutem acta non modo verbis, sed gestis et signis in missa repraesentantur[2]).« Ex prolixo hoc op. derivata est *Epitoma expositionis canonis missae,* Tubingae s. a. (1499); Coloniae 1532; Antverpiae 1565; Bergomi 1574 etc., et *Expositio brevis* et interlinearis sacri canonis missae, s. l. a. et typ. *Sermones* de festivitatibus Christi, b. Mariae V., de sanctis, s. l. (Tubingae) 1499; *sermones dominicales* de tempore, Tubingae 1500, quibus additi contra pestilentiam sermones *medicinales,* et de non timendo mortem tempore pestis, et q. de fuga pestis, necnon Defensorium obedientiae apostolicae ad Pium II. destinatum et ab eodem approbatum. Ejus sermones prodierunt etiam Hagenoae 1510; Basileae 1519; 1520; Brixiae 1583; *Sermo historialis,* notabilis atque praeclarus *passionis dominicae*[1]), s. l. et a. (Reutlingae 1498); emendatus cura Flor. Diel, Moguntiae 1509; Basileae 1519; tr. *de potestate et utilitate monetarum,* s. l. a. et typ., receptus inter opera majora numismatica[2]). Immerito autem scripsit H. Wig. Biel diss. *de G. Biel celeberrimo papista antipapista,* Witembergae 1719. Etsi enim sequeretur cum tot aliis theologis illius temporis opiniones de superioritate conc. generalium supra rom. pontificem, primatum tamen agnovit potestatemque ejus, neque in aliis opinionibus descivit a doctrina Ecclesiae.

475. Non desunt ex *clero seculari,* qui strenue theologiae incubuerint scholasticae. Ita Gerardus Terste-

[1]) Egeling Becker seu Angelus Saxo de Brunsvico professor erat gymnasii erfordiensis, concionator Moguntiae et Argentorati († 1481), atque plura reliquit inedita, inter quae et l. in canonem missae prolixum, in quo dogmatice, moraliter et ascetice de missae sacrificio disserit. Eum non parum laudat Franz op. cit. p. 539—550.

[2]) Cf. Thalhofer Handb. der k. Liturgik I § 6 p. 92[2]. Franz die Messe p. 550-555, qui illud haud parum laudat.

[1]) Florentius Diel patria Spirensis factus est Heidelbergae artium magister et theologiae licentiatus. Docendi munere in facultate artium moguntina, dein in theologica functus est atque simul parochum egit ad s. Christophum. Reliquit praeter alia *l. consuetudinum* (1495-1518) s. parochiae, qui non sine pretio est pro accuratiori cognitione vitae parochialis. Periit quidem hic l., sed copiosa ex eo specimina collegit Jo. Gamans S. J. († 1684) pro adornanda sua Metropoli Moguntina. Ea latine et germanice sub inscriptione *die pfarramtlichen Aufzeichnungen* zu St. Christof in Mainz edidit F. Falk, Feiburg 1904.

[2]) Cf. Keppler hist. Jahrb. III (1882), 290—296, ubi fusius de hoc sermone disserit plurimumque commendat. Ibidem laudat p. 287. Reinhardi de Laudenburg, ut videtur aequalis, ob idearum copiam *Passionem D. N. J. Chr.* per modum quadragesimalis praedicatam, Nurnbergae 1501.

[3]) Cf. plura apud Linsemann Tüb. Qtlschr. 1865 p. 195 ss.; 449 ss.; 601 ss. et KL. II[2], 804—8.

gen n. in vico Heerenberg, unde cognominatus est de Monte Dei. Coloniam advectus in gymnasio, quod ab eo ob insignia ejus beneficia Montanum dictum fuit, philosophiam professus est. Canonicam obtinuit praebendam in collegio andreatico et ursulano, et theologiae doctor renunciatus gessit munus procancellarii et regentis gymnasii supra dicti, cui praefuit ab a. 1431-1480 († 9. Nov. 1480). Scripsit *Tr. ad favorabilem dirigens concordiam* quaedam problemata inter s. Thomam et v. Albertum Magnum, Coloniae s. a. in f. Cum vero hic l. impugnaretur, opposuit *Apologeticam* sive responsivam ad quandam invectivam a nonnullo recenti et opulento philosopho, licet nunc temporis inopi theologo editam, ut idem dictator de se ipso asserit in eadem invectiva, quae ostensorem concordiae inter s. Thomam et v. D. Albertum M. impugnat opprobriis, auctoritatibus et rationibus omissis, Coloniae s. a. in f. Tr. aureus s. Thomae Aq. *de ente et essentia* seu de quidditatibus rerum intitulatus, ib. s. a. in f., quo aliis bono exemplo praeivit, ut tandem aliquando non uno delectarentur Petro Lombardo in suis commentationibus. — Gerardo in munere regentis successit ejus nepos Lambertus de Heerenberg (de Monte Dei) canonicus ad s. Andreae, decanus facultatis artium et rector magnificus in academia coloniensi (1479; † 17. Apr. 1499), qui juxta fidissimam doctrinam s. et cherubici doctoris Thomae A. commentatus est in 8 ll. Aristotelis *de physica sive de naturali auditu* intitulatos, Coloniae 1498; circa 3 ll. *de anima*, ib. 1498; *Quaestio magistralis* contendens per auctoritates Scripturae divinae, quid juxta saniorem doctorum sententiam probabilius dici possit de salvatione Aristotelis, quam affirmative solvit. — Martinus Magister (le Maitre) lanii turonensis filius, doctor parisiensis, Ludovico XI. a confessionibus et eleemosynis († 1482), plura composuit opera, quorum aliqua prodierunt[1]), ut *de fortitudine*, Parisiis 1489; *de temperantia* cum virtutibus annexis, ib. 1490; quaestio *de fato*, ib. 1499; *tr. consequentiarum* in vera divaque nominalium via, ib. 1494; 1497; 1499; expositio perutilis et necessaria *super l. Praedicabilium* Porphyrii, ib. 1499. Ejus Summa qq. theologicarum non prodiit. — Joannes Versor diu Coloniae in gymnasio montano professor, fideliter sectatus est in docendo s. Thomae vestigia († c. 1485). Reliquit commentaria in Aristotelis opera saepius edita, ut *in primam Aristotelis philosophiam*, Wittebergae s. a.; super omnes ll. *novae logicae* i. e. in primum priorum, primum posteriorum, secundum posteriorum, octo topicorum et elenchorum, Coloniae 1497; *qq. super metaphysicam* Aristotelis, 1499 in f.; in l. *de coelo et mundo. de generatione et corruptione, in meteora*[2]) etc., Coloniae 1488; 1493; *qq. in veterem artem Aristotelis*, Coloniae 1497; *ll. politicorum* Aristotelis cum commento compendioso, Coloniae 1492; 1499; *l. oeconomicorum* Aristotelis cum commento, in f.; *qq. super ll. ethicorum* Aristotelis et textus ejusdem etc., Coloniae 1494; qq. super *de ente et essentia* s. Thomae, in f. etc. — Ita et Thomas Bricot professor parisiensis (fl. 1494) Aristotelis opera commentariis illustravit cursumque optimarum qq. super totam logicam composuit s. l. et a. in f.; *textus suppositionum logicae* Petri hispani et qq. in fine singulorum ll., Lugduni 1494; 1509 cum Georgii bruxellensis logica[3]) etc. — Guilelmus Gorris Aragonensis, qui non fuit O. Min., ut aliqui putant, concinnavit *Scotum pau-*

[1]) Cf. Fabricius V, 40; Oudin III, 2641.

[2]) Haec duo etiam commentariis illustravit Jacobus Timaeus Amorsfordius, ejus collega, theologiae doctor et decanus in academia coloniensi, Coloniae 1497. Cf. Hartzheim p. 342.

[3]) Cf. Fabricius VI, 540.

perum, in quo doctorum et Scoti opiniones in 4 ll. sententiarum contentae dilucidantur ad pauperum utilitatem s. l. et a. in 4., sed sub initium typographiae cusum; Tolosae 1480; 1486. — Petrus Daguî catalanus presbyter, ut videtur, ss. literarum magister ac professor in arte R. Lulli versatissimus, Ferdinando et Elisabethae regibus a sacris, composuit metaphysicam sive tr. *de formalitatibus*, cum tribus praeambulis, quae quidem priorem et majorem partem l. conficiunt, Hispali 1491 in 4; *januam artis R. Lulli*, ib. 1491.

476. Inediti fere manserunt labores Joannis de Lutria (Lutravillula, Kaiserslautern) Erfordiae theologiae magistri et Moguntiae concionatoris († 1479), cujus *collationem spiritualem* impugnavit Joannes de Dorsten (Doersten, Dorstein) O. S. Aug. in eadem academia philosophiae et s. paginae professor illustris, provinciae saxonicae praepositus, multorum operum[1]) auctor († 1481), in *Responso* quod simul cum illa prodiit inscriptum Tr. sive *collatio synodalis* de statutis ecclesiarum (de simonia) habita 1471, Erfordiae 1489 in 4. — Thomae Woelfel de Wuldersdorf ter rectoris universitatis († 31. Maj. 1478) et Pauli Leubmann Mellicensis († 1479), qui ambo diu in universitate viennensi prius in artium facultate, deinde in theologica docebant[2]) — Nicolai de Wachenheim († 1480), qui in Heidelbergensi gymnasio per annos ferme 50 docendo, legendo ac disputando velut princeps theologorum in maximo pretio fuit — Georgii Molitor[3]) Naumburgensis, theologiae professoris erfordiensis († 1484) — Nicolai de Creuznach[1]) ex comitatu spanhemensi dioeceseos moguntinae, qui erat lumen gymnasii viennensis praeclarissimum, trium facultatum collega († 1491) — Guilelmi Stubes, Angli, rectoris collegii Jesu Cantabrigiae, qui Scotum declarare nisus est in l. 2. sententiarum (fl. 1492) — Guilelmi de Chateaufort doctoris, professoris et rectoris universitatis parisiensis († 1481), cujus memorantur commentaria in ll. sententiarum.

477. Praecipui theologi ex *Minorum familia*, sententiarii fere omnes fuerunt et in doctrina Scoti occupati, Stephanus Brûlefer (Brûlifer, Burlifer) e civitate Maclovensi (St. Malu) in Britannia minori auditor celebris Guilelmi Vorilongi (cf. p. 876), parisiensis universitatis erat doctor ibidemque professor, theologiae scotisticae nominatissimus et insignis concionator. Calcato honorum fastigio et relicta urbe regia transiit a patribus conventualibus ad Observantes atque diu deinde Moguntiae et Metis docuit. Ab Oliv. Maillardo generali observantium cismontanorum vicario missus est Briocum, ut illuc fratrum Observantium partes ageret adversus canonicos briocenses, qui se opponebant fundationi monasterii, illosque tueretur atque propagaret. Obiisse vi-

---

[1]) Cf. Ossinger pag. 299; Kaulen KL. III, 1996.

[2]) Cf. de utroque Aschbach Gesch. der Wiener Univ. I, 557 ss.; de priori Lauchert in Allg. d. Bi. XLIII, 790.

[3]) Alius ab eo est Ulricus Molitor (Müller) Constantiensis, doctor decretorum studii papiensis et curiae constantiensis causarum patronus, et aliquamdiu Romae advocatus, qui scripsit dialogum *de Lamiis et pythonicis mulieribus* ad Sigismundum archiducem. Exstat in Jac. Sprenger Malleo maleficarum Francoforti 1580. I, 664—714; Coloniae 1489; 1495 in quo pleraque facta magica fide indigna censet, crimen vero ipsum morte dignum. Cf. Schulz Allg. d. Biogr. 22, 111; Fabricius V, 82. Floruit exeunte sec. XV.

[1]) Mentio fit alterius Nicolai de Crutznach, etiam de Alsentia dictus, O. Carm. (fl. c. 1495). Hic scripsisse legitur in Apocalypsin, in Exodum, de purissima b. Mariae V. conceptione.

detur[1]) intra a. 1496-99. Haec ejusdem opera: *Reportata* (ab ipsius scil. discipulis ex ore magistri excepta) clarissima excellentissimi ac profundissimi humanarum et divinarum literarum doctoris fr. St. Brulefer O. Min. caritate igniti in 4 s. Bonaventurae[2]) doctoris seraphici sententiarum ll., Scoti subtilis secundi, incipiunt feliciter, Basileae 1501; 1507 t. 2 in 4; Venetiis 1504; Parisiis 1521; 1570 t. 2 in 4; etiam cum tr. identitatum et distinctionum, et *de formalitatibus Scoti* (Mediolani 1495. 1496 in 4; Venetiis 1516; 1588), Basileae 1586; et cura Aug. Gothutii in Gymnasio speculativo, Parisiis 1605 cl. 4; aliaque ipsius opuscula prodiisse dicuntur Parisiis 1499; 1500. De primo opere ita scribunt editores operum s. Bonaventurae (proleg. p. LXXI): „In his reportatis ad singulas qq. praemittuntur variae definitiones et axiomata secundum scholam scotisticam; deinde responsio Seraphici ad q. distinctis propositionibus enucleatur, interdum etiam solutio objectorum breviter explicatur. Licet auctor scotisticae doctrinae sit addictus, tamen plerumque sensum s. Bonaventurae minus quam posteriores commentatores ad normam praeconcepti systematis trahere nititur. Dolendum, quod haec Reportata, saltem duae primae edit. scatent mendis et erroribus, quae partim iis, qui verba magistri sui exceperunt, partim typographo tribuenda sunt". — Bartholomaeus Bellati Feltrensis edi curavit *l. 1. lecturae parisiensis* sive Reportatorum Scoti, Bononiae 1478, eaque ed. rarissima dicitur, quae genuinam Scoti lecturam continere deprehensa est. Forsan idem de tribus reliquis ll. fecisset, nisi a. sequenti (1479) mors intercepisset eum[1]). *Opusculum* in 2. l. sententiarum Scoti, subjectum eidem 2. l. in ed. veneta 1481; 1497; 1503. *Summam Astesanam* una cum sodali Gometio castigavit mendisque expurgatam edi curavit Venetiis 1478; Lugduni 1519. Tempore capituli generalis Ferrariae 1472 strenue pugnavit contra adversarios immaculatae conceptionis et potissimum contra Vinc. Bandellum[2]), quam disp. in hujus op. *de Conceptione* ed. 1502 reperies p. 100—109. — Guidonis (non Gerardi, Giraldi) Briansonii aurelianensis *opus super 4. l. sententiarum* ad mentem Scoti absolutum erat 1485, prodiit vero Parisiis 1512 in 4; 1517. — Joannis Foxal Angli (fl. 1490) est *Expositio universalium Scoti,* quae sub nomine Joannis Anglici circumfertur prodiitque Venetiis 1508; 1512, quae est epitome operis prolixioris, quod ipse juvenis elaboraverat, sed non totaliter usque ad finem deduxerat. Opus *supra ll. posteriorum,* cui praemissum est opusculum *de primis ac secundis intentionibus* juxta mentem Scoti, Mayronis, Aureoli, Boneti et Ant. Andreae, Ve-

[1]) Cf. Paulus Tüb. Qtlschr. 1893 p. 291, qui ejus orthodoxiam bene tuetur adversus protestantes, imo et catholicos eum praecursoribus reformationis accensentes; Grammer KL. 2², 1355.

[2]) Hujus sancti opus universum in 4 ll. sententiarum castigato textu et additis repertorio seu tabula et indice magno edendum curavit Joannes Beekenhaub, Norimbergae 1491; Parisiis 1499 in 8. Ipse non fuit O. Min.

[1]) Scriptum oxoniense Jo. Duns Scoti in 4 ll. sententiarum castigatum Patavii 1490 t. 3 in f. edidit Gratianus Brixianus insignis sui aevi doctor, quem senatus venetus evocavit ad moderandum gymnasium patavinum in via Scoti. Adjecit suae ed. Scoti quodlibeta et tr. de primo principio praemisitque tabulam generalem alphabetice dispositam ex omnibus fere Scoti operibus, quae recepta fuit in alias ed. Scripti oxoniensis, Venetiis 1497; 1503 estque magnae utilitatis ad agnitionem operum Scoti. Edidit quoque *commentaria* Gerardi Odonis (cf. p. 532) in ll. Ethicorum Aristotelis Brixiae 1482 in f.; *Lecturam* super l. 2. sententiarum Scoti, Carpi 1506 in f.

[2]) Cf. Th. Strozzi Controversia della Concezione della b. V. M., Panormi 1700 l. 7 c. 3.

netiis 1509 prodiit opera et cum notis Jo. Fabae reg. Obs.

478. Antonius Syrretus (Sirectus) O. Min. Conv. scripsit *Hebdomades formalitatum recentiores* secundum doctorem subtilem ad usum parisiensem, Ferrariae 1490; Venetiis 1489; 1493 cum tr. *formalitatum* Ant. Trombettae in easdem Sirecti formalitates; ib. 1501 cum *epitomatibus* St. Bruleferi et additionibus concordantiisque Mauritii Hibernici; 1518 cum expositione A. Trombettae; 1525 cum Brulifero, Mauritio, Trombetta et glossis Antonii de Fantis; Parisiis 1605 in Aug. Gothutii Gymnasio speculativo cl. 4. In easdem formalitates *isagogicas expositiones* emiserunt Laurentius Brixianus 1537, Franc. de Pitigianis 1606 et Hieronymus Pistoriensis 1570. — Petrus Tartaretus Gallus, doctor et rector universitatis parisiensis, philosophus et theologus suo tempore clarus (fl. 1494), quem tamen dicunt fuisse tantum tertii ord. s. Franc. eorumque qui nullo religionis voto adstringuntur, composuit *commentarios* in 4 ll. sententiarum ad mentem doct. subtilis Scoti, quorum commentarius in l. 4. prodiit, Parisiis 1520; Venetiis 1580 cura Const. Sarnani; in omnes 4 ll. ib. 1583 pp. 5 in 2 t. in f.; Neapoli 1607; commentaria *in quodlibeta Scoti,* Parisiis 1519 in f.; Venetiis 1580; 1583; 1607 cum commentariis in 4 ll. sent.; *Expositio* in ll. logicae Porphyrii et Aristotelis ad mentem doctoris subtilis, necnon expositio in totam philosophiam naturalem et metaphysicam Aristotelis usque ad 6. l. juxta mentem doctoris subtilis (Venetiis) 1503; Parisiis 1509; 1513 una cum expositione *in sex priores Aristotelis ll. moralium* ac sex regulis moralibus in 8 cc. distributis; quae omnia etiam prodierunt Venetiis 1513; castigatiora 1520; 1571; 1581 etc.; Commentationes *in ll. totius logicae Aristotelis,* Parisiis 1494; 1520 etc. et saepius alibi. Expositio *in summulas Petri Hispani* tr. 7 comprehensa, s. l. et a.; 1501; binisque tr. *de descensu et insolubilium* aucta, 1503; Parisiis 1509; Basileae cura Mart. Molenfelt illustrata ex Scoto et aucta tr. *obligatoriorum* aliisque commentariis in Aristotelis libros 1514 in f. etc. Omnia *opera philosophica* iterum excusa fuerunt ac in 3 pp. divisa, in summulas, Logicam et philosophiam, Venetiis 1614; 1621 t. 2 in 8; 1623 pp. 4. — Tot editiones operum Tartareti aliorum cura factae, praesertim card. Sarnani (cf. Nomencl. I², 49 s.), ostendunt ejus auctoritatem in scholis. Fridericus vero III. Saxoniae elector voluit, ut in academia wittenbergensi a se condita adhiberentur ejus commentationes in doctrina Scoti super Aristotele et Petro Hispano, quas propriis impensis edere fecit[1]). — Paulus e Mercatello Urbinatis agri theologiae magister et provinciae minister (1488) edidit *commentaria* in 1. et 2 l. sententiarum Scoti, Venetiis 1484. — Quibus adde ex eodem ordine Antonium Medices Conv. theologum universitatis florentinae, episcopum marsicensem in Lucania († 1484 vel 1485) — Eustachium de Curia (fl. 1488), Gallum, doctorem parisiensem, quorum commentaria in Magistrum manserunt inedita — Petrum de Castrobel (Castroval) Hispanum, theologum praestantem, provinciae Aragoniae ministrum (fl. 1491), cujus opus *formalitatum* prodiit 1486 (vel 1498) s. l.; *super symbolum s. Athanasii,* s. l. et a.; commentaria in varios Aristotelis ll., ita *super ll. Ethicorum,* 1489 in f. et Pelbartum, de quo infra loquemur p. 1002.

479. Pauciores theologos scholasticos, quorum labores ipsis supervixerint, protulit ordo *s. Dominici.* Potiores sunt:

---

[1]) Cf. Morgott KL. XI², 1227; Sbaralea p. 609.

Paulus Barbus[1]), alias Soncinas a patria Soncino in Gallia cisalpina vulgo cognominatus. Vix adolescens factus ordinem ingressus est praedicatorum, ubi studio semper intentus et virtuti praeclarissimo fulsit ingenio, facili dicendi gratia scribendique puritate. Philosophiam atque theologiam pluribus in conventibus docuit multaque scripsit, ex quibus haud pauca perierunt († 4. Aug. 1494). Prodierunt *Epitoma qq.* in 4 ll. sententiarum a principe thomistarum Jo. Capreolo (cf. p. 805) disputatarum, Papiae 1522 in 8; Lugduni 1528; 1580; Salmanticae 1580 in 4; *Quaestiones* super divina sapientia Aristotelis, Lugduni 1579; Venetiis 1502; 1526; 1576; inf.; Moguntiae 1580, Papiae 1521-22 cum additamentis Isidori de Isolanis; *quaestiones acutissimae metaphysicales,* Lugduni 1579 in f., opus rarum. — Benedictus Soncinas Cremonensis collegit *propositiones* ex omnibus Aristotelis operibus, Venetiis 1493 in 4. — Dominicus de Flandria philosophus et theologus magni nominis († c. 1500). Ferunt eum cum Argyropulo celebri Graeco literarium inisse certamen centumque ejus argumenta sibi objecta ita solvisse, ut auditorum judicio palmam reportarit[2]). Elaboravit in 12 ll. metaphysicae Aristotelis secundum expositionem angelici doctoris *lucidissimas atque utilissimas quaestiones,* Venetiis 1496; 1499; 1637 in f.; Coloniae 1621; qq. 49 in *l. 1. posteriorum;* 20 *in 2;* 23 *in elenchos* sive in opusculum s. Thomae de fallaciis, Venetiis 1496; 1565; qq. et annotationes in 3 ll. *de anima,* prodierunt cum commentariis s. Thomae in eosdem, Venetiis 1503; 1518; *qq. quodlibetales,* Venetiis 1500; commentaria *in ll. physicorum* Aristotelis de generatione et corruptione et in parva naturalia, Venetiis 1502. — Inedita manserunt commentaria in 4 ll. sententiarum Bartholomaei Comazzii Bononiensis, magistri theologiae et vicarii generalis congregationis lombardicae, dein praepositi generalis ordinis († a. Aug. 1484) — Richardi de Rivo Brabanti, doctoris et professoris coloniensis (fl. 1486) etc. — Inter tantam sententiariorum turbam demum aliquando[1]) nonnulli comparent sodales solliciti de s. Thoma. Laurentii Gervasii (Gervais) Lexoviensis, magistri parisiensis, in doctrina s. Thomae ita versati, ut ejus emporium vulgo appellaretur, commentaria sub nomine copulata memorantur super totam Summam theologiae s. Thomae, sed inedita. Missus fuerat ad coloniense studium reformandum. — Petrus Almaduranus Bergomensis, theologiae magister, qui decessit in fama sanctitatis 15. Oct. 1482, confecit *indicem* universalem in omnia opera d. Thomae, cui subjectae sunt *concordantiae* locorum doctoris angelici, quae sibi invicem adversari videntur, Bononiae 1475; Basileae 1478; Venetiis 1497; prodiit retractatus hac inscriptione: *Index at-*

[1]) Alius ab eo est Marcus Barbus patricius venetus, Pauli II. patruelis, qui eum ex episcopo vicetino cardinalem creavit et patriarcham aquilejensem constituit, atque in pluribus adhibuit legationibus. Vir erat pius, prudens, integer et doctus († 11. Mart. 1490). Aliquot veterum opuscula ex graeco latine vertit, ejusque epistolis usum se esse gloriatur On. Panvinius in scribenda sua historia ecclesiastica. Cf. Eggs l. III n. 35.

[2]) Cf. Quetif I, 894. Otto Schmid KL. III, 1495.

[1]) Dicimus ‚demum aliquando" quo non negamus magni factum fuisse jam antea doctorem angelicum in ordine Praedicatorum: exstant enim decreta capitulorum generalium, quae ejus doctrinam tuentur, laudant, inculcant: sed mirum revera est phaenomenon, a bibliographis etiam ordinis scrupulose referri qui sententias exposuerint: commentariorum vel saltem manuscriptorum in s. Thomam ad haec usque tempora vix reperiri vestigium: signum manifestum senescentis theologiae scholasticae, quae demum refloruit sec. XVI.

que compendium et epilogus omnium sententiarum d. Th. A. per conclusiones resolutas, quae in omnibus ll. et commentariis ejusdem diffusius continentur atque tractantur, Romae 1535; vel etiam sub titulo *Tabulae aureae*, ib. 1570 etc.

480. Ex *Carmelitarum* familia hac aetate minus feraci theologorum celebrium nominari saltem possunt: Andreas Ketwig de Confluentia, doctor coloniensis, professor et decanus († 26. Aug. 1476) — Henricus de Monte Thabor, vulgo Montabour, Coloniae lector et regens (vixit ad a. 1480) — Gualterus Hunte seu Venantius, qui interfuit concilio florentino regni Angliae nomine strenueque concertavit cum Graecis et Armenis, multaque (28) prorsus opera reliquit († 28. Nov. 1478), inter quae enarrationes quatuor Evangeliorum, commentaria in 4 ll. sententiarum; actorum in synodo ferrariensi et florentino ll. 6; de jurisdictione et universali pontificum dominio ll. 3 etc. — Joannes Campenius, qui juxta Hartzheim[1]) floruit c. a. 1494 — Franciscus de Medicis Brixinensis edidit Joannis de Bacone commentaria in 4 ll. sententiarum, Parisiis 1486 — Joannes Bentzenreuter Culmensis († 1499) — Joannes de Deo Majoricensis, archiepiscopus tarsensis (in Cilicia 1474) et auxiliaris majoricensis († 15. Maj. 1496) — Joannes de Manusio Germanus (fl. c. 1490) — Petrus Nicolai Nannetensis (fl. c. 1498) etc. De his omnibus consulendus est Cosmas a s. Steph. Villiers in egregia sua Bibliotheca carmel.

481. Ordinis *eremitarum s. Augustini* fuit sententiarius praeter Jo. de Dorsten († 1481; cf. supra p. 991), Henricus de Bury (Bedericus, Budericus) Anglus, theologiae doctor sorbonicus, provinciae Angliae praepositus (1460—70), a Paulo II. creatus episcopus fesulanus († 1480; secundum alios 1491). — Quibus addantur Augustinus de Mescheatis Pedemontanus de Bugella (Biella), lector s. theologiae in studio patavino, qui publicae luci donavit librum *elenchorum* Aegidii Columnii, cui adjunxit quaestionem *de medio demonstrationis* defensivam opinionis Aegidii de hoc argumento, quam excerpsit ex doctoribus sodalibus, ubicunque de hac materia dixerunt et in ordinem redegit, Venetiis 1496 in f. — Thomas Pencket Anglus, insignis theologiae doctor, suae provinciae praepositus, qui a. 1473 Oxonium ad cathedram theologicam regendam, et a. 1474 ad patavinam academiam vocatus fuit. In patriam postea reversus primam cathedram a. 1477 reassumpsit († 20. Maj. 1487). Scoti doctrinae adeo fuit addictus, ut hujus opera, si casu periissent, ex memoria revocare potuisset. Famam illustrem, qua splendebat, et ordinem aliquantum obtenebravit, nam secularibus rebus se nimis immiscens, Richardo III. regni usurpatori consiliis et concionibus plus aequo favit. Primus fuit qui Joannis Scoti opera *in 4 ll. sententiarum* elucidata et emendata in lucem publicam dederit Venetiis 1474; 1481; Norimbergae 1481: *super Metaphysicam* qq. Ant. Andreae O. Min., Vicetiae 1477. Alia ejusdem scripta manserunt inedita. — In interpretandis Aristotelis operibus versatus est Jacobus Alovisianus vel de Alovixiis theologiae magister, cujus sunt commentaria *in 8 ll. physicorum*, Venetiis 1499 in f.; qq. *super 8 ll. physicorum*, Patavii 1493 in f.; Venetiis 1504, nisi hoc opus idem sit cum praecedenti. Edidit quoque et correxit opera quaedam Alberti de Saxonia et Pauli Veneti, Venetiis 1497 in f. etc.

[1]) Bibl. colon. pag. 166. Forte non est alius ac Jo. Campensis (de Campen), qui tamen juxta Villiers in sua bibl. carmel. floruit c. 1404.

482. Praeter plures, quos jam laudavimus, nonnulli de argumentis singularibus disputarunt. Haud pauci scripserunt *de b. Maria V.*[1]) Bernardinus de Bustis (non ab oppido patrio, sed a familia patritia et vetusta ita appellatus) Mediolanensis[2]) O. Min. concionator insignis († c. 1500) composuit *Mariale* sive sermones (63) de bb. V. Maria ac de ejus excellentiis non modo per singulas ejus festivitates, sed et per omnia anni sabbata ad concionandum accommodatum, Mediolani 1494 in 4; Argentinae 1496; 1498; Lugduni 1502; 1515; Brixiae 1588 t. 3 in 4; Coloniae 1607 etc., qui sermones pleni pietatis et bonarum rerum integram atque copiosam constituunt Mariologiam, quae concionatoribus multum usui fuit. Seorsum inde prodiit opusculum *de immaculata conceptione*, Mediolani 1482; 1494; Norimbergae 1494, quam novem sermonibus tuetur, quos inscripsit *Perpetuum silentium. Rosarium sermonum* per quadragesimam Argentinae 1496; 1518; Lugduni 1498; 1502; 1513; 1525; Coloniae 1607 etc.; Ipse erat cum sodali b. Bernardino de Feltria promotor et fautor Montium quos dicunt pietatis. Hos nonnulli theologi impugnarunt ut illicitos: hinc enata controversia literaria[1]). Prodiit collectio ejusmodi opusculorum Cremonae 1496, inter quae et scriptum Nicolai Bariani O. S. Aug. (de quo infra loquemur), qui eos vocavit montes impietatis: quare Bernardinus opposuit: *Defensorium Montis pietatis* contra figmenta omnia aemulae falsitatis, Mediolani 1497; Lugduni 1518 in 4 etc. Ipse auctor fuit officii de immaculata conceptione versibus leoninis, quod approbavit Sixtus IV., necnon officii dulcissimi nominis Jesu, quod paucis mutatis approbavit Innocentius VIII. et modo recitatur in universa Ecclesia illo festo. — Pelbartus Temesvariensis O. Min. reg. observantiae pariter insignis concionator (fl. 1490) compilavit ex doctrina doctoris subtilis, d. Bonaventurae atque aliorum sacrorum doctorum *aureum s. theologiae rosarium* juxta 4 ll. sententiarum quadripartitum, quorum tamen ultimum l. supplevit Oswaldus Lasco Pelbarti alumnus. Prodiit Hagenoae 1504; 1508 t. 2 in f.; Venetiis 1586. 1589 t. 4; Brixiae 1594; *Stellarium coronae benedictae Mariae V.* in laudem ejus pro singulis praedicationibus elegantissime coaptatum in ll. 12 distributum, in quo singula vitae b. Virginis mysteria evolvit et illustrat, Hagenoae 1515; Venetiis 1586: *Po-*

[1]) Praetermittimus Michaelem Perez Valentinum, cujus *Viridarium Mariae V.* prodiit Hispali 1495; et hujus castellana versio ib. 1531 in f.; Alphonsum de Fuente bueña (Fontadeva) O. Min. reg. obs., cujus *Titulo virginal* de nuestra Señora prodiit Pampelonae 1499.

[2]) Confundi hic non debet cum suo aequali et sodali b. Bernardino de Feltria qui Tomitanus dictus et a statura Parvus cognominatus, vicarius generalis ultramontanus, apostolicus concionator, Sixto IV. et Innocentio VIII. carissimus fuit, ss. eucharistiae, dulcissimi nominis Jesu, immaculatae V. conceptionis ac s. Joseph cultum promovit, montes pietatis fundavit et promovit. Hebraeorum flagellum factus est et astrologos est insectatus. Quievit a laboribus vitae mortalis 28. Sept. 1494. „At fallor, legimus in ejus epitaphio, non quievit qui quotidie fidelium precibus motus Deum movet". Ejus festum celebratur in tota religione seraphica 28. Sept. ex decreto Benedicti XIII. Reliquit tr. *de modo confitendi*, Brixiae 1542 in 12; concionem *de perfectione christiana*. Venetiis 1532 in 8; 1557 italice *de expugnatione paradisi*, Venetiis 1554 in 8. Cf. Act. SS. 28. Sept. VII, 874—963; E. Floruoy Le bienheureuse B. de Feltre, Paris 1898; Lud. de Besse O. Cap. Le B. Bern. de F. et son oeuvre ib. 1902. Moiraghi Vita del b. Bern. da F. propagatore dei monti di pietà, Pavia 1894. A Vecellio Lettere (136) di uomini celebri al b. Bern. Tomitano da F. publicate nel 4. centenario dalla morte di lui, Feltre 1894; de utroque Jeiler KL. II, 438 s.

[1]) Cf. de hac controversia Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 1. n. 24.

merium de tempore et de sanctis Lugduni 1513. 1514 in 4; *Quadragesimale triplex*, de poenitentia scil., de vitiis, de decalogi praeceptis, Lugduni 1509; omnes *conciones* simul, Lugduni 1520. 1521 in f., in quibus tamen nimis indulget divisionibus et distinctionibus; *Commentaria in Psalmos*, Hagenoae 1504. Angelus Elli ejusdem instituti († 1617) indices quatuor copiosissimos super quatuor Pelbarti volumina collegit. Hujus quoque est *Speculum spirituale* vitae humanae Romae 1625. — Michael de Hungaria O. Min. Conv. theologiae confecit *indicem concionatorium* pro conceptione immaculata b. Mariae V., Argentinae 1508. Ejus *sermones* XIII universales prodierunt Daventriae 1491 in 8; Parisiis 1515. 1516 castigati a Jacobo gandensi O. Pr., qui etiam reperiuntur in op. inscripto *Evagatorium*, in quo praeterea continentur *Optimus modus praedicandi*, sermones electi *de Rosario; Passio D. N. J. Christi* cum sermone ejusdem post coenam habito, Parisiis s. a. (c. 1505); Hagenau 1498.

483. Praeter Bernardinum de Bustis, Pelbartum etc. pro immaculata Matris Dei conceptione steterunt Joannes de Meppis O. S. Aug. Monasteriensis, laricensis ecclesiae episcopus et auxiliaris archiepiscopi bremensis et episcopi monasteriensis Henrici de Schwarzborg († 1496), si ejus est tr. de hoc argumento, quem edidit Petrus de Alva, qui tamen forte est sodalis cognominis, de quo infra loquemur. — Carolus Fernandus Belga, humanista celeber, ex doctore parisiensi a. 1486 monachus apud cenomanenses benedictinus († 1496), qui scripsit prosa et versu adversus Vincentium Bandellum O. Praed. pro immaculata conceptione b. V. ll. 2, Parisiis 1512; *de animi tranquillitate*, ib. 1512, *ll. 4 collationum* sive confabulationum monasticarum, ib. 1516; *Ep. paraenetica* ad Sagienses monachos, Parisiis 1512; *speculum disciplinae monasticae*, ib. 1515 in 4. etc. Etsi a puero oculis captus literas humaniores in parisiensi academia publice est professus[1]), perpetuo a rege stipendio donatus. — Dominicus Bolanus Venetus, artium magister et philosophiae doctor († 1496), disputavit *de conceptione b. Mariae* V. s. l. et a.; Argentinae 1504 in 4., liber rarus, in quo expensis adversariorum rationibus doctrinam catholicam pro viribus tuetur[2]). — Franciscus Sampson O. Min. Italus, theologiae magister, minister terrae sanctae, et in supremum ordinem generalem a. 1475 electus, qui a. 1477 coram Sixto IV. in gravissima doctorum virorum disputatione adeo solide adversariorum nodos et objectiones solvit, ut eum pontifex doctissimum appellaverit. Annis 25 ordini seraphico praefuit decessitque 17. Oct. 1491 a. aetatis 85. Reliquit tantum editas qq. supra octo ll. Physicorum sub inscriptione *Recollectae* juxta Ruth 3, 2, Venetiis 1496 in f. — Ferdinandus Diez Valentinus opere patria lingua edito Valentiae 1486 in 8. pariter stetit pro immaculata Virginis conceptione. — Item et Joannes Roiz de Corella valentinus eques et magister theologiae Tr. *de la Concepciò de la SS. V. Maria*, s. l. et a. Vertit quoque *vitam Christi* Ludolphi O. Carth., quae prodiit Valentiae 1495. 1496 4 v. in f. — Contra hanc Virginis praerogativam scripsit ex ordine Praed. Georgius Orter Frickenhausensis († 1497), cujus exstat *repetitio disputationis* de immaculata conceptione gloriosae V. in florentissimo studio lipsiensi cum responsionibus et replicis, in qua fundatis juribus et theologicis rationibus evidentissime ostenditur, quid dicta disputatio veritatis in se contineat cum bulla apostolica, Lipsiae 1489 in 4. Inscribi-

[1]) Cf. Berlière Revue Bénéd. XVII (1900), 262 ss. Trithemius de SE. c. 935 eum plurimum laudat.

[2]) Cf. Eb. Braun O. F. Min. in Pastor bonus XVII (1904), 14—19.

tur etiam *in conceptionem Deiparae V. ll. 3.* Occasio hujus disputationis primae et reliquarum fuit bulla Sixti IV. silentium indicens de materia conceptionis. Pro hujus bullae declaratione habuit Sebastianus Brant († 1521) in studio lipsiensi brevissimam disputationem de immaculata conceptione: contra quam insurrexit Georgius sua repetitione, in qua tuetur, ‚dicere V. esse conceptam sine peccato originali, esse haeresim formaliter et intrinsece.' Aliud opusculum contra eundem Brant scripsit. Prodiit interim[1]), auctore forte Brant vel aliquo fratre minore, *Clypeus contra jacula* adversus sacram et immaculatam V. Mariae conceptionem volitantia per modum trium sermonum cum quadam quaestione theologica ac disputatione juridica in scholis juristarum almae universitatis lipsiensis facta sub a. 1489. Huic occurrit Orter opusculo tertio: *Repetitio fabulosae narrationis*[2]) etc. — Petrus de Vincentia[3]) compilavit *de b. Virginis conceptione* 216 s. matris Ecclesiae doctorum vera, tuta et *tenenda sententia,* Venetiis 1494; Tolosae s. l. et a. etc.: compilatio non magni momenti, cum sine ulla crisi auctores citentur[4]). Ceterum non nisi Vinc. Bandellum, de quo infra, descripsit. Edidit quoque doctoris angelici *catenam auream* super omnia evangelia dominicalia et ferialia, necnon et quaedam de sanctis, Venetiis 1494 in 4. — Mefreth presbyter misnensis ecclesiae in suo amplo *Hortulo Reginae* (i. e. Ecclesiae), quo continentur sermones de sanctis et dominicales, etiam negat b. Virginem immunem fuisse a peccato originali, hinc a Joanne a Lapide O. Carth. (de quo infra) in praemonitione editioni basileensi praemissa reprehenditur. Saepissime prodiit opus alioquin grande, saltem decies jam sec. XV., ut Norimbergae 1487; Basileae 1488; adhuc Monachii 1615.

484. De celebri controversia illius temporis *de sanguine Christi* praeter Dominicum de Dominicis Venetum, episcopum torcellanum, deinde brixiensem, aliquamdiu etiam Pauli II. et Sixti IV. vicarium Romae et legatum pontificium († 17. Febr. 1478), qui occasione concilii basileensis disputavit de potestate papae, conc., cardinalium[1]) etc. (tr. ineditus), tr. scripsit *de sanguine Christi*[2]) et de filiatione Joannis evangelistae ad b. Virginem, Venetiis 1557; 1568; *de dignitate episcopi,* Romae 1757; *de cardinalium electione* et legitima creatione, qui prodiit post opus M. A. de Dominis de eccl. republ. t. 1., Londini 1617; Heidelbergae 1618. — Franciscus de Ruvere O. Min. illustri stirpe Cellae prope Savonam 1414 prognatus primum quidem verbo in celebri disputatione habita coram Pio II. a. 1464 (cf. supra p. 886), dein et scripto Minorum propugnavit opinionem in Tr. scil. *de sanguine Christi,* Romae 1471. Patavii philosophiam, deinde et theologiam necnon et in aliis academiis magno discipulorum concursu professus est. Eum celeber card. Bessarion frequenter audivit eoque familiariter usus est; imo ipsius censurae subjecit sua opera. Erat quoque

---

[1]) Prodiit etiam Joannis de Breitenbach *Triplicatio* contra quandam cavillosam ac inutilem scripturam Ge. de Frickenhausen, in qua solutiones per eum datae ad rationes pro pia et devota opinione s. et immaculatae conceptionis V. supra adductas debiles ad oculos ostenduntur, s. l. et a. (Lipsiae c. 1490) in 4. Cf. de eo plura infra.

[2]) Cf. Quetif I, 883; Alva et Astorga Radii solis veritatis etc. p. 263 col. 1671.

[3]) Dubitat non nemo, num nomen sit ementitum. Cf. Quetif I, 880.

[4]) Cf. Compendii theol. dogm. nostri t. II. n. 599 ss.

[1]) Cf. Fabricius I, 467; Oudin III, 2569; degli Agostini Scritt. ven. I, 386 ss.: Cornaro Eccl. torcell. I, 38; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 1. n. 22.

[2]) Olim auctor noster theologis O. Min. adstipulabatur et summo conatu sententiam impugnabat Praedicantium; mutato tamen proposito hanc est amplexus.

insignis concionator. Electus est minister provinciae Liguriae, deinde procurator ordinis in curia romana. Hunc cum Paulus II. semel disputantem audisset, ita admiratus est, ut eum cardinalatus honore dignum censeret. Cardinalis (1467) creatus, electus est 9. Aug. 1471 post conclave trium dierum in pontificem sub nomine Sixti IV. Omissis ejus in pontificatu[1]) gestis († 12. Aug. 1484) ex ejus operibus mentione adhuc digna sunt Tr. *de potentia Dei,* Romae 1473 (cum praecedenti), qui est contra quendam Bononiensem erronee asserentem, Deum sua omnipotentia damnatum hominem non posse salvare; cum his prodiit et tr. *de futuris contingentibus* contra quosdam asserentes (Petrum de Rivo) in illis nullam propositionem fore veram; *explicatio* in Nic. Richardi tr. super declaratione indulgentiarum pro animabus purgatorii concessarum prodiisse dicitur[2]) cum hoc tractatu 1482. Aggressus est etiam aliud opus, in quo validis rationibus ostendere nititur s. Thomam Aq. et doctorem subtilem in sententiis convenire, quamvis verbis differant, quod tamen non prodiit. Opera ejus prodierunt Romae 1740. Quantum potuit nisus est promovere bellum adversus Turcas, verum ob desidiam et altercandi pruritum principum christianorum inter se, ejus conatus fructu caruere.

[1]) Haec luculenter enarrat Pastor Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des MA. 2^3, 451—710. Cf. et v. Funk KL. XI, 377—381; Hefele-Hergenroether Conciliengesch. VIII § 851.

[2]) De eodem hoc argumento scripsit Joannes de Fabrica O. Min. († 1487) cujus tr. prodiit una cum tr. Nicolai Richardi s. l. a. et typogr.; 1487 s. l. impressionis. — Secundum Fabricium III, 304 etiam Jacobus de Marchepallu O. Min. scripsit de colentibus purgatorium, animas, quas expiat ignis, ss. pontificem solvere posse docens (Genevae 1490), ex quo Hottinger in hist. eccl. helv. IV. 116 app. excerpta quaedam exhibet. In Nomenclatoribus tamen fransciscanis auctor hic non reperitur.

485. De *anima* ejusque dotibus vel fatis disseruerunt Bartholomaeus Sibylla O. Praed. Apulus in *speculo peregrinarum quaestionum* scil. de animabus rationalibus in conjuncto et separatis, deque angelis bonis et malis multisque aliis scitu dignissimis ex vastis et vivacissimis theologorum, juris pontificum, philosophorum ac astrologorum campis et floribus decades tres collectae et exornatae, Romae 1493; Parisiis 1497; Argentinae 1499; Venetiis 1509; 1571; 1575 emendatae et variis additionibus Raph. Maffei O. Serv. b. M. V. illustratae; 1582; 1587; Lugduni 1516; 1521; 1534, etiam in *Otio theologico tripartito* accurante et collectore Leandro de s. Martino OSB., Duaci 1621 in 8. — Ejus sodalis Jacobus Campharo (Campora) Genuensis, doctor oxoniensis (fl. 1478) disputavit *de immortalitate animae* in modum dialogi vulgariter, Cusantiae 1478 in 4. — Pariter *de immortalitate animae et statu post mortem* l. pluribus antiquorum patrum, philosophorum, poëtarum et catholicorum doctorum sententiis refertum composuit Guilelmus Houpelandus theologus et rector universitatis parisiensis († 1492), Parisiis 1491; 1493; 1499; 1501 etc. in 8. — Ludovicus de Hilsberg Pruthenus seu de Prussia, O. Min., antea Joannes Wohlgemuth dictus, vir pius ac doctus, magister theologiae coloniensis et lector in variis locis Germaniae, magister novitiorum, scripsit *Trilogium animae,* opus scil. tripartitum de animae potentiis, passionibus et habitibus, quod obtulit comitiis ordinis generalibus Brunae 1493 habitis, Norimbergae 1498 in 4; de immaculata conceptione reginae angelorum et de usu liberi arbitrii ejusdem bb. Virginis in utero matris (ineditum). ut refert Maracci p. 2 suae bibliothecae marianae. Obiit in fama sanctitatis a. 1496. — Jacobus Brutus lector religiosorum ord. ss. Salvatoris in *Aurea corona* pretiosissimis conferta la-

pillis disserit non solum de animae immortalitate, sed et de ejus dotibus, facultatibus et spirituali natura, Venetiis 1496. — Constantinus Applanus Mediolanensis Can. reg. Lat., a Sixto IV., cui erat gratus, primus omnium s. Mariae de Pace in Urbe praepositus est constitutus, bis etiam abbas rexit monasterium s. Petri de Pado Cremonae. Composuit *Soliloquia virorum,* quo in op. dialogi forma disserit de humani arbitrii libertate et potestate, Cremonae 1496. — Leonardus de Nogarola (Nogarolis) Vicentinus, protonotarius apostolicus et insignis theologus, disputavit *de beatitudine,* quo in l. respondet quaestioni cardinalis Ausia, »anne intellectu beati efficiantur homines, an ipsa voluntate?« Vicentiae 1485. ed. forte unica et rarissima; *de mundi aeternitate,* Venetiis 1486; »illustrandae veritatis causa ss. patrum scriptis et rationibus quam pluribus b. Virginis conceptionem adeo illustravit, ut in posterum ab aliquo impugnatum iri videam minime . . . ob quam rem celeberrimum, ut ita dixerim, officium a Sixto IV. P. M. perlectum fuit summopere approbatum[1]).« — Petro Reginaldo O. Conv. Gallo, s. theologiae magistro debemus *Speculum finalis retributionis,* quod cura Guil. Totani O. Pr. ob suam utilitatem saepius prodiit, Lugduni 1494; 1528; Venetiis 1498 etc., a quo forte non differt l. ita inscriptus: *de gaudiis piorum et poenis malorum,* Basileae 1499; Parisiis 1509. Ejus commentaria in l. et 2. l. Sententiarum manserunt inedita. — Felicianus O. Praed., cujus patria ignoratur, disputavit *de divina praedestinatione,* 1495 in 4. s. l.; ejus quoque videtur esse *defensio providentiae divinae,* s. l. et a.; Memmingae 1486; Burdigalae 1657 in 4; *de retentione decimarum,* ubi agitur quomodo et si excusantur non dantes decimas; accedunt 25 privilegia clericorum, Memmingae (c. 1482) in 4; iterum ib. ut videtur a. 1485. — Philippus de Barberiis, etiam a Lignamine[1]) dictus, O. Praed. Siculus disseruit *de immortalitate animorum,* divina providentia, mundi gubernatione et praedestinatione atque reprobatione, cui adjungitur opusculum *de his, in quibus* Augustinus et Hieronymus *dissentire videntur* in divinis literis, s. a., l. et nomine typographi (ante a. 1500), quo l. praedestinationem ante praevisa merita tueri dicitur. Collectio opusculorum prodiit Romae 1481. *Sybillarum (12) vaticinia,* necnon varia Judaeorum et gentilium testimonia de Christo expendit Venetiis s. a. (c. 1505 et c. 1508); *s. Athanasii symbolum* exponit; hymnum *Te Deum* cum expositione per s. Thomam composita exhibet etc. necnon et *Donatum theologum,* quo theologicae qq. grammatica arte solvuntur etc.; Venetiis s. a. (c. a. 1520); *Virorum illustrium chronica,* 1475 s. l. et typographi nomine. — Quaestiones super ll. Aristotelis *de anima* Alphonsi O. S. Aug. hispani prodierunt Florentiae 1477. — Joannes Bapt. Signo (Signorius, Signorinus) O. S. Aug. disseruit *de reliquiis et veneratione sanctorum,* Cremonae 1600 in 4.

486. Jam ad eos accedamus, qui vel religionem christianam universim vel singularia dogmata adversus haereticos propugnarunt. Inter hos maxime innotuit non tam doctrinae soliditate quam praecocis ingenii singularitate, Joannes Picus ‚literarum princeps et phoenix ingeniorum seculi' salutatus. Natus est Jo. Picus comes de Mirandula

[1]) Ita Petrus de Brutis catarensis in Dalmatia episcopus († 1493) in ep. ad Oliverium arziganensem in additionibus Mansi ad Fabricium V, 134.

[1]) Hinc orta occasio, ut confunderetur a quibusdam cum suo affine Jo. Philippo a Lignamine, cujus supra p. 500 fecimus mentionem.

et Concordia 24. Febr. 1463 nactusque a natura praecellentes ingenii, corporis, characteris dotes, quibus omnium in se convertebat oculos. Puellus jam emicabat loquendi facundia, carmina pangendi arte, musica, memoria adeo tenaci, ut auditis pluribus versibus eos potuerit ordine retrogrado repetere. Annos natus 14 juri canonico se applicuit Bononiae, post biennium philosophiae et theologiae studio se impendit, Ferrariae primum, dein Patavii et Parisiis, linguas addidicit hebraicam, chaldaicam et arabicam. Ardore juvenili Judaei cujusdam astutia deceptus magno genuinae scientiae damno studio cabbalae se immersit, quod putaret se ejus ope mirum in modum tueri posse religionis christianae mysteria. Juvenis 24 a. theses nongentas ex omni disciplina, sed et de futilibus argumentis, publicae disputationi proposuit, quas in omnibus Europae academiis promulgare fecit, invitatis viris doctis ad certamen, quibus itineris expensas se soluturum spopondit. Quingentas earum statuit secundum proprias opiniones, octoginta octo sunt cabbalisticae, aliae paradoxae, sed palam professus est „nihil assertive vel probabiliter pono, nisi quatenus id vel verum vel probabile judicat ss. romana Ecclesia et caput ejus benemeritum summus pontifex Innocentius VIII., cujus judicio, qui mentis suae judicium non submittit, mentem non habet.“ Tantae disputationis strepitu exciti Ecclesiae pastores et ipse summus pontifex Innocentius VIII. theses examini subjecerunt, et cum pleraeque repertae fuerint „renovantes errores gentilium philosophorum, aliae perfidiam foventes, nonnullae haereticae aut haeresim sapientes“ disputatio ipsa fuit inhibita, theses vero in cumulo reprobatae. Cum Picus suam testaretur submissionem, famae ipsius habita est ratio. In Galliam profectus prolixam composuit adversus eos, qui aliquot ejus propositiones theologicas reprehenderent, apologiam, quae erat labor 20 noctium. Propterea vero videbatur egisse contra debitam erga auctoritatem ecclesiasticam submissionem suumque promissum, ideoque citatus est a summo pontifice ad reddendam rationem, permissus tamen subsistere Florentiae, et agente Laurentio de Medicis reconciliatus est sedi apostolicae sub Alexandro VI. et ad cautelam absolutus ab omnibus, si quas ob perjurium incurrisset, censuris (1493). Haec humiliatio salutarem operata est in ipso morum emendationem, nam exinde totum se dedit orationi et operibus effusissimae in pauperes misericordiae et poenitentiae missis vanitate et naeniis mundanis: hinc etiam aliquot ex operibus suis edidit sub alienis nominibus. Delectabatur prae primis studio s. Scripturae, cujus masculam mirabatur eloquentiam. Spretis honoribus ecclesiasticis literis totus vixit fidamque fovit amicitiam cum spectatissimis et doctissimis sui aevi viris, inter quos erat etiam Savonarola. Morbo letali affectus ab eo petiit accepitque vestem s. Dominici. Decessit 17. Nov. 1494 annos natus tantum 32, bonorum suorum herede instituta domo pauperum florentina. Haec potiora opera, quae elegantia, nitore et disserendi facilitate se commendant: *Conclusiones* supra memoratae, Romae 1486; Norimbergae 1539; Coloniae 1619. Ex his *conclusiones cabbalisticae 71* illustratae ab Archangelo de Burgo novo O. Min. prodierunt Basileae 1600 in 8., qui cabbalae et Pici defensionem suscepit contra Petrum Garziam magistrum parisiensem et episc. uxellensem (Ales in insula Sardinia, postea episcopum barcinonensem † 8. Febr. 1505), cujus *determinationes magistrales* stilo scholastico sed humili conscriptas[1]) ad ss.

[1]) Cf. potiores apud D'Argentré collect. judic. de novis error. I, 320 s.; Fleurii Hist. eccl. l. 116 § 68 s.; Ztschr. f. kath. Theol. VII (1883), 774.

[1]) Cf. N. Antonius l. 10 c. 14 n. 769 ss.

Patrem et D. Innocentium P. VIII. contra conclusiones apologales J. Pici Mirandulani Concordiae comitis Romae prodierunt 1489. Post suam conversionem scripsit Heptaplum i. e. *de Dei creatoris sex dierum opere* ll. 7 ad c. 1. Gen. de septiformi sex dierum ennarratione, Argentorati 1574; qui gallice a Nic. le Fevre Falesiano redditus est cum Georgii Veneti *harmonia mundi,* Parisiis 1579. Al. Lippomannus nullam ejus habuit in sua ad Genesim catenarationem, teste Sixto senensi, quoniam eos sequendos elegisset auctores, qui sibi visi fuissent Mosis verba et cogitationes expositionibus suis explicare. »Proinde, inquit[1]), cum animadvertissem Picum in hoc unum tantum incumbere, ut platonicas cogitationes vel suas potius phantasias verbis ac dictis mosaicis exprimeret, nihil me ejus opera indigere existimavi.« Eodem modo voluit exponere universam s. Scripturam vel saltem N. T., sed tantum superest expositio Ps. 15. Ingens meditabatur opus apologeticum adversus septem Ecclesiae hostes, atheos, ethnicos, Judaeos, Mohammedanos, haereticos, superstitiosos (astrologos etc.) et eos, qui nomine tenus sunt Christiani, sed fragmentum tantum illius superest. *De ente et uno,* opus, in quo plurimi loci in Moyse, Platone et Aristotele explicantur cum responsione ad objectiones Antonii Faventini; *de hominis dignitate; regulae XII.* sive praecepta ad christianae vitae institutionem et spiritualis pugnae arma XII et XII conditiones amantis, quibus adjutus homo possit vincere mundum et tentationes; *epistolarum aurearum et familiarium l. unus,* Jenae 1628, quae quam maxime stilo et dictionis idearumque nobilitate commendantur; *Vita R. P. F. H. Savonarolae,* Parisiis 1674; contra astrologos sive *in astrologiam divinatricem* disputationum ll. 12, in quibus accuratissime et concludentissime disserit, Bononiae 1495. Contra Picum pro Astrologia scripsit Lucius Bellantius Senensis ll. *de astrologica veritate*[1]), Florentiae 1498 in f.; Basileae 1554. Innumera ejusdem scripta manserunt inedita, fuit enim vir immensae eruditionis, sitis legendi et discendi insatiabilis, stupendae solertiae et sagacitatis, laboris infatigabilis. Ita perierunt l. de veritate translationis Hieronymi adversus Hebraeorum calumnias, defensio versionis, quam LXX interpretibus debemus, l. de vera temporum supputatione etc. Opera quaedam collecta prodieruut Venetiis 1498; Argentinae 1504; Basileae 1557; 1573; et 1601; quibus in posterioribus ed. addita sunt opera Joannis Franc. Pici ex ipsius fratre Galeotto filii († 1533), de quo infra, cum vita nostri Pici ab ipso conscripta[2]). Nostra aetate prodiit ejus in orationem dominicam *expositio,* quae jam prodierat ib. 1496 in 8.

487. Marsilius, alius a famoso Marsilio Patavino (cf. p. 529 a),

[1]) Apud Fabricium IV, 400. Cf. Pfülf KL. 8, 1552: Ist als Commentar unbrauchbar, als tiefsinnige Betrachtung aber eines großen Geistes nicht unwürdig.

[1]) Cf. de hoc auctore sicut de aliis qui astrologiam hoc aevo admodum florentem impugnabant vel tuebantur Tiraboschi l. c. l. 2. c. 2. n. 31 ss.

[2]) Cf. plura et literaturam de eo apud Pfülf l. c., qui de eo censet: Die kabbalistischen Verirrungen abgerechnet, dürfte man Pico bezeichnen als christlichen Mystiker, der an theologischer Schulung, an Gedankenfülle und Tiefe der Empfindung mit jedem andern sich messen kann. Bellarminus (de Script. eccl. ad a. 1490, Coloniae 1613, 428) meint, zu einer großartigen literarischen Bedeutung habe ihm nichts Anderes gefehlt als die Zeit der Reife. Oreglia G. Pico della M. e la Cabala, Mirandulae 1894; Car. Cesis F. Fiov. Pico della M. detto la Fenice degli ingegni, Cenni biografici con documenti e appendici, Mirandola 1897; Malvasi Gino Giov. P. della M. filosofo, credente, letterato ed artista, ib. 1897. Cf. etiam Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 2 n. 21 ss.; Willmann Geschichte des Ideal. III, 80.

Ficinus, Pici amicus, medici celebris filius natus est Florentiae 18. Oct. 1433. Medicinae prius operam dederat, ex consilio tamen Cosmi de Medicis, qui eum liberalissime juvit, literis humanioribus et praeprimis philosophiae platonicae animum applicuit, quam et publice Florentiae est professus factus a Cosmo praeses academiae platonicae[1]) a se institutae. Hinc a Trithemio de SE. c. 886 dicitur »platonicae theologiae unicum decus, ornamentum et corona.« Eodem duce impellente Platonis et neoplatonicorum Plotini, Jamblich et Procli opera latine vertit commentariisque illustravit. Totus studiis vixit, sed nimia admiratione et amore ferebatur in Platonem, hunc unum admirabatur, hunc sapiebat, hunc omnibus commendabat adeo, ut et amicos ejusdemque asseclas salutaret fratres in Platone. Savonarolae fervidis exhortationibus inductus est, ut etiam religiose viveret. Anno aetatis 42. ordinatus est sacerdos et a Laurentio de Medicis suo Maecenate donatus canonicatu in ecclesia cathedrali (1484). Animi erat pacati, indolis mansuetae, in omnibus auream praeferens mediocritatem. Decessit 1. Oct. 1499 publicisque urbis Florentiae impensis sepultus est. Ejus opera collecta prodierunt Venetiis 1516; Basileae 1561; 1576; Parisiis 1641 t. 2 in f., quorum potiora sunt: *De religione Christiana*[2]), s. l. et a. (Florentiae 1488); Bremae 1617 in 12. cura Ludovici Crocii cum annotationibus, ab auctore italice versum, Florentiae 1568 in 8., opus praeclarum, in quo sagaciter utitur argumentis internis. Reperiri censet haud pauca mysteriorum fidei christianae vestigia penes veteres philosophos, in primis apud Platonem divinum, ad quem plenius interpretandum neoplatonici feliciter usi sint divino christianorum lumine (c. 22). Theologiae platonicae *de immortalitate animae ll. 18,* Florentiae 1488; 1489; Parisiis 1559 in 8, quo in opere praeludit ontologismo, nam juxta ipsum in ipso Deo intuemur rerum ideas[1]). *De triplici vita ll. 3:* 1. de studiosorum sanitate tuenda; 2. de vita producenda; 3. de vita coelitus comparanda; in quo tamen astrologiae nimium tribuit, Venetiis 1498; *Apologia,* in qua de medicina, astrologia, vita mundi, item de magis, qui Christum statim natum salutaverunt, agit; *in ep. d. Pauli* commentarius et ascensus ad tertium coelum ad Paulum intelligendum, qui titulus plus promittit, quam l. continet, praebet enim tantum trium priorum cc. et ex parte quarti in ep. ad Romanos expositionem. *Epistolarum ll. XII.* Venetiis 1495; Norimbergae 1497, non magnae utilitatis, cum in iis astrologiae pro more multorum illius aevi nimium tribuat, et quaestiones philosophicas admodum obscure tractet. Mercurii Trismegisti Pimander *de potestate et sapientia,* Ficino interprete, et Asclepius *de voluntate Dei,* Lucio Apulejo interprete, cum commentariis Ficini etc. Hac operum collectione non continetur versio Platonis, quae prodiit admodum mendose Florentiae s. a. (ante 1490); Venetiis 1491; versio Plotini 1492; *Plotini opera* philosophica graece et latine cum M. Ficini interpretatione et commentatione, Basileae 1580 in 8.

[1]) Cf. hujus academiae socios, qui in admiratione Platonis fere deperibant, apud Tiraboschi VII, 1, 1. 1 c. 4 n. 9; Willmann op. cit. p. 74 ss.

[2]) Mentio etiam fieri potest Georgii Hermonymi sive Charilonymi Spartiatae monachi, qui post urbem CP. a Turcis expugnatam in Galliam se recepit et in academia parisiensi literas graecas docuit, quo magistro et Reuchlinus usus est. Fuit Sixto IV. familiaris, cui etiam in gravissimis negotiis inservivit. Ejus *demonstratio* graeco-latina, quod Christus est Dei Filius et Deus prodiit, cum aliis veterum opusculis, Augustae 1608. Vertit etiam quorundam graecorum opuscula.

[1]) Cf. Stöckl Geschichte der Philos. des MA. III, 151 ss.; KL. IV[3], 1479.

Huetius in l. de claris interpretibus Ficini versiones minus accuratas et fideles censet[1]).

488. Contra *Judaeos* plurimi pugnarunt viri haud incelebres. Praeter Jacobum Perez, de quo infra agemus, Petrus Nigri (Niger) seu Petrus Georgius Schwarz[2]) O. Pr., qui natus est in oppido Kaaden (Kadan) in Bohemia et juvenis 18 a. ingressus ordinem s. Dominici Eichstadii 1452. Egregio fructu studiis vacavit Lipsiae, in quibus ut excoleretur missus est Bononiam. Studiorum curriculo absoluto revocatus est Eichstadium, ut sodales doceret theologiam. Lectoris munere functus est et in aliis conventibus, donec 1469 vel 1470 electus est prior conventus et regens studii eichstadiani, quod ad magnum provexit florem. Interim Ingolstadii doctoratus lauream promeruit. Strenue incubuit in tuenda adversus Judaeorum errores religione christiana eorumque insudabat conversioni: nam in lingua et literatura judaica erat apprime versatus. Didicerat illam a rabbinis, cum ante suum in ordinem ingressum versaretur discendi causa in universitatibus montepesulana et salmanticensi. Publicis concionibus eos refutavit, ut ex. gr. Ratisbonae, ubi a. 1474 sub divo septem habuit conciones singulas trium horarum, quas publici juris fecit in tr. rarissimo et forte primo polemico (et in quo occurrunt literae hebraicae) contra perfidos Judaeos *de conditionibus veri Messiae* i. e. Christi vel uncti ex textibus hebraicis latinorum elementis utcunque figuratis confecto, Esslingae 1475, qui retractatus et dilatatus prodiit etiam germanice ib. 1477: *Der Stern Meschiah,* Das Buch welichs wird genennet Chochaf Hamschiah: utrique subjunxit rudimentum primum grammaticae hebraicae, quod et seorsim prodiit inscriptum Commentatio *de primis linguae hebraicae elementis,* cur. Schwarz prof. altdorfiensi, Altdorfii 1764. Utriusque operis fragmenta plures exhibuerunt, in primis Const. de Pawlikowski: hundert Bogen aus mehr als 500 alten und neuen Büchern *über die Juden neben den Christen,* Friburgi 1859. I, 614—645. Anno 1478 in academia Ingolstadiana interpretatus est quinque prophetas minores. Inde in Hungariam a Matthia Corvino rege liberalissimo literarum Maecenate invitatus praefuit universali gymnasio philosophiae, theologiae sanctaeque Scripturae ab eodem rege condito regens et magister. Ibi composuit suum *clypeum Thomistarum,* quo b. Thomae Aq. singularem incomparabilemque doctrinam adversus impugnantes quosque defendere nititur; nam illius coelicam, ut eam appellat, doctrinam complectendam ab omnibus esse censet. Expendit quaestiones fere philosophicas[1]) agitque contra Scotistas, nominalistas et sic dictos Albertistas. Prodiit opus Venetiis 1481; 1504. Decessisse videtur[2]) inter a. 1481—84.

489. Petrus de Brutis Venetus, episcopus crojensis, dein catharensis († 1493) scripsit l. *Victoriae adversus Judaeos,* Vicentiae 1489 in f. — Paulus Morosini pariter Venetus, vir magnis muneribus in republica functus et in gravissimis negotiis legationibusque

[1]) Cf. Niceron Mémoires pour servir à l'Histoire des hommes illustres dans la république des lettres 5, 214—225; Schelhorn Amoenit. lit. t. 1; Brucker hist. crit. phil. IV, 49; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 2. n. 119 ss.

[2]) Idem videtur ac Petrus Teuto, quem ab illo distinguit Quetif I, 855, et Petrus Eystettensis, quem citat Eckius. Reusch tamen in Allg. d. Biogr. 33, 247 distinguit ab eo Petrum Georgium Schwarz coaetaneum, pariter O. Pr. et priorem conventus eichstadiani, qui in quaestores indulgentiarum nimis avidos et sordidos invectus est.

[1]) Cf. Prantl Geschichte der Logik im Abendl. Leipzig 1870 p. 221 ss.

[2]) Cf. de eo Morgott KL. IX, 388—93, ubi literaturam uberem reperies.

adhibitus († 1482), disputavit *de aeterna temporalique Christi generatione* in judaicae perfidiae impugnationem christianaeque religionis gloriam divinis enunciationibus comprobata, Patavii 1473, opus a Bessarione aliisque viris eruditis collaudatum[1]) — Paulus Heredia cognominatus, ex judaismo ad religionem christianam conversus, composuit *de mysteriis fidei l.,* in quo ex arcanis Judaeorum rabbinicis et cabbalisticis multa scitu dignissima in latina castra velut auxiliares copias ad Judaeos errorum suorum convincendos transtulit, quem in Italia prodiisse affirmat Conr. Gesner; Neumiae (Nehumi, Nechania) filii Haccanae et Haccanae filii Neumiae epistolae duae *pro religione christiana* contra Judaeos ex hebraico conversae; ejusdem quaestio, *utrum intemerata V. Maria fuerit concepta in peccato originali,* s. l. a. et n. typographi (Romae c. 1480). — Praetermisso Alberto O. S. Aug. Patavino, qui ex Judaeo factus Christianus Novellus est dictus et tr. (ineditum) scripsit circa a. 1492 *de adventu Messiae,* specialem mentionem meret Alphonsus de Spina O. S. Franc. Hispanus, ex Judaeo Christianus factus, qui diu rexit Salmanticae Minorum academiam dictusque est episcopus thermopolitanus in Graecia. Auctor est operis inscripti *Fortalitium fidei* contra fidei christianae hostes saepius editi, sed tacito ipsius nomine, s. l. et a. (f. Argentorati 1464 vel 1467 m. 100); Norimbergae 1485; s. l. 1487; 1494; Lugduni 1511; 1525; 1529. cura Guil. Totani O. Praed. castigatum. Dividitur opus in 5 ll., quorum 1. agit de Christi divinitate; in 2. disputat contra haereticos, in 3. contra Judaeos; in 4. contra Mohammedanos; denique in 5. disserit de pugna adversus portas inferi, qua occasione disserit de daemonibus eorumque odio adversus homines, de potestate, qua in homines pollent et horum peccata, de potestatis imminutione ob victoriam Christi in cruce adversus eos relatam; de finali eorum conditione etc. Obiisse[1]) dicitur circa a. 1491. — Joannes Andreas ex Mohammedano Christianus (1487), dein et sacerdos factus, missus est a Ferdinando rege et Isabella, ut Mauros in regno granatensi ab ipsis nuper occupato doceret, eorumque multos ad Christum adduxit. Alcoranum ex arabico in linguam aragonicam cum glossis convertit et 7 ll. Zunae „ut munere concionandi infidelibus rectius defungi et auctoritate legis ipsorum eos refutare et confundere possem, quod sine hoc labore difficulter praestitissem.“ Deinde aliud opus est aggressus *confusionem sectae mahommedanae* inscriptum[2]), in quod intulit omnes fabulas, dolos, stultitias, foeditates, mendacia, contradictiones, impossibilitates Alcorani etc. lingua hispanica, quod prodiit Hispali 1537; italice 1540; gallice Parisiis 1574, latine 1595; Trajecti 1656 cum praefatione Gisberti Voëtii, qui libellum magni fecit omnibusque commendavit; germanice 1598 etc.

490. Contra *Graecos* schismaticos scripserunt Ludovicus Donatus patricius venetus et episcopus bergomensis (1465—84), cujus *opuscula* de processione Spiritus s., de purgatorio, de azymo et fermentato et de potestate romani pontificis, subjuncta disputatione contra Bohemos de eucharistia sub una specie a Zacharia Calliergo Romae edita fuere. Memorantur etiam commentaria (inedita) in 4 ll. sententiarum. — Joannes Argyropulus Turcarum

[1]) Cf. degli Agostini Scritt. ven. II, 179.

[1]) Cf. Nic. Antonius l. 10 c. 9 n. 481 ss.; Dupin XII, 100, qui de ejus opere censet illud sua inscriptione plus polliceri quam revera praestat, argumenta carere soliditate, responsa esse languida, neque satis esse accuratum, non tamen carere omni utilitate; Lefflad KL. IV, 1626—28.

[2]) Joseph a s. Michael Bibliogr. crit. I, 235 s.; Nic. Antonius l. X c. 14 n. 757 annot.

invasionem fugiens in Italiam se recepit. A Cosimo de Medici Florentiam vocatus (1456) nobiles docuit juvenes literas graecas et philosophiam summa omnium admiratione atque Aristotelem est interpretatus. Ob pestem in Etruria grassantem Romam transiit (1473) ibique Thucydidem exposuit, ubi Reuchlinius eum audiit († 1486). Vertit[1]) Aristotelis *ethicam* et *politicam* latine, Parisiis 1542 in f.; *Ethicam* commentariis illustravit, Florentiae 1487; libros omnes philosophiae naturalis Coloniae 1568 in f.; disseruit *de processione Spiritus s.* et decreto conc. florentini, graece et latine in Allatii Graecia orthod. I 400—418; Migne patrol. PP. gr. CLVIII, 991-1008 etc. — Georgius origine quidem Trapezuntinus, patria tamen Cretensis n. 1395 Venetias venit atque tum hic tum Vicentiae tum Romae literas graecas docuit, necnon philosophiam et eloquentiam[2]). Aliquamdiu gratia fruebatur Eugenii IV., Nicolai V., cui a secretis fuisse dicitur, et Pauli II., qui eum abbreviatoris munere donavit. Ingenio fuit acri, vivido, in alios iniquiore. Et praeter unum Aristotelem, quem ipse veluti numen venerabatur, ceteros omnes, sed Platonem praecipue acri ac maledico dilaceravit dente. Hinc multorum odia, et Bessarionis calamum in se concitavit. Praesidiis undique pro sua sustentatione ob suas simultates literarias interclusis misere vitam agere coactus est. In exacta senectute repuerascens et memoria deperdita, in urbe solus detrito in pallio pileatus et nodoso scipione jamjam ruituri corporis membra sustinens oberrabat († 1484 juxta alios 1486 a. natus fere 91). Scripsit utraque lingua partim de suo, partim ex una lingua in aliam convertens. Ita latine vertit s. Cyrilli thesaurum sive *de Trinitate ll. 14, homilias* Chrysostomi *in Matthaeum,* Gregorii nysseni l. *de vita Moysis,* Basilii M. *ll. 5 contra Eunomium,* Eusebii *de praeparatione evangelica ll. 14; historiam ss. Barlaam et Josaphat,* quae tamen versiones, praesertim horum duorum posteriorum operum, merito graviter carpuntur. Vertit etiam quaedam Aristotelis, Ptolomaei et Platonis opera. De suo scripsit *de octo partibus orationis* compendium, *rhetoricorum ll. 5,* qui laudantur ab eruditis; *cur astrologorum judicia plerumque falluntur* etc., collecta Coloniae 1544; *Comparationem Platonis et Aristotelis,* qua Aristotelem Platone, cui multa tribuit crimina, longo intervallo superiorem esse contendit, Venetiis 1523. Haec maxime pupugit Bessarionem, qui propterea contra eum scripsit *in calumniatorem Platonis ll. 4,* in quo op. primum sapientiam Platonis atque doctrinam, mox scriptorum ejus cum nostris similitudinem, tum probitatem morum vitamque ejus integerrimam exponit; et ut inscitiam hominis magis magisque propalaret, 5. l. addidit, in quo Trapezuntii in interpretatione ll. Platonis semel atque iterum ab eodem edita errores ac lapsus colligit, refutat et emendat, adeo ut plane ostendat, non potuisse eum de tali philosopho judicium ferre, quem minime intellexerit; et ut accuratior et absolutior tractatio haberi posset, disputationem suam *de natura et arte* multos ante annos scriptam in eundem Trapezuntium, cum ad utrumque philosophum quaestio illa pertineret, adjunxit[1]). Aliis omis-

[1]) Cf. Hergenroether KL. 1² 1274; Tiraboschi VI p. 1 l. 2 c. 2 n. 9 ss.; Fabricius Bibl. graecae X, 426 ss.

[2]) Cf. de ipso Querini diatrib. ad ep. Barbar. p. 76; Ap. Zeno diss. Voss. II. p. 1; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 2 n. 13 ss.

[1]) Cf. de hac controversia Tiraboschi l. c. n. 17. s. Theodorus Gaza, cujus nomen in hac controversia etiam occurrit, stabat quatuor scriptis pro Aristotele impugnabatque Platonis opiniones, sed modeste et pacate. Capta a Turcis Thessalonica ejus patria (1440) in Italiam confugit multumque contulit, ut studium et

sis theologica sunt: *de processione Spiritus s.* ad Joannem Cuboclesium (ed. Allatius in Graecia orthod. t. I); *de processione Spiritus s.* et de una, sancta, catholica Ecclesia; in expositionem illius textus Evangelii: *Sic eum volo manere* etc. (Jo. 21, 22), et quod s. Joannes Ev. nondum sit mortuus, quam opinionem refutavit Bessarion; *Martyrium b. Andreae de Chio,* qui CP. obiit a. 1465 (etiam in actis SS. 29. Maj. VII, 185-188); ep. ad Eugenium IV. *de unione ecclesiarum; ep. ad Joannem Palaeologum imp.,* ut in Italiam ad synodum proficiscatur, conc. basileense, cum ab auctoritate desciverit rom. pontificia, parvipendat, nec ad illud animum advertat, quae collecta habentur[2]) apud Migne 161, 769—908.

491. Magnis encomiis extollitur Paulus Zidek Rokycanae haeretici flagellum, in quo fides catholica triumphabat. Is enim quinquennio ad latus stetit Georgii regis haeretici nunquam fractus animo et diserte profitens (quod intrepide et feliciter praestitit) se paratum ad omnes haereticorum quaestiones et nodos dissolvendos et catholicae fidei auctoritatem tuendam. In suo l. Chronicorum *Compendium theologiae* recitat tanta proprietate, ut post s. Cyrilli libros slavice scriptos nullus de hoc argumento lingua patria tam genuine loquens inveniatur[1]) ac ipse (fl. 1480). — Geraldus (Gerardus) de Elten O. Praed. Coloniensis, s. theologiae magister pluribusque annis in academia coloniensi professor, a Sixto IV. inquisitor haereticae pravitatis per Germaniam institutus est. Praeter inedita aperuit Joannis de Wesalia[2]) concionatoris wormatiensis *paradoxa* per ipsum et Jac. Sprenger damnata 1479 Moguntiae; Coloniae 1535 in Gratii fascic. rerum expetendarum; Londini 1690. Porro hic Joannes Ruchrath (Richrath) patria Wesaliensis (Oberwesel), artium magister erat in academia erfordiensi, a. 1456 theologiae doctor et rector, magnaque erat ejus

---

cultus literarum graecarum in Italia promoveretur. Illas Ferrariae docuit. A Nicolao V. Romam vocatus est ad vertenda opera scriptorum graecorum in linguam latinam († 1478). Quaedam ejus scripta exhibet Migne PG. XIX, 1167—1218 CLXI, 971—1041. Contra eum scripsit etiam Michael Apostolios (n. c. 1422; †1479), magister et librarius in Cretae insula, de quo cf. Krumbacher p. 603 s. Cf. Funk KL. XI, 1514; Tiraboschi VI. p. 2 l. 3 c. c. 2 n. 14. Platonem vero extollebat et tuebatur praeter Bessarionem hujus magister Georgius Gemistus cognominatus Pletho, qui in concilio florentino ardenter propugnaverat Graecorum errores. Edidit graece tr., in quo agit de discrimine inter philosophiam aristotelicam et platonicam, ostenditque nullam iniri posse inter utramque, ut nonnulli putant, concordiam, qua occasione indigne Aristotelem ejusque sectatores insultat. Cf. supra p. 904 a.

[1]) Ibi reperies doctam notitiam Fabricii de Georgio ex bibl. gr. (ex Allatio de Georgiis) ed. Harless t. XII et Chr. Trid. Boerneri notitiam ex ejus op. de doctis hominibus graecis literarum graecorum in Italia restauratoribus p. 745—69. — Contra Graecos plura quoque (inedita) reliquit Franciscus dictus Praedicator O. Praed. in Oriente missionarius, de quibus plura refert Quetif I, 897.

[2]) Alius a Wessel Gansfortio (Goesefort, qui gratis Joannes solet appellari) Groeningae c. 1420 nato. Erat laicus, magister aliquamdiu Heidelbergae nominalismo addictus. Medicinam etiam est professus, quaestionibus tamen theologicis delectabatur. In suis scriptis a sana Ecclesiae doctrina satis aberrat: praepostere tamen reformationis praecursoribus accensetur. Ab horum erroribus plurimum distat: de defectione ab Ecclesia ne cogitavit quidem, et in pace Ecclesiae atque in consortio ultimis vitae annis degens virorum piorum decessit 4. Oct. 1489. Non obstantibus suis erroribus non videtur fuisse molestatus: opera tamen quondam in II. prohibitorum indicem fuere relata. Edita sunt a Cornelio Hoen (Honio) inscripta *Farrago rerum theologicarum,* Zwolle 1521; Wittembergae praefante Luthero 1522; *furrago uberrima* 1523; Groeningae 1614; *Aura purior* i. e. opera omnia Amstelodami 1617. N. Paulus Katholik 1900. I, 1 ss.; II, 138—154; 226—247; et KL. XII, 1339 ss.

auctoritas; inde Wormatiam transiit, ubi canonici et concionatoris munere fungebatur: sed doctrina non erat sana. Munere concionatoris privatus Moguntiam abiit factusque est ibi parochus. Hic a quodam sectario bohemico Nicolao nomine deceptus quaedam pro Bohemorum erroribus scripsit hisque scriptis provocavit inquisitionem. Diether de Isenburg archiepiscopus moguntinus judicium instituit (1479), quem in finem advocavit doctores heidelbergenses et colonienses. Errores agnovit atque retractavit: pro poenitentia inclusus fuit monasterio Augustinianorum Moguntiae, ubi post biennium decessit[1]) a. 1481. Cum ejus scripta igni fuerint tradita, eorum pauca supersunt. Inter quae ejus disp. *contra indulgentias* (in Walch Monumentis medii aevi, Goettingae 1757 I, 1, 111—156) occasione ut videtur jubilaei a. 1475 edita. — In Hispania minus bene audiit Petrus Martinez, ab urbe natali de Osma seu uxamensis dictus, qui fuit Salmantini gymnasii, cum nondum desiperet, in paucis honos et lumen, magister theologus renunciatus et sacri hujus studii primarius et antemeridianus professor. Hic in l. *de confessione* contendit, confessionem sacramentalem non a Christo institutam, sed sacramentum naturae esse, invectum aliquo universalis Ecclesiae statuto peccataque mortalia una cordis contritione, pravas cogitationes sola displicentia deleri. Nec absolvendos esse poenitentes nisi peracta prius poenitentia injuncta, nec papam alicui viro indulgere posse poenam purgatorii aut dispensare in statutis universalis Ecclesiae etc. Oppugnavit eum singulari volumine inscripto *Confutatorium errorum* contra claves Ecclesiae nuper editorum (Toleti 1486) Petrus Ximenes de Prexano (cf. supra p. 919 a.), et in synodo provinciae toletanae Compluti congregata salubriter admonitus iis renunciavit, dogmatibusque catholicis adhaerere se in posterum velle ex animi sententia protestatus est[1]). Praeter aliqua inedita prodierunt ejus commentaria super sex ll. Ethicorum Aristotelis, Salmanticae 1496 in f. — Contra Petrum oxumensem etiam Petrus Diaz de la Costana ss. literarum interpres, toletanae ecclesiae canonicus et decanus, inter judices inquisitionis cooptatus († 1488), scripsit tr. fructuosissimum atque religioni christianae admodum necessarium *super decalogo et septem peccatis mortalibus* cum articulis fidei et Ecclesiae sacramentis atque operibus misericordiae superque sacerdotali absolutione utraque excommunicatione ac suffragiis et indulgentiis Ecclesiae, Salmanticae 1500 in 4. — Joannis Hane Hamburgensis, professoris s. theologiae († 1492) exstat[2]) libellus rarissimus inscriptus: Collecta ex diversis pro auctoritate

[1]) Cf. Kerker KL. VI, 1786 ss.: D'Argentré I, 2, 291—298; Brecher allg. d. Biogr. 29, 439—44, qui eum fere martyribus pro erroribus protestantium accenset. Praecipuos ejusdem errores cf. in Fleurii hist. eccl. l. 95 § 4; in primis Clemen Über Leben und Schriften Joh. von Wesel (Deutsche Zeitschrift für Geschichtswissenschaft, Neue Folge II. Jahrg. 1879 p. 143—73); ubi habes articulos seu *Examinationem doctoris Wesaliae;* N. Paulus Katholik 1898. I, 44—58; et de ejus circa indulgentias doctrina Zeitschr. f. kath. Theol. XXIV (1900), 644—656; Janssen Gesch. des d. V. I, 745 ed. 18, qui specimina doctrinae ejus malesanae adducit. Num ipsius sit opusculum *de auctoritate, officio et potestate* pastorum ecclesiasticorum est dubium.

[1]) Cf. prop. 9 a Sixto IV. a. 1479 damnatae in Denzinger Euchiridion symb. et definitionum n. 610 ss.; Fabricius V, 271; Nic. Antonius in bibl. Hist. vet. t. II. l. X. c. 12 n. 687 ss.; KL. IX², 1933. De ejus erroribus disseruit N. Paulus Katholik 1898 II, 93; hujus tamen sententiam esse nonnihil emendandam censet Lehmkuhl, juxta quem (Pastor bonus XI, 1898, 8—14), Petrus speciatim indulgentias impugnavit pro defunctis.

[2]) Cf. Schroeder Lexikon der Hamburger Schriftsteller, Hamburg 1857 III, 86.

domini apostolici *super indulgentias, plenariae remissionis* pro animabus in purgatorio, s. l. et a. — De indulgentiis pariter disputavit (1479) Albertus de albo lapide (Weissenstein) O. Praed. theologiae professor, qui diu degit in conventu turicensi et aliquoties adhibitus fuit ad promulgandas indulgentias, in l. rarissimo inscripto Laus, commendatio et exhortatio de punctis et notabilibus *circa indulgentias, gratias et facultates* ecclesiis thuricensibus . . . a ss. D. Sixto papa moderno concessas, s. l. et a. Hujus doctrinam adversus Brieger N. Paulus egregie tuetur in Ztschr. f. k. Theol. XXIII (1899), 423—437.

492. Reperta arte typographica mirum esse non debet, si viri eruditi cogitaverint mox de edendis patrum operibus[1]) atque ita semina jecerint novae disciplinae theologicae i. e. patrologicae. Quosdam hic nominare licebit. Ita Masellus Venia O. S. Aug. edidit quaedam *opuscula* s. Ambrosii, Mediolani 1477. — Joannes Andreas Nic. Cusani contubernalis et ex bibliothecae vaticanae secretario episcopus aleriensis in Corsica insula (1468-93) primas editiones romanas bibliorum latinorum c. 1471 t. 2 in f., auctorum classicorum et scriptorum Lactantii, Augustini, Hieronymi egregie promovit, recensuit emendavitque cum Jo. Ant. Campano aliisque. — Joannes Heynlein a Lapide (von Stein, prope Pforzheim in ditione spirensi) Parisiis (1454) studiis operam dedit factus artium magister et baccalaureus theologiae (ante a. 1463). Vir erat magnae eruditionis, eloquentiae et insignis pietatis, qui salutarem exercuit influxum in juventutem studiosam: realistarum vero doctrinae erat addictus. Parisiis transiit Basileam (1464), ubi dominabatur via moderna nominalistarum: hinc non nisi aegre receptus fuit in artium facultatem: realismum tamen ibidem plantavit, roboravit et auxit. Post biennium iterum Parisios rediit, ubi lauream doctoralem adeptus est et cathedram in Sorbonna; a. 1469 electus est in rectorem. Multum meruit de literis: erat Basileae quasi centrum et focus mundi literarii: ipse accivit primos typographos e Germania Parisios scil. sic dictos fratres alamannicos, quos multum juvit in edendis patrum operibus. Anno 1478 vocatus fuit ad docendam theologiam Tubingam eodemque anno creatus est universitatis rector. Non diu tamen ibidem substitit forte ob aliorum theologorum oppositionem. Variis in locis concionatorem egit, demum mundi instabilitate et vanitate pertaesus in Carthusiam prope Basileam se recepit (1487; † 1496). Amicitiam fovit cum viris illius aevi claris, ut cum Guil. Textoris, Matthia de Gengenbach, Ulrico Surgant, Geiler de Kaisersberg, Sebastiano Brant etc. Juvit Joannem Amerbach in edendis operibus philosophorum veterum ethnicorum et patrum ut s. Ambrosii et s. Augustini (hujus epistolis). Opera vero edenda in lectorum commodum distinxit in capitula, quibus argumentum praemittit. Ejus *Resolutorium dubiorum* circa missarum celebrationem occurrentium ex ss. canonum probatorum doctorum sententiis diligenter collectum seu decisiones aureae casuum (166) circa missarum celebrationem saepe (saltem vicies) et variis in locis prodiit. Opera philosophica Basileae prodierunt cura Amerbaci ejus discipuli; theologica plura

[1]) De Georgio trapezuntino p. 1021 egimus. — Thomas Dorniberg Memmingensis, decretorum artiumque liberalium doctor et consulatus spirensis advocatus, interfuit inquisitioni in Joannem de Wesalia (p. 1025) et compilavit *aureolam* ex suavissimis salutiferisque floribus gloriosi confessoris b. Hieronymi, Romae 1472 in f. Composuit etiam indicem in ll. VII Compendii theologicae veritatis (cf. supra p. 383), quod cum illo prodiit s. l. 1473, unde nonnemo hoc Compendium ipsi tribuit.

manserunt inedita[1]). — Christophorus Persona (per errorem Porsena) Romanus O. S. Guil., prior s. Balbinae in monte Aventino, graece ac latine doctus, ab Innocentio VIII. a. 1484 bibliothecae vaticanae praefectus, sed jam 1486 peste correptus, *ll. 8 Origenis contra Celsum* latine vertit Romae 1481; Venetiis 1514 in f.; *Theophylacti commentaria* in ep. s. Pauli, sed sub nomine s. Athanasii, Romae 1477; 1497; Lugduni 1517; 1532; *homilias morales 25 s. Joannis Chrysostomi,* Coloniae 1529 aliaque plura forte adhuc inedita. Interpres tamen minus accuratus fuit[1]).

[1]) Cf. Stöckl KL. V², 2003; Prantl allg. d. Biogr. XII, 379; Bernoulli Realenc. VIII², 36 s.; Feret IV, 162—65. De eo ita Wimpheling de arte impressoria apud Janssen I, 134: Wie ein mutiger Glaubensritter stand er stets gerüstet im Streit und focht manchen harten Kampf aus, aber er war in seinem Herzen stets zum Frieden geneigt. Sein Wirken war von Segen begleitet. Nie nahm er ein Buch oder eine Feder zur Hand, ohne vorher im Gebete vor Gott sich gesammelt zu haben. Die h. Schrift hatte er so oft gelesen und betrachtet, daß er sie beinahe auswendig wußte. Sein Gemüth war rein wie das eines Kindes; mit Kindern zu spielen, war, wenn er sich nach langer Arbeit ermüdet fühlte, seine liebste Erholung.

[1]) Cf. Oudin III, 2675—78.

II. S. Scriptura.

493. Non obstante reperta typographia plerique labores circa s. Scripturam manserunt hoc aevo inediti. In plures simul s. Scripturae ll. commentaria vel saltem annotationes scripserunt Paulinus O. S. Aug. Mediolanensis, septies definitoris, sexies visitatoris, bis vicarii generalis munere functus, et post mortem (1481) passim ‚beatus' appellatus, et ejus sodalis Brandolinus Aurelius (Ossinger scribit Burelius, quod forte est error typographicus), cognomento Lippus, quia ferme caecus natus est. Ortus is est Florentiae e nobilissima familia. A Matthia Corvino rege vocatus in Hungariam Strigonii ac Budae per multos annos artem oratoriam publice professus est. Post mortem hujus sui gratiosissimi fautoris (1490) in patriam est reversus atque ordinem s. Augustini ingressus. Concionibus habendis se impendit, in quibus tamen profana eruditione adeo est usus, ut Matth. Bossus can. reg. later. in quadam sua ep. (75) testetur, Veronae auditoribus eruditis visum esse se Platonem, Aristotelem et Theophrastum audivisse. Prompta quoque fruebatur vena poëtica: ad quamlibet enim sibi propositam materiam ex tempore latinis versibus ad stuporem audientium respondebat, imo Plinii historiam naturalem ex improviso versibus exposuit († 1497). Reliquit sacram historiam (inéditam) ll. 21, quibus illustrat omnes ll. V. T. historicos a Genesi usque ad ll. Machabaeorum[1]). Typis prodierunt *Paradoxa christiana,* Basileae 1498; 1543 in 8; Romae 1531; Coloniae 1573; libri tres *de ratione scribendi,* in quibus rhetoricae praecepta a dicendi ratione ad rationem scribendi transferuntur, Basileae 1543; 1549; 1565; 1585; Romae 1735 etc.; dialogus *de humanae vitae conditione* et toleranda aegritudine ad Matthaeum

[1]) De opere Juliani Macho et Petri Farget O. S. Aug. in s. Scripturam cf. supra pag. 184 annot. Petrus Farget praeterea collegit *fasciculum temporum* seu breviarium temporum aut chronica brevia mirabilium operum Dei in V. T., Lugduni 1490. et aliqua opera ex latino gallice reddidit.

Corvinum, Basileae 1498; 1541; 1543 etc.; oratio *de virtutibus D. N. J. Christi* nobis in ejus passione ostensis Romae coram Alexandro VI. habita a. 1496, quae tantam invenit approbationem, ut iterum ac iterum auctor eam repetere cogeretur, Romae 1596; 1767. Hanc orationem Aldus Manutius junior reimprimere curavit et Angelo Rocca cum his verbis dicavit: »Ciceronem romanae eloquentiae parentem aequat, materia procul dubio superat.« — Petro de Rubeis (de Rossis, Russius) s. theologiae magistro († 1477) tribuuntur commentaria in s. Scripturam, in Augustini opus de civitate Dei, in magistrum sententiarum, in varia Aristotelis opera (omnia inedita). Insuper continuavit[1]) *historiam senensem* a Jo. Bandino de Bartholomaeis legum interprete ab a. 1402—1422 productam, cum Francisco Thomasio ejus pronepote ad a. 1468. Ea est stilo eleganti conscripta et reperitur apud Muratori inter SS. rer. it. XX, 5—54.

494. *Psalmos* illustrarunt Theodericus de Herxen prope Zwolle ord. fratrum clericorum in communi viventium rector, qui familiam sibi commissam egregie administravit. Floruisse dicitur a Trithemio a. 1476, sed ab aliis jam 1457 obiisse. Plura scripta ascetica reliquit: prodiit tantum *exercitium dominicae passionis*, 1492 in 8, sine mentione loci. — Henricus de Loe (Loen) Lovaniensis ex primis hujus urbis academiae discipulis O. Carth., aliquot conventuum prior et provinciae visitator (n. 1406; († 1481). — Thomas Schifaldus O. Pr., de quo infra. — Jacobus[2]) de Oppenheim OSB. († 1493). — Gabriel Brebbia Mediolanensis OSB. congr. s. Justinae, qui suis *commentariis* Mediolani 1477 praemisit ep. seu longam praefationem, ubi plura leguntur de variis illustribus et doctis viris mediolanensibus illius aevi. Emendavit ediditque praeterea F. Pacifici Novariensis O. Min. Obs. *Summam de pacifica conscientia*, Mediolani 1479. — Joannes de Weilheim OSB. prior mellicensis († 1482), cujus triplex labor mansit ineditus[1]) — praeprimis vero Jacobus Perez de Valentia (Jaime Perez) O. S. Aug. natus in oppido Ayora dioecesis oriolensis, provinciae suae praepositus, aliquot coenobiorum vicarius generalis et episcopus auxiliaris Roderici Borgiae cardinalis, qui postmodum fuit electus in pontificem sub nomine Alexandri VI. († 1490). Ejus sunt *Centum et quinquaginta psalmi* cum diligentissima etiam titulorum omnium expositione et cum ad christianam fidem solertissima totius prophetici sermonis applicatione. Accessit ad haec tr. *contra Judaeos*, in quo 5 qq. subtilissimae continentur decisiones: adjicitur in fine symbolum s. Athanasii cum expositione, Valentiae 1484; 1493; Parisiis 1509; 1518; Lugduni 1499; 1514; Venetiis 1526; 1586 t. 2 in 4 etc. Auctor in hoc commentario alioquin pulchro literalem Scripturae sensum fere negligit intentus allegoriae ac mysticae intelligentiae, multisque variarum scientiarum digressionibus redundat. *Cantica canticorum*[2]) cum expositione disertissima

[1]) Non tamen super omne dubium est hunc Petrum Russium esse eundem cum Petro de Rubeis O. S. Aug.

[2]) Cf. Falk Studien und Mittheil. aus dem Benediktinerorden XIX (1898), 680.

[1]) Ejus vita a duobus sodalibus conscripta reperitur in Pez bibl. ascet. VIII, 631—40.

[2]) Hunc librum praeterea exposuerunt Joannes Russel (Rosselius) theologiae doctor, episcopus lincolniensis et Angliae cancellarius († 30. Dec. 1494)- Benignus Peri O. S. Aug. Januensis (fl. 1486) — Esaias Patavinus can. r. congr. lat. (fl. 1480), cujus expositio prodiit Venetiis 1504 — Guilelmus Blackeney (Niger) O. Carm., qui de curiositate nimia fuit accusatus, ita ut tamquam magicae artis studiosus ab episcopo norwicensi dure fuerit exceptus († 1490); ejus commentarius subtilis pro-

et quaestionis finalis discussione fecundissima, quibus demonstrat, Sapientem in spiritu prophetico cecinisse epithalamion Christi D. et Ecclesiae catholicae sponsae ejus, Lugduni 1512 in f.; 1514; Parisiis 1533; Venetiis 1568 t. 2 in 4. — Joannes Crestonus (Chrestonus, Crastonus, corrupte Groslotius) O. Carm. Placentinus, scriptor *Vocabulistae* seu Lexici latini graecique, Vicentiae 1483; Regii Lepidi 1497 etc., edidit *Psalterium* graece et de verbo ad verbum propriissime transtulit, quod opus, inquit Trithemius, nemo digne laudare sufficit, Mediolani 1481 in f. (m. 180). Juxta praefationem tamen versionem latinam tantum recognovisse videtur et in 70 locis juxta textum graecum emendasse. — Albertus Joannis O. Carm. Harlemius († 1496) scripsit in Ecclesiasticum, et quaestiones in magistrum sententiarum. — Ejus sodalis Godefridus Candelarius († 1499) Germanus, lector philosophiae et theologiae in Carmelo coloniensi scripsit praeter alia in l. Sapientiae et de conceptione b. Mariae V. ll. 2. — Alter sodalis Matthias Emich Andernacensis, unus ex primariis auctoribus et professoribus academiae moguntinae, episcopus cyrenensis et auxiliaris archiepiscopi moguntini (1476; † 24. Maj. 1480) reliquit in Isaiam lecturas. — Pauli Attavanti O. Serv. b. M. V. Florentini, qui post varia fortunae ludibria tamquam ingens vicissitudinis rerum exemplum decessit 1499 a. aetatis 80, commentaria *in prophetas minores* prodiisse dicuntur a Lipenio in bibl. reali theologica II, 562, a. 1583 et 1588, de qua tamen ed. apud alios altum silentium. Praeter alia (inedita) descripsit *vitam s. Joachimi* Senensis, unius ex ordinis fundatoribus, in Actis SS. 16. Apr. II, 455-65; et in Canali *Compendio delle Vite di sette tra Santi e Beati dell'ord. dei Servi di Maria,* Lucca 1729; Bononiae 1862; Quadragesimale *de reditu peccatoris* ad Deum, Mediolani 1479; alterum inscriptum *Paulinum* morte ejus interveniente mansit imperfectum; *Breviarium* Decreti, Decretalium, Sexti et Clementinarum, Ingolstadii 1479.

495. Petrus a Rivo Alostensis Lovanii ab a. 1460 rhetoricae primum magister, deinde s. theologiae doctor et professor in universitate et pastor ad d. Petrum, Monotessaron seu concordiam evangelicam composuit (inedita); disseruit quoque *de anno, die et feria dominicae passionis et resurrectionis ll. 3,* quibus Pauli middelburgensis apologiae modeste respondit, Lovanii 1492 in f.; *dialogus,* quomodo omnia in meliorem partem semper interpretanda sint, homine et ratione interlocutoribus, Leidae 1509. Falsam tamen de futurorum contingentium veritate opinionem defendit, quae ad academiam parisiensem delata reprobata fuit et contra quam scripsit Franciscus de Ruvere (postea Sixtus IV.) suum tr. *de futuris contingentibus* (cf. p. 1007). — Bartholomaeus O.S. Aug. Patavinus, provinciae Marchiae tarvisinae praepositus (1480), exposuit Evangelia et omnes s. Pauli epistolas. — Has exposuit et Bernardus Savonensis ejus sodalis, cujus *vocabularium ecclesiasticum* prodiit Mediolani 1480; Venetiis 1539. — Hubertus Leonardi O. Carm. magister et doctor theologiae parisiensis, episcopo leodiensi Ludovico de Bourbon a consiliis et confessionibus, inquisitor haereticae pravitatis per dioecesim, contra nivellenses haereticos egit scripsitque. Anno 1474 factus est episcopus dariensis et

---

diit Venetiis 1591 — Anselmus de Monte Falco O. S. Aug., theologiae lector, ab a. 1468—79 vicarius generalis congregationis ilicitanae et ab a. 1488-96 prior generalis totius ordinis († 7. Sept. 1497). Ejus commentaria typis prodiisse dicuntur. — Guilelmus Bintraeus (Byntre) Norfolcensis O. Carm. († 3. Sept. 1493). — Julianus de Philippo O. Carm. Florentinus († 30. Jul. 1481).

auxiliaris episcopi leodiensis († 3. Dec. 1492; secundum Biographie nat. de Belgique XI, 828 aliquot annis tardius). Commentatus est Evangelium Lucae, Magistrum sententiarum aliaque scripta reliquit. — Guilelmus Textor Aquisgranensis, s. theologiae doctor et in gymnasio professor, subin ecclesiastes vigilans et eloquio clarus Basileae, et Aquisgrani canonicus (fl. 1485) scripsit in Evangelium Joannis et alia. — Guilelmi de Parisiis O. Praed. auctoris gravis et solidi *postilla super evangelia dominicalia* secundum sensum literalem juxta concordias evangelistarum, cui subjecta est postilla super evangelia de sanctis, saepius prodiit ut Argentinae 1486; 1513; 1521; Parisiis 1509 etc. — Joannes de Arundine (van Riedt) O. Carm. Belga professor parisiensis et lector s. Scripturae mechliniensis, episcopus auxiliaris episcopi trajectensis († 13. Jul. 1497), scripsit in ep. s. Pauli ad Romanos et lecturam in l. Sapientiae notabilem (ineditam). — Joannes Preslawiz O. Praed. natione Prutenus, patria Elbingus, disciplina Lipsiensis plurimum laudatur ab ingenio, eruditione, disputationibus acutis, quorum testimonia sunt plura scripta ab eo relicta, inter quae et commentaria in ep. canonicas Petri et Joannis (fl. 1482). — De *Apocalypsi* solliciti fuere Jacobus de Stralen, qui gymnasium coloniense sua doctrina et eruditione multis annis illustravit et adhuc vixit 1495 valde senex. — Joannes de Bomalia OP. Brabantus professor theologiae Lovanii necnon et doctor, inquisitor generalis per Belgium adversus haereticam pravitatem († 25. Dec. 1477), cujus laudantur etiam commentaria in Proverbia, Ecclesiastem, in 4 ll. sententiarum, necnon tr. de eucharistia et virtutibus theologicis (inedita) — et Martinus Alphonsus a Corduba[1]) O. S. Aug., qui et Hexaemeron et Pauli epistolas explanavit, quae tamen commentaria non prodierunt. Floruit a. 1476.

496. Guilelmus le Menand (Menunus) O. Min. jussu Ludovici XI. Biblia sacra juxta recensionem versionis latinae i. e. historiae ecclesiasticae Petri Comestoris gallice vertit vel forte dedit tantum versionem Guiarti de Moulins (p. 184 a.): quae versio prodiisse videtur c. a. 1484. Gallice pariter vertit *Vitam J. Christi* a Landulpho O. Carth. latine scriptam, s. l. et a; 1488; Lugduni 1493 in f. etc. — Aliquot ll. (Judith, Esther, Ruth et Machabaeorum) svevice vertit Jöns Budde monachus in Finniae monasterio Naedendal († 1491), quae versio prodiit in op. Klemming Svenska medeltidens bibelarbeten, Stockholm 1848—55 t. 2. — Quibus addimus Joannem de (van) Hese (Hees, Hesse) presbyterum ultrajectinum, qui 1489 invisit terram sanctam et alias regiones Orientis, quod iter descripsit in op. *Itinerarius* . . . a Hierusalem per diversas partes mundi s. a. et l. bis (Argentorati 1485; c. 1494); Parisiis 1489; Daventriae 1499 hac inscriptione: *Itinerarius* J. de Hese pr. ab Hierusalem, describens dispositiones terrarum, insularum, montium et aquarum ac etiam quaedam mirabilia et pericula per diversas partes mundi contingentia lucidissime enarrans. Tr. de decem nationibus et sectis christianorum; ep. Joannis Soldani ad Pium II; ep. responsoria Pii P. ad Soldanum; Joannis presbyteri maximi indorum et aethiopum christianorum imp. et pa-

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. vet. l. 10 c. 12 n. 658 ss., qui Bibl. hisp. novae I, 20 alterius meminit Alph. de Corduba pariter O. S. Aug. doctoris parisiensis, qui Parisiis cathedram rexerit Gregorii ariminensis, sed viam Nominalium inierit et quaedam philosophica ediderit. Ossinger vero p. 266 hunc posteriorem tantum cognoscit, eumque appellat Alph. Mart. a Corduba, et prioris etiam huic tribuit opera († 1542).

triarchae ep. ad Emanuelem Romae gubernatorem etc. (m. 170); Antverpiae 1500 ed. 7; 1565 etc., opus plenum fabellis, in quo de terra sancta ipsa nihil narrat vel refert[1]). — Alios, quorum labores non prodierunt, praetermittimus ut Petrum Valkendael de Zyl CSA. († 1485) — Guielmum de Gabanrario Gallum ut videtur, O. Carm. lectorem s. Scripturae et episcopum philadelphiensem in p. i. (1488) — Guilelmum Aquisgranensem, in ecclesia basileensi praedicatorem, in academia erfordiensi lectorem (fl. 1495), cujus haud pauca scripta laudat Trithemius de SE. c. 893 — Joannem Milvertonum ejus sodalem Anglum, professorem oxoniensem, nominatum episcopum menevensem, sed non consecratum, qui zelo pietatis incensus vitia praesulum ecclesiasticorum in concionibus acrius reprehendebat. Ideo Richardus Londinensis eum excommunicavit, imo cum aliis effecit, ut in carcerem conjiceretur 1464: unde liberatus ad Paulum II. confugit, qui tamen illum circa triennium in carcere detinuit: causa vero examinata honorem ei restituit, ad suam vero ecclesiam non remisit († 30. Jan. 1486). Ita Villiers in bibl. carmelitana. Scripsit praeter alia in diversos s. Scripturae textus in carcere Fidei suae symbolum, quo liberationem impetrasse dicitur.

[1]) Cf. J. Nève Biogr. nat. de Belg. IX, 314-17; G. Oppert der Priester Johannes, Berolini 1864 p. 180—93; Röhricht bibl. geogr. Pal. p. 92. Secundum alios floruit sec. jam 14. Cf. Fabricius IV, 369.

III. Historia ecclesiastica.

497. Potiora *chronica* seu opera historica, quae universam Ecclesiam respiciunt, haec videntur: *Chronique* (1444—77) Petri le Prestre OSB. abbatis s. Riquier († 1480), in quo sequitur ab a. 1448—67 Jacobum de Clercq; ab a. 1444-48 Monstrelet, ab a. 1467—72 Joan. de Wavrin; in reliqua operis parte refert ea, quibus ipse interfuit. Prodiit primum Abbeville 1877 in 8. cura march. de Belleval[1]). — *Chronicon universale* composuit Theodoricus Pauwels (Pauli, Paulus) Franco etiam appellatus, decanus s. Martini Gorcumensis in Belgio (n. 1416; † p. 1489), quod nunquam integrum prodiit[2]), ex quo tamen prolixum exhibet fragmentum W. Focke in l. Theod. Pauli ein Geschichtschreiber des XV. Jahrh. und sein Speculum historiale, Halle 1892 p. 22—119. — *Commentarii rerum suo tempore gestarum ll. 7* (ab a. 1464—69) Jacobi degli Ammanati, ob adoptionem in Piccolomineorum familiam Piccolomini cognominati. Natus is est 1422 in Villa Basilica Etruriae oppido. Magna diu vixit in paupertate. Capranicae card. primum erat a secretis, dein Calixto III. et Pio II., cui in primis erat gratus ob elegans ingenium, agendi dexteritatem, vitae candorem. Hic eum dixit episcopum papiensem a. 1460, et a. seq. cardinalem: postea transtulit ad sedem tusculanam, demum lucensem. — Hujus pontificis commentarios non absolutos absolvit atque continuavit; ii prodierunt cum ejus epistolis (742) et vita[1]) a Jacobo Volaterrano scripta, Mediolani 1506; Francofurti 1614. Decessit 11 (vel 10) Sept. 1479. Ejus

[1]) Cf. Potthast p. 927.

[2]) Cf. Potthast p. 1058, qui alia ejusdem scripta historica recenset.

[1]) Cf. Seb. Paoli Disquisizione istorica della patria e compendio della vita del Card. G. A. Piccolomini, Lucae 1712; Ap. Zeno diss. Voss. II, 87; Tiraboschi VI. 2. l. 3. c. 1. n. 24; Eggs. III, 168—179.

commentarios continuavit idem Volaterranus ad a. 1484. — Huc refer Bonifacium Simonetta, qui in Apulia lucem aspexit: Mediolanum venit et in primaevo juventutis flore statuit Cisterciensium institutum amplecti, cum jam prius lauream theologicam esset promeritus. Monachus factus sacris totum se dedit studiis tantumque apud suos existimationis est nactus, ut juvenili adhuc aetate assumeretur ad dignitatem abbatis in monasterio s. Stephani dioecesis laudensis, quod Padi fluvii alluvione pene deletum splendide restauravit. Scripsit *de christianae fidei et rom. pontificum persecutionibus,* Mediolani 1492; Basileae 1509 in f. cur. Hieronymo Emser, quo in vol. habentur praeterea *orationes tres,* in quibus comparantur tres principales religionis species, quarum prima exhibet Christi vitam et fidei nostrae praestantiam; secunda Moysis instituta et mirabilia; tertia Mahometi vitam et legis ejus deliramenta. Opus est singulari dispositum modo, in quo quidem vitam et mores omnium rom. pontificum a s. Petro ad Innocentium VIII. describit et statum, in quo sub quolibet respublica fluctuaverit: sed narrationem non continuo filo prosequitur, verum interrumpit insertis 279 ep. viris doctis inscriptis, in quibus omnis generis argumenta tractat, ad mythologiam etiam, grammaticam, medicinam, physicam, anatomiam spectantia, atque eruditionem vere superfluam absque judicio profundit[1]). — Nicolaus le Huen O. Carm. (fl. 1484) edidit *Le grant voyage de Hierusalem pp. 2,* in quarum 1. agit de peregrinationibus sacris in illam regionem, in 2. de cruciatis et rebus gestis regum et principum christianorum, Parisiis 1517 in 4; 1522. Prior pars derivata est ex Breidenbach; altera ex speculo historiali Vincentii Bellovacensis.

[1]) Cf. Tiraboschi VI. p. 1. l. 2 c. 2 n. 38.

498. Historiam romanorum pontificum praeter Simonetta narrant: Baptista sive potius Radulphus Bartholomaeus vel certe Bartholomaeus a patria Piadena ditionis cremonensis Platina cognominatus (n. 1421), cum nomine proprio Sacchi diceretur. Juvenis secutus est castra, quibus relictis scientiae studio se applicuit, et ex Bessarionis vel Jacobi degli Ammanati commendatione abbreviatoris munere fuit a Pio II. donatus. Ob querelas imprudenter in Paulum II. prolatas et minas appellandi ad principes pro cogendo concilio in carcerem fuit conjectus iterumque ob suspicionem participationis in conjuratione contra papam (1467): post longius tamen tempus carcere et crimine fuit liberatus et a Sixto IV. praefectus bibliothecae vaticanae a. 1475 († 21. Sept. 1481). Laudatores nactus est quam plurimos, qui notitiam de vita ejus et scriptis uberiorem tradidere[1]). Praecipuum ejus opus est *Liber de vita Christi ac de vitis summorum pontificum omnium,* qui hactenus 222 fuere, Venetiis 1479; 1485; 1504; Norimbergae 1481 in f.; 1532; Tarvisii 1485; Coloniae 1512; 1529; 1540; locupletatus per Onuphrium Panvinium 1562 etc., saepissime editus, in plurimas linguas versus. Stilo eleganti et magna libertate est conscriptus (in Paulum II. plane injustus): deest acribia historica sed jam judicium comparet criticum: nam provocat ad monumenta antiqua, dijudicat facta, dubitat, conjicit, aliorum errores rejicit (ut fabulam Joanne papissae): unde si meliori vixisset tempore, optimus fuisset judice Tiraboschi historiographus. Scripsit vitam Sixti IV.[2]) apud Muratori Script. rer.

[1]) Plures refert Fabricius V, 287; cf. Ap. Zeno diss. Voss. 1, 242; Tiraboschi l. c. n. 34 s.; Molleri diss. de B. Platina, Altdorf 1694.

[2]) Hujus pontificis vitam carmine descripsit heroico Robertus Fleming protonotarius apostolicus, qui post studia Oxonii absoluta in Italiam venit, in *lucu-*

it. III. 2, 1053—69; *de bono principe ll. 3*, Francofurti 1608; Genuae 1637; *Historia urbis inclytae Mantuae* usque ad a. 1464 et ser. familiae Gonzagae ll. 6, Viennae 1675 cum notis Petri Lambecii, sed praeter spem interruptis, ed. rarissima; Muratori inter SS. rer. it. XX, 609 ss. etc. Opera collecta, inter quae *de falso et vero bono, de vera nobilitate, de optimo cive* etc., prodiere Coloniae 1529; 1574; Lovanii 1572 in f. — Vitas romanorum pontificum coeperat describere Jacobus Zeno[1]) Venetus, episcopus primum bellunensis et feltrensis, dein a. 1459 patavinus († 1481). Pervenit ad Clementem V., opus tamen non prodiit, asservatur in bibliotheca vaticana citaturque saepe ab Henschenio et Papebrochio in Propyleo vitarum pontificum. Ejus *vita cardinalis Albergati* († 1443) reperitur in Actis SS. Maj. II. 469—477; Coloniae 1613 ed. Ge. Garnefelt. — Joannes Antonius a patria Campanus dictus, parentibus humilibus natus ingenii felicitate magnos in studiis, in literis praesertim humanioribus, progressus fecit. Neapoli magistrum habuit Laurentium Valla; Perusii eloquentiam docuit, inde a Calixto III. Romam adscitus pontifici erat a secretis; a Pio II. factus est episcopus cotronensis, dein interamnensis seu aprutinus; a Paulo II. missus est cum card. Franc. Piccolimini ad comitia ratisbonensia pro promovendo bello adversus Turcas; a Sixto IV. suo quondam magistro constitutus est gubernator aliquot provinciarum, sed nimia libertate, qua intercessit pro rebellibus, gravem hujus pontificis incurrit indignationem: hinc exauctoratus et in exsilium pulsus Senis moerore, ut fertur, confectus obiit 15. Jun. 1477. Non solum eloquio, stilo nitidissimo, carmine et historia enituit, sed etiam inter eos fuit, qui nascentibus literis obstetricias manus auspicato tulere primasque latinorum scriptorum classicorum editiones, ut emendatius prodirent, studio suo adjuverunt. Opera ejus junctim prodiere cura et correctione Mich. Ferni praemissa Venetiis 1484; 1502 et Romae 1495. Inter ea reperiuntur *Pii II. P. M. vita* (inter Muratori Script. rer. it. III. 2 p. 967-992); *de ingratitudine fugienda ll. 3; de regendo magistratu* (in bibl. PP. lugd. XXVI, 799 ss.); *de dignitate matrimonii; orationes* variae; *epistolarum ll. IX* (Francofurti 1602; 1604; emendatius Lipsiae 1797 etc.); *poëmata* elegantia, quae edidit Menken Lipsiae 1707; *Vita Bracchi Perusini et gesta* ab a. 1368—1424 etc. — *Vitam Pauli II.* descripsit Michael Cannesius (Canensis) de Viterbio decretorum doctor et episcopus castrensis, quam ediderunt Muratori SS. rer. it. III, 2, 993—1022, et card. Quirini cum vindiciis, Romae 1742 in 4.

499. De *singularibus regionibus vel dioecesibus* scripserunt: Donatus Bossius Mediolanensis, causidicus (n. 1436; † 1500?), cujus sunt *historia episcoporum et archiepiscoporum mediolanensium* ad a. 1489, Mediolani 1492; *Chronica Bossiana* sive gestorum dictorumque memorabilium et temporum ac conditionum et mutationum humanarum historia ab o. c. ad a. 1492, Mediolani 1492, cum op. praecedenti. — Hieronymus Albertucci de Borselli O. Praed. Bononiensis, conventus prior et studii regens, concionator egregius et inquisitor generalis († 25. Nov. 1497), qui composuit plura opera historica, ut *Annales bononienses* ab a. 1418—1497, quos ejus sodalis Vincentius Spargiati continuavit ad a. 1584. Laborem Hieronymi in lucem protraxit Muratori SS. rer. it. XXIII, 867—916. *Chronicon* seu epitome gestorum ab o. c., quod ad Christum usque ipse compilavit usus chronica

brationibus tiburtinis, quae s. l. prodierunt 1477. Obiit decanus lincolniensis.

[1]) Cf. Ap. Zeno Diss. Voss. II, 196; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 1. n. 36; p. 2. l. 3. c. 4 n. 19.

Martini Poloni, cui aliqua adjecit, et cum haec protendatur tantum ad a. 1270, ipse eam continuavit ad sua usque tempora: continuationem exhibet Zaccaria inter Dissertazioni varie italiane a Storia eccl. appartenenti II, 306—17. Inedita[1]) manserunt Chronicon generalium magistrorum O. Praed. et omnium gestorum sub ipsis et clarorum virorum ejusdem ordinis in scientia, dignitate et sanctitate ad a. 1393; historia pontificum rom. a s. Petro ad Alexandrum VI (forte idem cum primo opere vel hujus excerptum); tabula de doctoribus asseverantibus bb. Matrem peccato originali aliquando fuisse obnoxiam etc. — Quaedam ad historiam Romae spectantia reperiuntur in Pauli del Maestro *Diario e Memorie di diverse cose accadute in Roma*[2]) dal 1422 al 1484, ed. cura de Antoniis in op. *Il Buonarroti*, sec. II. t. 10 p. 3-13; 37-48; 109-19; 141-48. — Thomas (a Fabricio IV, 350 Joannes dictus) Chaundeler (Candelarius) post alia obita munera cancellarius ecclesiae eboracensis († 1489) scripsit chronicam brevem *de ortu, vita ac gestis Willelmi de Wykham* ep. wintoniensis († 1404) et *vitam Thomae de Beckingtona* ep. bathensis et wellensis[3]): utramque reperies in Wharton Anglia sacra II, 355—59.

500. De Aegidio de Roya ex abbate b. Mariae in monte regali Galliae monacho dunensi O. Cist. († 1478), doctore et diu professore parisiensi theologiae, supra jam egimus p. 835. — Hadrianus de Veteribusco (d'Oudenbosch) s. Laurentii leodiensis monachus OSB. († c. 1483) reliquit *chronicon leodiense* sive opus rerum leodiensium[1]) sub Joan. Heinsbergio et Ludovico Borbonio episcopis (1429—83) in Martene ampl. collect. IV, 1201—1378; gallice ed. M. J. Alexandre, Leodii 1903 in 8; *historia collegiatae s. Petri* eycurtensis ecclesiae ad lovaniensem s. Jacobi parochialem translatae (1037—1470), ib. 1183—99; *historia s. Laurentii leodiensis monasterii* (ex Ruperto tuitiensi derivata), ib. 1034—1164. — Hildebrandus Goffredus Trisius, pastor, etiam in mathesi versatus († 1500), collegit *statuta episcoporum ultrajectinorum*, Goudae 1484 in 4. Scripsit praeterea commentaria in ep. Pauli etc. inedita. — Arnoldus Heymricius Clivensis, decanus xantensis († 1490) scripsit epistolam ad Ludolphum de Venna decanum trajectensem continentem conflictum inter patientiam et fortunam Roperti archiep. coloniensis cum historia Davidis ep. trajectensis, apud Dumbar Analecta, Daventriae 1719. I, 349—440. — Albertus Krummendik (Crummendyck), Holsata, rotae romanae notarius, episcopus lubecensis hujus nominis II., legatus apostolicus pro Livonia, Borussia etc., regi Christiernae I. Daniae a consiliis (1466 — 27. Oct. 1489), nimis profusus et sumptuosus, concinnavit brevem chronicam episcoporum lubecensium (938—1467), quam anonymus continuavit ad a. 1505. Prostat apud

---

[1]) Cf. Fantuzzi Notizie degli Scritt. bologn. I, 156—160.

[2]) Hoc forte est excerptum ex *Diario urbis Romae* ab a. 1294—1494 partim latine, partim italice conscriptum, quod tribuebatur Paulo de Magistris et Laelio Petronico, sed jam tribuitur Stephano de Infessura senatus populique romani scribae († c. 1500) scriptori mordaci. Prodiit apud Eccard Corp. hist. II, 1863—2016; Muratori SS. rer. it. III. p. 2. p. 1111—1252; novissime ed. Oreste Tommasini Romae 1890. Cf. hujus diss. *Il Diario* dell'Inf. Studio preparatorio alla nuova ed. di esso, Romae 1889; Potthast p. 1032.

[3]) Cf. Oudin III, 2725 ss.

[1]) Henricus de Merica (van der Heyden) coenobii bethleemitici prope Lovanium prior († 1479) narrat compendiose historiam *de cladibus leodiensium* (1455—68), quam edidit P. F. X. de Ram cum Jo. de Los in Documens relatifs aux troubles etc. in Collection de chron. Belg. n. 6, Bruxellis 1844 p. 135—83.

Meibomium Scr. rer. germ. II, 393—404. Verum recentiori aetate haec chronica ei abjudicatur, cum ipse tantum alteri auctor fuerit ad eam conscribendam[1]). — Caspar Borgeni capellanus glogoviensis († 25. Oct. 1495) collegit *annales glogovienses* (1467—93), quos edidit Herm. Markgraf inter SS. rer. sil. 1877. X, 1—66 cum diplomatibus 69-158. — Sigismundus Meisterlin (Meysterlin, Maisterlin, Musterlin etc.) Suevus a. natus 15 ingressus est OSB. in monasterio ss. Udalrici et Afrae Augustae. In literis classicis satis bene excultus condidit hortante Sigismundo Gossenbrot decurione augustano (qui propterea erronee subinde habitus est auctor operis) *Chronographiam augustensium,* quam magna ex parte germanice reddidit, cujus versionis pars prodiit inscripta: *Ain schone cronick und hystoria* wyn nach der Sündfluss Noae die Teutschen das streitbar Volk ihrem Anfang empfangen haben etc., Augustae 1522 (m. 200). Civitatis antiquitates magis prae oculis habet, quam lectorum aedificationem, minori utitur judicio critico. Iter instituit in Italiam atque Ticini est commoratus. Postea eum reperimus in monasterio sangallensi, ubi aliquamdiu novitiorum magistrum egit; circa a. 1476 Wirceburgi munere concionatoris in ecclesia cathedrali est functus. Inde transiit Norimbergam concionator ecclesiae s. Sebaldi et prope eam urbem parochiam rexit. Scripsit praeterea *chronicon augustanum ecclesiasticum* ad a. 1481 ex mandato sui abbatis, quod edidit Pistorius Script. rer. Francofurti 1607 p. 590—614 (III², 657-684); et indicem monasterii s. Udalrici, qui est prioris op. velut retractatio et bona monasterii historia (ut videtur inedita); *chronicon norimbergense* ed. a Ludewig in Rel. mss. VIII, *3*—149 inscriptum *Exaratio rerum gestarum* inclitae civitatis newronbergensium ab a. 1360—1480 (ed. valde mendosa); a Kerler in Chroniken der deutschen Städte 1864. III, 184—256; ab auctore germanice redditum, ib. 32-178; diu fons praecipuus historiae hujus civitatis. Quando decesserit Meisterlin non constat[1]): vixisse videtur usque ad a. 1489. Ipsi etiam tribuuntur *annales murbacenses* 631—1400, quos edidit Th. v. Liebenau in Anzeiger für schweiz. Geschichte, Zürich 1875. IV, 167 ss.

501. De Polonia meruit Joannes Dlugosz (Longinus) nobili stirpe ortus a. 1415. Cracoviae studiis operam dedit atque in Zbiegniew episcopo cracoviensi benevolum nactus est patronum, qui eum sacerdotem ordinavit, beneficiis auxit ejusque opera in dioecesis utilitatem juriumque tutelam est usus. Casimiri IV. regis iram incurrit nolens agnoscere episcopum ab ipso designatum contra eum, quem pontifex romanus elegerat: hinc in carcerem conjectus triennium in monte Mesztyn exegit. Prudentia tamen et consiliis suis regis iterum gratiam adeo promeruit, ut ab eo adhiberetur in gravissimis negotiis ipsiusque filiorum constitueretur praeceptor. Recusavit munera quam maxime honorifica et episcopatum pragensem: designatus episcopus leopoliensis, decessit a. 1480 ante obtentam consecrationem. Inter amplissimos proventus vixit pauper omnia sua bona profundens in pia opera atque in egenos[2]). Neque studiis literariis abstinuit, quorum fructus sunt plura opera, quae collecta prodierunt cura Alex. Przezdziecki Cracoviae 1863—87 t. 14 in 4., inter quae potiora sunt: *Historiae polonicae ll. XIII* ab antiquissimis temporibus ad a. 1480, ed. a

[1]) Cf. Potthast p. 31*.

[1]) Cf. Wegele allg. d. Biogr. 21, 264-66; Potthast p. 783.

[2]) Cf. Stemmer KL. III, 1864; Oudin III, 2635—41; Fabricius I, 455 ss.; Potthast p. 380 ss., ubi literaturam copiosam de eo reperies.

Herbulto Drobomilski, Drobomili 1614 t. 3 in f.; Lipsiae 1711. 1712. praemissa auctoris vita scripta ab anonymo, adjectis pluribus aliorum scriptis ad historiam polonam spectantibus. Hoc in opere integritatis et bonae fidei laudem promeruit, libereque gentis suae vitia carpit: unde concivibus minus acceptum exstitit: opus tamen ob diplomata copiosa pretiosum, praesertim in ll. 3 postremis, in temporum tamen ordinatione viget confusio[1]); *liber* (accuratus et stupendae diligentiae) *beneficiorum* dioecesis cracoviensis (op. t. 7-9); *catalogus archiepiscoporum gnesnensium; catalogus episcoporum cracoviensium; chronicon episcoporum wratislaviensium,* ed. Lipf cum continuatione variorum in schematismo dioecesis wratisl. a. 1847; *vitae episcoporum plocensium* abbreviatae cum continuatione Laurentii de Wszerecz (966-1475-1603) in Mon. pol. hist., 1893. XI, 599-619; *vitae episcoporum posnaniensium,* Brunsbergae 1604 in 8 opera Th. Treteri cum earundem supplemento; *Vita s. Stanislai cracoviensis* († 1079) ll. 3, Cracoviae 1511 in f., ed. rarissima; 1666; in Act. SS. 7. Maj. II, 202—276 etc. — Ex obviis auctoribus compilavit Joannes Túrotzi (Thwrocz) Hungarus (fl. 1490) *Chronicon* illustrissimorum Hungariae regum, Augustae V. 1482 (?); 1488; Francofurti 1600; 1746. Incipit ab Attila usque ad coronationem Matthiae 1464; sed pro annis 1342—1382 Jo. de Hiköllö narrationem suo operi inserit. — Non tanti pretii est *Epitome rerum hungaricarum* seu l. annalium de rebus hungaricis[2]) Petri Ranzani (Razzano) O. Praed. Panormitani n. 1428. Liberalibus prope omnibus claruit disciplinis: orator enim erat et rhetor eximius atque poëta, historiae peritia et sacrae doctrina theologiae praestans, a. aetatis 28. jam praepositus provinciae siculae, postea magister s. palatii. Ejus eruditionis fama Ferdinandus Neapolis rex excitatus eum ad se accersivit circa 1475 et filiorum suorum Alphonsi regni heredis et Joannis, deinde cardinalis, praeceptorem esse voluit. A Sixto IV. factus est lucerinus antistes a. 1478, et constitutus inquisitor generalis per Siciliam (1482). Missus est legatus pontificius in Galliam et a. 1488 ad Matth. Corvinum Hungariae regem, quem mortuum a. 1490 laudavit. Obita legatione ad suam rediit ecclesiam et post multa laudatissime facta, clericis ad vitae instituta religiosissima deductis senectute confectus obiit a. 1492. Prodiit illud opus Viennae 1558 in f. cum aliis rerum hungaricarum scriptoribus curante Jo. Sambuco; Tyrnaviae 1579; Budae 1746 in 4. etc., inter historicae hung. fontes domest. cur. M. Floriano 1885. IV, 116—286; *vita s. Vincentii*[1]) *Ferrerii* conf. O. Praed. († 1419) in Actis SS. 5. Apr. I, 482—512, quae tamen non videtur integra, ut notant editores Actorum. Collegit opus grande annalium omnium temporum in 8 magna vol. et 61 ll. distributum (ineditum), in quo nationum omnium historiae ad a. 1448 describuntur: ex eo multi scriptores suas locupletarunt historias. Inde derivata est epitome supra laudata[2]).

[1]) Cf. Acta erud. lips. a. 1712 p. 302; suppl. V, 423 ss.

[2]) Fere eodem tempore Antonius Bonfinius Asculanus († 1502) rerum hungaricarum decades ll. 45 ab a. 364—1495 comprehendit, „scriptor certe diligentissimus, inquit Stilting Sept. I, 461 n. 18. 19, qui a factis confingendis longe abfuerit, etsi non aeque a conjecturis alienus fuisse videtur". Propter hoc opus dictus est Livius Hungariae; illi tamen deest lima critica. Prodiit Basileae 1543 in f. ed. mendosa et incompleta; integra 1568 cura Jo. Sambuci; Francofurti 1581 cum aliorum additionibus; Coloniae 1680 etc. Cf. Potthast p. 163[2]; Morus bibl. picena III, 12—21.

[1]) Cf. hist. Jahrb. 1896 p. 33 ss.

[2]) Cf. praeter Quetif I, 876; Ap. Zeno diss. Voss. I, 96: Barcellona Opusc. d'Autori sicil. VI, 75; Tiraboschi VI. p. 2. l. 3. c. 1 n. 15 s.

502. Plurimi *de monasteriorum ordinumque historia*[1]) fuere solliciti. Antonius Schnackenburg OSB. in monasterio corbejensi, Westphalus († 1476), ab a. 815—1471 post primos auctores interpolavit et continuavit *annales corbejenses,* quos vulgavit Chr. Franc. Paulini in rerum et antiq. germ. syntagmate Francofurti 1698 p. 369-420; Leibnitius in SS. rer. brunsv. II, 296—319. Transiit a. 1471 ob disciplinam Corbejae minus bene servatam ad illustrissimi nominis monasterium hersfeldense. Fidem et industriam in scribendis annalibus eruditi commendant. — Joannes Busch can. reg. s. Aug. zwollensis n. c. 1399—1400, magnus erat per Saxoniam, Missniam, Thuringiam, Westphaliam annis quinquaginta vitae spiritualis magister et vitae religiosae restaurator. Adolescens vix natus a. septemdecim mundo valedixit atque in canonia windeshemensi Deo se dicavit (1419). Strenue promovit reformationem vitae religiosae variis in conventibus muneribus fungens modo subprioris, modo prioris, modo praepositi. In canonia Neuwerk prope Halam, archidiaconatus dignitate fuit auctus, unde et inter fideles quaquaversus vitam vere christianam induxit. A card. Cusano legato apostolico pro reformatione promovenda[2]) per Germaniam institutus est visitator apostolicus conventuum canonicorum et canonissarum regularium per varias provincias. Anno 1455 resignavit praeposituram rediitque in suum monasterium windeshemense, sed jam 1459 electus est prior conventus sultensis prope Hildesheim. Decessit meritis plenus, optime meritus de innumeris conventibus, vir vere apostolicus c. 1480. Indefessos suos labores, itinera, successus et difficultates ingentes candide enarrat in op. *de reformatione monasteriorum quorundam Saxoniae,* opus pretiosissimum pro cognitione status vitae religiosae illius temporis, quod edidit juxta codd. minus bonos neque integros Leibnitius Script. rer. brunsv. II, 476-506; 806—25—970 cum supplementis et emendationibus; *Chronicon can. reg. O. S. Aug.* capituli windeshemensis cum chronico montis s. Agnetis auctore Th. a Kempis, Antverpiae 1621 in 8 ed. Heric. Rosweyd, utrumque editum accurate a Car. Grube Halle 1886 cum docta introductione. Constat chronicon ll. 2, quorum primus agit de viris illustribus seu de auctoribus et parentibus hujus congregationis; alter inscribitur de origine devotionis modernae et ipsum chronicon exhibet. Subjicitur ep. Jo. Vos de Huesden *de vita et passione J. Christi,* quam Busch latine reddidit. Chronicon hoc est admodum pretiosum, quia authenticum, accuratum, candidum, etsi forma minus sit nitida et grata. Quamvis vero Grube magnam impenderit diligentiam[1]) in sua curanda editione, tamen v. Becker reperit codicem magis originalem, e quo supplementa et additiones haud leves derivavit in Bijdragen en Mededeelingen societatis historicae ultrajectinae 1887. X, 376—445. *Kleinere geschriften* ed. Wüstenhoff Gent 1890; quaedam antea inedita Schulze in Ztschr. f. Kirchengesch. XI (1890), 577-619. — Petrus de Dieppurch narrat

[1]) De Ambrosio Massaria seu de Cora O. S. Aug. infra loquemur p.

[2]) Paralelle cum hac reformatione procedebat reformatio in congregatione bursfeldana, de qua multa reperiuntur in Vita *Henrici de Peine* auctore Eberhardo Hathingen (c. 1500), quam invenies in diss. Dr. Linneborn: Heinrich v. Peine Reformator des Klosters Abdinghof in Paderborn 1477—1491 und seine vita in Ztschr. f. vaterl. Gesch. und Altertumsk. LIX (1901), 169—213. Ea est rudi conscripta stilo, sed propter notitias pretiosa.

[1]) Cf. de ejus editione Kessel Lit. Handw. 1887 c. 577—82. Idem Grube de auctore nostro edidit J. Busch Augustinerpropst zu Hildesheim. Ein kath. Reformator des 15. Jahrh., Freiburg 1881. Cf. Evelt KL. II², 1549-53; Schulze Realenc. III³, 577—581.

annales et acta fratrum vitae communis domus Lüchtenhof hildesheimensis, cujus erat rector (1476—1494), quae magna accuratione et diligentia prodierunt cum suis continuationibus (1440—1568), Hannover et Leipzig 1903, opus magni pretii historici, ab auctoris fide, veracitate, rerum cognitione omni commendatione dignum.

503. Joannes Parfues monachus ensdorfiensis OSB. reliquit *chronicon ensdorffense* (1121—1480) lingua patria conscriptum, quod demum vulgavit Oefele inter rer. boic. SS. I, 581—88. — Guilelmus Hofer Landshutanus O. Carth. in domo Throni b. Mariae in Gemnico (Gaming † 1483) recenset hujus carthusiae priores ab a. 1340 cum continuatione ad a. 1523; ordinem fratrum (1332—1479) et conversos (1446—80), ed. ab H. de Zeissberg in Archiv für österreichische Geschichte 1880. LX, 579—92. — Guilelmus de Reno O. Cist. († 1487) dicitur composuisse *Chronicon monasterii campensis O. Cist.* ad a. 1487, quod probabiliter Henricus de Calcar (von der Heiden) continuavit ad a. 1504. Edidit illud Hermann Keussen in Annalen des hist. Vereins für d. Gesch. des Niederrheins 1869. XX, 261-360 et in Eckertz Niederrheinische Chroniken 1870, II, 329—450. — Nicolaus de Siegen Westphalus, Hottenbach (Hortenbach) antea cognominatus, OSB. in monasterio s. Petri erfordiensi reformationi vitae religiosae ex corde deditus († 1495), hac intentione conscripsit *chronicon ecclesiasticum* etiam thuringicum seu petrense dictum ab a. 480-1494, quod demum edidit Wegele Jenae 1855 in 8., in quo historiam sui ordinis, praesertim per Thuringiam, et sui monasterii persequitur. Candide dolorem suum exprimit de relaxatione disciplinae, gaudium de ejusdem restauratione, vota sua pro felici progressu sui ordinis. Commendatur hoc chronicon a sinceritate, candore, fide, qua gesta refert estque magni momenti generatim pro historia etiam profana Thuringiae[1]). Ipsius quoque videtur esse Continuatio seu *additiones ad chronicon Lamberti schafnaburgensis* 1077—1472, quae reperitur apud Pistorium Scr. rer. germ. I, 253 (I^2, 425—39). — Galli Oheim (Öhem, Öham) presbyteri et sacellani (non sodalis) divitis Augiae (Reichenau) hujus conventus historiam satis diligenter describit[2]) in *Chronik des Gotzhuses Rychenowe,* quam ediderunt K. A. Barack in Bibliothek des literarischen Vereins in Stuttgart t. 84, Tübingen 1866 in 8; et Car. Brandi Heidelberg 1893 in 4. — Joannes Legatius monachus hildesheimensis OSB. scripsit circa a. 1500 ll. 2 *chronicon coenobii s. Godehardi* in Hildesheim ab a. 1132 usque ad sua tempora editum in Leibnitii SS. rer. brunsv. II, 404—26. — Michael de Nissa (Neisse) Can. r. S. Aug. praepositus († 1489) scripsit *chronicon glacense* canonicorum s. Aug., cujus fragmenta edidit Wattenbach in Oesterreichisches aus der Chronik der Augustiner zu Glatz in Jahrbuch für vaterländ. Gesch. Wien 1861. I. 215-42. — Clemens Specker O. Min. prosecutus est *chronicon koenigsfeldense* ad a. 1482, quod reperitur in Gerberti Crypta nova Sanblas. et Hergott Monum. habsburg[3]). — Laurentius Blumenau doctor j. u., canonicus warmiensis († 1484) narrat historiam *de ordine Teutonicorum* cruciferorum ll. 2, ed. a Max. Toeppen in SS. rer. pruss. 1870. IV, 44—66.

---

[1]) Cf. Wegele allg. d. Biogr. 23, 627 s.; Potthast p. 852.

[2]) Cf. Meyer de Knonau allg. d. Bibliogr. 24, 179, secundum quem vitam produxit saltem ad a. 1511; Breitenbach N. A. II (1877), 159—203 die Quellen der Reichenauer Chronik des G. O. und der hist. Wert des Werkes; Lorenz I, 60.

[3]) Cf. Eubel Gesch. der oberdeutschen Minoritenprov. p. 36.

504. Guilelmi Albon OSB. abbatis monasterii s. Albani († 1. Jul. 1476) *registrum* de factis et actis tempore suo 1465—72 (ed. H. Thoma Riley in Chronica monasterii s. Albani, 1873. II. n. VI. p. 25—139 inter rer. brit. med. aev. SS. n. 28, collegit, ut videtur, anonymus. Registrum ejus in dignitate abbatiali successoris Guilelmi Walyngford (Walingforde † p. 27. Aug. 1488) ad a. 1488, ib. reperies p. 140—291. — Thomas Scropus ex oppido patrio Bradleyus cognominatus, O. Carm., episcopus dromorensis in Hibernia (1450), legatus missus est ad equites rhodienses: unde reversus episcopatu se abdicavit a. 1457, et in solitudinem secedens exercitiis vacavit spiritualibus. Obiit a. aetatis supra centesimum a. 1491. Composuit *Chronicon* de institutione, successione, intitulatione et propagatione O. ff. b. Mariae V. de Monte Carmelo, quod prodiit t. 1. Speculi carmelit., Antverpiae 1680 pag. 172 ss., et plura alia inedita[1]). — Franco Calabre O. Ci. abbas villariensis († 1485) *monumenta historiae villariensis* (Villers en Brabant) continuavit ab a. 1333—1459, forte etiam ad a. 1485. Complectitur haec collectio gesta sanctorum villariensium seu l. de gestis virorum illustrium villariensis coenobii necnon et chronicam monasterii ab a. 1146-1250 cum quadruplici continuatione, cujus saltem partem exhibent Martene thes. anecd. III, 1269—1374; Waitz in Mon. G. XXV, 195—235. — Hadrianus de Budt (But) O. Ci. hulstensis[2]) scripsit *chronicam abbatum monasterii de Dunis O. Ci.*, quam edidit Car. Ludov. Carton, Brugis 1839 in 4; *chronicon Flandriae* inde a Liderico I. usque ad mortem Joannis ducis Burgundiae et comitis Flandriae a. 1419, apud J. J. de Smet Corpus chron. Flandriae 1831. I, 291—367; *supplementum* chronici mag. Aegidii de Roya religiosi dunensis ab a. 1463—1478, cum eo editum Francofurti 1620. Obiit a. 1488. — Joannes Capella reliquit *chronicam abbreviatam* dominorum et sanctorum abbatum s. Richarii (Saint-Riquier), cujus editionem novam curavit et illustravit Ern. Prarond, Parisiis 1893 in 8. *Vitam s. Gervini* ab. centulensis in Pontivo († 1075) habes in Act. SS. 3. Mart. I, 283-288. — Petrus Herp O. Praed. collegit[1]) *annales dominicanorum francofurtensium* ab a 1306—1500 apud Senkenberg Select. jur. et hist. Francofurti 1734 II, 1—30; sub titulo Collecta ed. a. R. Froning in Quellen zur Frankfurter Geschichte 1884. I, 58-66; germanice Francofurti s. a. — Eusebius Corradus Can. reg. lat. Mediolanensis, concionator insignis, qui quinquies universi ordinis monasteria lustravit († 1500), acerrime stetit pro sui ordinis praerogativis contra Eremitas. Ejus de hoc argumento scripta fere manserunt inedita[2]).

505. Innumeri vero sunt qui *in recensendis describendisque SS. gestis* versati sunt. Hisce scriptis deest quidem rigidum illud judicium criticum, quod adeo urget aetas nostra, non carent tamen ea pretio illique caritati inserviunt, quae aedificat. Aliquot saltem nominemus. Joannes Bathalier (Batilardus) O. Praed. Lugdunensis, magister parisiensis, vir pietate, doctrina, eloquentia clarus, una cum Juliano O. S. Aug. vitis sanctorum gallice redditis recognoscendis ac stilo molliendis non parvam contulit operam. Prodiit ejus *Legende de Saints nouveaux*, Lugduni 1476. Quae ab illis adjectae sunt

---

[1]) Cf. Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Irland I, 592. Ceterum opus gemini tituli de ordine carmelitarum tribuitur Arnoldo Bostio O. Carm. aequali, de quo infra p. 1060 agemus.

[2]) Cf. Car. de Visch, qui ejus vitam edidit Brugis 1655.

[1]) Cf. Potthast p. 592.

[2]) Cf. Argelati I, 2, 478.

Legendae aureae olim editae a Jac. Voragine (p. 432), seorsim prodierunt ib. 1477 in f. — Bononius Mombritius patricius Mediolanensis, eloquentiae professor (n. c. 1424; † c. 1482), praeclaram operam posuit sub initio nascentis typographiae in publicandis bonis scriptis, quorum tamen editiones sunt rarissimae[1]). Sunt illa *chronica* Eusebii, Hieronymi, Prosperi et Matthaei Palmerii usque ad a. 1448, Mediolani 1475 inf.; *scriptores historiae Augustae,* ib. 1475; prae primis vero huc spectat ob vitas et acta SS. collecta et edita ib. 2 v. in f. sine a. et l. (Mediolani) ed. splendida, opus pro eo tempore diligens atque aestimatione dignum ob acta et monumenta antiquitatis eo asservata, quae alioquin periissent. — Hieronymus de Raggiolo (Radoliensis) monachus vallumbrosanus (fl. 1480) scripsit *de miraculis s. Gualberti* ll. 3 in Act. SS. 12. Jul. III, 382—453. *De vita solitaria* opusculum insertum est in J. M. Brochi *Vita del b. Michele Flammini,* Firenze 1761. Alia ejusdem opuscula manserunt inedita. — Joannes Gielemans (Gillemanus) canonicus reg. s. Aug. rubeae vallis (Rouge-Cloître) in Sonnia silva altero a Bruxellis lapide »frater simplex quoad temporalia, sed devotus valde quoad divina,« pie credulus († 1487) collegit *Hagiologium brabantinorum* (ineditum ut videtur), e quo vitae quaedam receptae fuere in acta SS. ut s. Himelini presbyteri fenacensis in Brabantia (sec. VIII.) 10. Mart. II, 47; Christianae V. (sec. VIII.) 26. Jul. VI, 314—16; b. Idae viduae († 1113), 13. Apr. II, 145. 146; etiam Migne 155, 447-52. Illo plurimum usus est Jo. Bollandus, ut ipse testatur in praef. gener. ad vitas SS. c. 4 § 9. Compilavit Gilemannus praeterea *Novale SS.* t. 2 et *Sanctilogium* t. 4; *historiologium brabantinorum* etc.; erat enim vir admodum laboriosus et diligens, qui studio indefesso opera composuit vel saltem descripsit: servantur adhuc 20 vol. msc., quae diligenter describuntur in Analectis bollandianis t. XIV (1895) 5-88, et quorum copiosa excerpta ibidem exhibentur. — Joannes Muneratus edidisse dicitur a Launoy in hist. gymnasii navarrei p. 610 *Usuardi martyrologium* Coloniae 1490 in 4. (et Parisiis 1536), sed ad vetera exemplaria minime recognitum. Subjecit tr. *de divino officio celebrando* ex decretis concilii basileensis, itemque alium de moderatione et concordia grammaticae et musicae in officio ecclesiastico.

506. *Vitam b. Alberti M.* O. Praed. ep. ratisbonensis diligenter collegit (1486/87) ex variis auctoribus Petrus de Prussia sodalis (fl. 1483), Coloniae c. a. 1487; Antverpiae 1621. Ea stilo sincero et candido est concinnata: etsi auctor subinde nimis credulum se exhibet. — Eodem tempore alius sodalis Radulphus de Noviomago obtulit patribus provinciae teutonicae Pfortzheimi 1488 congregatis *Legendam b. Alberti M.* in 3 pp. distributam (Coloniae s. a.: 1484; 1400 in 4.), a quibus et approbata fuit. — Thomas Schifaldus O. Praed. Siculus politioribus literis imbutus narrat *vitam b. Petri Jeremiae* panormitani O. Pr. († 1452), quam sine auctoris nomine ediderunt Oct. Cajetanus SJ. in vitis SS. siculorum II, 254 et Bollandus in Actis SS. Martii I, 294. Ejus opus de viris illustribus O. Pr. mansit ineditum sicut et commentarius in Psalmos (fl. 1495. — Ambrosius Senensis O. S. Aug. (fl. 1483) italice narrat *vitam s. Nicolai tolentini,* Venetiis 1511. — Franciscus Diedus patricius venetus et Brixiae praefectus († 1483) *vitam s. Rochi*[1])

[1]) Cf. Argelati II, 1 939 ss.; Fabricius V, 82; Sassi hist. typogr. med. p. 146; Tiraboschi VI. p. 1. .. 2. c. 1 n. 32.

[1]) Prius jam prodierat ejusdem vita auctore Jo. Pino, Parisiis 1516; auctore Petro Lud. Maldura s. l. et a. (c. 1495).

conf. apud Montem Pessulanum in Gallia († 1327), in Monumentis SS. Veronae, Venetiis 1566; in Act. SS. 16. Aug. III. 399—407. — Paulus Lulmius (Lulma, Lumeus, Olmi etc.) Bergomas n. 1414, juris utriusque doctor et canonicus mundo valedicens factus est a. 1449 O. S. Aug. sodalis. Insignis erat concionator, hinc ad finem vitae in primariis civitatibus triginta tres habuit cursus quadragesimales, pluribus in conventibus priorem egit, definitoris, visitatoris et vicarii generalis munere est functus (12. Jun. 1484). Scripsit *vitas b. Magdalenae Albricae* (de Albericis) abbatissae brunatensis Comi apud Insubres O. Er. S. Aug. († 1465) in Act. SS. 13. Maj. III, 253—55; Romae 1484; et *s. Monicae* matris s. Augustini, ib. 1479 in 4; *apologiam pro ordine* contra Dominicum Tarvisinum canonicum regularem, Romae 1479; 1604 in 4; reformavit, correxit et emendavit l. *de potestate ecclesiastica* Augustini de Ancona (cf. p. 605), Romae 1479. — Marianus Florentinus († 1480) describit *vitam b. Joannis Bonvisii O. Min. de Obs.* († 1472), in Act. SS. 21. Maj. V, 101—12. — Julianus Januensis OSB. congr. s. Justinae de Padua (fl. 1499) narrat *vitam b. Nicolai de Prussia* ejusdem congr., quam luci dedit Pez thes. anecd. II. 3. p. 310—40. — Joannes Caroli (Carli) O. Praed. Etruscus n. 1428. in humanioribus literis celeberrimi Christophori Landini discipulus[1]), observantiae omniumque virtutum studio clarus, florentinae academiae doctor (1457) et decanus facultatis theologicae (1469), s. Antonino carus († 15. Maji 1500; secundum alios 1. Febr. 1503) scripsit praeter *vitam b. Jo. Dominici* (cf. supra p. 777); *vitas fr. Simonis Saltarelli* Florentini, archiepiscopi pisani († 24. Sept. 1342), *fr. Aldobrandini Cavalcantis* Florentini, ep. urbevetani († 31. Aug. 1279), *Angeli Accjajoli* ep. florentini († 12. Jun. 1409), *b. Joannis salernitani,* socii Dominici etc.[1]), in Leandri de viris ill. O. Praed. ll. 6; *Vitam b. Villanae Bottiae* († 1340) notitias suggerente Hieronymo Joannis, cujus est praefatio, in Actis SS. 26. Aug. V. 864—869. *Exempla s. Scripturae* ex utroque T. secundum ordinem literarum, Parisiis 1498. Alia (biographica, ascetica etc.) manserunt inedita. In certamen descenderat cum Jo. Pico Mirandulano 900 conclusiones propugnandas proponenti, nec infeliciter earum aliquas expugnavit[2]).

507, Joannes Tisserandus O. Min. Annae Galliarum reginae a consiliis et confessionibus, concionator insignis, enituit potissimum, cum exaltaret vocem suam quasi tuba coelestis, ut facinorosos quosque et mulieres prostitutas ad poenitentiam converteret, cujus insigne est testimonium, quod a. 1495, quo maxime vigebat fama concionum ipsius, novus ordo mulierum poenitentium Parisiis institutus est. Ejus *adventuale* seu conciones tempore adventus prodierunt Parisiis 1517 in 4; Legenda seu *historia de ss. martyribus Marochiorum* in Actis SS. 16. Jan. t. II. Obiisse eum tradit Wadding in Annalibus a. 1494. — Joannes Martin O. Pr. Hanno, Duaci aliquamdiu lector primarius († 1. Maj. 1495), scripsit per modum dialogi inter confessarium et devotam poenitentem gallice stilo ingrato, obscuro et duriori *La legende de Mons. s. Dominique,* quam compilavit ex b. Jordano, Constantino, Humberto et Theodorico de Apoldia, pluribus adjectis ex revelationibus Alani

[1]) De quo tamen dubitat Bandini Specimen hist. lit. flor. I, 189 ob difficultates chronologicas, quare Carli Landinum sensu forte laxiori vocat suum magistrum, quatenus illum magni aestimaverit atque ex ejus scriptis profecerit.

[1]) Etiam in actis SS. 10. Sept. III, 627-36 cum supplementis in Analect. bollandianis 1888 VII, 85—94.

[2]) Cf. Quetif I, 898 ss. Cf. supra p. 1011.

de Rupe, »quae in historiam, inquit Quetif I, 882, inseri nunquam debuerunt.« — F. J. Raphael O. Pr. Gallus, in ministerio Renati regis Hierusalem et Siciliae Provinciaeque comitis († 1480) et Ludovico XII. Galliae regi acceptus, concinnavit ex inquisitionis actis tum ex chronicis et antiquis documentis *La vie de Mons s. Aulzias* (Elzearii) de Sabran comte d'Arian glorieux confesseur et vierge († 1323), Parisiis s. a. in 4. — Eodem tempore Petrus Eberardinus O. Praed. Gallus scripsit *La vie de la benoite Dauphine de Puimichel* contesse d'Arian femme et epouse de s. Aulzias. — Joannes Bréhal O. Praed. gallus, theologiae doctor, prior conventus parisiensis s. Jacobi, inquisitor generalis in regno Franciae, instante Carolo VII rege delegatus fuit a rom. pontifice ad recognoscendam causam damnationis Joannis d'Arc, celebris scil. puellae aurelianensis, tam male initio actam: quam injustam et iniquam solemniter declaravit 7. Jul. 1466. Ejus hac de causa summarium et recollectionem exhibent Jos. Belon et Franc. Balme in op. *Jean Bréhal...* et la réhabilitation de Jeanne d'Arc[1]), Parisiis 1893 in 4. et versionem accuratam annotationibus illustratam Ayroles S. J. in op. *la vraie Jeanne d'Arc,* 1790. Resignato munere inquisitoris in ebroicensem secessit conventum, ubi strenue disciplinae religiosae restaurationem promovit († 1479). — Joannes Hispalensis, qui a Nic. Antonio II, 351 Augustinianorum sodalibus adscribitur, scripsit hispanice et epistolariter *vitam s. Joannis a s. Facundo O. Er. S. Aug.* († 1479) insertam latine redditam actis SS. 12. Jun. II, 619—30.

508. Ad *historiam literariam* symbolam contulit Ambrosius Massaria (de Massaris) de Cora, hinc Coranus, Coriolanus a patria nuncupatus, O. S. Aug., theologiae magister, studiorum regens, provinciae romanae praepositus, demum in comitiis generalibus Romae celebratis prior generalis electus a. 1476. Verum a. 1485 apud Innocentium VIII. accusatus ob verba, ut ferunt, contumeliosa in pontificem prolata[1]), in carcerem molis Hadrianae conjectus est, post mensem inde dimissus in monasterium pro carcere fuit relegatus, quod eum ita corpore et animo dejecit, ut 17. Maj, ejusdem anni morte fuerit absumptus. Reliquit *Chronicam,* ubi de viris illustribus sanctitate ac doctrina, et de generalibus necnon de privilegiis ordinis agit, Romae 1481; Argentinae 1490. — Arnoldus Bostius (de Vaernewick) O. Carm. Belga, theologiae doctor († 4. Apr. 1499) composuit *Speculum historiale* sectatorum ss. prophetarum Eliae et Elisaei, in quo agit de institutione et peculiaribus gestis ac viris illustribus s. Ord. bb. V. Mariae de Monte Carm. ll. 9, cujus excerpta quaedam cum summariis ll. et cc. prodierunt in *Speculi carmelitani* I, 274 ss., Antverpiae 1680; *de illustribus viris O. bb. V. M. de Monte C.,* ib. II, 886 ss.; *de illustribus viris O. Carth.,* Coloniae 1609 cura Theodori Petreji, quo opere Petrus Sutor saepe utitur in suis de vita Cartusianorum libris; Breviloquium tripartitum *de institutione, intitulatione ac confirmatione O. Deiparae V. M. de Monte C.,* in Vinea Carmeli, Antverpiae 1662 in 4. cum annotationibus Danielis a V. Maria O. Carm.; de immaculata conceptione V. Deiparae contra Vinc. a Novo castro O. Pr. — Silentio praeterire nolumus Michaelem Fabritium O. Carm. Regiensem in Aemilia († 1492 vel 1497) virum in enucleandis romanis inscriptionibus expertem. Collegit *Antiquarium,* quo

[1]) Michael Zeitschr. für k. Theol. 1895, 136—41.

[1]) Cf. Ossinger p. 260 ss.; Lanteri II, 24 ss., qui etiam diligenter recensent ejus scripta inedita.

exhibet monumenta 1728 ordine alphabetico cum notis antiquorum et siglis, quod ob suum pretium in civitatis patriae arca sub tribus clavibus asservabatur[1]). — Zacharias Lilius Vicetinus canonicus regularis concinnavit *Breviarium orbis*, Florentiae 1493; Neapoli 1496, in quo ordine alphabetico disserit de variis orbis urbibus.

[1]) Donnus Nicolaus Germanus chartographus celeber († 1485) juxta Trithemium fuit „cosmographiae vigilantissimus receptor et diligentissimus instaurator:" nam praeter alia reliquit „mirandum et celeberrimum opus cum picturis et novis tabulis elegantissime ordinatum in cosmographiam Ptolomei ad Paulum II. ll. VIII," Ulmae 1482. 1486. A Trithemio dicitur (1) Nicolaus Donis, (2) ordinis d. Benedicti, (3) monasterii (ut ferunt) richenbachensis, quae tamen sat dubia sunt. Sacerdotem fuisse constat atque in Italia esse commoratum, deque ejus laboribus geographicis cf. Fischer in diss. die Entdeckungen der Normannen in Amerika, Freiburg 1902 pag. 75 ss.; hist.-pol. Bl. CXXVI (1900), 641—649.

IV. Theologia practica.

509. Hac periodo duo tantum occurrunt pontifices: Sixtus IV. († 1484), de quo jam supra p. 1006 egimus, et Innocentius VIII. Hic antea dictus est Joannes Baptista Cibo, natus ex illustri familia genuensi. Pater ejus quondam erat senator Romae, gubernator dein Neapolis. Vixerat Joannes B. in matrimonio, defuncta uxore sacros suscepit ordines. A Paulo II. dictus est episcopus savonensis' a Sixto IV. amalfitanus et cardinalis. Factus pontifex de reformatione curiae erat sollicitus, Husitis et Waldensibus se opposuit, Pici Mirandulani theses 900 reprobavit, exterminare nisus est judicia sic dicta Dei per ferrum ignitum, Leopoldum Austriae marchionem inter sanctos retulit. Decessit pie[1]) 25. Jul. 1492. Ejus bullae reperiuntur in bull. magno ed. taur. 1860 V, 296 ss.; apud Laertium Bull. I, 429 ss., inter quas est et bulla *adversus haeresin maleficarum*. Etsi et ipse arderet studio coercendi Turcarum insolentiam, totus absorbebatur cura revocandi principes Italiae universique Occidentis ad concordiam, sed haud stabili effectu.

[1]) Cf. Vialardo Istoria delle vite de'sommi pontefici Innocenzo VIII., Bonifacio IX. e del card. Innocenzo Cibo, Venezia 1613; Serdonati, Vita e fatti d'Innocenzo VIII, Milano 1829; Pastor III³ 175—285; Brischar KL. VI, 748—750; Hefele-Hergenroether Conciliengesch. VIII § 860—64.

510. In *jure canonico* insigniter versati sunt: Alexander Tartagni Imolensis, qui Bononiae sub clarissimis professoribus, ut Joanne de Imola, Jo. de Anagnia etc., incredibili diligentia juri operam dedit. Annos n. 21 utriusque juris creatus est doctor 2. Oct. 1445. Post obita civica in patria sua munera cathedram conscendit modo Ticini, modo Bononiae, Ferrariae et Patavii ad docendum jus civile vel canonicum. Celebres habuit discipulos tantaeque fuit prudentiae et auctoritatis, ut magistratus bononienses frequenter ejus uterentur consilio, tantae aequitatis, ut soleret dicere „Legibus vacavi, ut scirem, non ut eas venderem;" tantae pietatis, ut nunquam in causis capitalibus sententiam ferret. Patriae suae erat decus, legum verissimus ac fidissimus interpres († 1477). Haec ejusdem opera: Lectura *in l. 3 decretalium*, Bononiae 1485; Lectura *in rubricam de fide*, Mediolani 1490; *Consilia* ll. 7 saepissime edita sec. 15. et adhibita ob eorum utilitatem, Lugduni 1547—63; Francofurti 1610 etc. Commentariis Bartoli, quem summi fecit, et Baldi

additiones adjecit[1]). — Duos habuit Tartagni famae aemulos Bartholomaeum Cipolla (Caepolla) et Andream Barbazza, quorum ille patria erat Veronensis, Ferrariae et Patavii juris civilis professor. Obiit eodem quo Tartagni anno (1477). Disseruit[2]) *de cognitione librorum juris canonici*, inter tr. jur. un. I, 181. — Alter Andreas Barbazza (de Barbatia) de Bartholomaeo, Messanensis relicta medicina Bononiae juri operam dedit. Jus canonicum ibidem docuit necnon et romanum tanto fervore, ut saepe ternas horas ante meridiem legeret et binas a meridie repetitionibus impenderet. Discipulos ex variis regionibus plurimos habuit, inter quos et illustres, ut Rodericum Borgia, qui postea fuit pontifex dictus Alexander VI. Multas causas egit, undique fuit consultus etiam a personis in summa dignitate constitutis, ut in causa inter Paulum II. et collegium cardinalium mota. Al. Tartagni eruditione et memoriae tenacitate superabat, non vero judicii sagacitate. Non deerant qui ejus famae detraherent, sed ab aliis magnis encomiis pro more illius aetatis effertur: dictus enim est »solemnis vel juris utriusque monarcha, canonum pater, juris lucerna, princeps et illuminator, legum splendor« etc. Annos saltem 40 rexit cathedram (1438-78) decessitque a. aetatis 80 die 21. Jul. 1479. Donatus fuit cum tota sua posteritate ab urbe bononiensi civitate, factus eques auratus et consilarius regis Aragoniae. Haec ejus opera[3]): *Consilia*, Mediolani pp. 2; Venetiis 1500 p. 3. et 4; Tridini 1517. 1518 t. 4 inf.; Venetiis 1563; 1580; 1581 t. 4 inf.; Lugduni 1559 in f. etc.; commentaria *super 1-3 l. decretalium*, Venetiis 1508. 1511 t. 5 in f.; *de praestantia cardinalium*[1]), Bononiae 1487; Lugduni 1518 cum additionibus Jo. de Gradibus; inter tract. univ. juris XII. p. 2. pag. 63; lecturae seu *repetitiones* in titulos diversos, quae seorsim variis in locis prodierunt sec. XV; *additiones* ad Nic. de Tudeschis commentaria super decretalibus (in horum editionibus). — Franciscus de Accoltis frater Benedicti, de quo supra egimus (p. 944), Aretinus n. 1418, diu erat juris professor, sed mira instabilitate in variis universitatibus, juris consultus ingentis famae supra omnes aequales[2]), sed, ut videtur, supra meritum. In causa Florentinorum adversus Sixtum IV. non bene se gessit († 1485—86). Ejus sunt lectura *super l. 2. decreta-*

[1]) Fantuzzi VIII, 88—94; Schulte 2, 328; Tiraboschi (etiam de sequentibus) VI. p. 1. l. 1. c. 3. n. 24 ss.

[2]) Cf. de ejus operibus, quae minus ad nos spectant et inter quae maxime laudatur op. *de servitutibus urbanorum et rusticorum praediorum* saepe editum, Papadopoli hist. gymn. patav. I, 224 s.

[3]) Cf. Fantuzzi I, 343—54; Schulte 2, 306—11.

[1]) *De origine et potestate S. R. E. cardinalium* disseruit etiam Gundisalvus de Villadiego juris doctor et professor Salmanticae, canonicus doctoralis toletanus (1476), auditor Rotae et demum episcopus orvietanus (1486), sed mox vita decessit c. a. 1487. Reperitur inter tractatus juris univ. XIII. p. 2; ubi (XI p. 2) reperitur ejus tr. *de legato*. Cf. alia apud Nic. Antonium bibl. hisp. n. I, 560; Schulte 2, 406; Fabricius 3, 69. Hujus collega in academia salmantina alter Gundisalvus de Frias dictus O. S. Hier., ibidem docuit non solum artes, rhetoricam et mathematicas, sed et philosophiam atque theologiam. Reliquisse fertur 16 vel 17 volumina msc., inter quae et volumen super cantica Salomonis.

[2]) Cf. Mazzuchelli I, 1, 68; Tiraboschi VI. 1. l. 2. c. 3 n. 17 ss. En quanto encomio Leonello marchio ferrariensis in decreto, quo ei cathedram assignat, de eo inter alia loquitur: „In quo non solum ipsae leges, sed et humanitatis et omnium bonarum artium studia et disciplinae domicilium suum locasse videntur. Ita enim de iis loquitur, ita de iis quibuscunque tractat, ut divinum, non humanum ejus ingenium ac memoria judicari possit.“ Quae laudes ab aliis viris eruditis repetuntur. Tribuitur ipsi etiam versio homiliarum s. Jo. Chrysostomi, quod tamen non est supra omne dubium.

lium, Bononiae 1481; Papiae 1496; *super aliquibus titulis decretalium*, Venetiis 1495; supra titulum *de significatione verborum*, Ticini 1493; *Consilia* seu responsa juris, Piis 1482; 1483; Mediolani 1483; Papiae 1493; Venetiis 1499 etc. — Alexander de Nevo vicentinus, professor erat Patavii a. 26 juris canonici et canonicus trivisinus; ejus commentarii in (4 priores) *ll. decretalium*, dicuntur prodiisse Venetiis 1473; 1585 t. 2 in f.; *consilia* (quae magna auctoritate fruebantur) contra Judaeos foenerantes, Norimbergae 1479; Mediolani 1479 et saepissime cum Nicolao de Auximo Venetiis 1476 etc. Curavit quoque editionem *Decreti Gratiani*, Venetiis 1474. — Guidoni Papa (Guipape, de la Pape) Gallo, primum professori, dein advocato, in consilium Delphinale, quod postea Parlamenti nomen 1454 accepit, adlecto († 1485—87) tribuitur lectura *in decretales*, Lugduni 1517. Magis innotuit suis *decisionibus* gratinopolitanis (633), Gratianopoli 1490; Lugduni 1511; Francofurti 1573; Genevae 1643 ed. optima cum annotationibus plurium juris consultorum. Chorier illud in compendium contraxit inscriptum *Jurisprudence de Gui-Pape*, cum hujus vita Lugduni 1692 in 4. *Consilia singularia* (246 erudita et concisa), quorum materia quotidie in practica in curiis tam ecclesiasticis quam secularibus versatur, Lugduni 1515; 1544; Francofurti 1594. Sub ejus nomine edidit ib. 1576 Thierry *Tractatus singulares* (11), qui tamen non omnes ipsius esse videntur[1]).

511. *Breviarium decretalium*, Sexti et Clementinarum concinnavit Paulus Florentinus theologiae professor Romae, Mediolani 1478 in f.; 1479; Memmingae 1486; 1499; Lugduni 1484; Basileae 1487; *Quadragesimale* de reditu peccatoris ad Deum, Mediolani 1479. — *Repertorium* ingens juris diligenter collegit Joannes Bertachinus Firmanus, juris doctor, qui sustinuit varia munera civica factusque est advocatus consistorialis et a nonnullis dicitur obiisse 1497, sed vixisse colligitur[1]) adhuc a. 1506. Saepius prodiit ut Romae 1481 t. 3 in f.; Norimbergae 1483; Mediolani 1485 s.; Venetiis 1488; 1494; 1500; 1518. 1519 etc.; *de episcopo ll. 4*, Mediolani 1511; Tridini 1533 in 8; *de gabellis, tributis et vectigalibus*, Venetiis 1498. — *Concordantias bibliorum et canonum* collegit Joannes abbas nivicellensis OSB., doctor decretorum, in 3 pp. distinctas, in quarum 1. exhibet auctoritates bibliae, in 2. dicta sanctorum, poetarum etc.; in 3. auctoritates textuales magis notabiles, s. l. et a.; Coloniae 1482; Venetiis 1483; Bononiae 1486; Basileae 1487.

512. De *argumentis specialibus* plurimi disseruerunt. Ita Stephanus Costa Papiensis, professor juris canonici Papiae (fl. 1476) — Nicolaus Baldeschi Perusinus, decretalium interpres in gymnasio perusino, advocatus consistorialis et auditor Rotae (1464), Pio II. et Sixto IV. acceptus[2]), a quo fuit in gravibus negotiis adhibitus († c. 1477), relicto praeter alia tr. *de successionibus ab intestato* clericorum regularium et secularium; item *de canonica episcoporum et parochorum*, Romae 1474; Tolosae 1519. — Bartholomaeus Bellencinus Mutinae 1428 n., Francisci Aretini discipulus et juris professor Ferrariae, dein Bononiae celebris Andreae Barbazza

[1]) Cf. Scherer KL. IX, 1367.

[1]) Cf. Morus Bibl. picena II, 220, qui p. 222 alterius Bertachini meminit cognomine Josephi, qui fl. sec. XVII, et reliquit *Vota decisiva* canonica et civilia, Bononiae 1698.

[2]) Cf. Vermiglioli Biografia degli Scrittori perugini I, 151 ss.

aemulus[1]), Romam accitus auditor rotae vere bonus et justus († 7. Jun. 1478), qui *apostillas* adjecit sive annotationes ad commentaria ab. Panormitani (p. 858) et Ant de Butrio (cf. p. 771), Venetiis 1485; 1487: et tr. scripsit *de caritativo subsidio* et decima beneficiorum, Mutinae 1489 etc. — Joannes Berberius Gallus, Vallaviensis, oriundus ex oppido Ysingachii, jurium professor (fl. exeunte sec. XV.) — Joannes Caraffa j. u. doctor et vicecancellarius neapolitanus, qui disseruit *de simonia* (Romae) 1478 in f. et inter tr. univ. juris XV. p. 2. p. 116 — Jacobus de Bangio (a Sbaraglia Balneus appellatus) O. Min. Aquilanus — Ferdinandus Cordubensis, doctor medicinae et theologiae, vir insigniter doctus († 1486), subdiaconus sedis apostolicae, qui scripsit[2]) sub Sixto IV. *de jure medios exigendi fructus,* quos vulgo annatas dicunt et de rom. pontificis in temporalibus auctoritate s. l. et a. — Elias de Bourdeille Gallus, Arnaldi vicecomitis Bourdellii, proregis in provincia petragoricensi filius, a. natus decem, reluctante licet matre, regulam s. Francisci est professus. Annum agens 19. theses ex philosophia et theologia in provincialibus comitiis octo dierum spatio eo doctrinae plausu et fama sustinuit, ut omnium calculo magisterii gradum et cathedram sit consecutus. Ad Caroli VII. Francorum regis preces ab Eugenio IV. dictus est episcopus petragoricensis, etsi tantum 24 esset annorum. Ob defensionem immunitatis ecclesiasticae captus est ab Anglis et nonnisi post aliquot annos libertati restitutus. Vir apostolicus totus incubuit in corrigendis corruptissimi populi vitiis omnium virtutum clarissimum factus exemplum. Paupertatis religiosae tenax amplissimos proventus in opera misericordiae distribuit: ordinis jejunia etsi episcopus conscientiose servabat. Interfuit concilio Florentino et a. 1467 regni comitiis, ubi virtute, doctrina et religionis zelo in tantum enituit, ut omnium suffragiis proclamatus fuerit archiepscopus turonensis. Quo tempore in favorem sedis apostolicae scripsit tr. *pro pragmaticae sanctionis,* quae scil. ex conc. basileensi prodierat, *abrogatione* et de potestate papae, Tolosae 1518, in quo multis rationibus demonstrat, quantum pragmatica sanctio pontifici et Ecclesiae, regi ac regno dedecori esset. Ludovico IX. erat a confessionibus, cui tamen fortiter immunitatem ecclesiasticam laedenti restitit nullis aulicorum minis territus. In meritorum praemium[1]) creatus est absens a Sixto IV. a. 1483 cardinalis, sed non diu licuit ei frui tanto honore, animam enim Deo reddidit 5. Jul. 1484. a. aetatis 78, religionis 68. Mire erat s. Francisco de Paula familiaris. Facta est post ejus mortem sedula inquisitio in ejus vitam et miracula actumque de eo in sanc-

[1]) Cf. Mazzuchelli II, 679; Tiraboschi VI l. 2. c. 5 n. 15.

[2]) Cf. de aliis ejusdem operibus Nic. Antonius l. X. c. 13 n. 734 ss. et bibl. hisp. novae I, 373, qui alia ejus opera recenset inedita, ut commentaria in Apocalypsim Joannis ap. etc. Summa vero laude de eo scribit Bzovius ad a. 1501 n. 18. 19. Inter alia enim refert eum „universam Parisiorum scholam sua mirabili scientia vertisse in stuporem. Erat enim in omni facultate Scripturarum doctissimus, vita et conversatione honestissimus . . . Memoriter tenuit Bibliam totam, Nic. de Lyra, scripta s. Thomae Aq., Alexandri de Ales, Jo. Scoti, s. Bonaventurae et aliorum in theologia complurium; Decretum quoque et omnes utriusque juris libros, et in medicinis Avicennam, Galenum, Hippocratem et Aristotelem et Albertum, omnes philosophiae et metaphysicos libros et commentaria ad unguem, ut ajebant, memoria retinebat. In allegando fuit promptissimus, in disputando acutus, a nullo unquam superatus. Denique linguas hebraicam ac graecam, latinam, arabicam et chaldaeam perfecte legebat, scribebat ac intelligebat etc.“

[1]) Cf. Eggs Purp. docta l. III § 52.

torum numerum referendo: hinc ab Arturo a Monasterio in martyrologio franciscano 5. Jul. Beati titulo cohonestatur. Sub ejus nomine prodiit quoque *Defensio concordatorum,* Parisiis 1520. — Petrus de Andlau (Andlo) canonicus colmarensis, praepositus lautenbacensis, juris canonici professor in universitate basileensi (1444—1480), hujus vicecancellarium et rectorem egit (1475). Scripsit *de imperio romano germanico,* ed. Freher Strassburg 1602; 1612, quo in op. fusius agit re relatione imperium inter et ecclesiam[1]).

513, His addantur Lanfrancus de Oriano Brixianus, professor patavinus († 1488). — Nicasius de Voerda Belga, qui n. 1440 anno aetatis suae quarto lumen amisit oculorum, quod damnum ingens discendi ardor, memoriae tenacitas et perspicacia ingenii compensarunt[2]). Nam solo auditu eo pervenit scientiae, ut in universitate lovaniensi artium magister sit creatus, subinde etiam suae patriae scholam rexerit. Dispensatione apostolica sacerdos ordinatus magno zelo munia sacerdotalia obiit et concionaturus evangelium coram omnibus de memoria veluti fidelissimo libro recitavit. Coloniam adiit atque receptus fuit ad concilium facultatis artium necnon et doctor canonici juris est institutus. Mox canones pontificios et leges caesareas explanavit coram auditoribus ultra centum († 16. secundum alios 26. Sept. 1492). — Joannes Baptista de s. Blasio Patavinus, professor juris canonici et civilis in academia patria († 1492). — Hieronymus de Zanettinis Bononiensis nobili familia ortus, juris utriusque doctor et magister († 8. Apr. 1493), qui praeter alia diligenter collegit in usum practicum *Contrarietates* seu diversitates inter jus civile et canonicum, Bononiae 1490. — Franciscus Patricius Senensis, episcopus cajetanus († 1494), qui disseruit *de institutione reipublicae ll. 9,* s. l. 1494; Parisiis 1518; Argentorati 1595; *de regno et regis institutione*[1]), Parisiis 1519; Argentorati 1594, quod utrumque opus Joannes Savigni notis illustravit. — Troylus Malvezzi canonicus bononiensis, lector senensis et dein in patria sua, cubicularius pontificius et protonotarius apostolicus, proditorie interfectus (1496), qui inter decreti interpretes suae aetatis eminuit, disseruitque *de sanctorum canonizatione,* Bononiae 1487; inter tr. juris univ. XIV, 97 (qui tr. saepe a Benedicto XIV. in suo op. de eodem argumento citatur); *de episcopi dignitate, de oblationibus* ecclesiae vel altari seu imagini Dei vel alicujus sancti factis cum op. A. de Barbatia de praestantia cardinalium; *de sortibus* inter tract. XI. p. 2 p. 398, *consiliaque* emisit (Venetiis). — Alphonsus de Soto Civitatensis, Hispanus, thesaurarius salmantinus, Romae juris praxi diu deditus, cujus est *in regulas cancellariae* Innocentii VIII. commentarius (utilis et doctus), s. l. et a.; et a J. Choquier editus[1]) cum suo commentario in easdem regulas, Coloniae 1621 in 4. — Joannes de Lopez (Lupus) in salmantino gymnasio juris praeceptor, segobiensis canonicus et decanus, protonotarius apostolicus, sed dum Romae degeret nescio qua de causa in carcerem aliquamdiu conjectus († 1496), qui disseruit[3]) *de libertate ecclesiastica,*

[1]) Cf. Hürlin, Peter von Andlau.
[2]) Cf. Hartzheim bibl. col. pag. 254; Schulte 2, 397.

[1]) Idem argumentum tractavit Diomedes Caraffa comes Magdaloni, Ferdinando I. regi Apuliae a consiliis (fl. 1490), in l. *de regentis et boni principis officiis* italice conscripto et a Baptista Guarino latine verso et 1668 edito, quem ineditum putans Mansi in suam Fabricii bibl. lat. ed. VI, 646—666 recepit.
[2]) Cf. Nic. Antonius II. l. 10 c. 16 n. 903 ss. qui alia ejusdem inedita recenset.
[3]) Cf. Nicol. Antonius II. l. 10 c. 15 n. 825 ss.; Schulte II, 335 s.

Argentinae 1511 cum ejusdem tr. *de confoederatione principum et potentatum* ed. rara (m. 120); Parisiis 1513 in 8. ed. Jo. Petit; *de matrimonio et legitimatione* etc., s. l., a. et typogr. nomine; inter tract. j. univ. IX, 39 etc. — Helias Regnier juris professor pictaviensis, cujus *casus longi* Sexti et Clementinarum saepius prodierunt, Pictavii 1483; Argentinae 1488; Bononiae 1489; 1489 etc. — Haringus Sifridus Synnama (Sinama etc.), secundum Trithemium communiter Hermannus dictus, j. u. doctor et in universitate coloniensi professor, consistorii imperialis spirensis assessor, qui dedit expositiones sive *declarationes titulorum utriusque juris,* Coloniae 1491; 1494; 1500. — Stephanus Aufreri juris consultus et praeses parlamenti tolosani (fl. 1491) collegit *decisiones* curiae archiepiscopalis tolosanae, Lugduni 1616 in 4; *de officio et potestate judicis ordinarii:* accessit tr. *de potestate secularium* in personas ecclesiasticas earumque res et bona et vice versa de potestate Ecclesiae et privilegiis ejus contra laicos, in quo satis bene distinguit utriusque potestatis jura, saepe editus, Lugduni, Coloniae, Venetiis 1512; inter tract. juris ib. 1584; Leodii 1702 in 8 etc. — Engelbertus Cultrificis (Messemackers) Gelder O. Praed. theologiae lector († 1492), cujus est stilo vivo et efficaci, sed simplici et impolito *Defensorium* et declaratio privilegiorum mendicantium in c. „Omnis utriusque sexus." Praecedit ep. declaratoria jurium et privilegiorum fratrum O. Mendic. contra quosdam articulos erroneos quorundam magistrorum et curatorum ecclesiarum parochialium, et ep. de simonia vitanda Novimagi 1479 in 4; Coloniae 1497; Parisiis 1507; Delphis 1508. *Manuale confessorum* metricum una cum defensorio privilegii quatuor ordinum mendicantium super audientia confessionum, Coloniae 1497, utrumque opusculum rarum.

514. Jam transeamus ad *theologiam moralem.* Joannes de Beets (Beetz, Beithz, Beriz) O. Carm. Brabantinus, eximius in academia lovaniensi professor s. Scripturae († 17. Jul. 1476; in epitaphio a Foppens relato I, 577 legimus 6. Jun. 1470), concinnavit *Praeceptorium divinae legis* sive in decalogum commentaria ll. 10, Lovanii 1486; scholasticam expositionem sive postillam in ep. ad romanos aliaque (inedita). — Opus in eundem decalogum eandem inscriptionem prae se ferens (in forma sermonum) tribuitur Gotschalco Hollen (Holem) O. S. Aug. Corbiensi, insigni concionatori († 1481), quod saepe prodiit, sexies saltem sec. XV, Coloniae 1481; 1521; Norimbergae 1497; 1500; 1503 in 4. etc.; opus sermonum dominicalium *super epistolas,* Hagenoae 1517; *de b. Virgine* ib. 1520; alia ut commentaria in ep. Pauli t. 2 manserunt inedita. Ipsius etiam esse dicitur opus *de festis mobilibus* et astronomia clericali, Florentiae 1514. — Petrus Scotus (Schott) Argentoratensis[1]), juris utriusque doctor, canonicus s. Petri († 1491 vel 1492 a. natus 31, solvit quaestiones variis de rebus ad conscientiam pertinentes, quae prodierunt cum ejus epistolis et poematibus, Argentorati 1498. — Celebris est *summa casuum* b. Angeli Carleti O. Min. strict. obs. a loco patrio de Clavasio cognominatus, iteratis vicibus vicarius generalis ordinis per Italiam, cujus opera Sixtus IV. et Innocentius VIII. usi sunt in subsidiis colligendis contra Turcas et in negotio Waldensium († 11. Apr. 1493). Ea ab auctore dici solet *angelica*[2]), atque nititur Summa pisana (cf. 612), alphabetice est disposita, in qua quidquid utile in tot aliis operibus reperitur, praesertim in ss.

[1]) Fuse de hoc agit Car. Schmidt Histoire littér. de l'Alsace II, 1—35.

[2]) Cf. Scherer KL. I², 845; Sbaralea p. 40; Dietterle Die franzisk. Summae confessorum p. XXX. ss.

Thoma et Bonaventura, in Fr. Mayrone, Augustino Triumpho et Panormitano, concise congestum est. Ob suam utilitatem brevi tempore (1476—1520) saepissime fuit edita aliasque Summas similis generis antiquavit: numerantur enim ad 31 editiones. Primum prodiit 1486 (m. 100); dein Venetiis 1487; 1489; Norimbergae 1488; Brixiae et Alosti 1490; ab auctore aucta et correcta 1495; 1504 etc.; Lugduni cum additionibus auctoris 1513; cum additionibus Jac. Ungarelli († 1517), Venetiis 1492; 1578; Hagenoae 1505; Lugduni 1592 etc. Ea Luthero admodum fuit invisa, unde eam dixit plus quam diabolicam atque cum bulla excommunicationis et cum corpore juris canonici publice flammis tradidit 1520. Tr. *de restitutionibus,* Compluti 1562 cum ejusdem l. *Arca fidei.* Ejus cultum approbavit sedes apostolica ejusque memoria inter sodales celebratur 12. Apr. — Hunc post annum (1496) secutus est Bartholomaeus Caimus (Chaimus, de Chaymis) sodalis, concionator eximius, cujus Interrogatorium seu *Confessionale* pariter saepissime prodiit, saltem quindecies sec. XV, ut Mediolani 1474 (m. 80); 1476; 1478; 1480; 1482; Venetiis 1486; Moguntiae 1478 (m. 120). Quanti fieret hoc opusculum liquet ex decreto concilii basileensis a. 1503, quod c. 33 recenset libros, qui presbyteris usui esse deberent, sunt scil.: „Tractatus sacerdotalis — Manipulus curatorum — Manuale curatorum — Opuscula Jo. Gerson, praesertim tripartitum et de arte confessionis — Confessionale Augustini — Confessionale Barth. de Chaimis ... Summa vitiorum et virtutum lugdunensis (supra p. 302) — Summa angelica vel baptismana — Compendium theologicae veritatis Th. de Argentina (p. 383) — Expositio canonis Gabrielis (p. 987) — Resolutorium dubiorum missae Jo. de Lapide (p. 1028) — Praeceptorium Jo. Nider (p. 865).“ — Tertius ex eodem ord. fuit b. Pacificus de Ceredano, etiam Novariensis dictus n. 1424. Sub ducibus ss. Bernardino et Jo. Capistrano vitam christianam inter fideles restaurare sategit, hinc apostolicas missiones per universam fere Italiam obivit. Sixtus IV. eum in insulam Sardiniam misit ad abusus, qui ibidem irrepserant, exstirpandos, ad visitanda ordinis monasteria et praedicandum bellum sacrum adversus Turcas, qua in missione decessit 4. Jun. 1482. Composuit a. 1473 *Summam* ab ipso dictam *Pacificam* ad utiliter suscipiendum et administrandum confessionis sacramentum, quae primum italice prodiit Mediolani 1479, inscripta *Sumula* ho vero Sumeta de pacifica conscientia, ed. rara (Rosenthal 98, 1428 m. 400); dein latine Venetiis 1501; 1513. Ejus cultum ab immemorabili approbavit Benedictus XIV., festumque celebratur a sodalibus 5. Junii[1]). — Quartus ex eodem ordine est Baptista Trovamala Salensis (Baptista de Salis) ab oppido patrio Salis vel Salo in finibus Liguriae, Aemiliae Insubriaeque, cujus est *Summa Baptistiniana;* postea vero titulum mutavit in *Rosellam casuum* (unde quidam duas fecerunt summas, duplicemque hinc auctorem), Novis 1484; Norimbergae 1484; 1488 etc.; in editionibus posterioribus jam Rosella dicitur ut Papiae 1489; Venetiis 1495; 1498; 1499; 1548 in 8; Argentinae 1586 etc. Ea disposita est ordine alphabetico in eaque ratio habetur juris canonici[2]).

515. Angelus Capreolus O. Carm. Brixiensis, theologiae doctor et concionator clarus, mantuanae congregationis vicarius generalis (1479), composuit opus inscriptum *Stella* in 7 rubricas digestum confessariis et ani-

[1]) Cf. Jciler KL. IX², 1231.

[2]) Cf. de ea accuratius disserentem Dietterle op. cit. p. XXII ss.

marum pastoribus utile, Brixiae 1511 cura Aug. Passirani. Expendit in eo casus circa negotia religiosorum, curatorum seu plebanorum, episcoporum, usurariorum, negotiatorum etc. — Antonius de Balocho O. S. Franc. famosissimus praedicator († 22. Oct. 1483) reliquit tr. *de virtutibus,* Lugduni 1504; Venetiis 1505 cum quadragesimali de 12 *mirabilibus fidei christianae excellentiis*, quod constat 71 sermonibus, Venetiis 1492 ed. mendosa; tr. *de 12 excellentiis sacramenti confessionis*, Mutinae 1491; tr. diffusus *de 13 consiliis* circa salutem peccatoris, Mutinae 1492 in 4. aliaque inedita. — Haud parum laudat Janssen Joannem Wolf (Lupi), qui hoc tempore floruit, capellanum ad s. Petri Francofurti († 1468), qui *confessionale* seu egregiam catecheticam instructionem composuit, in quo etiam alia attingit argumenta[1]). Prodiit 1478. Non minorem laudem merent ejus libelli: Eyne schon geistlike lere und unterweysinge *von der bychte;* et *Von dem sterbendem mynschen* und dem gülden Seelentrost, Magdeburg 1486. In epitaphio dicitur „doctor decem praeceptorum.“ — His addantur plures, quos nominasse sufficiet: Nicolaus Barianus O. S. Aug. Placentinus, qui se institutioni montium pietatis opposuit, quos montes „impietatis“ appellabat in l. contra eos scripto (quo tamen in certamine adverso marte pugnabat), Cremonae 1494; 1496; cum aliis opusculis de hoc argumento Lipsiae 1670 in Dorothei Asciani i. e. Matthiae Zimmermann de montibus pietatis p. 964 ss.; contra quod scripsit Bernardinus de Bustis, ut p. 1002 retulimus. *Quadragesimale* et quodlibeta 77 qq. praedicabilium, Bononiae 1501 in 4. (fl. 1494). — Stephanus Nottius (de Nottis) O. Hum. Mediolanensis, cujus laudatur tr. *de jubilaeo* seu opus remissionis a poena et culpa, Mediolani 1500. — Jacobus Loup (Le Loup † 1498), cujus exstant tr. *de justitia commutativa*, Parisiis 1496; *l. assertionum catholicarum apostoli* omnibus praedicatoribus accommodissimus, in quo omnes conclusiones apostoli et earum probationes annotantur, ib. 1497. — Joannes Faber de Carvinio (Epinois in Burgundia) O. Praed. in *compendiosa,* ex variis libris *exhortatione* ad omnes Christi fidelium status propriis quosque orationibus adhortatur, summum pontificem, cardinales, episcopos, imperatores, reges, principes etc., deinde theologice quasdam qq. (minoris momenti) expendit. — Tussanus Caverus a Villa nova O. Carm. Avenionensis, s. Scripturae et theologiae scholasticae lector, episcopus cavallicensis (1466; † 1492) composuit *directorium conscientiae,* Lugduni 1488; commentaria in s. Scriptura, inedita ut videtur. — Joannes Varenacker Belga nascente academia lovaniensi philosophiam in gymnasio liliensi docuit, indeque gradum fecit ad s. theologiae magisterium. Anno 1443 nominatus fuit plebanus d. Petri ac professor († 1475), solvit *qq. quodlibeticas* 1. utrum clerici et ecclesiarum praelati peccent, si quod eis de praebendis superest in eleemosynam non elargiantur; 2. utrum ab homine possit dispensari in praeceptis juris naturalis aut divini, 1512; Parisiis 1544. Alia ejusdem opera ut Monotessaron manserunt inedita. — *Statuta synodalia* et provincialia ... Egerdi (Eggerhard) Dürrkopf episcopi slesvicensis (1489 — 6. Nov. 1499) prodierunt Lubecae 1496.

516. Specialem mentionem adhuc merent duo ex ordine Praedicatorum

[1]) Geschichte des deutschen Volkes I, 59 ed. 18: Der schlichte Frankfurter Caplan besaß ein ebenso gediegenes theologisches Wissen wie ein richtiges Verständnis der praktischen Bedürfnisse des Volkes. Ibidem etiam excerpta ex eo exhibet.

Jacobus Sprenger et Henricus Institoris, quorum ille prior fuit conventus coloniensis (1475) et gradu magisterii in illa academia insignitus. A Sixto IV. designatus est cum Gerardo de Elten (cf. p. 1026) generalis inquisitor fidei per plures Germaniae provincias. Cum eodem egit contra Joannem de Wesalia: sed prae primis sagas est aggressus atque cum Henr. Institoris *malleum maleficorum* maleficia et eorum haeresim ut frameam potentissimam conterentem condidit, qui fuit veluti norma pro gerendis moderandisque causis adversus sagas magnamque nactus est auctoritatem, cum ab octo professoribus facultatis theologicae coloniensis fuerit approbatus atque saepissime editus, saltem novies ad a. 1496, s. l. et a. aliquoties, Coloniae 1487; 1489; 1494; Norimbergae 1494; 1496 etc. Propter eum tam auctores quam opus fuerunt acriter impugnati, hinc prodiit Coloniae 1511 cum apologia; ed. Francofurti 1582 adjectus est t. 2., quo continentur 1. M. Bern. Basini canonici caesaraugustani opusc. *de artibus magicis* seu de magorum maleficiis; 2. Ulr. Molitoris de Constantia decretorum doctoris dial. *de pythonicis mulieribus;* 3. Hieron. Mengi Vitellianensis O. Min. Conv. († 1610) *flagellum daemonum* sive exorcismi; 4. Jo. de Gersonio *de probatione spirituum;* 5. Thomae Murneri O. Min. *de pythonico contractu;* 6. Fel. Malleoli j. u. doctoris (cf. supra p. 973) tr. I. et II. de exorcismis seu adjurationibus, et III. de credulitate daemonibus adhibenda; 7. Barth. de Spina O. Pr. q. *de strigibus,* atque in Jo. Ponzinibium *de lamiis* apologia quadruplex. Nonnisi per calumniam adscribuntur huic operi rigor, imo furor et excessus contra sagas, qui jam antea horrendum in modum viguerant coram tribunalibus politicis, scriptum enim potius est ad illos excessus moderandos. — Henricus Institoris (Kraemers) Germanus, s. theologiae magister et professor[1]), cum Jacobo Sprenger inquisitor generalis auctoritate Innocentii VIII. per dioceses quinque ecclesiarum metropolitanarum, qui diu salisburgensis ecclesiae lectoris officium gessit. Inde vocatus est a magistro ordinis Joachimo Turriano Venetias a. 1495, qui publicas haberet de sacro cultu et adoratione eucharistiae concertationes ob quaestionem a quibusdam agitatam, num eucharistia, cum in sacrificio missae elevatur et proponitur vel ad infirmos defertur, adoranda sit sub conditione, si vere sit consecrata hostia[2]). Contra hanc geminamque opinionem Augustae V. suscitatam scripsit Tractatus varios cum sermonibus plurimis (25) *contra quatuor errores* novissime exortos adversus divinissimum eucharistiae sacramentum, Norimbergae 1496; Tr. *adversus errores D. Ant. Roselli* Patavini de plenaria potestate pontificis (cf. p. 955), Venetiis 1499; *Sanctae rom. Ecclesiae fidei defensionis clypeus* adversus Waldensium et Picardorum haeresim certas Germaniae Bohemiaeque nationes in odium cleri ac enervationem potestatis ecclesiasticae virulenta contagione sparsim inficientem in formam sermonum redactus, Olomucii s. a. et 1501, opus rarissimum (m. 120). Jam antea scripserat 10. Aug. 1482 *epistolam* (secundum Hain Rep. bibliogr. II, 1, n. 9235 s, impressam) contra quendam conciliistam archiep. graneensem et adversus citationem et libellum infamiae, quem contra Sixtum IV. edidit[3]). Vitam produxisse videtur H. Institoris ad a. 1500.

---

[1]) Alius a Joanne Institor (Kraemer) O. Carth., de quo supra egimus p. 869. Cf. de utroque Kessel KL. VI², 807 ss.; de nostro Fabricius 3, 207; Stanonik allg. d. Biogr. XVII, 29 s.

[2]) Cf. de occasione hujus controversiae Quetif I, 896.

[3]) Fuit hic Andreas Zamometič (erronee Zuccalmaglio, Zuccomakehius etc.) O. Praed. archiepiscopus titularis Graneae prope Salonicam, vir vehemens et ambi-

517. Praeter plerosque, qui theologiam moralem excoluerunt, ad theologiam pastoralem referri praeterea possunt Joannes Franciscus Pavini (Panvinius) Patavinus, in urbe patria canonicus et juris canonici professor, Romae dein s. palatii apostolici causarum auditor († 1484), cujus plura exstant opera: Tr. *de visitatione episcoporum,* Baculus pastoralis ad dirigendos in viam pacis pedes visitantium inscriptus, Romae 1475; Parisiis 1508; inter tr. j. u. XIV, 178; *de offfcio et potestate capituli* sede vacante, Romae 1481; Venetiis 1496; Parisiis 1514; 1552; inter tr. j. u. XIII. 2, 407; *de decimis; Praeludium* in Extravagantes, regulas cancellariae, decisiones rotae, quod reperitur in editione Extravagantium Joannis XXII., Lugduni 1671, in qua reperies etiam ejus *apostillas* ad illas Extravagantes[1]) etc. Oratio *de s. Leopoldi Austriae marchionis vita et moribus* habita Patavii 20. Nov. 1484, Florentiae 1579 in 4; Pez Scr. rer. Austr. I, 577—92; *defensorium canonizationis s. Leopoldi,* s. l. et a. (Patavii 1485); *Relatio* ad Sixtum IV. pro canonizatione s. Bonaventurae s. l. et a.; et in s. Bonaventurae opp. t. ult. p. 802-20. — Michael de Carcano O. Min. reg. obs. famosus[2]) verbi Dei praeco († 1485) praeter *sermones XI,* Venetiis 1492; 1496; et sermones *de Novissimis,* Coloniae 1492; quadragesimale *de poenitentia,* Venetiis 1487; 1492, et alia duo quadragesimalia *de peccatis principalibus* cum sermonibus in Adventu Domini *de peccato in genere,* Venetiis 1476; quadragesimale *de decem praeceptis,* Venetiis 1492; 1476 t. 2 in 4; opus *de commendatione virtutum* et vitiorum reprobatione sermonarium, Mediolani 1495; lingua vernacula composuit breve *Confessionale generale* della gran tuba Fr. Michele i. e. methodum confitendi, s. l. et a. (Mediolani c. 1495); Venetiis 1513; 1520; *de fide christiana l.,* Basileae 1479. — Alexander Ariostus Min. Bononiensis missus est a Sixto IV. a. 1475 ad Maronitas legatus († 1484), et scripsit culto sermone *Enchiridion* sive interrogatorium perutile pro animabus regendis, Papiae 1516; Venetiis 1522; Lugduni 1540 in 8; *de usuris,* Brixiae 1579; s. l. 1486; *Topographia terrae promissionis,* ed. a Marcell. a Civetia, Romae 1861, etiam in Storia della Missioni franc. t. V. Viaggio nella Siria, nella Palestina e nell'Egitto (1475—1478), Ferrara 1878. — Joannes Pfeffer de Widenberg, Francus orientalis, magister artium et theologiae doctor in universitate heidelbergensi, inde transiit ad novam academiam friburgensem (1460), in qua exposuit magistrum sententiarum atque quater munus rectoris magnifici obiit. Erat academiae decus atque ornamentum virtute et eruditione insigne. Cathedrae renunciavit 1486 decessitque grandaevus 1493. Ex suis praelectionibus super epistolas s. Pauli ad Timotheum et Titum prodiit ejus *directorium sacerdotale,* 1482 s. l.; tr. *de materiis diversis*

tiosus. Quater legati caesarei munere apud pontificem functus est. Spe adipiscendi cardinalatus fraudatus de Sixto IV. ejusque nepotibus conquestus est, hinc in carcerem conjectus, mox tamen inde fuit liberatus. Hinc cum pontificis adversariis consilia schismatica iniit, Basileam secessit, cardinalem se dixit atque conciliabulum indixit contra pontificem, contra quem et injuriosissimos emisit libellos. Agentibus pontifice et imperatore a magistratu illius civitatis in carcerem fuit conjectus, in quo laqueo se suspendit 13. Nov. 1484. Cf. de eo accuratissime agentem Schlecht A. Zamometić und der Basler Konzilsversuch vom J. 1482, Paderborn 1903 t. 1; Pastor Gesch. der Päpste II³, 580—585; Hergenroether VIII § 857.

[1]) Cf. Schulte II, 332; Fabricius V, 193; Oudin 2695.

[2]) Cf. Argelati p. 303, qui pag. 925 alterius Michaelis O. Min. mentionem fecit, quem in odore sanctitatis decessisse narrat 1490, adeo ut Beatus salutaretur, et cui eadem ac nostro tribuit opera. Verum Sbaralea censet p. 541 ss. hunc cum nostro esse eundem.

indulgentiarum[1]), s. l. et a., in quo Aug. Triumpho multum utitur. Scripsisse dicitur etiam *de infallibilitate Ecclesiae romanae* 1480. — Michael Lochmayr magister artium, baccalaureus theologiae et juris licentiatus, clarus universitatis viennensis professor, 1474 et 1483 etiam rector, dein canonicus passaviensis, doctor theologiae et concionator cathedralis († 1491), reliquit *parochiale curatorum,* Lipsiae 1497; 1499; Hagenoae 1498; Basileae 1500; 1514 et saepe alibi. Dividitur illud in tr. 10: 1. de jure parochiali quid sit et in quibus consistat; 2. de decimis et primitiis; 3. de oblationibus; 4. de poenitentiis; 5. de missis audiendis; 6. de sepulturis et remediis animarum; 7. de canonica portione; 8. de benedictione nubentium; 9. de collatione sacramentorum et 10. de redditibus qualitercunque curato provenientibus. *Lavacrum conscientiae* omnium sacerdotum, Augustae 1492; ad a. 1519 saltem quindecies editum; *sermones* de tempore et de quadragesima, Hagenoae 1500 etc.; sermones *de sanctis,* s. l. et a. (Patavii c. 1490); Hagenoae 1497; 1500 etc. *Practica electionum praelatorum* Patavii, s. a.; *Secreta sacerdotum* mag. Henrici de Hassia (cf. p. 692), quae sibi placent vel displicent in missa etc. correcta et in hanc formam redacta, cujus saltem ed. 14 ante a. 1500 prodierunt[2]). — Werneri de Onsshusen prodiit s. l. et a. (Tubingae 1500) tractatus *trium qq. extremi judicis* ad sacerdotes, an videlicet per ostium intraverint, canonice vixerint, populum legitime rexerint. *De jejunio quadragesimali* et consuetudine, qua in certorum principum curiis et aliorum patrumfamilias domibus tribus diebus per quadragesimam datur bis ciborum refectio. *De concordia sacerdotum curatorum* cum fratribus mendicantibus de audiendis confessionibus etc. — Erhardus Gross O. Cart., qui exeunte hoc sec. floruit, reliquit *Doctrinale für die Layen,* Augsburg 1485; *Cordial* oder ein Buch von den vier letzten Dingen s. l. et a.

518. Haud pauci in *rebus liturgicis* explicandis versati sunt[1]). Albertus Trottus Placentinus, juris canonici Ferrariae professor, disseruit *de horis canonicis,* qui tr. ad 1485 saltem duodecies prodiit, ita s. l. et a. (Neapoli c. 1476); s. l. et a. (Lugduni 1476); Lovanii 1485 etc.; *de vero et perfecto clerico* ll. 2, Ferrariae 1485; *de jejunio,* Norimbergae 1475; *de ecclesiarum visitatione,* Ferrariae 1476. — *De horis canonicis* disseruit et Joannes Moesch theologiae professor et concionator cathedralis Basileae, ib. 1483 in 4; Augustae 1489 in 4. etc. — Guilelmus a Gouda[2]) O. Mi. Batavus scripsit tr. *de expositione missae* (juxta sensum mysticum), Daventriae 1490; 1496; Dilingae 1504; Antverpiae 1486; 1498; 1564 etc.; *de modo celebrandi missam,* Daventriae 1496 cum opusculo Innocentii III. *de officio missae.* — Joannis Bechoffen (quod est oppidum ditionis olim herbipolensis) O. S. Aug. prodiit *quadruplex missalis expositio,* literalis, allegorica, tropologica et anagogica sic ordinata, ut etiam populo expediat praedicari publice, annexis qq. responsis (maxime secundum ordinem romanum), Basileae 1500 in 4; 1505. — *Liber pontificalis* prodiit emendatus diligentia Jacobi de Lutiis episcopi cajacensis († 1494) et Joannis Burchardi (Borcard) doctoris decretorum, capel-

[1]) Cf. A. Weis allgem. deutsche Biogr. XXV, 618.

[2]) Cf. Weis allg. d. Biogr. XIX, 64.

[1]) De Joanne Heynlin jam supra p. 1027 egimus. Andreas Bossius mediolanensis praepositus s. Taglae *Missale ambrosianum* emendatum imprimi curavit Mediolani 1488; et s. Ambrosii *librum pastoralem,* ib. 1492 in 4.

[2]) Alius a Jacobo de Gouda Magdalio OP., de quo infra.

lae Alexandri VI. clerici et caeremoniarum magistri, postea episcopi hortani († 26. Maj. 1506), Romae 1497, editio splendida (m. 500); 1503; Lugduni 1511 ed. rara (m. 120). Huic Burckardo praecipue debemus *rubricas*. Ejus *ordo servandus* per sacerdotem seu pro informatione sacerdotum in celebratione missae Romae vulgatus fuit 1502 et deinceps saepe alibi[1]), et teste Bona missalibus praefixus fuit ab a. 1534; seorsim cum duobus aliis tractatibus liturgicis, Lovanii 1554; Romae 1559 ed. rarissima. Prima vero editio libri pontificalis prodiit cura Augustini Patricii (cum Jo. Burckardo), Romae 1485. Porro hic Augustinus Patricius per adoptionem Pii II. de Piccolomini dictus, canonicus senensis, a secretis erat Pio II., et post hujus mortem Francisco Piccolomini archiepiscopo senensi et cardinali, quem comitatus est nuncium ad conventum ratisbonensem a. 1471. Hujus conventus descripsit historiam, quae prodiit una cum Fr. Piccolomini *epistolis* Mediolani 1506; in coll. Script. rer. Germ. ed. Frehero et alibi. Factus est episcopus piensis (Pienza) in Hetruria a. 1483 et sub Innocentio VIII. caeremoniarum magister († 1496). Correxit[2]) *Caeremoniale romanum* a. 1488, quod prodiit inscriptum Rituum ecclesiasticorum sive sacrarum caeremoniarum Ecclesiae romanae ll. 3 in eligendo scil. et colendo pontifice, in excipiendis cardinalibus et externis principibus eorumque legatis[3]) etc., cura Christoph. Marcello archiep. corcyrensi (1516—1522), aegerrime id ferente Paride de Grassis, Romae 1516; Venetiis 1516 inf.; Florentiae 1521; Coloniae 1557; 1572 etc.; ed. omnes rarae, recusum etiam a Chr. G. Hoffmann in nova SS. et monum. collectione t. II.; amplissimis commentariis a Jos. Catalano illustratum (cf. Nomencl. II^2, 1565); *Summa conc. basileensis et florentini*, quae in coll. conc. labbeana (XIII, 1488) et Hardouin (IX, 1081—1198) etc. reperitur, in qua pro concilio basileensi epitomen exhibet operis majoris Joannis scil. de Segovia, de quo supra p. 833 egimus. *Vita Fabiani Bencii* ss. canonum professoris († 30. Nov. 1481), ed. a Mabillonio Musei ital. l. 251—55. — Rarus est tr. *de missa* seu officio missae editus a magistro Nicolao Andreae de civitate theatina doctore venerabili decretorum, s. l. (Beromünster), a. et n. typographi (m. 160). — Joannes de Blaer (Blaerus) OSB., prior coenobii s. Jacobi intra muros urbis leodiensis scripsit (1496) *historiam revelationis b. Julianae corneliensis* divinitus factae et institutionis festi v. sacramenti, quae exstat in Speculo magno exemplorum, Duaci 1513 et inserta in Bzovii Annal. t. XIII.

519. Reliqui sunt[1]) *ascetae* et theologiae *mysticae* cultores, quibus aliquot

[1]) Cf. Zaccaria bibl. rit. l. 1. c. 3 a. 4 § 2 n. 8; Schrod Katholik 1884. I, 314—17; Tiraboschi VI. p. I. l. 2. c. 1. n. 37; Ap. Zeno Diss. Voss. II, 96.

[2]) Cf. Fabricius I, 142; Zaccaria Bibl. rit. t. 1. l. 1. c. 7 n. 8, qui et refert quam acriter, sed minus aeque Petrus Grassi editionem op. impugnaverit.

[3]) Opus, de quo dicit Guéranger: Ce livre est et doit être recherché de tous ceux qui veulent prendre une connaissance tant soit peu profonde de la Liturgie.

[1]) De *paedagogia* summopere meruerunt et eruditione classica inclaruerunt duo viri plane illustres, qui minus quidem ad nos spectant, non tamen prorsus praetermitti debent. Rudolphus Agricola in oppido Baflo prope Groningam natus 1442, ob stili latini puritatem, proprietatem, elegantiam ‚alter Virgilius' dictus, qui vel Italis admirationi fuit. In philosophia quoque erat excultus, versatus in lingua hebraica, hinc et psalmorum versionem e textu originali adornaverat. Praecipua tamen ejus laus est, quod auctoritate sua et opera literarum humaniorum studium potenter promoverit. Nec ob studendi ardorem oblitus est vitae vere christianae culturae. In

concionatores addemus. Ad illos spectant ex. gr. Stephanus de Lantzkrana (Landskron) O. can. reg. s. Aug. praepositus monasteriis Dorotheae viennensis († 29. Nov. 1477), de reformatione variorum monasteriorum bene meritus[1]), cujus sunt tr. *de quatuor novissimis*, ed. Pez in bibl. asc. I, 27—157; *responsio* ad ep. scrupulosi, qui ordinari timuit ab episcopo, quem simoniacum existimavit, in Raym. Duellii, qui fuse de nostro auctore agit, Miscellaneorum I, 218; et praesertim *instructio christiani* in scitu necessariis ad fidem seu die Himmelstrasse, Augustae 1484; 1501; 1510. — Celebrior est Henricus Harphius (de Herp, Herphius, etiam Citharoedus dictus) O. Min. strict. obs. (a s. Bernardino inductae) praepositus provinciae coloniensis (1470—73), dein guardianus conventus mechliniensis usque ad mortem a. 1477 vel 1478. Propter contemplationis studium et virtutis culturam a sodalibus beatis accensetur[1]). Auctore vivente prodiit tantum *Speculum aureum decem praeceptorum Dei* per modum sermonum ad instructionem tam confessorum quam praedicatorum, Moguntiae 1474 in f.; Norimbergae 1478; 1481; Basileae 1496; Argentorati 1520 etc.; *Sermones* (de tempore et de sanctis, et de tribus poenitentiae partibus; de triplici adventu Christi), Norimbergae 1481 in 4; Spirae 1484; Hagenoae 1509; *Speculum perfectionis viae* lingua patria prius conscriptum (sicut alia auctoris opera) et saepius editum, latine versum ab Andriano de Mechlinia, Venetiis 1524; alia latina versio vulgata fuit a Petro Blomevenna O. Carth., Coloniae 1513 inscripta *Directorium aureum contemplativorum;* accedunt ejusdem Herp collationes tres pro cupientibus ad christianae religionis normam pervenire; tr. *de effusione cordis; modus legendi rosarium V. M.; remedia* contra distractiones; 1527 cum introductione ad explicandas quasdam formulas loquendi mysticorum minus accuratas etc.; inde in alias transiit linguas, et in compendium a Theod. Loër a Stratis contractum prodiit sub titulo Collationes tres *de perfectione vitae* Coloniae 1538. Est hoc speculum l. 2: *Theologiae mysticae* . . . cum speculativae tum affectivae, quae non tam

---

suis scriptis et literis impense commendat constantiam in fide, morum puritatem, pietatis cum scientia conjunctionem. Post vitam modestia, pacis amore et animi candore illustrem decessit 28. Oct. 1485. Opera ejus prodierunt cur. Alardo Coloniae 1539 t. 2, inter quae eminet *de studio formando.* Cf. Janssen I[18], 80 ss. et KL. I, 359 s.; Geiger allg. d. Biogr. I, 151-156. — Hujus dignissimus assecla fuit Alexander Hegius ex oppido Heeck ditionis monasteriensis (n. c. 1433), qui diu scholas ingenti fructu rexit partim Wesaliae partim Daventriae, magister illustrium discipulorum, et pietate simul morumque candore discipulis suis praeluxit. Decessit 7. Dec. 1498 patrimonio haud tenui relicto in hereditatem pauperibus. Cf. utriusque encomium cum literatura apud Janssen ib., qui de Hegio scripsit: Hegius hat das unbestrittene Verdienst, den Lehrgang des Unterrichts gereinigt und vereinfacht, die alten Lehrbücher verbannt oder verbessert, die Classiker zum Mittelpunkt des Jugendunterrichts erhoben und der Schulbildung die Richtung gegeben zu haben, welche sie zur Trägerin eines neuen geistigen Lebens machte. Von nah und fern strömten die wissensdurstigen Jünglinge zu hunderten in seine Lehrsäle und er flößte Unzähligen derselben nicht nur Liebe zu den Studien ein, sondern erweckte in ihnen auch die uneigennützigste Begeisterung für den schönen, aber schweren Beruf der Jugendbildung. Opera ejus collecta prodierunt cura Jac. Fabri Daventriae 1503. Cf. Geiger ib. XI, 283—285; de utroque H. Hamelmanns Geschichtl. Werke ed. ab H. Detmer t. 1 fasc. 1 de quibusdam Westphaliae viris scientia claris, Münster 1902.

[1]) Cf. Topographie des Erzherzogth. Österreich oder Darstellung der Entstehung der Städte, Dörfer etc. XV, 58, Wien 1836; Falk hist.-pol. Bl. 108, 207—12.

[1]) Cf. Dirks Histoire litter. et bibliograph. des Frères Min. de l'Obs. en Belgique, Anvers, p. 7—14; Jeiler KL. V[2], 1707; Reussens Biogr. nat. de Belgique IX, 278—84.

lectione juvatur, quam animi puritate exercitioque obtinetur amoris ll. 3, Coloniae 1556, sub qua inscriptione edidit Bruno Loer mystica Harphii opera dicavitque suam ed. s. Ignatio de Loyola. Verum ea fuit prohibita non tam propter doctrinam quam propter locutiones minus accuratas, quae illo tempore propter irrefrenem opinandi libertatem poterant videri malesonantes, erroribus novatorum faventes, aequivocae etc. Quare Petrus Paulus Philippus O. Praed. ed. illam correxit et castigavit addita introductione ad doctrinam l. 2., Romae 1582, quae fuit permissa, sicut et aliae ed. (Brixiae 1601); Coloniae 1604; 1611; 1645) ad hanc exactae. Ceterum prodiit Index expurgatorius in l. theologiae mysticae H. Herp, Parisiis 1698 in 8. — Nicolaus Salicetus seu Wydenbosch (Weidenbusch) patria erat Bernensis, artium et medicinae doctor. Ingressus est ord. Cisterciensium; eum tamen reperimus 1480 Bernae ludimagistrum. A sede apostolica dispensationem impetravit ut ei liceret exercitium artis medicae. A Joanne abbate generali cisterciensi constitutus est 1482 abbas b. Mariae de Pomerio (Bongart, Baumgarten), ut hoc monasterium ab imminenti, totali ruina praeservaret, quod quadamtenus suae successit industriae. Ejus curae commissa fuit editio Breviarii et Missalis Ordinis juxta capituli generalis mandatum reformati. Prodiit illud Basileae 1484; hoc vero 1487 s. l. (Argentorati). Obiit ante a. 1494. Concinnavit l. piissimum meditationum ac orationum devotarum, qui *Antidotarius animae* dicitur. Prodiit Argentorati 1489, ac dein inter annos 10 (1490—1500) reperimus alias 14 ed.; sec. vero 16. saepissime. Tribuuntur ei et l. *de arte moriendi*, Parisiis 1496; et *Speculum peccatoris* ib. 1476, quae duo opuscula aliis quoque auctoribus asseruntur nostroque auctore antiquiora censentur[1]).

520. Adamus Meyer (Villicus, de s. Wendelino, de Exwilre) OSB. abbas s. Martini Majoris Coloniae, congregationis bursfeldensis praesidens generalis, plurium provinciarum Ord. visitator, servator, vindex, dux religionis avitae in plurimis monasteriis († 7. Febr. 1499), reliquit opuscula ascetica, sed inedita[1]). — Joannes Benoit canonicus cracoviensis disseruit de visionibus et revelationibus naturalibus et divinis, Moguntiae 1550 (fl. 1490). — „Henricus Arnoldi natione Saxo (de Alveldia dioecesis hildesheimensis), vir religione devotus, clarus ingenio, eloquio dulcis, gravis moribus, conversatione laudabilis, exemplo rutilans, in ss. literis plurimum exercitatus et pontificii juris non ignarus. Hic postquam officio notariatus in conc. basileensi ita prudenter functus est, ut omnium judicio fidelis ac justus censeretur, omnia tamen vana esse ac fluxa sapienter animadvertens universa pro Christi amore contempsit et carthusianam solitudinem utpote tutiorem elegit, in qua prior (Basileae) effectus prudenter subditos rexit et nihilominus cum ejusmodi sarcina opuscula multa devota ac salubria edidit, in quibus sunt tr. de immaculata conceptione b. V. Mariae (Antverpiae 1527) etc. († 2. Jul. 1487)." Ita in vetere cod. de scriptoribus carthusianis altera sec. XV. parte defunctis[2]). Ipsius non esse videtur opusculum *de commendatione caritatis*, quod edidit Pez bibl. asc. VI, 1—215; alia opuscula ascetica et exegetica videntur inedita. Ipsius est *Chronica fundationis Carthusiae* in Basilea minori

[1]) Cf. Franz Katholik 1900 I, 132-137; 384; de auctore cf. Stud. u. Mittheil. aus dem Ben. und Cist. Orden XXII (1901), 588—599.

[1]) Cf. Hartzheim bibl. col. p. 4 ss.; Merlo allg. d. Biogr. XXI, 554 s.

[2]) Ita fere et Trithemius de SE. c. 872. De controversia autem, num ipsius quoque sint *de vita et beneficiis Salvatoris J. Christi* devotissimae meditationes cum gratiarum actione, quas J. Pohl Thomae de Kempis asseruit, cf. supra p. 977.

ab a. 1401—80, inter Basler Chroniken 1872. I, 248—306; continuata a sodali Georgio Carpentarii de Brugg ab a. 1480-1526, ib. 320-356. — Quinque subjicimus ex eodem ordine sodales: Henricus de Dissen (in dioecesi osnabrugensi), qui natus est 18. Oct. 1415 totamque longam suam vitam († 26. Nov. 1484) describendis patrum operibus componendisque piis libellis et commentariis in aliquot s. Scripturae ll. impendit, quorum tamen nullum typis fuit impressum, etsi suo tempore magni aestimarentur[1]). — Henricus Vraede (Vroede), cognomento Prudens, prior domus Vallis juxta Brugas († 8. Nov. 1484), cujus exstat, teste Trithemio de SE. c. 868, »opus celeberrimum, devotioni maxime congruum, et in 3 pp. secundum differentias statuum, incipientium, proficientium et perfectorum divisum per modum dialogi, in quo collocutores introducuntur angelus et monachus, Jesus et Pater coelestis, Maria amorosa sanctarum socrus animarum ipsumque praenotavit *Tetralogum devotionis*«. — Joannes Venetus, qui impense laudatur a Trithemio de SE. c. 905 (fl. 1480), cujus opusculum *Nosce te* prodiit Venetiis 1480; 1489. — Ludovicus Moser, cujus exstat *der guldin Spiegel* des Sünders, Basileae 1497, compilatus ex versione scriptorum latinorum. — Nicolaus Kemph de Argentina[2]), qui sub Nicolao de Dinkelsbühl et Henrico de Langenstein in academia viennensi studiis operam dedit et magister regens philosophiam ibidem docuit. Mundo valedixit in carthusia Gamingae in Austria inferiori 1440. Factus est ob virtutis studium, peritiam et eruditionem bis prior carthusiae gyriacensis (Geirach) in Slavonia, cui diu (26 annis) praefuit, et aliis in locis, donec grandaevus munere solutus soli sibi vacare est permissus. Decessit senex annorum 100 die 20. Nov. 1497 relictis saltem 36 opusculis fere asceticis, quorum catalogum recenset Pez, qui eorum aliqua vulgavit in sua bibl. ascetica praemisso auctoris elogio. Ita dialogum *de recto studiorum fine ac ordine* et fugiendis vitae secularis vanitatibus IV, 257—492; *de discretione* IX, 379—533; *in cantica canticorum* ll. 8 expositionis mysticae t. XI et XII. Ipsi adscribendus videtur tr. *de modo perveniendi ad veram et perfectam Dei et proximi dilectionem* habens fundamentum in theologia mystica, Basileae 1470, quem Pez ineditum censens ib. exhibet VI, 1—215, sed sub Henrici Arnoldi nomine. Memoria dignum est in hoc tractatu, quod in c. ultimo occurrat jam nomen *jesuitae* sodalibus Societatis Jesu quasi arrogans exprobratum optimo convenientissimoque sensu, quo illi id sibi convenire exoptant. Ita enim humiliter orans ad b. Virginem precatur: »Fac materno interventu tuo, ut nos tui pauperculi ... sicut a Christo Christiani, ita quoque a Jesu tuo Jesuitae i. e. salvati vocari veraciter mereamur[1]).«

521. Petrus Antravanensis O. Praed. Gallus[2]), vir pius et eruditus (fl. 1490), composuit opusculum inscriptum: Aurea summa *de fuga vitiorum* nuncupata, mediocri quidem stilo conscripta, verum summis doctrinis,

[1]) Cf. Kessel KL. III, 1856; Hartzheim p. 116, qui bene longum opusculorum ipsius catalogum exhibent.

[2]) Plura de eo dabit N. Paulus KL. IX, 338 et praesertim Katholik 1891. II, 346-64, ubi epitomen exhibet dialogi utilis *de recto studiorum fine;* et Rössler, Der Karth. N. Kemph, in Bibl. der kath. Pädag. (Freiburg 1894) VII, 261, qui magnam hujus dialogi partem germanice exhibet.

[1]) Cf. hac de re ipsum Pez in praef. praemissa et Mich. a Jos. in Bibliogr. crit. I, 352.

[2]) De Joanne Quentin facultatis theologicae parisiensis doctore (1472), canonico et poenitentiario parisiensi et Davide Chambelland pariter theologiae doctore, canonico et decano parisiensi cf. Feret IV, 165 ss.

pulcherrimis comparationibus, aptissimis quoque ad mores translationibus refertissima cum omnibus quidem vitiorum osoribus perquam utilis, tum sacris concionatoribus supra quam dici possit, ob variam eruditionem ac eruditissimam varietatem maxime necessaria (carmen elegiacum), Tolosae 1520; Parisiis 1521. — Dominicus Cavalca de Vico O. Praed. Etruscus, praedicator apostolicus (fl. 1493), scripsit contra linguae vitia Tractato dicto *Pongie lingua,* Florentiae s. a.; 1493; s. l. et a. (c. 1480); Romae 1472; Venetiis 1563 t. 3 in 8; L. devotissimo e spirituale *de fructi della lingua,* Firenze (1485); *Specchio della croce,* Vinegia 1514 in 4; 1543; 1562; Venetiis 1568; *la Disciplina delli spirituali,* Florentiae 1569; s. l. et a. (Florentiae c. 1485); *Expositione sopra il Credo* ll. 2, Venetiis 1550 in 8. Quaedam tamen opuscula ipsi tributa adscribuntur et Simoni de Cascia O. S. Aug. (cf. p. 567): hinc forte ipse non est eorum auctor, sed tantum interpres. De versione s. Scripturae ipsi tributa cf. supra p. 639. Porro ipse censetur in lingua patria auctor classicus. — Antonius Bettini Senensis n. 1396 O. Jesuatarum, episcopus fulginatensis 28. Jun. 1461, quo munere tamen se abdicavit (1484, † 22. Oct. 1487), reliquit l. *del monte di Dio* e del monte dell'orazione e scala del Paradiso, Firenze 1491 (m. 300). — Cherubinus Senensis O. Min. floruit sec. XV scripsit lingua etrusca adeo exculta, ut a scriptoribus Vocabularii academiae Furfuris recenseatur inter auctores linguae italicae. Ei a Sbaralea asseruntur *Regula* vitae matrimonialis, Florentiae 1487; 1492; cum sequenti *Regula* vitae spiritualis, Florentiae 1487; forte idem opus cum op. *Conforto spirituale* de caminanti a porto di Salute. Regole del vivere nel stato virginale . . . nel stato viduale, Venetiis 1505. Distingui autem debet tum a Cherubino Florentino de Saxolinis et a Cherubino Spoletino, sodalibus, insignibus concionatoribus, qui eodem fere tempore floruerunt. — Jacobus Poggi eques bononiensis praeter *Cronaca di Bologna* (ineditam ab a. 1442—1495) composuit *Opera morale* divisa in 4 pp. come l'anima racionale, da Dio creata, posta nel corpo terreno per fare il suo corso naturale poi torni a Dio, quale sia il vero modo e via conveniente, che tenere si debba a tanto effetto, Bononiae 1500 in 4. — Bernardus Senollar (Fanollâr) presbyter praeter alia describit in poëmate hispanico passionem D. N. J. Christi secundum Joannem, Valentiae 1493 in 4. — Stephanus Fridolin O. Min. strict. obs. Germanus, qui Roma rediens in Germaniam in piratarum manus incidit (1479). Inde liberatus Norimbergae haesit sodalium lector et concionator insignis[1]). Decessit vir pius et devotus 17. Aug. 1498. Sermones ejus non prodierunt, sed opus probe asceticum *Schatzbehalter* oder Schrein der wahren Reichthümer des Heils und der ewigen Seligkeit Norimbergae 1491 in f. cum 95 figuris ligno incisis pretiosis (hinc opus venditioni expositum est pro 1200 marc.); *der geistliche Herpst*[2]) s. l. et a.; Dillingae 1575. et 1581 cum alio ejusdem opusculo: *der geistliche Mai* Landshut

[1]) Veesenmeyer pastor protestans reperto lectoque codice sermonum ejusdem in haec laudis verba prorumpit (Sammlung von Aufsätzen zur Erläut. der Kirchengeschichte, Ulm 1827 p. 198): Ich kann nicht sagen wie sehr mich die Arbeit dieses frommen und nützlichen Redners angesprochen habe, den ich einem Tauler und Proles getrost an die Seite setzen zu dürfen glaube, und es freut mich herzlich mit einem so würdigen Geistlichen aus jener Zeit Bekanntschaft gemacht zu haben. Cf. insigne encomium nostri auctoris in hist.-pol. Blätter 1891 Bd. 113 p. 465—483 a N. Paulus conscriptum, qui et specimina ex ejus praeclaris operibus affert.

[2]) Etiam N. Paulus hist.-pol. Blätter 1897. t. 119 p. 546 nostro auctori illud adjudicat. Ib. 120, 150 ss. eidem attri-

1533; 1549; 1550; quod utrumque P. Hattler propter suam praestantiam nova editione dignum censuit, Friburgi 1897. — Carolus Fernandez Brugensis, regens in universitate parisiensi, jam juvenis captus est oculis: quo non obstante insignis fuit orator, philosophus et poëta. Provectiore aetate ingressus est ordinem s. Benedicti († 1494). Scripsit *de animi tranquillitate* ll. 2; *de immaculata Virginis conceptione* ll. 2; *collationes monasticae ll. 4,* quae tria opuscula prodierunt Parisiis 1512; *Speculum monasticae disciplinae,* ib. 1515 in f. etc. — Joannes Mauburnus (Momburnus, Mamburnus, Mombaer, vulgo de Vinea vel de Bruxella) can. reg. d. Aug. primum in Monte s. Agnetis tunc dioecesis trajectensis, ubi Jo. Temporalis voluit nuncupari, dein in abbatia s. Severini in Francia, ubi disciplinam regularem, quae multis retro annis penitus corruerat, restituit, ac demum livriacensis monasterii in eadem Gallia ac dioecesi parisiensi abbas, quod similiter pulsis irreformatis moribus regulari observationi restituit. Vir fuit sermone humilis, sed sublimis scientia, a viris illustribus sui aevi magni aestimatus, de restauratione disciplinae monasticae per Gallias optime meritus. Obiisse dicitur 1503. Scripsit *Rosetum exercitiorum spiritualium,* Basileae 1491 satis mendose, ut auctor ipse conqueri solebat; Parisiis 1510 in f.; Mediolani 1603; Duaci 1620: »opus dignissimum, quod omnium devotorum, maxime religiosorum, manibus nunquam excidat, sanctissimis cogitationibus et affectibus seraphicis pariendis maxime accommodatum[1]). « Reliquit etiam commentaria in Cantica canticorum, de viris illustribus ord. sui (inedita).

522. Joannes Aquilanus († 1479) et Daniel de Vicentia ut vita, regularis disciplinae studio et operibus in ordine s. Dominici conjunctissimi fuerunt. ita etiam eorum *sermones quadragesimales* conjunctim prodierunt Venetiis 1499; Lugduni 1501; Parisiis 1508. — Matthiae de Sexto O. Praed. Mediolanensis, cujus Quetif non meminit, *sermones* pro omnibus dominicis Adventus Domini, et pro festis ss. apostolorum aliorumque sanctorum principalium totius anni, Venetiis 1498 in 4. prodierunt. — Robertus ex nobilissima Caracciolorum stirpe natus a. 1425, de Licio (Lecce) communiter dictus, quia ibidem natus, O. Min., theologiae magister et professor, suo tempore erat concionator a. 52 nominatissimus, »omnium concionatorum, qui sunt aut fuerunt, magister et doctor, quem alii imitandum ad unguem sibi proposuerunt[1])«. Multos verbo et exemplo ab iniquitate convertit. Romanis pontificibus erat acceptus factusque est episcopus aquilanus († 6. Maj. 1495).

---

buit l. *Der geistliche Mai,* quem antea putaverat esse Wolfgangi Seidl OSB.

[1]) Cf. Foppens II, 688.

[1]) Keppler KL. II, 1932; X 338 de ejus concionandi ratione censet: Gut disciplinirte und moralisch fruchtbare, kräftige und nachdrückliche Predigtweise. Cf. Dominicus de Angelis in ejus vita, Neapoli 1703: Tiraboschi Vl. p. 2. l. 3 c. 6 n. 6, qui aliorum encomia adducit, sed merito miratur, quomodo ejus sermones tantum excitaverint plausum, idque repetit etiam ex defectu culturae in auditoribus. Ib. n. 7 ss. reperies alios hujus periodi oratores sacros ab aequalibus laudatos encomiis, quae tantum mirari, non vero explicare possumus, si rationem habeas sermonum, qui adhuc supersunt. Ejusmodi sunt Paulus Attavanti et Aurelius Brandolini, de quibus supra egimus (p. 1033 et 1029), Marianus a Genazzano O. S. Aug., studiorum regens in pluribus conventibus, vicarius generalis congregationis ilicetanae, demum magister generalis ordinis (1495; † 1498), de quo Lanteri postr. sex sec. rel. aug. II, 119: „En concionatorum monstrum, en suae aetatis portentum, en tandem Italiae miraculum!“ Florentiae erat Hieronymi Savonarolae aemulus. Ex ejus tamen sermonibus prodiit tantum *oratio* habita coram Innocentio VIII. dominica tertia Adventus, Romae 1487.

Plurimos reliquit sermones, in quibus est fervens et vehemens nulliusque dignitati parcit. Sermones (71) *de Christo, de b. Virgine et de sanctis,* Venetiis 1489; 1490; *de timore judiciorum Dei,* Neapoli 1473 in f.; 1490; 1496; *Speculum fidei christianae* 45 sermonibus italice conflatum, Venetiis 1537; 1554; *Quadragesimale* Tarvisii 1479; Venetiis 1487; 1488; 1493; 1535; 1554; Quadragesimale *de peccatis,* Coloniae 1475 (forte 1485); 1488; 1490; Quadragesimale *de poenitentia,* Spirae 1472; Venetiis 1473; 1582 etc.; sermones *de adventu,* Venetiis 1479; 1482; 1490; 1596; collecta magistralia *de formatione hominis moralis,* Norimbergae 1479 in f. Omnia opera junctim prodierunt Venetiis 1490 t. 3: Lugduni 1503. — Bartholomaeus de filiis Ursi (Ursinus) O. Min. Nolanus (fl. 1480) reliquit Quadragesimale, quod dicitur *Gratia Dei* s. l. et a. (Neapoli 1473) m. 120. — Michael Duranzinus O. S. Aug. Hetruscus, sodalis coenobii emporitani reliquit *Opus praedicabile,* quo continentur sermones pro dominicis quadragesimae et adventus, pro festis et de communi etc., Florentiae 1490. — Baptistae Panecii (Panaetii) Ferrariensis O. Carm. (fl. 1494) *Sermones* prodierunt Bononiae 1506. — Petrus de Cixar Aragonensis Ord. b. M. V. de Merc. Barcinone decretorum professor[1]) reliquit *sermones* de Dominicis et sanctis ib. editos, et *de potestate papae* et votorum commutatione in redemptionem captivorum ingeniosas decretorum ac theologorum auctoritatibus argutissime probatas qq., Parisiis 1506. — Sub nomine Jodoci Eychmann (de Calw vico Sveviae) doctoris et famosi Dei verbi praedicatoris heidelbergensis († 1491) saepe prodiit *Vocabularius praedicantium* latino-germanicus, Norimbergae 1483 etc., vel hac inscriptione: Incipit *Variloquus* idem vocabulum diversimode acceptum varie theutunisando exprimens, praedicatoribus consolabile enavigium, a Joanne Melber de Gerolzhofen (magistro artium) compilatum ex sermonibus auditis et per eundem conscriptis sub ven. viro magistro Jod. Eychmann etc., s. l. et a. Ejus *Quadragesimale* prodiit Argentorati 1488; *Sermones* de tempore, 1489. Forte idem est cum Jodoco Gallo professore heidelbergensi et concionatore spirensi, sub cujus nomine prodiit *Eyn* Evangelisch Abc, inn dem viel Göttlicher Lehren begryffen sein, Oppenheim 1517. — Joannis Meder O. Min. Quadragesimale novum[1]) . . . *de filio prodigo* et de angeli ipsius admonitione salubri prodiit Basileae 1495.

523. Finem huic periodo imponamus notitia saltem brevi viri nominatissimi operibus, multo magis vero gestis singularibus fatoque tristissimo: qui si habuisset zelum secundum scientiam, primis inter concionatores apostolicos luminaribus accenseri meruisset. Est is Hieronymus de Savonarola O. Praed. natus nobili loco Ferrariae 21. Sept. 1451. Abstinebimus a narranda ejus vita, turbis politicis agitatissima, quam demum tristi exitu finiit suspendio necatus 13. Maj. 1498, et cujus corpus post ferale supplicium flammis fuit traditum[2]). Ex operibus

[1]) Nic. Antonius l. 10 c. 12 n. 652 ss.

[1]) Cf. Keppler hist. Jahrb. III (1882), 299 s.

[2]) Cf. Hefele-Hergenroether VIII § 867; copiosam literaturam de eo reperies apud Potthast p. 1564 ss.; Chevalier s. h. v. etc. Ejus apologiam scripsit eo adhuc vivente Jo. Fr. Picus de Mirandula, Florentiae 1497 in 4; dein vitam magis panegyricam, quam historicam, Mirandulae 1530; Quetif, Parisiis 1674 t. 2 in 12. Nostra aetate de eo passim agit Pastor Geschichte der Päpste t. III. praesertim p. 337—412, qui de eo ita judicat: So endete der geistvolle, sittlich tadellose, aber phantastisch überspannte Mann, dessen größter Fehler seine Einmischung in politische Händel und sein Ungehorsam gegen den hl. Stuhl waren. Seine Absichten waren zum mindesten in den ersten Jahren seiner öffentlichen Thätig-

ejusdem, quae sane fuerunt multa, mentionem potiorum tantum faciemus: Tr. *de simplicitate vitae christianae* in ll. 5 distributus contra morsus impiorum et obtrectatorum firmandisque in pietate discipulorum animis et fidelium: opus eruditum et pium, quo morum et fidei dogmata dilucide nervoseque constituit, Florentiae 1496; Parisiis 1511; Coloniae 1550; Lugduni 1633; Gratianopoli 1663; etiam italice per Hier. Benivenium, Florentiae 1496; 1529 etc. *Triumphus crucis ll. 4,* quorum 1. adstruit Dei exsistentiam, naturam, providentiam, humanae animae probat immortalitatem et finem proponit; 2. fidei christianae veritatem variis argumentis evincit; in 3. ostendit fidei mysteria praecipua nil a ratione vel possibilitate habere alienum; in 4. demonstrat veram esse Christi religionem excussis philosophorum, astrologorum, idololatrarum, Judaeorum, Mohammetis haereticorumque deliramentis, Florentiae 1497; 1524 etc.; Lugduni 1633 in 12; Romae s. a.; Gratianopoli 1666; utitur autem eo in op. satis feliciter philosophia platonica[1]); ab ipso auctore non tamen verbotenus etrusce versus, Florentiae 1497; Venetiis 1531; 1547. Germanice versus interprete Seltmann Triumph des Kreuzes, Breslau 1898. *Dialogus spiritus et animae* ll. 7, qui est etiam apologia religionis christianae adversus philosophos et Judaeos, Genuae 1536; Lugduni Bat. 1633; Gratianopoli 1668 in 12; *Dialogus* alter *rationis et sensus interlocutorum ll. 3,* similis argumenti, sed incompletus, Venetiis 1537; *Tr. dell'humilità,* Florentiae s. a.: Venetiis 1538; 1547 etc.; *Tr. dell'amore di G. Christo,* Florentiae 1496; 1529; Parisiis (cum aliis opusc.), 1617 in 12 etc.; *della vita vedovile,* Florentiae 1496 in 4; Venetiis 1537; 1547 cum opusc. praecedenti; tr. (duplex) *dell'oratione,* quo probat et laicis et clericis colendam omnino esse orationem mentalem, Florentiae 1495; Venetiis 1538; 1547 cum aliis; Tr. *de'misteri della messa,* Parisiis 1617; *eruditorium confessorum* pp. 2 scil. de confessoris auctoritate et officio poenitentiumque examine, Parisiis 1517 in 8; Venetiis 1543; 1590; Lugduni 1677 etc. Ejus opera *philsophica* collecta prodierunt Venetiis 1542; Witembergae 1596. Praeter haec reliquit multos libellos, epistolas et instructiones asceticas; quampluri-

keit rein und lauter; später ließ er sich durch seine leidenschaftliche Natur und die Eingebungen seiner erhitzten Phantasie weit über die Grenzen fortreißen, welche ihm als Ordensmann und Priester gesetzt waren. Er wurde zum politischen Parteihaupt, ein politischer Fanatiker, welcher öffentlich den Tod für alle Feinde der Republick forderte. Das mußte seinen Untergang herbeiführen. Kerker, KL. X, 1738—1745. Nactus est Hieronymus plurimos accusatores, sed etiam haud pauciores apologetas, qui ejus innocentiam, virtutes etc. extollunt cupiuntque ut causa moveatur de eo inter beatos referendo (cf. Mich. a s. Joseph in bibl. crit. 2, 422—27). Juverit tamen ad horum fervorem moderandum legisse quae prudenter notat Grisar Zeitschr. für k. Theol. 1880. IV, 391—99; multo magis vero idem Pastor. Cum enim ejus censura de Savonarola nonnullis non arrideret ut Commer Jahrb. für Philos. und speculative Theol. 1896. XI, 85—99, et Luotto magnum opus pro Savonarola contra Pastor edidisset inscriptum *Il Savonarola di L. Pastor ed il vero Savonarola* (de quo cf. Civiltà catt. 1897. XII, 320 ss.), Florentiae 1897: ad firmandam suam censuram opposuit hic *Zur Beurtheilung Savonarolas* Kritische Streifzüge, Freiburg 1898, quo in libello solide et erudite ostendit, quam inania sint, quae pro tuenda causa H. Savonarola afferuntur. Cf. de eo Civiltà catt. 1898; Michael Zeitschr. für k. Theol. 1898. pag. 388 ss.; de hac controversia Schnitzer hist.-pol. Bl. 1898 I, 465—482; CXXV, 262—272; 346-364; 406—427; 488—521; Quellen und Forschungen zur Gesch. Sav., München 1904: Bayonne Étude sur J. Savonarola d'après de nouveaux documents, Paris 1899; Lucas SJ. Fra Gir. S., London 1899.

[1]) Cf. Glossner Savonarola als Apologet und Philosoph, eine philosophiegeschichtliche Studie, Paderborn 1898, in quo p. 62—94 praesertim de hoc disserit opere.

mas conciones[1]), prohibitas quondam, donec emendatae prodiissent, infectas vaticiniis spuriis, quae fructus erant phantasiae nimio aestu abreptae, somniis apocalypticis imbutae, vehementibus adversus praesulum mores perversos et aulae romanae abusus declamationibus refertae. Immerito vero protestantes eum propter ejusmodi declamationes incautas, quas imprudenti aestuans zelo profudit, praecursoribus reformationis accensent. Sincere enim erat fidei catholicae addictus et in op. Triumphus crucis l. 4 c. 6 statuit: »Qui ab unitate romanae Ecclesiae doctrina dissentit, procul dubio per devia aberrans a Christo recedit: sed omnes haeretici ab ea discordant: ergo ii a recto tramite declinant, neque christiani appellari possunt.« Erravit sane, sed non tam errore mentis, quam defectu prudentiae hinc et obsequii erga auctoritatem divinitus institutam. Villari et Casanova ediderunt *Scelta di prediche e scritti* di Fra G. Sav. Florentiae 1898.

[1]) De ejus concionibus ita scribit Keppler KL. X, 338: Er ist der gewaltigste und feurigste Redner des ganzen Mittelalters, der in ganz außerordentlicher Weise Schärfe und Klarheit des Denkens mit mystischer Tiefe und mit einer beinahe unheimlichen Glut des Affekts verband; sein gesunder homiletischer Sinn verachtete allen allmälig auf der Kanzel eingebürgerten gelehrten Kram, allen äußerlichen Scholasticismus und rhetorischen Aufputz; sein Quellen- und Musterbuch ist die hl. Schrift, sein einziges Ziel in die Tiefen der Heilswahrheit einzuführen, die Religion zu verinnerlichen, zu arbeiten an der sittlichen Besserung der Schäden des Volkes und der Kirche, welche er mit unerbittlicher Strenge und unerhörtem Freimuth aufdeckte etc. Cf. Tiraboschi, qui l. 3 c. 6 n. 11 ss., quamvis ejus agendi rationem carpat, eloquentiam in concionando depraedicat. Ex ejus concionibus plures cum Dialogo della verità profetica ad nostra usque tempora prohibebantur, donec emendatae comparerent: nunc tamen haec prohibitio ablata fuit. Leguntur modo tantum prohibita: *Opuscoli inediti* cur. Nicolò Tommasséo, decr. 14. Dec. 1857.

XVI.

Theologi annorum 1501—1520.

I. Theologia dogmatica.

524. Inter ordines religiosos palma hac periodo videtur tribuenda *ordini s. Francisci,* qui reliquos numero scriptorum superat, iique fuere quamvis non summi (nullus enim summus periodo huic assignandus nobis occurrit), sane non indiligentes. Paulus Scriptoris unus ex praecipuis Bruliferi discipulis O. Min. de Obs., professor in universitate tubingana et acutus Scoti interpres Wilae (Weil) Suevorum (hinc Wilensis, Suevus dictus) suo Marte didicerat artes liberales omnes, ut eas praelegeret quoque doctioribus de universitate, quibus erat miraculo ob ingenium. Habebat quotidie auditores non solum ex secularibus magistris multos, sed et totius monasterii augustiniani, cui praeerat notissimus Staupitius, fratres docti veniebant ad audiendum Scotum a Paulo illustratum. Cum cosmographiam Ptolomaei praelegeret, omnes fere doctores et ceteros magistros habuit auditores et fratres doctos multos. Docuit quoque monachos Bebenhusii astrolabii compositionem et usum. Anno 1497 exposuit familiariter II. Euclidis. Ex ejus praelectionibus theologicis prodiit *Lectura,* quam edidit declarando subtilissimas doctoris subtilis sententias circa magistrum in 1. l., Tubingae 1498 (m. 100); Carpi[1]) 1506. Accusatus quidem fuit, se in concionibus favere[2]) novis atque male-

[1]) Hanc ed. pulcherrimis typis expressam curavit Joannes de Montesdoca Hispalensis, insignis philosophus, quem certatim academiae Italiae splendidis conditionibus invitarunt ad docendam philosophiam. Docuit eam Bononiae, Carpi fr. Minoribus Scotum explanavit. A Leone X. Romam fuit accitus ad philosophiam docendam, inde transiit Patavium aliasque in urbes. Iterum Romam invitatus est a Clemente VII. et post cathedras alibi occupatas decessit in itinere Bononiam versus a. 1532, ut refertur. Curavit pariter ed. Lecturae Gratiani Brixiensis in 2. l. sententiarum ejusdem Scoti, Carpi 1506, et varia opera philosophica Jo. Hispani. Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. n. I. I, 745 ss.

[2]) N. Paulus ejus ex ipsa hac Lectura orthodoxiam tuetur contra plures protestantes, qui eum praecursoribus reformationis accensent Tüb. Qltschr. 1893 p. 299—311: de opere tamen ita censet p. 307: Sein theologisches Werk liefert den schlagendsten Beweis für das Abwelken der alten scholastischen Wissenschaft beim ausgehenden Mittelalter. Man bedarf einer nicht geringen Geduld um

sanis opinionibus, et cum non esset acceptus sodalibus, quibus praefuit, munere guardiani, in capitulo provinciali a. 1501 munere et cathedra est motus atque Basileam missus. Iterum apud superiores delatus ob nimiam licentiam usus quosdam vel abusus carpendi, Romam confugit, ubi, ut videtur, nullam incurrit censuram, hinc tranquille in Germaniam rediit, imo a Martiali Boulier, ordinis vicario generali gallo, qui virum norat et diligebat, Tolosam vocatus est, ut legeret theologiam. Antequam tamen illuc pergeret rogatu episcopi basileensis operam suam contulit in reformando conventu quodam, atque in itinere decessit 21. Oct. 1505.

525. Magis inclaruit Nicolaus de Niisse (Nyse, Denisse), etiam Nicolaus Dionysii dictus, Niceae (Nizza) n., prius canonicus et vicarius generalis constantiensis (Coutances), dein O. Min. reg. obs. „cum scientia tum virtutibus illustris, qui ob doctrinam morumque gravitatem guardianus, custos ac vicarius provinciae Franciae pluries exstitit," ut legimus in ejus epitaphio († 18. Maji 1509). Concinnavit commentarios in 4 ll. sententiarum, quos Genér „celeberrimos et absolutos" dicit, qui saltem claritate et brevitate se commendant. Prodierunt inscripti *Resolutio theologica*, Rotomagi 1568; et etiam Parisiis et Venetiis 1574, cui additi sunt loci, in quibus d. Thomas vel Jo. Scotus etc. easdem tractarunt quaestiones. Cum vero etiam esset concionator famosus, concinnavit *gemmam praedicantium ll. 3* scil. aedificatorius, destructorius et reparatorius, Parisiis 1522 in 8; Rotomagi s. a.; *Speculum mortalium* sive de quatuor novissimis, Parisiis 1509; 1518; Lugduni 1519; plurimos *sermones*, qui variis in locis prodierunt. — Diligens scotista erat Mauritius O'Fihely seu de Portu Fildaeus dictus. Oxonii studiis operam dederat ibidemque ordinem s. Francisci (Conv.) est ingressus. Ob insignes ingenii dotes Patavium fuit missus, ubi in philosophia et theologia egregie excultus etiam ex cathedra docuit. A Julio II. dictus est archiepiscopus tuamensis in Hibernia (1506), ob studii tamen amorem dioecesim diu non adiit, sed per vicarium rexit. Interfuit synodo lateranensi V. (1512), et tunc demum decrevit ecclesiam suam adire, sed in ipso accessu morte repentina sublatus est 1513 a. aetatis 50. Ob conversationis suavitatem cultumque dictus est „Flos mundi[1]." Haec potiora scripta: Expositio *in qq. dialecticas Jo. Scoti* super Porphyrium, Venetiis 1500; 1519; castigationes *in qq. metaphysicales Scoti*, subjectae Scoti operibus Venetiis 1497; 1499 in 4; 1625; Lugduni 1639 in op. Scoti t. III. et IV; *Epitomata in Scoti formalitates*, Venetiis 1514; 1522 in f. (cum aliorum in easdem formalitates animadversionibus); *universa Scoti logica* notis illustrata cum l. Ant. Andreae super sex principiis Gilberti Porretani, Venetiis 1508; 1519. Scoti quoque expositionem *in metaphysicam Aristotelis* castigavit notisque illustratam primus sub nomine Jo. Scoti publicavit, Venetiis 1501; *de definitionibus formalitatum Scoti*, in Gymnasio speculativo Aug. Gothutii, Parisiis 1605 in 8; *ll. 4 sententiarum* scripti oxoniensis castigatos edi curavit, Venetiis 1506 in f.; *commentarium* Fr. Mayronis (cf. p. 521) in 4 sententiarum ll. ejusque *quodlibeta* expurgavit vulgavitque Venetiis 1504; 1519 in f.; Stephani

---

sich durch die zahllosen Distinctionen und die spitzfindigen Subtilitäten, mit denen der Verfasser sein Werk angefüllt hat, hindurchzuarbeiten. Keine Spur von einem ernsten Zurückgehen auf die Schrift oder die alten Väter. Cf. praeterea aliqua de nostro auctore ap. Melch. Adam in vita Conr. Pellicani p. 128; Janssen I, 143 ed. 18.

[1]) Cf. Kaulen KL. VIII, 1055; Bellesheim Geschichte der kath. Kirche in Irland II, 26; Sbaralea 534.

Brulifer opus *de formalitatibus Scoti* castigavit et novis additionibus illustravit vulgavitque, Venetiis 1506 in f. *Dictionarium s. Scripturae,* Venetiis 1603, non completum, concionatoribus utile, non est ipsius, sed pars Summae distinctionum senioris Mauritii hibernici (cf. p. 413); *Enchiridion fidei,* Venetiis 1509, quod non est diversum ab Epitomatis *de rerum contingentia* et divina praedestinatione et praescientia.

526. Inter scotistas hujus temporis eminet Franciscus Lichetus (Lychetus) O. Min. strict. obs. de Brixia, vir felicissimi et sagacissimi ingenii, qui postquam multis annis theologiam legit, magnaque prudentia provinciam Candiae rexit ac religionis plurima terminavit negotia in lugdunensi capitulo a. 1518 magna electorum congratulatione electus est in ministrum generalem ordinis. Ante triennium sejuncta fuerat a Leone X. familia Observantium a Conventualibus: hinc difficillimum aggressus est negotium omnia ordinandi: quem in finem decrevit visitare omnes Observantium conventus: verum in itinere decessit Budae 1520. Hoc praecipuum opus[1]): Commentaria *in 1. 2. et 3.* (non integrum) *ll. sententiarum et in quodlibeta,* Brixiae 1517; Parisiis 1519; Venetiis 1520, emendatius cura card. Const. Sarnani ib. 1589 t. 3 in f.; Lugduni 1639. — Antonius Trombetta (Tubeta) Patavinus, in universitate ordinarius lector metaphysicae, provinciae praepositus, episcopus urbinas (1510) et resignato episcopatu archiepiscopus atheniensis (1515; † 1518), plurimum sollicitus fuit in edendis Scoti operibus (cf. p. 365) illustrandaque ejus doctrina. Haec potiora opera: *Quaestiones quodlibetales metaphysicae* (46), Venetiis 1493; Quaestiones *in ll. 12 metaphysices Aristotelis,* Venetiis 1502: 1504; utriusque op. annexus est tr. *de divina futurorum contingentium praescientia:* Tr. *de animarum humanarum plurificatione* contra Averroistas, Venetiis 1498; tr. *de efficientia primi principii* ad mentem Aristotelis, cum q. an adultus non baptizatus salvari possit secundum Scoti doctrinam, Venetiis 1513; *in tr. formalitatum Scoti sententia:* accedunt formalitates Antonii Syrreti (O. Min.) *de mente ejusdem Scoti,* necnon St. Bruliferi epitomata cum novis additionibus et concordantiis Mauritii hib. in margine decoratae, Venetiis 1502. — Minoris famae sunt[1]) Philippus Varagius O. Min. Gallus patavini gymnasii regens, cujus est: *Flores totius s. theologiae* medullam sententiarum doctoris subtilis Scoti continentes et in modum conclusionum positi, Mediolani 1508 in 4. Joannes a s. Antonio (II, 489) ei tribuit etiam *flores totius s. Scripturae* s. l. et a. — Joannes Stobnicensis Polonus, doctor et primarius lector philosophiae, dein seculo relicto O. Min. Obs., qui praeter alia ad mentem Scoti scripta reliquit opus: *Parvulus philosophiae naturalis* cum expositione textuali ac dubiorum magis necessariorum dissolutione ad intentionem Scoti, Cracoviae 1507. — Joannes de Monte O. Conv. Gallus, doctor parisiensis, stilo praeter scholasticorum morem eleganti scripsit *summulas* tractatibus 7 super Petrum hispanum ad mentem Jo. Scoti, Venetiis 1490; 1526: Mediolani 1495 etc. — Gometius Olisiponensis

[1]) Cf. Jeiler KL. VII, 1963.

[1]) Praetermittimus eos, quorum labores non prodierunt, ut Maphaeum Cella O. Conv. Cremonensem lectorem philosophiae in conventu patavino (fl. 1520); Ferdinandum Perez reg. obs. Hispanum, qui scripsit in l. 1. sententiarum, de angelis et de matrimonio etc. — Nulli ordini addictus religioso fuit Joannes Lopis Valentinus, artium liberalium, medicinae et simul theologiae doctor, cujus est *Aureum formalitatum speculum* Scoti ac Fr. Mayronis doctrinam illustrans, Neapoli 1505.

O. Conv., Ticini publicus theologiae professor, vicarius generalis ordinis (1511; † 1513), cujus quidem qq. quodlibetales in via Scoti non prodierunt. *Quaestio* de cujuscunque scientiae, et praesertim naturalis philosophiae subjecto prodiit cum diversorum, praesertim Scotistarum tr., Venetiis 1517. Summam astesanam (cf. p. 611) cum Barth. Bellati ejus sodali castigavit edique curavit, Venetiis 1478. — Sancto Villa de Mediolano reg. obs. tribuit Joannes a s. Antonio (III, 80) *Reportata* in 4 ll. sententiarum, Basileae 1507 in 4; Parisiis 1521 in 8. — Bernardinus Lavinetha O. Conv. Gallus *artem magnam* Raym. Lulli interpretatus est vulgavitque Lugduni 1517 in 4. — Joannes Picardus alias de Cambia reg. obs. collegit *thesaurum theologorum* 4 ll. sententiarum correspondentem, doctorum et magistrorum (30) quatuor ordinum mendicantium et nonnullorum non regularium decisionem complectentem. Fuit opus dignum praelo judicatum in comitiis generalibus Mantuae celebratis a. 1503, hinc prodiit 1506 Mediolani.

527. Nondum tot illustratores, defensores et patronos sicut Scotus, nactus est s. Thomas, nec etiam hoc tempore multos reperimus theologos ex ordine *s. Dominici.* Horum forte praecipuus fuit Bandellus, de quo infra. Praetermissis iis, quorum scripta typis lucem non aspexerunt, Reginaldo (Raynaldo) de Montoro Siculo, qui salmanticensem illustravit academiam regens primarius in ordinis gymnasio, provinciae siculae praeposito, fidei quaesitore per Siciliam generali, episcopo cephaloediano (Cefalù 1496; † 1511), cujus forte l. *de reductionibus naturalibus* ac de futurorum contingentium difficultate prodiit — Joanne Harley Anglo — Thoma de Calvisano Brixiensi (hinc etiam de Brixia), cujus memorantur commentaria (inedita) in s. Thomae summam († 1512) — Matthia a Pace (de Paz) Hispano, Pinciae publico professore ac magistro regente, Salmanticae vero s. Scripturae interprete, cui Cajetanus opusculorum suorum aliqua inscripsit († 30. Sept. 1517), et cujus relectiones sive repartitiones in totam s. Scripturam et commentaria in universam s. Thomae summam msc. servari Salmanticae apud sodales feruntur — Eustachio Platesio Bononiensi Vincentii Bandelli Ord. magistri in laboribus socio, in variis conventibus priore, congregationis lombardicae praefecto et ordinis procuratore: speciatim nominari merent: Petrus Crockart de Bruxellis, Joannis Major discipulus et magister celeberrimi Francisci de Victoria. Adolescens Parisiis studiis operam dedit sub Jo. Major, ubi nominalium opinionibus imbuebatur, quas et magister artium profitebatur. Sed conversatione sodalium s. Dominici captus, hujus vestem induit (1503) atque sanam s. Thomae doctrinam penitus imbibit: cujus dein exstitit propugnator acerrimus. Hinc ad legendas sententias est destinatus, dein baccalaureus promotus s. doctoris summam magno auditorum concursu est interpretatus († 1514). Haec ejus opera: *Summularium artis dialecticae,* utilis admodum interpretatio super textum Petri Hisp. una cum fructuosis quibusdam quodlibetis, Parisiis 1508 in f.; Acutissimae qq. et quidem perutiles *in singulos Aristotelis logicales ll.;* item in d. Thomae de A. opusculum *de ente et essentia,* Parisiis 1509 in f.; 1514; argutissimae, subtiles ac fecundae qq. physicales *in 8 ll. physicorum* et in 3 ll. *de anima* Aristotelis, Pariiis 1510; 1515; 1521 in f. Ipso hortante Franciscus de Victoria Secundam secundae summae s. Thomae ab eo recognitam et accuratam typis dedit[1]),

[1]) Hanc iterum gemino indice illustratam mox (1515) edidit ejus sodalis Jacobus a loco natali in Hannonia sito-

Parisiis 1512 in 4. — Hieronymus Teutonicus tantum notus est ex op. inscripto *Summa theologiae* d. Thomae A. juxta praecipuas illius conclusiones *in compendium redacta t. 2,* quod castigatum et auctum compendio 3. p. iterum edidit Hippolytus Helman Venetus ejusdem ord., Venetiis 1585 in 8. — Theodoricus de Susteren (in ditione juliacensi) recognovit et a mendis expurgavit *Summam s. Thomae contra gentes,* Coloniae 1499; 1509; *quaestiones disputatas,* ib. 1499 in f. — Cornelius Sambucus, Veronensis, theologiae lector, edidit *commentaria* s. Thomae in l. 1. et 2. sententiarum, Venetiis 1519. 1520 in f. — Angelus Estanyol Catalanus, sententiarum interpres Parisiis, cujus *opera logicalia* secundum viam s. Thomae prodierunt Barcinone 1504 in 4. — Matthaei Siculi cura prodiit *1. p. summae* s. Thomae de A. cum annotationibus marginalibus, Venetiis 1509 in f. Quam tenuia initia!

528. Ex eodem ordine Praed. nominari saltem merent Michael Saravetius de Petra sancta (oppido Tusciae), qui cathedram metaphysicae Romae rexit, hinc ejus opera sunt philosophica: *Quaestiones de analogia entis* contra Scotistas, de universalibus, tr. de primis et secundis intentionibus, Romae 1515; Perusii 1516 in 4; Tr. *de universalibus,* de causalitate primi principii, de principio individuationis; de subjecto philosophiae, Romae 1517 in 4. — Michael Francisci (François) de Insulis Flander, Parisiis studiis operam dederat, lector biblicus et sententiarius erat Colon'ae. Ob disciplinae religiosae zelum vicarius generalis congregationis hollandicae et fidei quaesitor generalis per Belgium est constitutus (1493). Ipse datus est a Maximiliano austriaco imp. Philippo unigenito suo paedagogus, cui etiam postea fuit ab eleemosynis, consilio et confessionibus, et ab Alexandro VI. dictus est a. 1496 episcopus salubriensis († 2. Jun. 1502). Pronunciavit[1]) Coloniae (1478) *Determinationem de tempore adventus antichristi* ac de ejus ingressu in mundum, progressu et egressu: atque de novitatibus, quae jam de eo currunt, s. a. et l. in 4; *Clavis cellarii* divinae et humanae sapientiae ad conciones formandas per totum annum omni morali doctrina instructissimas introductoria et aptissima, Antverpiae 1613; Gandavii 1627; *Decisio quodlibetica* super VII principalibus b. Mariae V. doloribus, quos in hoc mundo de suo unigenito habuit, Antverpiae 1494; Schratental in Austria 1501 (m. 160).

529. Ex ordine *s. Augustini* occurrit Guilelmus Farinonus (Facinonus) studiorum regens Patavii, cujus est *Conciliatio controversiarum* inter d. Thomam et Aegidium Columnam, Patavii 1514 in 4. — Huic addantur sodales, quorum scripta non prodierunt, ut Rodericus a s. Cruce Olisiponensis, theologiae doctor, Joannis II. confessarius et concionator († 1509), qui reliquit commentaria in Magistrum sententiarum et Aristotelem — Ita et in 3 l. sententiarum Gregorius Perusinus, s. theologiae magister, provincialis (1488) et (1497) visitator generalis. — Joannes de la Magdalena Olisiponensis, vicarius generalis Portugalliae, theologiae professor publicus a. 26, et Alphonsi Joannis II. regis filii instructor

---

Enghien de Angia, a loco professionis Bruxellensis dictus († 1553 a. aetatis 83). — Petri nostri discipulus erat Petrus Fabri de Noviomago († 1525), qui 3. p. s. Thomae et supplementum, Parisiis 1514; et Cajetani commentaria in 2. 2. s. Thomae edenda curavit, ib. 1519.

[1]) Alia ejusdem opera cf. apud Echard II, 7 ss. Du Pin XII, 113, qui ejus opera non magni pendit.

(† 1513) — Joannes Passi Bergomas, ter vicarius generalis suae congregationis († 1513) — Nicolaus Foresius, theologiae doctor, sacrarii apostolici praefectus, archiepiscopus dyrrachiensis († 15. Oct. 1507), cui multi tractatus theologici tribuuntur. — Ordinis *s. Benedicti* in monasterio tegernseensi[1]) erat Leonardus Estermann artium magister († 7. Apr. 1515). — Ex ordine *Carmelitarum* Henricus Potin Rothomagensis, professor parisiensis, concionator regius et episcopus philadelphiensis († 1502) — Philippus Alberti de Nussia (oppido dioecesis coloniensis), theologiae doctor, Carmeli francofurtensis regens et prior († 1506), qui etiam strenue defendit immaculatam V. Mariae conceptionem contra Wigandum O. Praed., dum de ea Francofurti non levis exorta erat controversia — et Joannes Wyrich (Wyrici, Wiricus) pariter de Nussia, theologiae doctor et professor, facultatis theologicae et conventus coloniensis insigne decus, Maximiliano imp. a consiliis († 12. Maj. 1515), scripserunt praeter alia commentaria (inedita) in magistrum sententiarum. — Franciscus Lavellus (de Lavello), episcopus ravellensis in regno neapolitano (1506), cui sedi videtur mox renunciasse. Eum Gams Carthusianum dicit. — Guilelmus le Franc Gallus in academia gandavensi professor († 1502). — Jacobus Reimolanus (corrupte Kemolanus, vulgo Kymolanus) Gandavensis († 1508). — Matthaeus Chanton (Canton) Gallus, Albiensis († 1506), cujus laudantur etiam lectiones et praeconia in s. Scripturam. — Petrus Swicker herbipolensis lector in gymnasio ingolstadiensi († 1514). — Eodem tempore floruit Walterus Stayus Belga. Horum commentaria vel opera typis non fuerunt vulgata. — Alii sententiarii *non regulares* fuere Paulus Wann in academia viennensi professor[1]), presbyter passaviensis, cujus commentarius non prodiit; prae primis Paulus Cortesius[2]) Romae n. 1465, Alexandri VI. et Pii III. secretarius et protonotarius apostolicus († 1510), cujus opus in magistrum stilo quidem eleganti et nitido conscriptum, caret soliditate et pretio theologico. Prodiit Romae 1504; Basileae 1540. Non est proprie commentarius sententiarum, quam potius theologiae compendium divisum in 4 ll. ideoque inscribitur: *Libri IV,* in quibus complectitur omnia, quae sunt apud divos Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum etc., tum quae d. Thomas, Magister sententiarum et ejus loci reliqui habent. De latini sermonis nitore, quo perpetuo seclusa forma scholastica usitata disputat, rationem ipse reddit Julio II. in commentarii prooemio, quod legisse non poenitebit. Ejus dialogus *de hominibus doctrina claris* prodiit Florentiae 1734 cum annotationibus et ipsius vita; *de cardinalatu* ll. 3 minori elegantia conscripti, cura fratris sui editi 1500, ed. rara, in quo op. erudite agit (proprie nonnisi l. 3.) de cardinalium dotibus, juribus, praerogativis[3]) etc. Ipse dum viveret, cum esset vir cultissimus, a viris nobilibus et literatis invisebatur, quos liberalissime excipiebat in sua villa[4]).

530. De argumentis *specialibus* et primum quidem *de b. Mariae V. conceptione* egerunt haud pauci. Ejus illi-

[1]) Cf. Pirminius Lindner OSB. Familia s. Quirini in Tegernsee p. 91.

[1]) Cf. Aschbach I, 570.

[2]) Ejus pater Antonius magnam sibi nominis famam comparavit fuitque princeps collegii duodecim virum. Scripsit autem contra Laur. Valla pro donatione Constantini l., quem inscripsit *Antivalla.* Floruit altera sec. XV. parte.

[3]) Claudius Martin Bucord doctor parisiensis scripsit Traité *de l'origine des cardinaux* et des legats, Parisiis 1542.

[4]) Cf. Tiraboschi Storia della Letteratura ital. p. 6 l. 2 c. 1 n. 26 s.

batam puritatem impugnarunt plures ex ordine s. Dominici[1]). Horum velut dux et antesignanus est Vincentius Bandellus[1]) Castro novo dioecesis dertonensis ortus a. 1435, qui vix adolescentiae annos attigerat, ordinem s. Dominici est amplexatus. Per omnes scholae gradus ad primam gymnasii bononiensis cathedram ascendit. In disputationibus publicis, quas frequentes habuit, eminebat, et in earum una, quam coram Innocentio VIII obiit, ita pontifici placuit, ut hic continuo suis manibus capiti ipsius imposuerit magisterii lauream. Nec minus aptus erat regimini, hinc ad supremam ordinis praefecturam unanimi electorum suffragio 20. Maj. 1501 fuit evectus. Mox gregis sui faciem cogniturus ex Urbe discessit ad visitandas provincias per Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam et Hispaniam. Rediens in Italiam Balbiae (Altomonte) in regno neapolitano gravi morbo fuit correptus, cui succubuit 27. Aug. 1506

---

[2]) Wigandus Wirt (Cauponis) non tam operum pretio quam controversiis literariis et pugnis notus, acriter de hoc argumento disputavit: ita contra Seb. Brant, cujus carmini *pro virginalis conceptionis defensione* (1498) opposuit *Defensionem bullae Sixtinae* sive Extravagantis „Grave nimis“ contra S. Brant et omnes suos complices in furibunda nave secum fluctuantes 1498; contra celebrem Trithemium, ut infra narrabimus, contra plures *in dialogo apologetico contra wesalianicam perfidiam* atque d. ordinis Praed. persecutores, et demum contra eos, qui de conceptione immaculatissimae Virginis male sentiunt, Oppenheimii intra 1503—6; contra Joan. Spengler et contra fratres O. Min.; contra Conradum Hensel. Hic in universitate erfordiana sub Joanne Ruchrat (cf. p. 1024) discipulus, dein professor erat in palaestra Grisvaldensi ss. literas docens magnam eruditionis gloriam acquisivit. Factus est ibidem in facultate artium decanus et 1461 universitatis rector. Rediit post aliquot annos in patriam suam (Cassel). Postmodum (1474) fuit parochus et canonicus francofordiensis, qui accusatus a fratribus dominicanis apud episcopum argentoratensem defensus fuit a Sebastiano Brant, et liber dimissus. Erat concionator a populo libenter auditus, gravis et fortis, cui Trithemius opera 17 tribuit, ut commentaria in ll. sententiarum, in cantica canticorum, psalmos, apocalypsim etc. († 12. Mart. 1505). Frustra protestantes eum suis praecursoribus adnumerant. Cf. F. F(alk) Katholik 1899 II, 526—538. Sed ut ad Wirt redeamus, ejus dialogus apologeticus Moguntiae 1526 fuit prohibitus, exemplaria ubique conquisita et igni tradita. Interim controversia cum tot adversariis Romam est delata ac demum 1512 lata sententia, qua coactus est Wirth resarcire famam suorum adversariorum tot dicteriis laesam alioquin addicendus carceri perpetuo. Quare publice prae concione omnia revocavit 24. Febr. 1513 Heidelbergae (quae revocatio prodiit s. l. et n. 1514) indictumque silentium servavit, hinc nulla amplius ejus memoria ab eo tempore († 30. Jun. 1519). Cf. de his Seitz Der Streit über die unbefleckte Empfängnis zu Frankfurt im J. 1500 und sein Nachspiel in Bern 1509 im Archiv f. Frankfurtergesch. N. F. VI (1877), 1—35; Lauchert d. Biogr. XLIII, 522—525 et praesertim

---

hist. Jahrbuch 1897 p. 759—792, sed cum emendationibus N. Paulus ib. 1898. XIX, 101—108. Falso autem refert Jöcher IV, 2021 W. Wirt partem habuisse in fraude illa, quae teste N. Paulus Ein Justizmord an vier Dominikanern begangen, Frankfurt 1879, injustissime exprobata fratribus O. Praed. bernensibus a. 1509 fuit. — Ceterum contra Bandellum scripsit etiam Philippus Kersbellius belga O. Carm. († 1485), cujus tr. de conceptione immaculata b. Mariae V. non videtur prodiisse.

[1]) Matthaeus Bandellus de Castronovo, a patria Dertonensis dictus, pariter O. Praed., fuit ejus fratruelis. A puero politioribus musis innutritus, eas deinceps per totam vitam coluit impense. Cum earum cultoribus amicitiam conjungens eam suavi literarum commercio coluit. Post varia fata ab Henrico II. Galliae rege ad sedem agenensem a. 1550 promotus fuit. Quamdiu sederit non liquet. Ejus opera, quae diligenter recenset Echard II, 155—157. spectant ad literas humaniores: inter quas reperiuntur *Le Novelle*, Lucae 1554 t. 3 in 4; Venetiis 1566 t. 3 in 1 v. in 4; quibus Lugduni 1573 additus est t. 4. His tamen objectae fuere stili negligentia et historiolarum obscenitas, quam castae aures non ferrent, a quibus ep. ad Emilium de Emiliis datis non satis se purgat. Cf. Feller I, 387.

a. aetatis 70. Haec ejus opera: Tr. *de singulari puritate* et praerogativa conceptionis Salvatoris nostri J. Christi, Bononiae 1481; 1502 ed. aucta; Mediolani 1512 (m. 45) etc.; cui praemiserat suppresso nomine libellum recollectorium *de veritate conceptionis b. Mariae* ex auctoribus et dictis ss. doctorum fideliter confectum, Mediolani 1475 (m. 100); Bononiae 1481 (m. 80). Provocat ad ultra 200 patres doctoresque pro sua sententia, sed immerito[1]). Privilegia ordini concessa et quaedam ss. pontificum bullae collectae pluribus additis prodierunt Venetiis 1507; Lugduni 1515 in 8.

531. Pro dogmate catholico steterunt Ludovicus a Turre O. Min. Veronensis, vicarius generalis cismontanus († 1502), in *compendio virginei honoris* contra l. invectivarum religiosi innominati (Bandelli), Brixiae 1486 in 4 et in *Monumentis franciscanis* Petri de Alva. — Contra eundem Bandellum et Vinc. Chateauneuf (de Castronovo) scripsit et Robertus Gaguinus Belga, doctor decretorum parisiensis et ordinis ss. Trinitatis minister generalis[2]), ob singularem prudentiam vel a regibus Galliae in negotiis magni momenti adhibitus († 22. Maj. 1501), *de puritate conceptionis b. Mariae V.*, s. l. et a. (Parisiis c. 1490 et forte c. 1500) ed. rara: de quo argumento etiam carmen hexametrum composuit, Parisiis 1598; 1617 in 8. Magis tamen innotuit aliis operibus scil. *Compendium super Francorum origine et gestis ll. 10* a Pharamundo usque ad a. 1491, Parisiis 1495; 1497 ed. valde mendosa; atque addito l. XI. ad a. 1499, Parisiis 1500; 1504 in f.; 1507; 1511 ed. rara et bona; 1514 in 8; etiam sub titulo *Annalium rerum gallicarum* cum supplemento Huberti Velleji, senatorii advocati, usque ad a. 1520, Parisiis 1521 in 8; 1522; 1524; 1554; Lugduni 1524, et cum supplemento usque ad Henricum II., Francofurti 1577 in f.; Parisiis 1582; quae historia quoad tempora anteriora caret pretio critico: sed pro tempore, quo ipse vixit auctor, magno usui fuit aliis historicis[1]). *Passio s. Richardi pueri M.*, Parisiis 1598; in Actis SS. 25. Mart. III, 593; *epistolae*, Parisiis 1498; 1521 in 4. etc. Laudantur ejus opera quam maxime a stili latini puritate. — Joannes de Breitenbach[2]) missensis, studiis operam dederat Perusii et Lipsiae, ubi diu juris canonici professor erat. Contra Georgium de Frickenhausen (p. 1004) scripsit: Determinatio *de immaculata conceptione b. Virginis* corroborata, Lipsiae 1489; disputatio brevis *de immaculata conceptione V.*, ib. 1489. Tribunalis supremi saxonici erat assessor (1484) multumque ex-

[1]) Quem l. Scheeben Handb. der kath. Theol. l. 5 n. 1713 vocat Brandschrift adversus dogma de immaculata V. Mariae conceptionem. Cf. Compendii nostri theol. dogm. t. II. n. 599.

[2]) Cf. Niceron Mém. des hommes ill. XLIII, 1—30.

[1]) Cf. plurimas editiones apud Potthast p. 485.

[2]) Ab hoc distingui debet Bernardus de Breitenbach (Breydenbach) ecclesiae moguntinae decanus et camerarius († 5. Maj. 1497), qui cum aliis peregrinationem a. 1483 suscepit, quam stilo candido et fideli descripsit (Martin Röth O. Pr., ut videtur) in l. Dis Buch ist inhaltend *die heyligen reysen ghen Jherusalem* zu dem h. Grab und furbasz zu der hochgelobten Jungfrowen und M. sant Katheryn, s. l. et a. cum delineationibus (m. 250); Spirae 1490; 1502 in f.; latine Moguntiae 1486. Cf. Potthast pag. 153²; Janssen I, 315 ed. 16; plurimas editiones et versiones apud Roehrich bibl. geogr. P. pag. 132 ss. Hic in suo op. Deutsche Pilgerreisen nach dem h. Land Berlin 1880 p. 120—145 publicae luci dedit instructionem Breitenbachii pro instituendo itinere in terram sanctam. — Huic viatori addimus Paulum Walther um Guglingensem O. S. Franc., qui eodem tempore loca sacra invisit (1481—1484) et cujus *Itinerarium* in terram s. et ad s. Catharinam demum edidit M. Sollweck, Tübingen 1892.

coluit jus saxonicum. Decessisse videtur c. 1507. Etsi se opposuit cuidam indulto pontificio concedenti relaxationem in jejunio propter elemosynam ad reparationem cujusdam ecclesiae ruinosae elargiendam, immerito propterea accensetur adversariis primatus romani pontificis, quem agnitum ab omnibus nec limitibus nimis restrictum voluit[1]). — Joannes Schiphowerus O. S. A. meppensis, prior tangelmensis[2]), praeter *chronicon archicomitum oldenburgensium* (1031-1505) apud Meibomium SS. rer. Germ. II, 123—94, in quo aliqua notatu digna habet de viris doctis sui ordinis, scripsit etiam tr. *de conceptione immaculatae V. Mariae* apud Petrum de Alva 1664. — Antonius Bonitus a Cuccaro O. Min. episcopus Montis Marani (1488), dein aba. 1494 episcopus acernensis († 1510), elaboravit Elucidarium *de conceptione incontaminata Virginis gloriosae*, Parisiis 1506 (?); Neapoli 1507 ed. rara; *Manuale omnium fere definitionum* et discrepationum casuum conscientiae (probabiliter ineditum). Ob singularem erga pauperes beneficientiam dictus est „Pater pauperum". — Daniel Agricola O. Min. Conv. Basileensis plura opera pro immaculata V. conceptione composuisse traditur, quae tamen prodiisse non videntur: prodierunt tantum *Corona XII coronarum b. V. Mariae*, s. l. a. et nomine auctoris, et in Petri de Alva bibliotheca Virgin. t. II; *Corona mystica b. V. Mariae*, Antverpiae 1492 in 8; num vero ipse fuerit hujus op. auctor non est certum[3]); tr. *de passione Domini*, Basileae 1514 in 4. — Ludovicus de las Casas forte Hispalensis j. u. doctor edidisse fertur *Defensorium* pro immaculata V. conceptione, itemque pro defendenda pura conceptione V. Mariae tr., Hispali 1503.

532. Joannes Basadonna patricius venetus, reipublicae legatus ad sedem apostolicam et demum procurator s. Marci composuit *dialogos 5 theologicos:* de veriori mortalium fine ac felicitate; de intellectuali natura Dei ac divina sapientia; de rerum cognitione ab intellectu divino; de Dei providentia et mortalium cura; de divina electorum praedestinatione, Venetiis 1518 in 4., l. rarus. — Georgius Benignus de Salviatis O. Min. Conv., Bosniensis, Parisiis et Oxonii operam dedit studiis. Regens erat gymnasii ordinis Florentiae, Pisis publicus metaphysicae et theologiae professor, provinciae Tusciae minister unusque illorum magistrorum, qui constitutiones alexandrinas pro Minoribus Conventualibus ediderunt. Factus est a. 1507 episcopus calliensis, dein a. 1513 nazarethanus († 1520). Quaestiones *de natura angelica ll. 9* in modum dialogi proposuit, Florentiae 1499 in 4; *de dialectica nova* tr. eleganti stilo novaque methodo scriptus, Romae 1469; *propheticae solutiones* pro Hier. Savonarola, Florentiae 1497; LXXVII in opusc. Mag. Nicolai (O. Pr.) *reperta Mirabilia*, Florentiae s. a. Egit autem Nicolaus de causa mali occasione disputationis habitae coram Laur. Mediceo, Joanne Mirandulano aliisque viris doctis. Paratum quoque habuit ad prelum commentarium in 4 ll. sententiarum, qui tamen prodiisse non

---

[1]) Cf. Muther allg. d. Biogr. 3, 288: Schulte II, 336, qui ejus opera juris canonici recenset, inter quae sunt Repetitio c. *Omnis utriusque sexus*, Lipsiae 1493; *de statu monachorum et canonicorum*, s. l. et a., in quo agit de juribus episcopi in regulares et de jure parochorum etc. Cf. etiam supra p. 1034 s.

[2]) Cf. Wegele Allg. d. Biogr, 31, 306.

[3]) Prodierat jam 1488 ad calcem *Quodlibeti* Michaelis Francisci (cf. supra p. 1109) *de veritate fraternitatis Rosarii* absque auctoris nomine. Ceterum et Mauritius de Villaprobata O. Pr. Gallus, lector biblicus parisiensis, concinnavit *Novam coronam Mariae*, Parisiis 1512 in f. ex salutatione angelica ter supra sexagies repetita juxta numerum, ut vulgo creditur, annorum vitae Deiparae. Cf. de utroque opere Echard II, 25.

videtur. — Melchior Frizzoli O. Min. Conv. theologiae magister († 11. Jan. 1520) disputavit in forma dialogi *de anima* ll. 3, scil. 1. de anima corpori conjuncta; 2. de anima separata; 3. de animae praedestinatione et reprobatione, Mediolani 1499; Venetiis 1537; Bononiae 1538 cura Raph. de Nobilibus reg. obs. castigatus. — Hieronymus Vicecomes O. Praed. Mediolanensis disputat *de obligatione papali*, utrum scil. papa se obligare possit dominis cardinalibus vel aliis voto et juramento, Parisiis 1512. Respondet affirmative, et si se obligaverit, ad promissa implenda teneri et objecta omnia diluit; *de lamiis et strigibus*, Mediolani 1490 in 4. Juxta Saxium videtur obiisse jam ante a. 1490. — Jacobus Almainus Gallus, Senonensis, doctor et philosophiae magister parisiensis, opinionibus Jo. Scoti, Guilelmi Occam et Gabrielis Biel addictus, „disputator acutissimus" dictus, magnae auctoritatis est apud theologos gallicanos: nam cum Gersonio, Jo. Major etc. illorum theoriis erroneis patrocinatur: hinc ex mandato facultatis theologicae adversus Cajetanum scripsit tr. *de auctoritate Ecclesiae et conciliorum generalium*, Coloniae 1514; Parisiis 1512; 1526; et inter Gersonii opera II, 976—1012 ed. Dupin; ubi habes p. 1013—1120 et *Expositionem* circa decisiones magistri Guil. Occami super potestate romani pontificis, Parisiis 1512, 1519, 1526; opus posthumum praecedenti simile, in quo subinde tamen ab Occamo dissentit et romano pontifici auctoritatem in res temporales asserit majorem quam vel Bellarminus concedit. *Tractatus quinque consequentiarum*, Parisiis 1508, scil. 1. de definitione et divisione; in 2. proponuntur regulae generales pro omnibus consequentiis; in 3. habentur regulae pro argumentationibus enthymematicis; 4. agit de syllogismo, et 5. de exponibilibus. *Embammata physicalia* seu embammata totius philosophiae naturalis ex ingenti apophthegmatum physicalium acervo ad 3 priores ll. physicorum Aristotelis, Parisiis 1505. *Moralia* non tam naturalia quam theologica in 4 tr. divisa, in quorum 1. agitur de actuum et habituum essentia et eorum impedimentis; in 2. de tribus virtutibus theologicis; in 3. de hominis virtutibus; in 4. de earundem virtutum oppositis; prodierunt conjunctim emendata a Jo. Majore Parisiis 1510. 1516; 1520, cui ed. adjecta est q. vesperaria *de dominio naturali, civili et ecclesiastico* (etiam inter opp. Gersonii II, 961-976); commentarii *in 3. l. sententiarum*, in quibus relicta s. Thomae doctrina profitetur Gab. Biel opiniones, Parisiis 1516; Lugduni 1527; qq. sive commentarii *de poenitentia et matrimonio* ad l. 4. q. 14—32, ubi ad mentem Scoti disserit, Parisiis 1526; Dictata super sententias mag. Roberti Holcot (cf. p. 539) *de actibus fidei* et intellectus et de libertate voluntatis, Parisiis 1512; 1526 in 8. Decessit[1]) subita morte exstinctus a. 1515. Ejus opera[2]) theologica collecta prodierunt Parisiis 1518 in f. — Joannes Briard (Briaert) Athensis ab oppido patrio Ath dictus, celeber professor lovaniensis, Hadriani Florentii (postea pontificis) collega, vicecancellarius († 8. Jan. 1520) edidit *quaestiones quodlibeticas* cum aliis nonnullis, Lovanii 1518; Parisiis 1122; 1527; Lugduni 1546. 1547; quodlibeticum *de causa indulgentiarum*, Lipsiae 1519. Eum laudat Erasmus[3]) ut „virum incomparabili doctrina raraque praeditum humanitate." Ipse effecit, ut collegae condemnarent Lutheri errores tunc emergentes. — Radulphus de Montfiquet (quod est oppidum ejus patrium) reliquit praeter ascetica tr. de vera, reali atque mirabili existentia totius Christi in ss.

---

[1]) Cf. Scheeben KL. 1², 568; Fabricius II, 293; Dupin XIV, 4 ss.

[2]) Cf. Feret II, 83—88.

[3]) Ep. ad Cuthbertum Tunstallum op. III, 288. Cf. Biogr. nat. de Belg. III, 47 ss.

altaris sacramento, Parisiis 1481; gallice ib. 1505; *Tr. du s. sacrement, estat et fruit de mariage* etc., ib. s. a. († c. 1515).

533. Convertamus nos ad theologos *polemicos* seu fidei catholicae apologetas[1]). Adversus *Judaeos* disputavit Victor de Carben (Karben) olim Judaeus, quem a. jam agentem 58. Hermannus archiepiscopus coloniensis ad ejurandum judaicum errorem induxit. Factus est Christi sacerdos decessitque a. 92 natus 2. Febr. 1515. Sua disputatione contra Judaeorum errores et superstitiones occasio fuit archiepiscopo, ut eos e suo territorio pelleret; in controversiis a Pfefferkorn contra Judaeos excitatis jussu Maximiliani imp. et ipse utpote admodum versatus in literatura talmudica fuit consultus. Ejus tamen votum hac de re non amplius habetur. Rationem suae conversionis et disputationis germanice reddidit, s. l. et a., quod scriptum auctum et (ab ipso vel ab Ortwino Gratio) latine redditum prodiit inscriptum *Opus aureum* ac novum et a doctis viris diu exspectatum . . . in quo omnes Judaeorum errores manifestantur, qui hactenus nobis ignoti fuere. Declarantur etiam in hoc op. omnes Judaeorum mores, quos circa quaecunque opera exercere consuerunt ac tandem, quod inauditum est, ex V. tantum Testamento convincuntur, Coloniae 1509 in 4; Parisiis 1511 (non integrum); Argentorati 1519 germanice versum, et etiam a Kromer inscriptum *Judenbüchlein,* Cunitz 1550. In l. 1. narratur Victoris conversio et refelluntur opiniones quaedam erroneae Judaeorum. In 2. in forma dialogi exponitur doctrina Christi; in 3. continetur encomium Mariae V. et in 4. proponitur mysterium ss. Trinitatis. *Propugnaculum fidei christianae* instar dialogi Christianum et Judaeum disputatores inducens, in quo quod Jesus nazarenus verus Messias sit, quodque ejus superbenedicta mater Maria omnium fidelium auxiliatrix virgo immaculata et perpetua manserit s. l. (Coloniae 1514) videtur juxta Kaulen a priori opere non distingui. — Finus Fini Adriensis scripturarum ducalis fisci estensis magister, septuagenario major a. 1503 coepit ex P. Bruto, Jac. de Valentia aliisque condere in Judaeos *flagellum* ex s. Scriptura excerptum[2]), cujus nondum absolutos 9 ll. reliquit († 1517 a. aetatis 86) editos a filio Daniele scripturarum reipublicae ferrariensis magistro, Venetiis 1538 t. 2 in 4., ed. rara 1569: Ferrariae 1573. — Aliqua contra Judaeos continentur Joannis Bapti-

[1]) Hadrianus Castellensis, patria Cornetanus, Innocentii VIII. ad Hiberniae, Scotiae et Angliae reges nuntius, Henrici VII. gratiam iniit, ejusque beneficio erfordiensem sedem, et hac relicta bartoniensem et wellensem est assecutus. Alexandro VI. fuit a secretis, et ab eo purpura donatus 1503; sed sub Leone X ob suspicionem initae conjurationis contra pontificem ad judicium vocatus aufugit, ut ferunt in Thraciam usque, hinc purpura fuit spoliatus. Quando et quomodo obierit non constat, secundum alios 1518; secundum alios 16. Jan. 1526. Compilavit ll. 4 *de vera philosophia* seu tr. de religione ex quatuor Ecclesiae doctoribus mira eruditione refertum Coloniae 1548; Romae 1775. Sed praeprimis celebratur ut instaurator literarum humaniorum. Cf. Eggs, Purp. docta l. 3 § 78; Feller Biogr. univ. I. 45 ed. Paris. 1867. — Praetermittimus Ludovicum de Tonar OP. Hispanum, Palentinum, ss. literarum interpretem et theologiae Senis lectorem, cujus est l. *Divina revelatio erythreae Sibyllae* cum commentariis, in qua a bello trojano usque ad diem judicii praedixit futura, Senis 1508 in 4. — Joannis Stamler presbyteri est (rarissimus) dialogus in modum comici dramatis formatus: *de Tartarorum, Saracenorum, Turcarum, Judaeorum et gentilium sectis* et religione ac eorum refutatione, Augustae 1508 (m. 240).

[1]) Cf. KL. II, 1936 ss.

[2]) Cf. Fabricius I, 573; Wolf biblioth. hebr. II, 1128 s.

stae Theatini O. Praed. *conciociniis in opus Andronicum* hebraicis chaldaicisque sententiis refertis[1]), Anconae 1520. — Gundisalvus Garzia de s. Maria Caesaraugustanus ex genere celebris Pauli de s. Maria (cf. p. 812), Alfonsi ep. caesaraugustani advocatus et juris consultus, ex consensu ut ferunt uxoris O. Carthus. (1510), praeter *constitutiones synodales* caesaraugustani episcopatus, Caesaraugustae 1500 in 8. aliaque edidit egregium anonymi *dialogum Ecclesiae et synagogae* sive pro Ecclesia contra synagogam, s. l. et a., qui continet redargutionem absurditatum l. Talmud et fundamenta probationis fidei christianae[2]).

534. Adversus *Waldenses* varia opuscula scripsit[3]) Samuel de Cassinis, O. Min. reg. obs., qui studiis philosophicis et theologicis operam dederat Parisiis, scil. *de statu Ecclesiae,* de purgatorio, de suffragiis defunctorum, et de corpore Christi, quae prodierunt Cunei 1510; *Invectivam* in prophetiam Fr. Hier. Savonarolae, Mediolani 1497 in 4; apologiam contra Wigandum pro immaculata conceptione (ut videtur ineditam); quaestionem lamiarum, quam impugnandam suscepit Vinc. Dodus O. Praed. nec sine acrimonia; l. isagogicum in apices Scoti ad investiganda Aristotelis principia, Venetiis 1493; Cunei 1510 in f.; l. isagogicum continentem *ll. 4 logicales,* Mediolani 1494; l. 3 isagogicum *ad physicos apices assequendos,* Cunei s. a.; expositionem triplicem *in 8 ll. physicorum,* Cunei 1510; q. (copiosam) *de immortalitate animae,* Mediolani 1498 etc. — Augustinus Kaesenbrot (Kasenbrot) Wladislao regi a secretis[4]), praepositus olomucensis († 1513), edidit literas (1500—1503) *contra perfidiam Waldensium,* Lipsiae 1510—11 (cum aliis opusculis similis argumenti); tr. *de secta Waldensium,* Olomucii 1500; *Series seu catalogus episcoporum olomucensium,* Viennae 1511; apud Freher SS. rer. boh. II, 277 etc.; quem recensuit, continuavit notisque historico-chronologicis illustravit F. X. Richter, Olomucii 1831 in 8. — Alphonsus Ricci s. theologiae magister et sententiarius parisiensis, regiae domui a confessionibus, dialogum edidit, quo ex s. Scripturae priscorumque patrum dogmatibus *purgatorium animabus purgandis praeparatum* ostenditur adversus Waldenses interlocutoribus Waldensi et fide, arbitra vero veritate, Parisiis 1509 in 4; 1512; *quaestio perpulcra,* qua investigatur, an meritum exsistentis in prosperis amplius sit, quam illius qui fert patienter adversa: ubi pro adversa patienter sustinente concludit. *Eruditiones christianae religionis,* Parisiis s. a., quo in opusculo auctor agit de virtutibus theologicis et cardinalibus.

535. Hieronymus Donatus, alius a Ludovico D. (cf. p. 1020), patricius venetus, obita ad Julium II. legatione de patria bene meritus, nullius ignarus doctrinae, poeta, orator, philosophus, theologus, mathematicus peregregius[1]), reliquit versiones operum graecorum aliaque scripta (fere inedita), inter quae l. adversus Graecos *de sacrorum principatu* cum romano pontifice contendentes, Venetiis 1525; *de processione Spiritus s. ll. 4* apud Mai Script. vet. VII, 1—162. — Contra *Lutherum* scripsit post disputationem Lipsiae habitam Joannes Rubius e Franconia duo opuscula, inter quae: *Solutiones ac responsa* wittebergensium

[1]) Cf. operis descriptionem apud Echard II, 43.

[2]) Cf. Nic. Antonius Bibl. Hisp. vet. II, 362; novae I, 555 ss.

[3]) Cf. Argelati p. 339 et praesertim p. 1971 ss.

[4]) Cf. Boehme Jh. G., de Aug. Plomucensi et patera ejus aurea commentarius, Dresdae 1758; Balbinus Boh. doctae II, 157.

[1]) Degli Agostini Scritt. veneti II, 201.

doctorum in publica disputatione lipsica contra fulmina Eckiana parum profutura[1]), 1519. — Denique nominandus saltem est Joannes Tetzel (Detzel, Thyzell etc.) O. Praed., qui tristi fama innotuit, sua enim promulgatione indulgentiarum non secundum scientiam et prudentiam nimioque aestu corradendi fidelium eleemosynas[2]) occasionem praebuit sic dictae reformationi seu potius rebellioni Lutheri adversus Ecclesiam catholicam. Natus ipse est Pirnae c. a. 1465, multumque adhibitus ad promulgendas variis in Germaniae provinciis indulgentias pro colligendis subsidiis in pios usus insumendis. Magisterii gradum consecutus est Francofordiae 1518 propugnatis 106 thesibus oppositis thesibus 95 Lutheri, quarum tamen auctor non ipse est, ut nonnulli putarunt, sed Wimpina[3]). His se opposuit Lutherus in Sermon von Ablass und Gnade, cui respondit Tetzel *Vorlegung wyder eynen vormessen Sermon* von tzwentzig irrigen Artikeln Bebstlichen ablas und gnade belangende allen christglaubigen menschen tzuwissen von notten, additis 50 thesibus, quas habes inter Lutheri op. ed. cit. I, 96—98, in primis *de potestate pontificis et indulgentiis,* s. l. et a. Ejus quoque est jam antea (1517) ed. *instructio summaria* pro sacerdotibus ab archiepiscopo moguntino Alberto approbata (Francofordiae ad Oderam 1518). Decessit Tetzel Lipsiae 4. Jul. 1419. — Alius indulgentiarum[1]) praeco erat Joannes de Paltz (Pfalz, Palatinus) dictus, forte ab oppido patrio in ditione trevirensi sito, vel quia ex Palatinatu erat, alioquin nomine familiae J. Zenser, Jenser, Genser, nuncupatus, O. S. Aug., doctor et theologiae lector, in studio generali ordinis Erfordiae (1482), hinc et Lutheri magister, socius Andreae Proles, vicarii generalis congregationis saxonicae reformatae, in promovenda reformatione in variis monasteriis. Raymundus Payraudus nuncius apostolicus ejus opera est usus in promulgando jubilaeo ab Alexandro VI a. 1490 concesso et a. 1502 aliud annunciavit jubilaeum († 13. Mart. 1511). Hic juxta suas conciones scripsit *Die himelische Funtgrube,* Erfordiae 1490, plurimum auctum et latine redditum *Coelifodina* absconditos Scripturae thesauros pandens, Erfordiae 1502; accedit Supplementum *de exercitibus infernalibus* ipsas sacratissimas indulgentias impugnantibus et

[1]) Cf. N. Paulus Katholik 1892. I, 558.

[2]) Cf. Nic. Paulus in hist. Jahresbuch 1895 XVI, 37-70 Zur Biographie Tetzels, et iteratis curis in l. Joh. Tetzel, der Ablaßprediger Mainz 1899. Cum vero Majunke in suo l. J. T. der Ablaßprediger Erfurt 1899 non omnia illius probasset, Paulus retractata causa huic respondet in Katholik 1899 I, 484—511, aliaque addit perficitque ib. 1901 I, 453—468. Cf. et KL. XI, 1435—1439. In hisce scriptis Paulus eum a pluribus accusationibus excusat atque a calumniis purgat, quibus vel recentiores biographi sicut recentissime Brecher Allg. deutsche Biogr. XXXVII, 605—9 eum sine sufficienti judicio critico plus aequo infamant. Cf. et Grube die Tetzelliteratur der Neuzeit in Liter. Rundschau 1889 p. 161—67, qui graviter carpit recentiores biographos protestantes; Falk Katholik 1891. I, 496; V. Groene, Tetzel und Luther oder Lebensgesch. und Rechtfert. des Ablaßpr. Dr. J. T., Soest 1853; Hefele-Hergenroether IX § 917 ss.

[3]) Habes eas inter Lutheri opp. I, 93—96 Wittebergae 1545; in Wimpinae Sectarum anac. Francofurti 1528 p. 40—43, et recentissime W. Koehler Luthers 95 Thesen sammt seinen Resolutionen sowie den Gegenschriften etc. Leipzig 1903.

[1]) Joannes de Argamanes (Argumanes) reg. Obs. a nonnullis Speculator dictus, Hispanus, suae provinciae vicarius, etiam disseruit *de valore indulgentiarum,* Hispali 1539. — Bernardus de Croso O. Praed. Gallus, poenitentiarius pontificius editioni sermonum dominicalium in evangelia Guilelmi de Peraldo (cf. p. 302). Avenione 1519 inseruit q. ad communem utilitatem praedicantium *de indulgentiis* a sede apostolica pro defunctis per modum suffragii concessis. — Plures praesertim ineunte sec. XVI. de indulgentiis scripserunt vel disseruernnt, quorum doctrina non est adeo abnormis a vera fide, ut protestantes frustra jactant. Id passim ostendit N. Paulus in Zeitschr. f. k. Theol.

de modo expugnandi eos per bumbardas de turri davidica emittendas, utrumque saepe editum Erfordiae 1504, Lipsiae, Augustae, Argentorati, in quo plenam de indulgentiis doctrinam catholicam exhibet. *De cautelis servandis* in absolutione sacramentali, ne tam confessores simplices quam etiam confitentes animarum incurrant periculum etc., s. l. et a. *De septem foribus* seu festis gloriosae Virginis, 1491. Ejus libellus de conceptione sive praeservatione a peccato originali s. Dei genitricis V. Mariae non prodiit[1]). Ejus doctrinam de indulgentiis N. Paulus bene evolvit et vindicat in Ztschr. f. kath. Theol. XXIII (1899), 48—74; XXVIII (1904), 475—79; Hef.-Hergenr. IX, 42 ss.

536. In *edendis,* illustrandis vel vertendis *patrum operibus* praeter alios laborarunt Joannes Cono (Kuno) O. Praed. Norimbergae 1463 natus, graece latineque peritissimus, quem et eruditi omnes aequales ejus aut familiarem habuerunt aut etiam celebrarunt. Ut sua studia commodius prosequeretur, in Italiam se contulit atque Venetiis primum ope Aldi romani et Fabii Columnii literis operam navavit. Deinde iisdem et sacras addere statuit: hinc ad patavinum gymnasium concessit, ut Marcum Musurum Cretensem utriusque linguae praeceptorem summa gloria et profectu cum reliquo philosophorum et theologorum coetu legentem audiret. Postea vero in Germaniam reversus Basileae substitit apud sodales, qui bibliotheca latinis et graecis auctoribus instructissima fruebantur. Cum enim in basileensi concilio patres e Graecia optimos graecos libros eosque ms. adduxissent, hos soluto concilio Dominicanis partim donarunt, partim vendiderunt. Commodum autem accidit, quod Jo. Amerbachius typographus basileensis divi Hieronymi ll. divulgare instituerat[1]), qui ut emendatiores in lucem irent, Cononem ad se in domum hospitio invitavit eoque etiam in liberis erudiendis praeceptore est usus. Hisce etiam se Beatus Rhenanus adjunxit atque Cononem graecos auctores enarrantem audivit: nam erat non solum linguae latinae scientissimus, sed et graecae supra alios calentissimus ingeniique admodum sagacis. Opuscula quaedam Basilii M., Gregorii nazianzeni et nysseni vertit[2]). Cum etiam suo tempore Erasmus Basileae N. Testamentum a mendis niteretur vindicare, Conon ei frequenter adfuit atque operam haud poenitendam praestitit († 21. Febr. 1513). — S. Gregorii M. *Moralia* hispanice vertit Alphonsus Alvarez de Toledo, Hispali 1513; 1534 t. 2 in f. — Joannes Murmellius Roremondanus n. c. 1480, humanioribus literis plurimum deditus, magister coloniensis, rector scholarum Monasterii (1500—1513), deinde Alkmari in Hollandia (1513—17), veneno, ut suspicio est, sublatus 2. Oct. 1517, de promovenda institutione juventutis maxime fuit sollicitus. Hinc plurimos conscripsit libros didascalicos (c. 25), quorum aliqui innumeris editionibus prodierunt. Insignis praeterea erat poëta. Reichling ed. *Ausgewählte Gedichte,* Urtext und metrische Übersetzung, Freiburg 1881. Hic memorandus est ob editionem quorundam veterum scriptorum christianorum, ut Boëtii, Aviti viennensis[1]) etc. Ejus filius etsi sacerdos

[1]) Cf. Reusch allg. d. Biogr. XXV, 112. Alius ab eo est Joannes Gethink de Paltz (Pals, Balcz) can. reg. s. Aug. ejus fere aequalis, qui 1524 ad Lutherum defecit. Nostrum appellat Echard II, 33 Jo. de Paliz et sodalibus O. Praed. accenset auctoritate Possevini innixus eique idem tribuit opus.

[1]) Prodiit haec editio Basileae 1516 t. 5 in f.

[2]) Cf. eorum elenchum apud Echard II, 27 s.; Maehly Allg. d. Biogr. IV, 439.

[3]) Cf. Funk KL. VIII, 2023; Foppens II, 699; Reichling J. Murmellius, s. Leben und seine Werke. Nebst einem ausführ-

defecit ad protestantes. — Zenobius Acciajoli O. Pr. illustri gente apud Florentinos n. 1462 cum viris literatis clarissimis illius aevi conversatus est familiariter, sed tumultuum impatiens politicorum ad Savonarolam confugiens ab eo in ordinem s. Dominici est receptus. Relictis musis humanioribus graecis latinisque, totum se ss. patrum lectioni dedit. A Leone X. bibliothecae vaticanae praefectus est a. 1518, sed mox decessit 27. Jul. 1519. Plura veterum graecorum scripta latine reddita scil. Eusebii caesariensis, Olympiodori, Theodoreti etc. edidit vel edenda curavit[1]). — Georgius Cribellus presbyter mediolanensis († 1502) sedulam in hac urbe operam dedit in corrigendis edendisque sub ipsis nascentis typographiae incunabiliis veterum operibus. Edidit *opera s. Hilarii pict.,* Mediolani 1489 in f.; *s. Augustini de Trinitate ll. 15,* ib. 1489; aliquot s. Ambrosii opera etc. — S. Ambrosii epistolas et opuscula emendavit Stephanus Dolcino (Dulcinius), canonicus mediolanensis (n. 1462; † 1506), quae prodierunt Mediolani 1491; curavit[2]) editionem op. Bonif. Simonetae de christianae fidei et rom. pontificum persecutionibus, ib. 1492 in f.; Basileae 1509. — Thaddaeus Ugoleto parmensis laicus, in literis humanioribus bene excultus, in obsequio Matthiae Corvini Hungariae regis literarum magni protectoris († c. 1514), operam suam contulit[3]) ad editionem opusculorum d. Augustini hipp. ep., Parmae 1491 in f. — Augustinus Dodo, Frisius, Basileae ad s. Leonardum canonicus, primus congessit et recensuit d. Augustini opera omnia. Parabat argumenta in opuscula singula et censuras: sed peste absumptus est eo ipso anno, quo opus erat praelo subjiciendum (1501). Prodiit a morte tertio post a. typis Amerbachii[1]).

537. Praeter multos quos jam laudavimus, alii quoque opera *philosophica* ediderunt. Ita Gerardus Harderwyck de Rota Gelder, facultatis artium coloniensis ter decanus et universitatis rector (1500; † 1503), cujus praeter alia[2]) sunt *Commentarii* seu Copulata super omnes tractatus parvorum logicalium Petri hispani junctis nonnullis modernorum . . . ex d. Alberti M. commentariis, Coloniae 1488; 1492, 1504; textus 3 ll. *de anima* Aristotelis cum commentario secundum doctrinam Alberti M., ib. 1497 in f.; ll. *Hermeneias 1486; supra veterem artem Aristotelis* 1486; *Opus quadripartitum postillarum d. Alberti M.,* Hagenoae 1504; Alberti postilla *in Lucam*, ib. 1504 etc. — Ejus collega fuit Joannes de Nürtingen artium magister et theologiae licentiatus († 1515), cujus sunt commentarii *in ll. de coelo et mundo* secundum doctrinam d. antistitis Alberti M., Coloniae 1508, cui op. adjecti sunt ll. peri geneos Jacobi[3]) de Ambfort (Amersfort † 1493). Commentarii in *8 ll. physicorum* Aristotelis juxta doctrinam Alberti M., ib. 1506. — Bartholomaeus Manzolus O. Praed. disputavit *de formalitatibus,* Bononiae 1516; *de definitionibus,* ib. 1518. — Hieronymus Pardo Hispanus, perspicacissimus artium prae-

---

lichen bibliographischem Verzeichniß sämmtlicher Schriften und einer Auswahl von Gedichten, Freiburg 1880; Horawitz A. d. Biogr. XXIII, 65.

[1]) Cf. Echard II, 44 ss.

[2]) Cf. Affò Memorie degli Scrittori parmeg. III, 65—72.

[3]) Cf. Affò ib. III, 105—25, qui alia ejusdem opera recenset.

[1]) Cf. Foppens I, 112.

[2]) Cf. Hartzheim bibl. col. p. 96 s.; Reusch allg. d. Biogr. 10, 593.

[3]) Hic videtur idem cum eo, quem Hartzheim vocat p. 74 Everardum de Amorsfordia et professorem dicit coloniensem et decanum facultatis artium, quique scripserit commentaria in ll. Aristotelis *de coelo et mundo,* quos prosecutus est Jo. de Nürtingen, Coloniae 1497 in f; 1499, opus rarum.

ceptor, Parisiis philosophiam profitebatur atque medullam dialectices ib. 1500 in f. vulgavit. — Antonius Coronel[1]) Segobiensis, unus ex tot Hispanis, qui philosophiam Parisiis profitebantur plurimum jam ab antiquo splendore et sanitate delapsam. Plura reliquit opera philosophica modo antiquata, ut *tr. syllogismorum,* Parisiis 1517; *tr. exponibilium,* ib. 1511 in f.; *Rosarium Logices,* ib. 1517; *in Posteriora Aristotelis* commentaria, Lugduni 1529 in f.; *qq. logicales* secundum viam Realium et Nominalium h. e. ad Porphyrii praedicabilia et Aristotelis l. praedicamentorum, Parisiis 1509; Compluti 1540 in f. — Georgius Bruxellensis in universitate parisiensi dialecticorum interpres stilo barbaro quaedam commentaria in Aristotelis et Petri Hispani scripta reliquit[1]). — Joannes Dullardus Gandavensis, Joannis Major discipulus, haud inceleber philosophiae Parisiis professor, reliquit in varios Aristotelis libros commentaria. Ejus *quaestiones* in l. Praedicabilium Porphyrii vulgavit Joannes Drabbe (Bonicollius, Goethals) Gandensis, philosophus, qui Parisiis degebat, ejus familiaris, additis *quaestionibus* ac difficultatibus suis asterico notatis, Parisiis 1521 in f.

[1]) Alius ab eo est Paulus Coronel linguarum graecae et hebraicae insigniter gnarus et doctrina ejus partis maxime, quam s. Scriptura sibi vindicat, ornatus, quae studia e cathedra profitebatur; hinc se Fr. Ximenio commendavit, qui ejus etiam opera consilioque usus est in edendis celeberrimis suis polyglottis († 1534).

[1]) Cf. Foppens I, 332.

II. S. Scriptura.

538. Studii biblici fructus pauci typis prodierunt. Conradus de Leonberg (Leontorius) O. Cist. in monasterio mulbronensi in Suevia, a Trithemio laudatus, edidit textum Bibliae cum glossa Nic. de Lyra, postilla et moralitatibus ejusdem, Pauli burgensis additionibus et Matthiae Doering replicis, Basileae 1506—8 pp. 6 in f. (m. 100). — Gabriel Brunus O. Min. Conv. theologiae magister, fidei inquisitor et Romaniae seu Graeciae ac Peloponnesii (1508), et etiam terrae sanctae minister provincialis, vulgavit *biblia sacra* a se castigata, quorum in limine agit erudite de eorum origine, expositionibus atque editionibus diversis ab anno 341 ante Christi adventum tempore Ptolomaei Philadelphi usque ad s. Ambrosii tempora variis linguis, locis atque temporibus factis, necnon et de modis quibus interpretanda sunt: adjecit indicem alphabeticum seu tabulam ss. bibliorum, Venetiis 1490; 1494; 1501; 1519; Lugduni 1513. — Petrus Angelus de Monte Ulmo O. Min. emendavit et correxit *Biblia latina* adjecitque tabulam alphabeticam cum singulis suis locis concordantibus, Venetiis 1492; 1501 ed. rara et quaesita. — Paganus de Paganinis edidit *l. vitae* i. e. Biblia cum glossis ordinaria et interlineari, cum expositione N. de Lyra etc., Venetiis 1495 pp. 4 in 5 v.

539. Splendidissimi operis jam mentio est facienda, quod nobilissimus est fructus reflorescentis studii biblici. Innotuit sub nomine *Biblia polyglotta complutensia,* quae prodierunt post diuturna studia praeparatoria a. 1502 et postquam jam impressa fuerant 1514—1517 Compluti nonnisi 1520 t. 6 in f., primum opus hujus generis (m. 2400). Complectitur illud praeter vulgatam, in pluribus tamen locis reformatam, textum hebraicum cum ver-

sione, versionem LXX, textum graecum N. T. (prima vice integrum) cum versione latina interlineari de verbo ad verbum curis Demetrii Ducas Cretensis, Ferdinandi Nonnii[1]) Pinciani, Didaci Lopez Stunicae, Joannis de Vergara[2]) aliorumque complutensis academiae doctorum; Targum Onkelosi in Pentateuchum cum latina versione Alphonsi de Zamora[1]); textum chaldaicum V. T. cum versione. Accedunt plura adjumenta philologica ut lexicon chaldaicum et hebraicum, introductio quam brevissima ad graecas literas, vocabularium nominum propriorum graecorum, glossarium graeco-latinum etc. Cum impressa fuerint tantum 600 exemplaria, rara est admodum, adeo ut in Germania universa juxta Hänlein reperiantur tantum ex. 15 (Einleit. ins N. T. p. 2 p. 262). Hujus operis auctor et promotor praecipuus habendus est celeberrimus Franciscus Ximenes de Cisneros, qui illius consilium concepit, executionem adscitis viris doctissimis moderatus est, expensis liberalissime aluit et sustinuit, et sub cujus auspiciis demum ad finem est perductum: atque ita viam aperuit aliis ejusmodi editionibus adhuc perfectioribus et accuratioribus curandis[2]).

[1]) Ferdinandus Nuñez (Nonius) de Guzman nobilissimae prosapiae ord. eq. s. Jac. literarum omnis generis, graecarum in primis, amore exaestuans Bononiam se contulit iisque incredibili animi contentione incubuit. In patriam reversus a Ximene accitus est, ut in gymnasio a se condito literas doceret graecas atque suam conferret operam in edenda vertendaque versione septuaginta interpretum, quod majori ex parte confecit. Transiit inde ad lyceum salmantinum, ubi illustres habuit discipulos. Vixit coelebs, castus, comis, festive dicax, sed innocue vitiorumque reprehensor acerrimus. Vir aevi sui eruditissimorum hominum et judicio praestantium nulli inferior, ab eruditis magnis encomiis laudatus, quamvis ejus fama extra Hispaniam minus innotuerit († 1553). Cf. elogia et opera apud Nic. Antonium Bibl. hisp. n. I, 382 ss. — Alius ab eo est Petrus Nuñez Delgado hispalensis ecclesiae portionarius et in schola ejusdem ecclesiae humanarum artium professor († 1535), cujus sunt praeter alia *Aurea hymnorum totius anni expositio* cum annotationibus, unaque orationes sacrae, quae per annum cantantur; epistolae d. Pauli et aliorum quae cantari solent, homiliae diversorum auctorum, Hispali 1527 in 4; *Expositio Threnorum* i. e. lamentationum Hieremiae etc., Hispali 1530.

[2]) Joannes de Vergara Toletanus, vir egregie institutus ob eximios, quibus praeditus fuit, tum pietatis, prudentiae atque modestiae aliarumque virtutum dotes in summa omnium existimatione positus vixit. Compluti philosophiam docuit (1502), Ximenio hujusque mediato successori Alph. Fonseca a secretis fuit factusque est canonicus toletanus. Symbolo utebatur illo Epicteti „Sustine et Abstine", quod explanaverat disticho:

„Sustine in adversis et te compesce secundis
Et temnes caecae numina vana deae."

A viris doctis magni factus est ut a Melch. Cano, Lud. Vives, Bened. Pererio, qui praef. l. 10 comment. Danielis eum „in omni subtilitate chronologiae et historiae solertissimum et doctissimum" appellat. Obiit 20. Febr. 1557. Vertit pro bibliis complutensibus libros Salomonis et Jesu Sirach in latinum. Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. n. I, 792 s.

[1]) Alphonsum ab urbe patria de Zamora dictus judaeis parentibus natus, hebraicam linguam omniaque ejus mysteria egregie calluit. Factus catholicus dignus visus est Ximenio, quem cum aliis ad suam bibliorum editionem liberalissime invitaret. Quindecim fere annis suam impendit operam: Hunc in finem composuit *Vocabularium hebraicum V. T.*, cui appenduntur interpretationes hebraicorum, chaldaeorum graecorumque nominum V. et N. T.; Catalogus eorum, quae in utroque T. aliter scripta sunt vitio scriptorum, quam in hebraeo et graeco et in quibusdam bibliis antiquis; item introductiones grammaticae hebraicae, admodum completae pro illo tempore: quae omnia formant unum (VI.) volumen illius ed. Deinde *grammaticam* aliam breviorem, faciliorem et lucidiorem confecit hoc titulo: *Artis grammaticae hebraicae introductiones*, Compluti 1526; ep. *ad infideles Hebraeos* urbis Romae, ib. 1526. Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. novae I, 56. Obiit 1531.

[2]) Cf. de ea Hundhausen KL. II², 598 s. et Kaulen ib. X, 143; Tüb. Qtlschr. 1844 p. 222 ss.; Hefele op. cit. p. 113 ss.

540. Natus est Franciscus[1]) Ximenes de Cisneros Turrelagunae 1436, in baptismo dictus Gonzalez. Studiis operam dedit Compluti, Salmanticae et Romae, ubi etiam in causis actitandis se exercuit. Post reditum in patriam tristia incidit fata, conjectus enim fuit in carcerem ab Alphonso Carillo archiepiscopo toletano, totoque sexennio detentus, quae fusius prosequi non est nostrum. A Petro Gonzalez archiepiscopo hispalensi ob prudentiam animique dotes insignes electus est, etsi invitus, vicarius generalis dioecesis seguntinae. Sed post aliquot annos mundo honoribusque valedicens ingressus est ordinem s. Francisci dictus Franciscus (1484). Praefuit conventui guardianus et minister provinciae castellanae, Isabellae reginae Catholicae fuit a confessionibus. Conventus ordinis per Hispaniam non obstantibus magnis difficultatibus reformavit atque ad rigidam disciplinae observantiam reduxit omnibus ipse factus regularis vitae exemplar. Praeter omnem exspectationem rogatu reginae dictus est ab Alexandro VI. archiepiscopus toletanus (1495), et nonnisi obedientiae praecepto coactus tantam admisit dignitatem: sed et in tam sublimi sede constitutus pauperem cogitabat vitam ducere et nonnisi monitus a pontifice splendorem quendam admisit, sed tantum quoad speciem externam. Sollicitus admodum fuit de restaurandis moribus et disciplina ecclesiastica deque studiis promovendis. Ob sedis toletanae splendorem, tum ob suam in gerendis negotiis dexteritatem in gravissimis status negotiis fuit adhibitus, demum etiam regis vices egit in regno castellano defuncto Ferdinando rege. Anno 1507 dictus est a Julio II. Cardinalis. Magna gessit etsi jam senex, quae consulto praetermittimus. Decessit non sine veneni suspicione in odore sanctitatis 8. Nov. 1517 a. aetatis 82., hinc actum de ejus causa Romae, sed sine successu: tamen in pluribus martyrologiis hispanis inter sanctos recensetur, et in pluribus locis ut sanctus colitur. Alphonsi Tostati, Raymundi Lulli etc. opera recudenda curavit, liturgiam mozarabicam restauravit, hinc *Missale* et *breviarium mozarabicum* typis edidit, academiam complutensem fundavit suis expensis vir vere magnus, Hispaniae gloria[1]).

541. In universa fere biblia commentaria exarasse (inedita) legitur Joannes Nanni, qui antiquitatis amore voluit dici Annius, O. Praed. viterbiensis n. c. 1432, scriptor valde operosus, linguarum etiam orientalium peritus, Sixto IV. et Alexandro VI. acceptus, a quo electus est in magistrum s. palatii. Legitur de eo in Actis SS. ad 20. Maj. in vita b. Columbae Reatinae, eum hujus beatae precibus subito a diutina liberatum fuisse infirmitate († 13. Nov. 1502). Viterbienses ei posuerunt statuam in praetorianis aedibus. Scripsit praeterea *de futuris christianorum triumphis* in Turcos et Saracenos, Genuae 1480 in 4. in 3 pp., in quarum 1. percurrit brevissime, quae antea theologi exposuerunt de Apocalypsi usque ad c. 15. cum q. an Mahumeth sit verus antichristus; in 2. subinfert breviter tempora, quae illi exponenda reliquerunt a capta CP. ad finem seculi estque commentarius Apocalypsis a c. 16 ad finem; in 3. p. tr. *de imperio turcorum*, quem antea ediderat et in lectionibus publice prae

[1]) Alterius Fr. Ximenii O. S. Fr. († 1409) supra jam meminimus p. 776.

[1]) Cf. Hefele Der Card. Ximenes und die kirchl. Zustände Spaniens am Ende des 15. und Anfange des 16. Jahrh., Tübingen 1851; et in KL. XII², 1831—1837. Eggs Purp. docta l. IV n. 2; Alvarus Gomez de Castro de rebus gestis Fr. Ximenii etc. Compluti 1569: Francofurti 1581 et 1603 in collectione auctorum, qui res hispanas scripserunt, opus quod Nic. Antonius plurimum commendat Bib. hisp. n. 1, 59.

concione habitis a. 1471 populo tradiderat, brevius replicat, Genuae 1480 in 4; prodiit etiam inscriptum: Glossa sive *expositio super apocalypsim* de statu Ecclesiae ab a. 1481 usque in finem mundi et de triumpho Christianorum in Turcos et Mahumethanos, Coloniae 1507 in 8. Aliis omissis maxime innotuit antiquitatum variarum vol. XVII, cujus operis editiones duplicis generis sunt distinguendae, aliae, quae purum auctorum veterum textum exhibent, ut Venetiis 1498; Parisiis 1510; Basileae 1530; 1599; Wittembergae 1612; aliae cum ejus commentariis *super opera diversorum auctorum* de antiquitatibus loquentium Romae 1498; Parisiis 1512; Antverpiae 1545; 1552. Producit autem textus scriptorum veterum profanorum ut Berosi, Myrsili, Portii Catonis, Archiloci, Metasthenis, Philonis, Xenophontis etc. Varia sunt de hoc opere eruditorum judicia[1]), quorum alii ejus diligentiam laudant, alii gravissimis verbis eum carpunt ut falsarum antiquitatum architectum, qui antiquorum auctorum nominibus abusus, opera a se vel ab aliis conficta deceptor vel saltem deceptus eis supposuerit eaque insuper fabulosis commentariis illustraverit. Tribuitur ei et *disp. super mutuo judaico* et civili et divino, 1492 s. l. — Praetermissis vero Aegidio de Merica (Emmerich) O. Carm. theologiae lectore, episcopo auxiliari cameracensi († 5. Febr. 1505), cujus commentaria perierunt — Paulo de Monelia (Moneglia) O. Praed. Genuensi, provinciae Lombardiae praeposito, magistro s. Palatii (1490), dein 1499 episcopo chiensi et nuntio apostolico Pauli II. in Hungariam († 1502) — Ysembardo de Tollier O. Ci. Parisiensi, ss. literarum interprete (1509) — Francisco Cervino a Monte Politiano Conv., qui non sine sanctitatis fama decessit 31. Dec. 1513 et reliquit annotationes super quatuor prophetas majores, praecipue super Ezechielem — Bernardinus Moronus O. Serv. b. M. V. Mediolanensis Ticini l. Geneseos e primaria cathedra est interpretatus, e cujus praelectionibus prodiit opus *de septem diebus creationis*, Mediolani 1510. — Job illustrasse legitur Damianus Crassus O. Praed. Insuber, doctor parisiensis, praepositus provinciae Lombardiae superioris († 1515), qui et de s. Joannis affinitate et consanguineitate cum Christo Domino disseruit, 1506. — Joannes Pocken (Potken, Poccanus) praepositus ecclesiae s. Georgii Coloniae cum magna difficultate jam adultus didicit linguam chaldaicam primusque edidit *Psalterium et cantica canticorum*[1]) aethiopico charactere praemisso alphabeto vel syllabario literarum chaldaicarum, imo verius aegyptiacarum, Romae 1513; *Psalterium chaldaicum* aethiopicis characteribus impressum, ib. 1513 absque interpretatione latina; postea prodiit ed. copiosior *Psalterium* in quatuor linguis hebraea, graeca, chaldaica, latina, Coloniae 1518; sequitur brevis introductio in tres linguas externas hebraicam, graecam, chaldaeam sive rudimenta

[1]) Cf. ea apud Echard II, 5, qui judicium suspendit; Schüz Comment. crit. p. 79 ss. qui innixus auctoritati Labbei et Cuperi Annii antiquitates nullo penitus loco habendas censet; Ap. Zeno Diss. Voss. II, 186; Tiraboschi VI. p. 2. l. 3 c. 1. n. 12. ss.: Non v'ha al presente uomo mediocramente versato ne primi elementi della Letteratura, che non si rida degli Storici di Annio pubblicati e del loro commentatore. E io stimerei di gittare inutilmente il tempo nel recar pruove di ciò, di che non può dubitare se non chi è incapace di esser convinto. Si può disputar solamente se G. Annio debba aversi in conto d'impostore ovvero debba sol credersi troppo semplice ed ingannato.

[1]) In haec scripsit (et forte etiam in prophetas majores) Stephanus Teglatius (de Taleacis dicitur etiam a Gams) episcopus antibarensis, dein torcellanus († 1515). Cf. de nostro Kaulen KL. X², 244.

scribendae, legendae et pronunciandae hujus triplicis linguae, atque ita exhibuit bibliorum polyglottorum specimen. — Joannes Berardus Fortis O. S. Aug. Savoniensis († 1503) scripsit *Fontem caritatis*, in quo subtiliter plurimos textus canticorum Salomonis explicat, Mediolani 1496 in 4. Collegit etiam *vocabularium ecclesiasticum*, Moguntiae 1470; Mediolani 1495; 1503; Venetiis 1535; 1563; 1575; 1596; cum additamentis Benedicti Buccii et naturae gemmarum explicatione et propriorum nominum hebraicorum, chaldaicorum graecorumque interpretatione, Romae 1669. Edidisse quoque dicitur *Recollectorium* de veritate conceptionis b. V. Mariae. — Cantica cant. et Psalmos illustrasse fertur Petrus Roux (Rufus, Ruffi) O. Carth. generalis († 1503). — Ambrosius Alentsen ejusdem ord. prior nordlinganus psalterium Davidis glossa interlineari instruxit († 1505). — Inedita manserunt commentaria in s. Scripturam (sicut et in magistrum sententiarum) Joannis Briselot (Brixiloti) O. Carm., qui Valencennis in Hannonia natus parentibus pauperibus, puer in plateis ad lampades Deiparae imaginibus appensas studere solitus, factus est doctor parisiensis. Carolo V. fuit a confessionibus, Erasmo erat carus. Episcopus beritensis et auxiliaris episcopi cameracensis[1]) translatus est ad sedem arborensem in Sardinia (1517), quam tamen nunquam adiit negotiis in Belgio detentus († 11. Sept. 1520). — Mathurinus Courtoys (al. Clemens) O. Carm. doctor parisiensis et lector bituricensis, ad a. 40 praefuit suae provinciae († 10. Jul. 1509 a. aetatis 89). Praeter commentaria in plures s. Scripturae libros et sententiarum magistrum lecturam scripsit de b. Mariae V. conceptione, quam immaculatam fuisse tuetur, fidem christianam propugnavit adversus Epicureos ceterosque philosophos incredulos, quae inedita manserunt, sicut et scripta Pontii Raynaudi Galli O. Carm. praepositi generalis († 1502).

542. In concionatorum utilitatem plures reliquerunt expositiones, postillas etc. in evangelia et epistolas dominicarum vel feriarum etc. Ita Ambrosius Montesinus Hispanus O. Min. Ferdinando et Isabellae Castellae regibus a concionibus, cujus *sermones* hispanice prodierunt 1512; Antverpiae 1542; stilo puriori donati Barcinone 1601; 1608; Vallisoleti 1618 in f. etc. Hortatu Isabellae reginae in hispanum vertit *Vitam Christi* a Landulpho O. Carth. scriptam, Compluti 1502 t. 3 in f.; Hispali 1537; 1551, quam auctiorem reddidit Jannettinus Ninnus reg. Obs., Salmanticae 1627. — Livinus Bondius O. Praed. Gandavensis, praedicator generalis et vicarius congregationis Hollandiae, fervidus religionis amator († 11. Jul. 1516). — Guilelmus Superbus O. Min. Conv. Gallus, magister parisiensis, qui ex variis doctoribus, praesertim O. Min., compilavit *Postillas majores* totius anni, nempe expositiones epistolarum et evangeliorum annuorum ac de sanctis singillatim et in communi cum quaestionibus (forte Guilelmi Hueti ejus sodalis), quae prodierunt post alias editiones Venetiis 1536 in 8. auctiores castigatioresque. — Aegidius Faber O. Carm. (de Smedt) Bruxellensis n. 1440, doctor lovaniensis (1468), insignis ecclesiastes magnae auctoritatis apud Maximilianum I. († 1506). — Antonius de Ghislandis (Ghislandis) O. Praed. Javeni in Subalpinis ortus, apud Taurinos fidei inquisitor, cujus est Opus aureum *super evangeliis* totius anni secundum usum romanae curiae etc. cum octo millibus dubiorum exactissime declaratis ac quadruplici sensu s. Scripturae, Taurini 1507 in f.; Lugduni 1510 in 8; 1522;

[1]) Cf. plura de eo in Revue Bénéd. XXI (1904) 134—141.

Venetiis 1524; 1574; 1585; 1592 etc. — Michael Menotus O. Min. Conv. doctor et professor parisiensis († 1518; secundum aliquos 1522), zelantissimus concionator, ob suam eloquentiam lingua aurea dictus, in cujus tamen sermonibus plura inepta et sacro loco et argumento indigna leguntur. Ejus quadragesimale primum scil. *expositio epistolarum quadragesimalium* prodiit Parisiis 1517, praecedit tr. *de foedere et pace ineunda* media poenitentia; alterum seu *opus aureum Evangeliorum,* ib. 1519 mendose; castigatum et locupletatum, ib. 1530. — Claudius Seysselius, a patria dictus de Aquis, libellorum supplicum magister apud Ludovicum XII. ejusque ad varios principes legatus, juris scientia celeber, episcopus massiliensis (1510), dein 1517 archiepiscopus taurinensis († 1. Jun. 1520), scripsit in tria priora Lucae cc. *de triplici statu viatoris: poenitentium, proficientium et perfectorum,* Taurini 1518, l. vere aureus, cujus pars sub titulo *Moralis explicatio* Ev. Lucae: *Missus est angelus* prodierat jam Parisiis 1514; *Disputationes* adversus errores et sectam Waldensium, in quibus plura ad eorum historiam spectantia refert, Parisiis 1520; Argentinae 1548; *de divina providentia,* Parisiis 1518 in 4; 1637. Gallice scripsit quaedam ad Gallorum historiam spectantia vel quaedam antiquorum historicorum opera vertit[1]). — Robertus Goulet Constantiensis, theologus parisiensis (vixit adhuc 1536), concinnavit Tetramonon seu harmoniam evangelistarum (ineditam ut videtur) et curavit editionem opp. Josephi Flavii latinam, in capita distinctam, argumentis et scholiis illustratam[2]), Parisiis 1519 in f., et *Scrutinii Scripturarum* Pauli burgensis (cf. p. 812); Compendium recenter editum *de multiplici parisiensis universitatis magnificentia,* dignitate et excellentia, ejus fundatione mirificoque suorum suppositorum ac officiariorum et collegiorum nomine (liber rarissimus), ib. 1517. — Philippus de Mantua O. S. Aug. doctor parisiensis (fl. 1514) reliquit Lecturam perlucidam *in Apocalypsim,* Patavii 1516; Venetiis 1527 in 4. — *Viridarium s. Scripturae* Venetiis 1519 in 4. collegit Joannes Angelus Bellabuccus O. S. Aug. Mediolanensis. — Aegidius Delphus (de Delfi) versificator non malus († 1524), *epistolam b. Pauli ad Romanos* carmine heroico expressit. Parisiis 1507; Basileae 1562; 1588. — Jacobus Magdalius a loco natali Gouda sive Gauda apud Batavos, Goudanus (Gaudanus) nuncupatus, ordini Praedicatorum nomen dedit. Coloniae literarum humaniorum peritus et in linguis graeca atque hebraica bene exercitus composuit *Correctorium Bibliae* cum difficilium quarundam dictionum luculenta interpretatione[1]), cui adjecit *compendium Bibliae,* in quo continentur 257 versus, quibus totus fere Bibliae textus comprehenditur, ut quilibet versus quinque dumtaxat dictiones complectatur exceptis versibus finalibus librorum, qui quandoque plures, quandoque pauciores continent, Coloniae 1508; 1518; compendium seorsim etiam prodiit Wittenberg 1617. *Passio magistralis* D. N. J. Christi ex diversis

---

[1]) Cf. Fabricius I, 360.

[2]) Franciscus Maceratensis O. Min. Conv., theologiae magister, lector s. Scripturae, procurator generalis ultramontanus, edidit Opus Josephi *de bello judaico* cum argumentis singulorum capitum, Mediolani 1513 in f.; correxit

ll. Metheorum Aristotelis cum commentariis Gaetani de Tienis ed. Venetiis 1491; *metaphysicam* Avicennae ib. 1493; scriptum Pauli Veneti *in ll. Poster.* Aristotelis, ib. 1494.

[1]) J. H. a Seelen de Magdalii Jac. Gaudensis laboribus biblicis corrigendae in primis versioni latinae Vulgatae impensis, Lubeccae 1728. Cf. Echard II, 44, qui ejus carmina etiam recenset; Biogr. nat. de Belg. 10. 45. In Allg. d. Biogr. bis de eo est sermo ac si essent duo hujus nominis scriptores IX, 518 et XX, 50.

ss. Ecclesiae doctorum sententiis postillata cum glossa interlineari b. Alberti M. cum Polylogo compassionis V. Mariae, Coloniae 1508. — Denique[1]) Nil Ragwaldi (Ragevaldson) confessarius Waldstenae († 1514) plures ll. V. Testamenti svecice vertit[1]), qui prodierunt in Svenska meteltidens bibelarbeten, Stockolmiae cura Klemming bibliothecarii 1848—55 t. 2 (cf. p. 1036), et Joannes de Glogavia in academia cracoviensi philosophiae et mathematicae lector illustris († 1507), qui praeter alia quosdam sacros Scripturae libros slavice vertisse legitur. Num haec versio prodierit nos latet.

[1]) Georgius O. Carth. prior gemnicensis (Gaming) in Austria collegit *Ephemeridem* seu diarium peregrinationis transmarinae in Aegyptum, montem Sinai, terram sanctam et Syriam susceptae a. 1507 ll. 3, ed. a Pez in thes. anecd. II. p. 3. p. 454-640. — Ejusmodi peregrinationem suscepit (1480—1484) et Felix Fabri (Faber, vulgo Schmid) O. Praed. Tigurinus, concionator ulmensis († 14. Mart. 1502), cujus *Evagatorium* in terrae s., Arabiae et Aegypti peregrinationem stilo veraci et fideli in iis describendis, quae ipse viderat concinnatum, prodiit ex originali latine cura Conr. Diet. Hassler in Bibl. des litter. Vereins, Stuttgart 1843—49 t. 3 in 8; germanice brevius s. l. (Ulmae) 1556; 1560 in 8; Ulmae 1663 ed. jam 7; etiam rythmice Gereimtes Pilgerbüchlein, ed. a Birlinger München 1864; *Historiae Suevorum* ll. 2 (180-1490) apud Goldast (incomplete) SS. rer. Suev. Francofurti 1605 p. 46; in ed. Ulmae 1723 p. 51., quae historia laudatur a stilo candore et pretio notitiarum. Cf. Haeberlin Diss. sistens vitam, itinera et scripta fr. F. Fabri, Goettingen 1742 in 4; Streber KL. IV, 1167 (cf. X, 996), qui de eo scribit: Nebst ausgebreiteten Kentnissen und einer lebendigen, natürlichen Darstellungsgabe bekundet er in seiner Darstellung ein frommes treuherziges echt deutsches Gemüt von der alten Art und einen wißbegierigen, für die Eindrücke des Lebens offenen Sinn. Wolff Allg. d. Biogr. VI, 490: Man kann ihn, inquit, unbedingt als den hervorragendsten Pilger des 15. Jahrh. bezeichnen; Potthast p. 442[2]; G. Bossert Realenc. V[3], 722; prae primis Diöcesanarchiv aus Schwaben Nr. 5 (1903). Varias ed. Evagatorii recenset Röhricht Bibl. geogr. Pal. p. 130 s. — Anselmus O. Min. Cracoviensis, ut videtur, reliquit et ipse *Descriptionem terrae sanctae* (quam 1505 inviserat) ejusque itinerarium, Cracoviae 1512. 1574 et in Canisii ant. lect. VI, 1287—1320; IV[2], 776-947. — Bartholomaei de Sallignac juris utriusque professoris et protonotarii apostolici *Itinerarium terrae sanctae* prodiit Venetiis 1519; Parisiis 1522; Lugduni 1525; 1526 etc.

[1]) Cf. Kaulen KL. 2068.

III. Historia ecclesiastica.

543. Historiam potius universalem prae oculis inter alios habuerunt: Werner Rolewinck (Rolenvick) de Laer oppidulo dioecesis monasteriensis oriundus a. 1425, qui ordinem Cartusianum Coloniae est amplexus, vir inter ordinis proceres jure numerandus sive doctrinam sive sanctimoniam et altissimae orationis donum spectes. Incredibili flagrabat discendi desiderio: ideo solitudinis et silentii tenacissimus sessitabat in cella sua ss. literarum et patrum lectioni perpetuo intentus. Quinquaginta et amplius partim editi, partim inediti libri vel libelli loquuntur viri scientiam et assiduitatem. Obiit 26. Aug. 1502 a. aetatis 77, religionis 55., victima caritatis, nam septem fratribus peste correptis intrepidus adstitit. Haec potiora ejus scripta: *Fasciculus temporum* omnium antiquorum chronica complectens per sex aetates digestus ab o. c. usque ad a. 1474, qui primum Coloniae prodiit; mox dein inaudita sorte vivente auctore adhuc tricies saltem: accesserunt versiones in alias linguas. Prodiit Lovanii 1476; Spirae 1477; Coloniae 1480; inter Pistorii

SS. rer. Germ. II, 580; in ed. 2. Struvii II, 397—576 cum continuatione (1475—1514) Joannis Linturii plebani curiensis [1]) etc. Haec tam rapida propagatio non probat valorem scientificum, sed practicam utilitatem commendat. *Dissertationes duae* de martyrologio paschalique luna cum tabula ad inveniendam quotannis Septuagesimam, Confluentiae 1472. *De laude veteris Saxoniae* nunc Westphaliae ll. 3, quorum duo priores minoris sunt momenti, tertius, qui mores et consuetudines populi auctoris tempore vigentes describit, utilitate non caret; hinc novam ed. paravit L. Tross cum proleg., quae eo defuncto prodiit cura H. Rump, Coloniae 1865. *Paradisus conscientiae* et qq. 12 pro s. theologiae studiosis; de v. sacramento et valore missarum ratione pretii satisfactivi tam pro vivis quam pro mortuis h. e. poenarum debitarum sive hic sive in purgatorio, Coloniae 1470; 1535; Parisiis 1513 in 12; *formula vivendi canonicorum* sive vicariorum secularium aut etiam presbyterorum devotorum, in 4. s. l. et a.; *de regimine rusticorum* s. l. et a. (Lovanii 1480); prolixa commentaria in ep. s. Pauli t. 6 in f. cum vita et gestis d. Pauli ap. ll. 7 etc. manserunt inedita. — Joannes Staindl (Lapillus) canonicus passaviensis compilavit ab o. c. ad a. 1508 *chronicon generale* et quidem pro tempore medii aevi ex melioribus auctoribus, circa tempora auctori propinquiora satis breve et jejunum, quod ab a. 700 edidit Oefele inter rer. boic. SS. I, 420—542. — Joannes Nauclerus (forma graeca nominis familiae Verge, a quo dictus est Vergenhanns) natus Tubingae inter a. 1425—30, praepositus ecclesiae s. Crucis Stuttgardae, juris canonici professor in universitate tubingana a duce wirtembergico Eberhardo a. 1477 condita et mox ejusdem cancellarius et rector († 1510), hortatu Maximiliani imp. digessit laudabili diligentia *Memorabilium* omnis aetatis et omnium gentium *chronicos commentarios* in a. salutis 1500, quod opus complevit F. Nicolaus Basellius OSB. hirsaugiensis a. 14 ad 1500 additis, Tubingae (1516) t. 2 in 1 v.; sine continuatione, Coloniae 1579; 1614; 1675; cum eadem et appendice nova a. 1515—1544, ib. 1544 cur. Cunr. Tigemanno; sine Basellio, sed cum continuatione Laur. Surii ab a. 1500—1564, ib. 1564; 1568; 1603 etc. Magni factum est sua aetate hoc opus, quod compilavit ex bonis fontibus, quorum plures nobis jam perierunt, hinc etiam propterea non sine pretio est pro historia medii aevi [1]). Disseruit etiam *de simonia* s. l. 1500. — Benedicti Mailliard prioris abbatiae Savigny in dioecesi lugdunensi *Chronique* (1460—1506) prodiit demum cum versione et annotationibus Georgii

[1]) Cf. de variis editionibus Potthast p. 982[3]; de auctore Hartzheim bibl. col. p. 314; Wegele allg. d. Biogr. XXIX, 72; Janssen I, 112 ed. 18, qui de hoc op. scribit: Es ist der erste wohlgelungene Versuch eines bequemen, übersichtlichen und billigen Handbuches der Weltgeschichte; Elsner de vita et scriptis historicis W. Rolewink, Breslau 1872; prae primis Wolffgramm Neue Forschungen zu W. Rolewinks Leben und Wirken in Zeitschr. für Gesch. und Alterthumskunde Westphalens 1890. 48. I, 85-137; 1892. 50. I, 127—162, et seorsim ex parte, Monasterii 1890; Seither KL. X, 1242.

[1]) Cf. Joachim Joh. Nauclerus und seine Chronik, Göttingen 1874; Esser KL. IX, 48: Lier allg. d. Biogr. 23, 296. Gravius judicat Schüz in Commentario crit. de script. et scriptis hist. p. 286: „Huic itaque chronico, quod primum post fata Naucleri in lucem extulit Melanchton, tuto fides adhiberi non potest, nisi forte in iis, quae vel ex antiquioribus synchronisque scriptoribus petita vel ipsius Naucleri Melanchtonisque temporibus propriora fuere, utpote quae cum majore cautela oportuit scribi, ne alioquin aperta falsitas coaevorum lectorum risui contemptuique palam exponeretur". Janssen-Pastor vero 7[12], 276: N. ging in der Auffassung und Benutzung neuer Quellen für die Geschichte des MA. mit ungewöhnlicher Sorgfalt und mit einer gewissen Kritik zu Werke.

Guigne, Lugduni 1883. — Sigismundus de Comitibus Fulginas quinque pontificibus a secretis, vir certe magnae literaturae († 1512) narrat historiam sui temporis ll. 17 ab a. 1475-1510, quae demum prodiit cum versione itala cura Ferd. Calabri, Romae 1882—83 t. 2 in 8, opus a stili elegantia, scriptoris veracitate, muneris quo fungebatur momento pretiosum [1]). — Jacobus Philippus Foresta (Forestus), Bergomensis a patria vulgo dictus, O. S. Aug. ex antiqua nobilique familia oriundus a. 1434, plurium conventuum prior († 15. Jun. 1520), collegit sine sufficienti judicio critico, stilo non eleganti, satis tamen etiam nostra aetate utile *supplementum chronicorum* ad a. 1482 ll. 15, sua aetate lectoribus ita gratum, ut vivente adhuc auctore duodecies saltem fuerit editum [2]), Venetiis 1483 in f. cum 75 delineationibus; 1486; 1490 continuatum ad h. a.; 1502 ad h. a. continuatum; 1503. inscriptum *Novissimae omnium historiarum repercussiones*, quae supplementum supplementi chronicarum nuncupantur; 1506; 1513; 1535; Norimbergae 1493 in f. etc. Narrat autem universam Ecclesiae Dei et imperiorum historiam, urbium praecipuarum in tota fere Europa origines et res gestas, et in fine singulorum seculorum omnium illustrium virorum, principum, doctorum, artificum, sanctorum, martyrum et aliorum vitam breviter et nervose exponit. Non improbabile videtur, Trithemium in catalogo suo adornando usum eo esse. Edidit insuper *Vitam b. V. Mariae* Dei genitricis gloriosissimae atque angelorum reginae, Ferrariae 1496, quae derivata est ex colleetione magis ampla *de plurimis claris selectisque mulieribus*, inter quas mentionem facit et Joannae papissae, Ferrariae 1497 in f. ed. rara et cara; Venetiis 1506; Parisiis 1521; *Confessionale* seu interrogatorium aliorum novissimum in usum confessionariorum, Venetiis 1487; 1500; Antverpiae 1516 in 8.

544. Joannes Stella [1]) sacerdos venetus scripsit laudabiliter *vitam* 230 *rom. pontificum* a s. Petro usque ad Julium II., Venetiis 1505 et Basileae 1507; ex quo op. vita s. Gregorii M. praemissa est ed. operum ejus, Basileae 1551. — Jacobus, a patria Volaterranus dictus, secretarius et protonotarius apostolicus († 1516), concinnavit *Diarium romanum* de Xisti IV. pontificatu a. 1472—84 ed. a Muratori inter SS. rer. it. XXIII, 1472-84 et *vitam Jac. Piccolomini* cardinalis, patroni sui, praemissam commentariis et epistolis hujus cardinalis (cf. p. 1038).

545. *Singularium regionum* vel *ecclesiarum* historiam texuerunt Joannes Gerbrandus de Leydis (Laidis, Leidensis), O. Carm. prior conventus harlemensis († 1504), cujus sunt *Chronicon comitum Hollandiae* et episcoporum ultrajectensium ab antiquis temporibus ad a. 1417, ab a. 1355, fons pretiosus pro historia illius regionis, ed. a Fr. Swertio inter Annales rer. belg. I. 1—349. Magni pariter aestimatur *Chronicon egmundanum* seu Annales regalium abbatum egmundensium (690-1524), quod postquam illud elaboraverat, novis retractavit curis. Tria capita adjectit auctor anonymus.. Illos cum Theoderico a Leydis aliisque vulgavit Ant. Matthaeus Lugduni Bat.

[1]) Cf. Ad. Gottlob in histor. Jahrb. 1886 p. 304—24, ubi habes accuratam auctoris biographiam; recensionem operis ita absolvit: So steht Sigismund von Foligno da als der besten einer unter den Geschichtsschreibern zu Beginn der neuern Zeit.

[2]) Cf. Potthast p. 454[2]; Ossinger p. 359 ss.; Tiraboschi VI. p. II. l. 3 c. 1. n. 17.

[1]) Franciscus de Albertinis Florentinus, doctor pontificius praeter alia (cf. Fabricius I, 598) scripsit *de mirabilibus veteris et novae Romae*, Romae 1505; 1510; 1515 (m. 60); Heilbron cur. Aug. Schmarsow.

1692. — Joannes Rhode archiepiscopus bremensis (1493—1511) collegit chronicon sive *Registrum bonorum* et jurium ecclesiae bremensis, cujus excerpta habes apud Leibnitium SS. rer. Brunsv. II. 253—272. — Joannes Enen universitatis trevirensis rector (1512) et concionator in ecclesia cathedrali, episcopus auxiliaris (1517; † 21. Jul. 1519), dedit *Medullam gestorum trevirensium:* Clärlich Berichtung des hochwird. heyltumbs aller stifftt und Clöster inwendig und bey der statt Tryer mit vilen anderen zugesatzten geschichten derselben statt, Metz 1515; 1525; latine versum a Jo. Schekmann, ib. 1517; occasione controversiae de sacra tunica excitata a. 1844 iterum edita a Schmitz Ratisbonae 1845: Joh. Enen *Kurzer Inbegriff der Geschichte von Trier*, sed ad recentiorem stilum seu linguam reformata [1]). — Albertus Krantz (Crantz) Hamburgensis variis in universitatibus studiis operam dedit, juri primum, dein theologiae et historiae. In academia rostocensi Moguntiae legitur factus decretorum doctor, Perusii theologiae magister. Rediens demum ad academiam rostocensem theologiam et jus canonicum docuit ejusque rectorem (1482) egit. In patriam urbem reversus a. 1493 lector factus est primarius in ecclesia cathedrali, canonicus et syndicus urbis: hinc in civitatis negotiis fuit adhibitus et legatus missus ad alias urbes et principes. Anno 1508 electus est capituli decanus, quo in munere strenue promovit cleri reformationem. Quamvis autem haec ei cordi esset, minime probavit Lutheri ausum. Cum enim paucis diebus ante mortem de eo audisset, dixisse fertur: „Frater, frater, abi in cellam et dic: Miserere mei Deus.“ Decessit hic pauperum patronus et virtutis exemplar 7. Dec. 1517. Opera ejus historica nonnisi post ejus prodierunt mortem. *Metropolis* sive historia de ecclesiis sub Carolo M. in Saxonia instauratis ll. 12, Basileae 1548; Francofurti 1576; 1580; 1590; 1627 etc. historia scil. archiepiscopatus hamburgensis et bremensis et episcopatuum illi adnexorum, propter quam dictus est alter „Adamus Bremensis.“ *Historiae saxonicae ll. 13,* seu Saxonia: de sagonicae gentis vetusta origine, longinquis expeditionibus susceptis et bellis domi pro libertate gestis [1]) ad a. usque 1500, Coloniae 1520 in f.; 1574; 1595 etc.; *Chronica regnorum aquilonarium* Daniae, Sueciae et Norvegiae (ad a. 1502), Argentorati germanice 1545; latine 1546; 1560 in f.; Francofurti 1575; 1583 in f. etc.; *Wandalia* seu de Wandalorum vera origine, variis gentibus, crebris e patria migrationibus et regnis, quorum auctores vel eversores fuerunt ll. 14, Coloniae 1519 in f.; Francofurti 1575; 1580, etc., quae opera produnt magnam diligentiam habentque pretium historicum, sed deest illis ultima manus: cum vero edita fuerint cum praefationibus et no-

[1]) Cf. Kraus allg. d. Biogr. 6, 111.

[2]) Cf. Potthast p. 700[2]; Fritz KL. VII, 1047; Bertheau allg. deutsche Biogr. XVII, 43; Wilkens Leben des berühmten Dr. Alb. Crantzii Hamburgi 1722; 1729; Moller Cimbria lit. III, 376—391; R. Lange Jansische Geschichtsbl. 1885 p. 63—153.

[1]) Bernardus Wittius OSB. liesbornensis monasterii († 1520 vel aliquantulum postea) scripsit *historiam antiquae occidentalis Saxoniae* seu nunc Westphaliae (ad a. 1520), cui accedunt appendices quaedam: De bello susatensi et monasteriensi, de ortu, abbatissis et abbatibus monasterii liesbornensis cura Placidi Cuer O. Min. Monasterii 1778 in 4., qui ex ejusdem *historia illustrium virorum OSB.* ll. V, l. quintum de scriptoribus illustribus pariter adjecit. Cf. P. Bahlmann Allg. d. Bi. XLIII, 587. — *De bello Hollandiae et Geldriae*, quod gestum est 1507 ac deinceps, disserit Guilelmus Hermannsz Gaudanus can. reg. in domo Stein prope Gaudam († 1510), Antverpiae 1517. Eum magni fecit Erasmus quondam condiscipulus et contubernalis, „inter doctos optimum, inter bonos doctissimum“ appellans. Cf. ib. XII, 189.

tis marginalibus auctorum protestantium, quondam prohibita fuerunt, donec purgarentur, ed. francofurtienses cum praefatione et notis Jo. Wolfii, vel Nic. Cisneri vel Anderae Wecheli; et J. M. Brasichellensis in suo indice expurgatorio Romae 1608 non solum illas delendas censet, sed et alia corrigenda notat [1]). *Hystoria von den alten Hussen* (husitarum) zu Behemen in Kaiser Sigmunds Zeiten, s. l. 1523 in 4. *De institutione sacerdotum* ad officium missae, Hamburgi et Rostochii 1506 in 4; *ordo missae* secundum ritum ecclesiae hamburgensis, Argentorati 1509 in f.; *formulae precum obviae* in cursu de domina, Rostochii 1522 in 12; *institutiones logicae*, Lipsiae 1517 in 4. etc. — Erdwinus Erdmann consul osnabrugensis († 1505, vel 30. Maj. 1506) ad beneplacitum episcopi scripsit *Chronicon*, seu chronicam, seu catalogum episcoporum osnabrugensium (772—1453), continuatum ad a. 1553 a Theodorico Lilie OSB. et editum sub inscriptione Geschichte des Fürstentums und Hochstifts Osnabrück, Osnabrück 1792 t. 2 in 8; ed. a F. Runge in Osnabrücker Geschichtsquellen, 1894 t. 2. — Vitus Arnpeck, inter patres historiae bojaricae numerandus, Landshuti c. 1440 n. in academia viennensi literis incubuit. Beneficiatus fuit dein Landshuti, aliquamdiu etiam Sixti episcopi capellanus († p. 1505). Scripsit l. *de gestis episcoporum frisigensium* ed. a Deutinger in Beiträge zur Gesch. des Erzbisth. München und Freysing 1851. III, 473—554; *Chronicon Bajovariae* ab a. 539 — 1495 ll. 5, in Pez thes. anecd. III. 2. p. 19 — 472 opus ejus praecipuum, etiam germanice retractatum, partim abbreviatum, partim auctum et continuatum [2]) ad a. 1595, ed. saltem ex parte, neque satis accurata, a Freyberg absque auctoris nomine in Samml. hist. Schriften und Urkunden, Stuttgart et Tubingen 1827 I, 5—198; *Chronicon austriacum* a fabulosis gentis initiis ad a. 1488, ed. a Pez inter SS. rer. Austr. I, 1165-1295. — Fabricius Marlianus Mediolanensis episcopus derthonensis, mox placentinus, decem synodis salubriter celebratis placentinum clerum ad puriores traduxit mores omnemque cumulatissime praestitit operam, quae pastori optimo prosperam virtutum famam parerent († 1508). Compilavit *Chronicam episcoporum placentinorum* (322-1476) apud Muratori SS. rer. It. XVI, 672—34; *annales mediolanenses* [1]) 1230—1402, ib. p. 641—840. — Alexandri Myln canonici dunkeldensis *Vitae dunkeldensis ecclesiae episcoporum* a prima sedis fundatione ad a. 1515 prodierunt Edimburgi 1831, 1823. ed. 2.

546. *Ordinum* religiosorum vel *monasteriorum* historiam describunt Ber-

---

[1]) Cf. Reusch de Index I, 307.

[2]) Riezler allg. d. Biogr. I, 597: Für den Literaturhistoriker ist dieses deutsche Zeitbuch Arnpeck's merkwürdigstes Werk; denn er schlägt in volkstümlicher Erzählung und in Zurückdrängung alles gelehrten Beiwerkes einen Ton an, welcher der historischen Literatur bisher fast völlig fremd geblieben war. Den Mangel einer gesunden Kritik theilt dies wie seine anderen Werke mit nahezu allen zeitgenössischen. Cf. Potthast p. 120²; Leidinger Über die Schriften des baier. Chronisten V. A. Gekrönte Preisschr., München 1893. Cum eo plures confuderunt Vitum OSB. priorem ebersbergensem, qui pariter scripsit *chronicon Bavarorum* ab origine gentis ad a. 1504, ex quo Oefele inter SS. rer. boic. II, 706-29 aliqua exhibet. Cf. Fabricius VI, 593.

[1]) De hac urbe praeprimis meruit Tristanus Chalcus, mediolanensis, secretarius ducalis, quem Argelati t. 2, 425, haud veretur „Livium mediolanensem“ appellare. Scripsit historiae patriae ll. 20 (ad a. 1313), qui prodierunt Mediolani 1628 in f. cum notis Guil. Calveroni, quibus adjecit Jo. Petr. Puricelli ll. 21. et 22. ex eiusdem schedis (1314—22), ib. 1644; omnes ll. 22 exhibuit Graevius in thes. antiq. et hist. Italiae Lugduni B. 1704 t. 2. Opus continuavit Jos. Ripamontius usque ad obitum Caroli V., Mediolani 1648 t. 5 in 6 v. in f. Cf. Potthast p. 182². Chalcus obiisse videtur c. 1515.

nardinus Aquilanus Amicii cognomine vel de Fossa O. Min. reg. Obs. suae provinciae vicarius, dein Dalmatiae atque Bosniae praeses, fragrantem omnium virtutum odorem spirans († 1503), qui scripsit *Chronicam* FF. Min. Obs., quae prodiit curis L. Lemmens Romae 1902; *de coenobiis et viris piis provinciae s. Bernardini* seu Aprutii brevem historiam, quae ad a. 1496 excurrit, Venetiis 1612; forte etiam *vitam s. Bernardini Senensis,* Cremonae 1499 et in Act. SS. 20. Maj.; tr. *de nubere volentium doctrina* inter tr. jur. un. t. IX; *admonitiones* vitae spiritualis, Venetiis 1572 etc. — Bonifacius de Ceva O. Min. reg. obs. Gallus, provinciae Franciae praepositus (1507—10), reformationis inter conventuales strenuus promotor, qui hunc in finem scripsit cum Claudio Hugonis Conv. s. theologiae doctore opus, cui titulus *Firmamenta trium ordinum* in 5 pp. distributum, magni momenti ob monumenta et notitias, Parisiis 1512 ed. rara et pretiosa, mox Hispali. In 1. p. extat Nic. Lyrani *contemplatio de b. Francisco;* epistolae nonnullorum primorum ministrorum ordinis generalium; Memoriale ordinis in aliquibus ampliatum et imminutum; tr. de illustrioribus viris et feminis trium ordinum s. Francisci etc.; in 2. p. exstant privilegia principalia etc.; in 3. p. sunt statuta moderna generalia, papalia et ordinationes ministri provinciae Franciae etc.; in 4. p. habentur regulae Minorum, antiquae declarationes pontificum; expositio quatuor magistrorum s. Bonaventurae etc. et alii tractatuli ad regulam Min. spectantes sodalium gravium; in 5. p. exstant regulae tres s. Clarae cum declarationibus, et regula cum declarationibus et privilegiis tertii ordinis s. Francisci. Hoc opus in multis variat diversumque est ab alio, quod *Speculum Minorum* sive Firmamentum trium ordinum inscriptum vulgatum est Venetiis 1513 in 4 in 3 pp. divisum: „atque hoc Speculum, inquit Sbaralea p. 182, magis ad Monumenta (a fratribus hispanis reg. obs. edita 9 de quibus mox) accedit, quam ad Firmamenta.“ — Nicolaus Glassberger O. Min. Moravus, Norimbergae confessarius monialium s. Clarae († p. 1508), exaravit sedula diligentia *chronicam* seu brevem annotationem ex diversis chronicis et scriptis de omnibus generalibus ministris in ordine Min. . . . ac etiam de omnibus ministris provincialibus provinciarum superioris Alamaniae ac Saxoniae (1206—1472, probabiliter ad a. 1485), quem alius continuavit ad a. 1517. Integra prodiit cura P. Quinctiani Müller laudabilissima in Analectis franc. 1887. II, 1—561—579, bonis annotationibus illustrata et seorsim ex his Ad claras Aquas 1887, opus pretiosum [1]). — Franciscus de Ledesma guardianus collegit cum Antonio del Rincon et Antonio a Medina [2]) *Monumenta O. Min.,* Salmanticae 1506; 1510; 1511, opus quod Waddingo conficiendis annalibus et Emmanueli Rodriguez quaestionibus regularibus scribendis magno usui fuit. Porro in capitulo generali transalpinorum Observantium a. 1508 celebrato electus est Ledesma, ut cum nonnullis aliis omnia statuta ordinis colligeret, breviaret et ad proximum capitulum generale examinanda deferret. — Franciscus Surianus Venetus n. 1450, quondam per Orientem mercator, a. natus 25 ingressus O. Min. atque diu conversatus est in Oriente peragratis Syria, Palaestina, Arabia, Aegypto, Abissinia etc. Anno 1485 coepit iter suum describere atque narrationem bis retractavit. Prodiit 1524, editio plane rarissima, et exemplar, quod reper-

[1]) Cf. Ehrle Zeitschr. für k. Theol. 1883. VII, 769 ss.; Eubel hist. Jahrb. 1889 p. 378—83.

[2]) Ab hoc Sbaraglia cum Jo. a s. Antonio I. 118 Ant. a Medina O. Min. disc. (fl. 1513), cujus est *Estaziones y misterios de la Tierra Santa,* Salamanca 1573; italice Firenza 1590, distinguit.

tum fuit Lucae, est valde lacunosum. Demum Hier. Golubovich O. Min. reperit codicem Suriani originalem a. 1524 eumque edidit in op. Il trattato *di Terra S. e dell' Oriente* di Fr. Franc. Suriano missionario e viaggiatore del sec. XV, Mediolani 1900, opus fide dignum circa ea, quae ipse vidit et observavit. — Joannes Thenaud O. Min., theologiae doctor, Gallus, a. 1511 invisit terram sanctam, cujus itineris rationem reddit in op. *Le voyage et itinaire* (sic) de oultre mer, Paris (1525-30); et in Recueil de voyages et de documents pour servir à l' histoire de la géogr., Paris 1884, I, V, 1—145. — Gabriel de Pechwardino ejusdem ordinis, qui in terra sancta ab a. 1514-1517 commoratus est, reliquit compendiosam quandam nec minus lectu jucundam *descriptionem urbis Hierusalem* atque diligentem omnium terrae s. in Hiersolymis adnotationem, s. l. et a. (f. 1519).

547. Joannes Oudewater (de Aqua veteri, Palaeonydorus, Paledorpius, de Gauda), O. Carm. Mechliniensis, Trithemii amicus († 1507 a. aetatis 74) auctor est *fasciculi tripartiti historiarum* prophetici et Eliani O. bb. V. Mariae de Monte Carmelo ll. 3, Moguntiae 1495; 1497; Venetiis 1570 sub titulo *Antiquitas et sanctimonia eremitarum Montis Carmeli;* Antverpiae 1680 in speculo carmelitano Danielis a V. Maria t. 1; *Propugnaculum Carmelitarum* sive de antiquitate O. Carmeli, Venetiis 1570 etc., in quibus disserit de origine, statu et profectu sui ordinis; pro Trithemio scripsit contra Wigandum (cf. p. 1113) de puritate conceptionis b. Mariae V. aliaque inedita. — Hoc tempore videtur floruisse Segerus Pauli (Pawls) O. Carm., cujus supersunt plura collectanea diligenter conquisita et pretiosa, quae spectant historiam provinciae Germaniae inferioris O. Carm., in quibus elenchos officialium ordinis, visitationum, lectorum, fratrum defunctorum etc. ex monumentis modo deperditis exhibet. Ea vulgavit Koch *die Karmeliterklöster* der niederdeutschen Provinz 13-16. Jahrh., Freiburg im Breisgau 1889. — Joannes Maria Polucci (de Polluciis) O. Carm. († c. 1505) collegit *Mare magnum* O. Carmelitici i. e. indulgentiae, privilegia, gratiae etc. s. l. et a; *Vita b. Alberti Drepanensis* apud Surium 7. Aug. — Benedictus Zachariae O. Cart. Vicetinus praeter *vitam s. Brunonis* [1]) fundatoris O. Cart. († 1101) inter s. Brunonis opera, Parisiis 1524 etc., describit *originem ord. cartusiani,* sub finem opp. s. Brunonis III, 297 cur. Theod. Petreji. — Ambrosius Taëgius O. Praed. Mediolanensis maximis vigiliis maximisque laboribus contexuit valde prolixum chronicon ordinis generale t. 6 in f., in quo omnia ea, quae ad ordinem spectant, diligentissime collegit, provinciarum et coenobiorum erectiones, sanctorum ac beatorum vitas et acta originalia, cardinalium, episcoporum virorumque illustrium seriem ac si quae sunt singularia jura et privilegia a ss. pontificibus et principibus concessa, comitiorum acta generalium ab a. 1220—1513 etc. Quod quidem opus nunquam prodiit, propterea tamen memorandum, cum eo usi sint qui abinde scripserunt de rebus ordinis, et ex eo quaedam sanctorum ac beatorum ordinis vitae derivatae fuerint in Acta SS., prout se daret occasio. »In his monumentis scribendis, inquit Echard II, 35, vivum se totum sepelisse videtur auctor, et ec labore certe immenso immensas non solum ab ordine promeruit gratias, sed et sibi monumentum erexit aere perennius.«

548. Guilelmus Wittwer († 30. Apr. 1512) dedit *catalogum abbatum*

[1]) Hujus vitam descripsit alter ejusdem sodalis Franciscus a Puteo (Dupuy) Cartusiae Majoris prior, quae prodiit Basileae c. 1515 et in Migne patrol.

monasterii ss. Udalrici et Afrae augustensis[1]) apud Steichele Archiv für die Geschichte des Bisth. Augsburg 1860. III fasc. 3. — Andreas Lang de Staffelstein OSB. abbas montis s. Michaelis bambergensis (1483), pietate et morum candore, disciplinae religiosae studio insignis, multa collegit, dictavit et comportavit († 1502). De monasterio ita est meritus, ut quasi alter ejusdem fundator haberi possit. Ex ejus laboribus[2]) prodierunt tantum ex chronica sui monasterii sive (potius) ex abbatum ejusdem serie ad a. 1483 (cum continuatione ad a. 1598) quaedam fragmenta apud Ussermann Episcopatus bambergensis 1801, p. 298 — 315; Urkundenbuch des Abtes Andreas im Kloster Michelsberg bei Bamberg in Auszügen ed. a Schweitzer im 16. et 17. Bericht über das Wirken des hist. Vereins zu Bamberg 1853 p. IV—X. *Vita s. Ottonis* ep. bambergensis (1103—1139) ll. 4 retractata, apud Gretser Divi bambergenses, Ingolstadii 1611 p. 145 — 368 et inter Gretseri op. X, 570 — 669; cur. Jaschke Colbergae 1681 in 4. etc. Hausta ea est ex bonis fontibus.. — Albertus ex nobili familia helveta de Bonstetten OSB. et decanus einsiedlensis, Friburgi, Basileae et Patavii literis humanioribus et juri canonico operam dederat magnamque sibi eruditionem comparaverat. Cum viris literatis consuetudinem fovit atquae gratia fruebatur Innocentii VIII., Friderici III. imp., multorum regum et principum, a quibus privilegiis et honoribus augebatur († 16. Febr. 1509). Praetermissis operibus, quae ad nos minus spectant[1]), scripsit *Von der löbl. Stiftung des hochw. Gotzhuses Ainsiedeln unser l. Frowen,* Ulmae 1494 in 4. et cur. Büchi in Quellen zur Schweizer Geschichte 1893. III, 187—214, epitome ut videtur op. majoris; *Legende von St. Gerold* in Historia vom Leben und Sterben des h. Einsiedlers u. M. St. Meinrad auctore Ulr. Wittwyler, Friburgi 1577; 1587. Ipsius quoque esse videntur: *Vita Meinradi,* Basileae 1496 in 8; *Legende St. Meinrads* des h. Martyrers und der Capelle zu Ainsiedeln mit vertütschten Ablassbriefen, Norimbergae s. a. (1496) in 4. *Vita v. Nicolai* de Rupe Saxulae in Helvetia anachoretae († c. 1420) in coll. Der Geschichtsfreund. Mittheil. des hist. Vereins der 5 Orte, Einsiedeln XVIII (1862), 18—27 latine; eodem interprete germanice p. 27—34. Albertus Büchi edidit A. v. B. *Briefe und ausgewählte Schriften,* Basel 1893. — Angelus Rumpler OSB. abbas formbacensis (1501; † 6. Mart. 1513), statum sat tristem et quoad disciplinam et quoad bona temporalia feliciter emendavit, et praeter alia opera scripsit *historiae formbacensis ll. 3,* quam edidit Martene thes. anecd. I. 3, 419 — 82, sed ab initio haec ed. duas habet lacunas[2]). — Sebaldi Bamberger O. Cist. abbatis hailsbronnensis (1498—1518) *historische Aufzeichnungen* recepit R. G. Stillfried in suum opus Kloster Heilsbronn, Berlin 1877 p. 241—306. — Nicolaus Liebental (Liebenthal) custos monasterii s. Vincentii wratislaviensis O. Praem. († p. 1514) hujus abbatum *gesta* recenset ab a. 1149—1504 ed. a Stenzel inter SS. rer. siles. II, 135 — 149. — Otto O. Cist. prior waldsassensis hujus monasterii *chronicon* (1098—1504) reliquit et descriptionem exterminii monasterii sub

152, 491—526 et Act. SS. 6. Oct. III, 707—24.

[1]) Potthast p. 1120[2]: Eine lebensfrische Darstellung, ein kerniges Gemälde der Leiden und Freuden des Stiftes; gewährt reiche Ausbeute für Kultur- und namentlich für christliche Kunstgeschichte.

[2]) Cf. Wittmann die liter. Thätigkeit des Abtes Andreas, hist. Jahrb. 1880. I, 413—17. Cf. Potthast p. 42 et 1504.

[1]) Cf. Wyss allg. d. Biogr. III, 133 s.; Potthast p. 167; in primis Gall Morel in Geschichtsfr. III, 1—52.

[2]) Cf. O. Schmid allg. d. Biogr. XXIX, 617.

bello bavarico majore, apud Oefele Rer. boic. SS. I, 53—87. — Nicolaus de Cracovia O. Ci. composuit *chronicon monasterii claratumbensis O. Ci.* (1220-1505) ed. a. W. Ketrzyński in Mon. pol. hist. 1893. VI, 433—80. — *Chronicon Brunwylrense* (Brauweiler) ab a. 1030—1515 retractavit Bartholomaeus Grevenbroich[1]) OSB. hujus monasterii religiosus. Ejusdem pars reperitur ed. Godfr. Eckertz in Annalen des hist. Vereins für die Gesch. des Niederrheins, Coloniae 1866-69 fasc. 17—20; et inter fontes adhuc ineditos rer. rhenan. 1870. II, 139—325. — Richardus Beere OSB. abbas glastoniensis (c. 1503) descripsit *Terrarium coenobii Glastoniensis* (Glassenburg), ex quo excerpta dedit Th. Hearne in Joannis Glastoniensis chronica, Oxonii 1726.

549. Ut ex *hagiologis* saltem aliquos nominemus, Bartholomaeus Pallazuolo O. S. Aug. Italus, vicarius generalis quater, diffinitor quatuordecies, visitator undecies († 1502), collegit *martyrologium* copiosum[2]), Papiae 1484 in 4., in quo plurimorum beatorum et venerabilium ordinis sui merita recensentur. — Ita et Richardus Withfordus O. S. Birg. in coenobio sionensi non procul a Londino, cujus *martyrologium SS.* anglice prodiit 1506 (fl. c. 1520). — Joannes Currifex O. Carm. Germanus collegit *catalogum Sanctorum* ac virorum aliquot illustrium O. Carm., Spirae 1510 in 8. — Joannes Cireyo (de Circy) O. Ci. Divionensis ex abbate Balernae a. 1476 ad Cistercii regimen assumptus, a. 1503 resignavit eoque et decessit. Elaboravitipse *Compendium Sanctorum* O. Cist., Divione 1491. — Hilarion Lanterius OSB. in monasterio glaxiatensi, ter in abbatem electus († 1511) composuit *Legendarium abbreviatum* nonnullorum sanctorum, illudque supplementi instar addidit Legendae SS. Jac. de Voragine (cf. p. 432), Mediolani 1484 in 4., cui adnexa sunt alia quaedam opuscula, in primis *de b. Virgine; Paradisus deliciosus* in apparitione Domini, Parmae 1504. — Stephanus Serva can. reg. lat. Cremonensis narrat *vitam s. Ubaldi* ep. eugubini († 1160) latine et italice, Parmae 1519; 1523; Romae 1628. — *Vitam s. Hermanni Josephi*, Coloniae 1511, scripsit Razo Bonvicinus O. Praem. Gandensis, magister novitiorum in celebri abbatia steinfeldensi († 1511). — Ambrosius Calepinus a patria Calepio (in Cenomanis Italiae) dictus († 30. Nov. 1510, secundum alios 1511) *vitam* scripsit *b. Joannis Boni* eremitae OSA. († 1249), quam habes in Act. SS. 22. Oct. IX, 748—767. Utilissimum vero laborem insumsit adornando *Dictionario latinae linguae*, quod ob suam utilitatem innumeris vicibus prodiit, primum Venetiis 1505 etc. Dein variis in locis et multorum virorum doctorum industria ita purgatum, locupletatum interpolatumque est, ut Calepinus, si jam rediret, opus suum non agnosceret utique, sed miraretur. Prodiit septem linguarum ex recensione celeberrimi et eruditissimi Jacobi Facciolati, Patavii 1718. — Antonius de la Peña O. Praed. Hispanus, catholicis regibus Ferdinando et Isabellae a concionibus et a confessionibus, scripsit *La vida de la s. Catarina de Sena* y de otras santas virgines de la orden de s. Domingo, Salmanticae 1588; illius sanctae *epistolas* hispanice versas edidit Compluti 1512

[1]) Alius a Guilelmo Insulano Menapio Grevibrugensi, qui philosophiae et medicinae operam dedit. Aquisgrani erat praepositus s. Adalberti, Erasmi assecla, in cujus obitum edidit orationem 1536. Composuit et Διαλεξιν de eucharistia absolutissima Coloniae 1542 († 1556). Cf. C. Krafft in allg. d. Biogr. IX, 648.

[2]) Ejus sodalis Bellinus Patavinus, Marchiae tarvisinae provincialis († 1513), *Martyrologium romanum* accuratissime emendatum edidit Venetiis 1498; 1509; 1517; 1522; 1564; Parisiis 1521; 1536.

in f.; *Vida de soror Juana de Orbieto* y de soror Margarita de Castillo O. Praed., Medinae Campi 1569 inf. — Ambrosinus de Soncino O. Praed. laicus conversus, optimus vitrearum concinnator ea in arte usus magistro b. Jacobo Alemano († 11. Oct. 1491), ne hujus virtutes, quarum ipse in primis conscius erat, memoria elaberentur, gratitudinis ergo scripsit lingua italica *La vita del b. Giacomo d'Alamania* in Actis SS. 11. Oct. V, 793—803. — Sebastianus Serico Saludeciensis ex agro ariminensi scripsit *vitam b. Amati* Saludeciensis († 1200), quae prostat in Actis SS. 8. Maj. I, 348-54.

550. De *historia literaria* meruerunt Georgius Epp O. Praed. Wimpinensis, cujus l. *de illustribus viris* ac sanctimonalibus s. O. Praed. prodiit Basileae 1506. — Petrus Dorlandus O. Cart. Diestensis in Carthusia zeelhemensi prior (n. 1454; † 25, Aug. 1507), qui concinnavit *Chronicon carthusiense,* sive coronae de viris ord. Carth. illustribus ll. 7, Coloniae 1608 Petrei annotationibus illustratum, Tornaci 1644; *vita ac res gestae b. Annae ll. 5,* Antverpiae 1617; dialogus *de opere amoris et passione Christi,* Lovanii 1516; *de enormi proprietatis monachorum vitio* dialogus cultissimus, Lovanii 1613; *de nativitate,* conversione et vita invictissimae M. V. Katherinae, Lovanii 1513; *Viola animae* per modum dialogi constans dialogis VII, quorum sex breviores abbreviati sunt ex theologia naturali Raym. Sabundi, Coloniae 1499; Toleti 1506; Antverpiae 1533; 1543; Lugduni 1568; Coloniae 1700 in 12. omisso dialogo septimo. Alia manserunt inedita[1]), ut chronicon carthusiae leodiensis ab a. 1486.

551. Finem imponat vir eruditione scriptisque plane illustrissimus Joannes de Heidenberg, a loco natali Tritenheim dioecesis trevirensis Trithemius cognominatus, ortus 1. Febr. 1462. Patre mox orbatus a vitrico durissime fuit educatus, cumque attigisset a. aetatis 15. invitis parentibus et cognatis literas furtive discere coepit, et quanto pluribus objectis premebatur angustiis, tanto ferventiori literarum discendarum studio efferebatur. Nocte concubia sopitis omnibus sese domo clanculum surripiens ad vicinum quendam amicum elegantiore literatura imbutum digredi coepit, ab eoque prima catechismi et trivialium institutionum rudimenta didicit. Majores jam studiorum progressus fec't Treviris, Coloniae et Heidelbergae, ubi linguam graecam et hebraicam didicit optimos nactus magistros, inter quos Reuchlinum et Wimphelingam. Juvenis a. 20 non sine Dei nutu ingressus est monasterium spanheimense (Sponheim) OSB. congr. bursfeldiensis (1482). Omnes horas, quas de occupationibus monasticis vel de somno et quiete suffurari poterat, lectionibus et studiis Scripturarum cum maximo fervore deputavit, ita ut illum diem turpiter perdidisse crederet, in quo non utile aliquid legendo ex libris sanctis didicisset. Sed en paucis mensibus post emissam professionem nondum sacerdos abbas eligitur sui monasterii (1483). Abbas factus omne tempus, quod ipsi a sollicitudine et cura rei familiaris supererat, pro more studiis impendebat. Quapropter quorundam sodalium incurrit detrectationes et murmurationes, quas surda aure transivit, neque enim munus suum neglexit, sed regendi dexteritate bonum suae abbatiae non solum spirituale sed et temporale plurimum promovit, imo et ad magnam provexit gloriam, nam cum antea monasterii spanheimensis nomen vix innotuisset, Trithemii opera factum est per universam Germaniam illustre. Auxit illud bibliothoca libris editis et manuscriptis plane praedivite, quos undique sagaci

[1]) Cf. Fabricius I, 475; Biogr. nat. de Belg. VI, 131.

studio comportavit[1]). Qua de re ipse scribit ep. ad Georgium de Rotenburg: „Duorum millium reliqui volumina vetusta, pretiosa atque rarissima, quae studio incredibili atque amore ad Spanheim ego comportavi tempore praesidentiae meae, non sine impensis et laboribus multis, in omni varietate scripturarum scripta complura, impressa etiam multa, graeca, latina atque hebraica, quorum ante me ibi nullum fuit.“ Dissipata ea fuit bellorum turbis, reliquiae illatae bibliothecae heidelbergensi palatinae, quam Maximilianus Bavariae dux jure victoriae captam Gregorio XV. dono dedit a. 1623. Fama hujus bibliothecae illecti viri celebres et docti magno numero ad hoc monasterium confluxerunt, et quidam ad duos tresve menses, alii etiam ad unius alteriusve anni spatium, solutis expensis, amore literarum ibidem haeserunt. Magni fiebat ipse abbas ob suam eruditionem et prudentiam a Maximiliano imp., qui eum in ordinem consiliariorum adscribere optabat, et ab aliis principibus, sed ipse quantum potuit aulas fugiebat, honores dignitatesque sibi oblatas declinabat quietis monasticae amator. Sed non defuere ei graves tribulationes tam externae ob bella, quam internae ob sodalium turbas, propter quas abbatiali renunciavit dignitati. Wirceburgum se contulit, ubi abbas monasterii s. Jacobi, quod Scotorum dicebatur, est electus 12. Oct. 1505. Quieti itaque restitutus studia turbata iterum impense prosecutus est ac multiplici deinceps genere scriptionis se aliis reddidit utilem, donec morbo interceptus vivere cessavit 13. Dec. 1516. a. aetatis 54. Erat vir sane eruditus, polyhistor et in quamplurimis disciplinis versatus, laboriosus, ordinis benedictini decus illustre, magnae abstinentiae, religiositatis, modestiae; ab eruditis fere omnibus sui aevi magni aestimatus, quibuscum frequens fovebat literarum commercium.

552. Innumera reliquit[1]) opera et opuscula: et quidem opuscula de iis rebus, quae statum et profectum concernunt monachorum: ex quibus aliqua, quia nondum satis expolita, igni tradidit; *epistolas* doctas asceticas (Hagenoae 1536) et *homilias* (Argentorati 1486; 1516 in f.; Florentiae 1577 etc.); ita l. *de vanitate et miseriis humanae vitae;* de vita, moribus et doctrina clericorum seu *de vitae sacerdotalis institutione,* Moguntiae 1494, cujus lectio utpote utilissima ab episcopis pluribus clero impense fuit commendata; Monachii 1640; Coloniae 1655 in 12; Oeniponti 1675 etc.; commentarius *in regulam s. P. N. Benedicti* seu tr. de regimine claustralium, cui tamen deest l. secundus, Valencenis 1608, cum quo prodiit ejus tr. *de vitio proprietatis claustralium* (Moguntiae 1495); *de tentationibus religiosorum,* in posterioris l. capitibus extremis mutilus. Ejus ad monachos *exhortationes* prodierunt Romae 1898. Libri duo *de origine, progressu et laudibus O. FF. Carm.,* Moguntiae 1494; Florentiae 1593; Lugduni 1639; Coloniae 1643 cum Aub. Miraei et Jo. Carthagenae scriptis ejusdem argumenti; l. 2. exhibet catalogum virorum illustrium ejusdem ordinis. Haec et alia[2]) collecta edidit

[1]) Cf. Pohle KL. II, 791.

[1]) Cf. plura de ipso ejusque operibus in ejus vita et apologia conscripta ab Oliv. Legipont inserta a Ziegelbauer suae hist. rei lit. OSB. III, 271—333; Studien u. Mittheil. aus dem Benediktinerorden 1882. II, 332; 1883. I, 219; II, 195; Fabricius III, 436—41; Silbernagel Joh. Trithemius, Landshut 1868; 1885 ed. 2; Potthast p. 1071 ss., qui et copiosam literaturam adducit de auctore nostro; Janssen I, 121 ss. ed. 18; Reichling Lit. Handw. 1882 col. 301 ss.

[2]) Diese Schriften, ausgezeichnet durch Belesenheit in den Vätern, wie durch eigene Gedankenfülle, Nüchternheit in der Betrachtung und Wärme der Empfindung zugleich, gehören zu dem Besten,

Busaeus Moguntiae 1604 sub inscriptione opera pia et spiritualia (m. 80), quibus alia adjecit in suis paralipomenis, ib. 1605 (m. 65) et Coloniae 1624, in quibus habentur *Antipalus maleficiorum ll. 4,* in quo nimis credulum se exhibet circa sagas; *curiositas regia* seu l. 8 qq. quas illi solvendas proposuit Maximilianus I. imp., scil. 1. de fide et intellectu; 2. de fide necessaria ad salutem; 3. de miraculis infidelium; 4. de Scriptura s.; 5. 6. de reprobis ac maleficis, ubi de variis daemonum generibus (Ingolstadii 1516); 7. de permissione divina; 8. de providentia Dei (Altdorf 1511 in 8). Hae qq. saepe prodierunt, Oppenheimii 1515; 1518 etc., etiam germanice, Ingolstadii 1556 etc. *De laudibus s. Annae* matris b. Mariae V.; Moguntiae 1494. Cum vero in hoc op. Mariam immaculate conceptam assereret, Wigandus Wirt (cf. p. 1113 a.) eum est aggressus quibusdam literis sub assumpto Francisci Pensantis manus nomine acriori sale respersis, quas per ignotum bajulum Trithemio submisit. His ipse continuo responsum dedit sat acre: hinc inter ipsos bellum literarium fere per biennium efferbuit. Ejus hac de re epistolam (33) publicavit Busaeus collectione sua a. 1604; tr. vero non prodiit. Agente tamen rectore universitatis coloniensis, quem uterque invocaverat, pax fuit inter eos restituta[1]).

553. Praetermissis aliis ejusdem operibus editis ineditisque haec praecipua mentionem adhuc merent: Liber *de scriptoribus ecclesiasticis* seu catalogus scriptorum ecclesiasticorum (c. 963), saepissime editus, Moguntiae 1494; Coloniae 1531; 1540; 1546, cui editioni adjectae sunt notae Latini Latinii ex ejus bibliotheca sacro-profana p. 77-82; et a. p. 422-94. Additio insignium aliquot scriptorum partim veterum partim recentium superioribus per Trithemium et alios conscriptis nunc primum indicis vice additorum auctore F. Balthasaro Werlin O. Praed. Colmariensi († 21. Dec. 1565); Coloniae 1546; 1580 cura Petri Suffridi; iterum 1594 adjectis catalogis scriptorum, qui post Trithemium floruerunt, notisque variis; in bibliotheca ecclesiastica Fabricii 1718 etc. *Catalogus illustrium virorum* Germaniam suis ingeniis et lucubrationibus omnifariam exornantium, Moguntiae 1495 ed. admodum rara. Cui operi Trithemius quasdam additiones literis consignaverat, quas demum Silbernagel ed. 2. suae biographiae publici juris fecit: *Zusätze des Trithemius* zu seinem Catalogus illustrium virorum Germaniae (314) aus der in der Würzburger Universitätsbibliothek befindlichen HS. Habes hic primum specimen bibliographiae Germaniae, quod quamvis inperfectum, nullatenus pretio caret: juverit enim vel nosse nomina virorum literatorum, qui alioquin oblivioni penitus traderentur; et licet vitae descriptio prolixa non sit, singularia tamen quandoque proponit. *Chronicon ducum Bavariae* et comitum palatinorum Rheni seu de origine gentis principumque bavarorum commentarius, Francofurti 1544; 1549 in 4; *Chronicon hirsaugiense* (830—1370), Basileae s. a.;

---

was jene Zeit auf diesem Gebiete hervorgebracht hat. Stamminger KL. VI, 1775.

[1]) Cf. de hac controversia Lauchert hist. Jahrb. 1897 p. 760 ss. Pro Trithemio steterunt in hac controversia Jo. de Oudewater (cf. supra p. 1155), Rutgerus Sicamber de Venray; Phil. Alberti de Nussia O. Carm. († 1506), qui in universitate coloniensi disputavit *de purissima b. V. Mariae conceptione* adversus Wigandum (1495), quae q. quodlibetica forte non differt a prolixa ejus epistola auctoritate ac ratione firmissimis instructa, quam contra Wigandum O. Pr. manuum pensatorem de purissima conceptione Dei genitricis aliter quam Ecclesia determinavit sentientem scripsit, in qua omnes latratus ejus sagaci disputatione compescuit; Matthaeus Herbenus, Wimpheling, de quo infra, et alii.

1559 in f. retractatum, ampliatum et continuatam ad. a. 1514 prodiit inscriptum: *Annalium hirsaugiensium t. 2* complectentes historiam Franciae et Germaniae, gesta imperatorum, regum, principum, episcoporum, abbatum et illustrium virorum, St. Galli ed. Mabillon 1690, ed. mendosa, opus magni momenti pro historia culturae Germaniae. *Chronicon sponheimense* ab a. 1124—1526 (continuatum scil. ab anonymo); *Nepiachus* i. e. libellus de studiis et scriptis propriis a pueritia repetitis, apud Eccard Corp. hist. med. aevi II, 1825—44. Compendium seu *breviarium* primi voluminis chronicorum seu annalium de origine regum et gentis Francorum ex Hunibaldo (auctore secundum criticos a Trithemio conficto) decerptum ab a. 429—750, Moguntiae 1515 in f.; Parisiis 1539; Basileae 1547; 1574; *Epistolae* familiares (140) ab excessu ejus de sponheimensi monasterio ad principes clarosque viros scriptae atque historiis ejus aevi refertae ll. 2, Hagenoae 1536 in 4. (m. 66). *Vita s. Maximi* ep. moguntini (sec. IV.) apud Surium Vitae SS. 18. Nov. VI. 407—414; *Vita s. Rabani Mauri ll. 3,* in Actis SS. 4. Febr. I, 522—38, non magni momenti »propter multiplicia quae in ea admisit errata,« quae ei exprobat Mabillonius. Compendium breve *fundationis et reformationis monasterii s. Jacobi* in suburbio herbipolensi, inter opuscula a Busaeo edita. *De septem secundeis* i. e. intelligentiis sive spiritibus orbis post Deum moventibus l., Lipsiae 1516; Norimbergae 1522; Francofurti 1545; Coloniae 1567, specimen historiae philosophiae singulare et mysticum secundum opiniones aristotelicas de angelis planetarum rectoribus, »quorum unusquisque, ut ipse scribit ex plurimorum sententia, mundum a. gubernat 354 mensibusque ex ordine quaternis.« Opera historica simul edidit Freherus Francofurti 1601 t. 2 in f. Magna auctoritate diu fruebatur Trithemius apud eruditos, sed recentiori aetate ejus fides historica gravibus impetitur exceptionibus a viris criticis. Neque solum accusatur multorum errorum historicorum et contradictionum, defectus artis criticae etc., sed quod gravius, falsationis et fictionis auctorum, qui non exstiterint (ut Meginfridi et Hunibaldi), ex quorum operibus suppositis suam construxerit historiam, atque ejusmodi accusationes tanta proferuntur confidentia, ut Trithemii causa seu fides historica proclametur desperata. Nolumus vindicare ejus auctoritatem historicam, non propterea tamen putamus eum tam facile malae fidei esse accusandum: vir enim erat admodum religiosus et ob ejus probitatem vel penes principes magna in auctoritate. Potuit vero decipi in usu monumentorum et in defectu subsidiorum, praesertim dum Herbipoli degeret nimis fidens suae memoriae, atque ita in errores incurrere[1]). Ob aliud vero opus plane singulare plurium incurrit offensionem, scil. ob ejus *steganographiam* sive de ratione occulte scribendi, cujus ll. 3 cum clave Francofurti prodierunt 1606, »quod opus, inquit Bellarminus de script. eccl., prohibitum (olim) merito est (7. Sept. 1609), cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad magiam pertinentibus, quod et ipse agnovit et confessus est.« Hinc revera suspicionem incurrit magiae liberque etiam datus est igni: alii tamen

[1]) Janssens l. c. p. 126: Von sehr ungleichem Werte sind Trithem's historische Schriften: bei Darstellung des früheren Mittelalters hat sich der Sponheimer Abt nicht blos arge Flüchtigkeiten, sondern auch offenbare Erdichtungen zu Schulden kommen lassen; von diesen beklagenswerthen Verirrungen abgesehen, war Trithemius nicht ohne Anlagen zum Geschichtschreiber, wie namentlich seine Darstellung des 14. und 15. Jahr. in seinen Hirsauer Annalen bezeugt. Trithemium ab ejusmodi accusationibus satis vindicant Ruland Bonner theol. Lit. 1868 p. 766-70 et Mittermüller hist.-pol. Bl. LXII. 848—52.

eum ab omni criminis labe liberant vel excusant: prohibitum vero iterum fuit (12. Mart. 1703) opus inscriptum: Jo. Trithemii . . . *Steganographia,* quae hucusque a nemine intellecta, sed passim ut suppositicia, perniciosa, magica et necromantica rejecta, elusa, damnata et sententiam inquisitionis passa, nunc tandem vindicata, reserata et illustrata auctore Wolfg. Ern. Heidel, Moguntiae 1676. Modo tamen Indice ll. prohibitorum est exemptum. Affine est aliud ejusdem opus absque illo apparatu mysterioso et magico inscriptum *Polygraphia* ll. 6 ad Maximilianum Caes. cum clave sive enucleatorio, Francofurti 1518 et saepe alibi, in quo plura alphabetorum centena proponit cum arte ea varie combinandi ad secreta literis tradenda et clave eadem enucleandi.

IV. Theologia practica.

554. Tres occurrunt hac periodo pontifices. Primus est Alexander VI, qui non tam illustravit sedem apostolicam, quam potius maculavit. Ortus est ex nobilissima plane familia atque antea dicebatur Rodericus Lançol y Borjia. Patriam habuit Valentiam n. 1. Jan. 1431. Initio militiae se dedit, sed Calixtus III. avunculus ad honores ecclesiasticos eum vocavit, et mox beneficiis auxit ecclesiasticis non obstante vita maculata. Altiores semper assecutus est dignitates: solerter enim gessit negotia et munera sibi commissa. Demum ex cardinali et romanae Ecclesiae vicecancellario electus est 11. Aug. 1492 romanus pontifex. In tanto positus candelabro vitam non mutavit neque bono praeluxit exemplo, muneri tamen suo non defuit in gerendis negotiis ecclesiasticis[1]). Obiit 18. Aug. 1503. Tribuit ipsi Ludov. Jacobus a s. Carolo in bibl. pontif. *Clypeum defensionis fidei S. R. E.* scriptum ante adeptum pontificatum, quem excusum refert Argentorati 1497. Literae, constitiones aliaque documenta sparsa reperiuntur per diversa collectionum opera. Ita *constitutiones XII* in Laertii Cherubini Bull. I, 460-476, inter quas (2) a. 1493 de novi orbis insulis terrisque versus Occidentem et Meridiem a linea per Azores ducta Ferdinando Hispaniae regi concedendis, „ut populos in illis degentes ad christianam religionem suscipiendam inducere velit et debeat;“ constitutio *de baptismo Ruthenorum non iterando* apud Raynaldum ad a. 1501 n. 37; decretum *de libris sine censura non imprimendis,* ib. n. 36; bulla *super canonizatione Anselmi* archiepiscopi cant., apud Hardouin IX, 1552. — Defuncto pontifici 22. Sept. 1503 substitutus est Franciscus Todeschini-Piccolomini, cardinalis Senensis, sacri senatus lux et gloria, vir plane egregius et in negotiis ecclesiasticis bene versatus, qui in memoriam avunculi sui Pii II, voluit appellari Pius III: sed mox post paucos dies 18. Oct. (1503) pie in Domino obiit ingenti bonorum omnium moerore, qui optima quaeque exspectabat ab ejus pontificatu[1]). — Excepit eum Julianus della Rovere cardinalis, Ligur et Sixti IV. nepos, jam ante quam cardina-

[1]) Cf. Pastor Gesch. der Päpste III³, 289—543, qui p. 502 notat: Merkwürdig: Alexanders VI. Behandlung der rein kirchlichen Angelegenheiten hat zu keinem begründeten Tadel Anlaß gegeben, wie denn selbst seine erbittersten Gegner in dieser Hinsicht keine weitergehenden speziellen Anklagen formulieren konnten. Die Reinheit der kirchlichen Lehre blieb unversehrt. Es war gleichsam, als ob die Vorsehung hätte zeigen wollen, daß die Menschen die Kirche wohl schädigen, aber nicht zerstören können. Cf. Hefele-Hergenroether VIII § 865. 873.

[1]) Cf. Pastor op. cit. III³, 556—562.

les conclave ingrederentur, pontifex est designatus, hinc paucarum horarum intervallo omnium assensu 31. Oct. 1503 electus. Dici voluit Julius II. Vir erat magnanimus et fortis, qui consilium cepit recuperandi ditionem pontificiam omnem a tot principibus usurpatam: hinc pontificatus ejus fuit bellicosus, demum felici exitu: ipse enim dici potest restitutor atque restaurator ditionis pontificae. Ipse erat liberalissimus artium Maecenas. Sub ipsius auspiciis Donatus Bramante, Michelangelo, Raphael floruerunt, atque stupenda illa opera, quae adhuc mirantur viri cultissimi, sunt moliti. Adversus conciliabulum pisanum indixit synodum V. lateranensem, sed ea nondum absoluta obiit[1]) 21. Febr. 1513. Constitutiones ejusdem plures habentur in bullario rom. ed. taurin. t. V.

555. In illustrandis decretalibus versati sunt Felinus Maria Sandeus patria Ferrariensis n. c. 1444, qui juvenis adhuc a. scil. 1466 in patria sua juris canonici cathedram obtinuit et a. 1474 Pisas accitus venit, ut jura legeret. A Sixt. IV. invitatus est Romam, ac auditoris s. palatii seu auditoris Rotae munere ac dignitate ornatus est (1484): post aliquot annos (1495) promotus est ad pennensem et hadriensem episcopatum datusque coadjutor Sandonnio episcopo lucensi cum spe futurae successionis, quam tamen sedem deserere coactus est, cum Alexander VI. Julianum card. Roboreo ad illius administrationem provexerit: demum a. 1501 plenò jure eidem fuit restitutus († 6. Sept. 1503). Vir fuit admodum diligens, qui apis instar solicitissime ex libris, quos lectitabat, quidquid sibi utile videretur, colligebat: hinc inter canonistas sui temporis plurimum inclaruit, summisque pontificibus Innocentio VIII. et Alexandro VI. carus erat et in pretio, quibus in administratione rerum maximi momenti adstitit. Plura reliquit opera edita et inedita: *Super Proëmio decretalium,* Ferrariae 1492 et alias saepe; super titulo *de Rescriptis* et nonnullis aliis, s. l. et a. Papiae 1495; *de litis contestatione* 1484 s. l.; in aliosque titulos ll. 1. 2. 4. et 5. Decretalium; Venetiis 1497; 1570; Lugduni 1519; 1549; 1587 etc.; lectura super titulo *de sponsalibus* s. l. et a. (Papiae 1497); sermo *de indulgentia,* s. l. et a. et cum aliis opusculis [1]) etc. — Ludovicus Bolognini bononiensis nobili stirpe ortus c. 1447, Imolae sub celebri Alexandro Tartagni studuit et 1469 juris lauream est consecutus; ex jure canonico tamen nonnisi a 1470. Jus civile partim Bononiae partim Ferrariae docuit. Multis honoribus fuit auctus, ab Innocentio VIII. ejus affini Romam vocatus, ab Alexandro VI. senator romanus designatus, senator bononiensis 1506 factus a Julio II., qui et in ejus villa diem transegit. In gravibus negotiis adhibitus fuit a summis pontificibus, principibus, civitate patria († 19, juxta alios 28. Jul. 1508). Vir erat pius et admodum beneficus in paupere. Plurium canonistarum opera typis tradidit, et ipse plura composuit, quae diligentiam quidem produnt, minus ingenii sagacitatem et profunditatem [2]). *Epistolae decretales Gregorii IX.* suae integritati restitutae cum notis ac tabula concordante decretales cum Decreto (f. Bononiae), 1472; *tabula brevis* ad facile inveniendum omnes textus et etiam omnes glossas singulares in utroque jure, Bononiae 1495 in f.; *Repertorium aureum* in rubricas decretalium, Vene-

[1]) Cf. Pastor III[2], 563—871, qui p. 909-933 aliquot ejusdem epistolas exhibet; Hefele-Hergenroether VIII § 875 ss.

[1]) Cf. Fabricius 2, 558 ss. cum additionibus Mansi; Schulte 2, 350; Zeck KL. X, 1691; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 5. n. 16 s.; Dr. Hilling Archiv für kath. Kirchenrecht LXXXIV (1904), 94—106.

[2]) Cf. Schulte II, 345; praeprimis Fantuzzi II, 260—73; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 4. n. 40.

tiis 1488; Syllogianthon sive *collectio florum* in Decretum, Bononiae 1486; quae duo op. Fantuzzi non recenset; *Interpretationes novae* ad omnes textus utriusque juris, Bononiae 1495; 1497; *Consilia*, Jo de Anania (p. 952) cum suis additionibus, Bononiae 1481 etc.; tr. copiosus *de indulgentiis*, Bononiae 1489; Venetiis 1548 inter tr. univ. juris XIV, 141 ss.; Marburgi 1750 etc.

556. Petrus Ravennas (Petrus Tommai, de Tomei, Tommasi, Petrus Franciscus Thomasius), utriusque juris doctor et eques auratus Ravennate n. circa 1448, jus docuit Patavii, Bononiae, Papiae, Pistoriae, Pisis et ubique admirationem excitavit prodigiosa memoriae tenacitate. A Bogislaw Pomeraniae duce ad Gryphswaldensem academiam accitus 1498 est, ubi cum filio suo Vincentio utrumque jus est professus. Inde transiit a. 1503 Wittembergam, a. 1506. Coloniam, ubi initio quidem honorifice exceptus est, sed mox acris cum theologis illius academiae controversia ob singulares ejus opiniones est exorta: quare relicta Colonia (1508) secessit Moguntiam, mox Wormatiam, ubi non diu postea prae moerore obiit ineunte ut videtur 1510. Composuit praeter alia *Compendium juris canonici*, Wittembergae 1504 in f.; *repetitiones* in frequentiores juris canonici partes, Venetiis 1587 t. 2 in f.; *de immunitate ecclesiae*, Lubeccae 1499 in f.; *sermones extraordinarii*, Wittembergae 1505; Coloniae 1507; *Alphabetum juris utriusque*, Coloniae 1508; Lugduni 1511; Rotomagi 1508 etc.; *Singularia juris* Francofordiae 1596; libellus (paulo abstrusior) *de artificiosa memoria*, etiam *Phoenix* inscriptus, Venetiis 1491; Erfordiae 1500; Coloniae 1508 etc. Immerito eum Lutherus reformationis accenset praecursoribus, neque enim de primatu erronee sensit. Opera ejusdem juridica non magni sunt momenti: ipse vero magno in honore habitus fuit a principibus, ita ut Fridericus Saxoniae elector et Joannes dux ejus frater frequenter ejus praelectionibus interessent, et Maximilianus imp. eum ad colloquium admitteret; rex Daniae literis ad eum datis ad se evocaret [1]). — Mo-

[1]) Schulte II, 404: Seine Schriften sind das Muster von Geschmacklosigkeit und lediglich ausgezeichnet durch massenhafte Citate aus der Literatur und den Quellen ohne Rücksicht darauf ob sie passen oder nicht. Cf. Esser KL. IX², 1936; Fabricius V, 360 ss.; Sbaralea p. 605, quia in fine vitae amplexus est habitum et institutum tertii ordinis s. Franc.; Petrus Paulus Ginanni in diss. de literatis ravennat., Ravennae 1749. II, 419 ss.; Eisenhart allg. d. Biogr. XXV, 529—39; Muther Ausgang des Petrus R. in suis diss. Aus dem Universitäts- und Gelehrtenleben; Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 3 n. 27 ss.; Heidenheimer P. Ravennas in Mainz und sein Kampf mit den Kölner Dunkelmännern, Trier 1897.

[1]) Honores ipsi delatos praesertim in Germania describit magnus ejus encomiastes Ortwinus Gratius in l. ad Petrum R. suae peregrinationis *criticomastix*, Coloniae 1508; etiam cum alphabeto aureo, Lugduni 1517. Hic Ortwin Gratius (van Graes) Westphalus in literis profecit sub celebri Alexandro Hegio Daventriae, hinc subinde Daventriensis cognominatus est. Studia prosecutus est Coloniae factusque magister artium (1506). In Quenteliana typographia Coloniae praesidem egit, atque in edendis quam plurimis operibus classicis, etiam theologicis correctorem. Bursae cucanae professor fuit atque fervidus humanista, qui cum celebrioribus humaniorum literarum cultoribus illius temporis inierat familiaritatem. Sed cum in controversia Reuchlini cum theologis coloniensibus ex horum steterit parte, omnia versa sunt in bilem: hinc in epistolis obscurorum virorum petulantissimis improperiis et foedissimis calumniis ejus fama injustissime fuit maculata: quibus ipse opposuit *ep. apologeticam* Coloniae 1518. Praetermissis aliis ejusdem scriptis ipsius est *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*, in quo primum continetur conc. basileensis historia, quam Aeneas Sylvius conscripserat. (Cf. supra p. 936.) Insunt praeterea eidem op. summorum aliquot virorum epistolae, libelli, tractatus et opuscula numero LXVI, in quibus et admiranda quaedam et obstupenda invenies (sed et reprobanda). Quae si futurum concilium celebrari contigerit, summopere tamquam cognitu

naldus Rosarius (de Rosariis, Menaud des Rosiers) O. Carm. Burdigalensis[1]) docuit theologiam Burdigalae, Parisiis, Romae, Papiae et alibi († 1508; juxta alios 1509 vel 1511). Scripsit in decr. *Omnis utriusque sexus*, Parisiis 1513 cura sodalis Georg. Lapicida; *de poenitentiis et remissionibus ll. 3*, ib. 1513, multaque inedita. — Joannes Antonius Sangeorgius (de s. Georgio, Sangiorgi) Mediolanensis (non Placentinus, nisi quatenus ejus familia olim de Placentia originem traxit), n. 1439, praepositus basilicae ambrosianae (hinc simpliciter Praepositus subinde cognominatus), in utroque jure insigniter versatus et juris peritorum mediolanensium collegio adscriptus (1473), utrumque Ticini sexennio interpretatus est saepe ad plures horas per diem. Sixtus IV. eum episcopum alexandrinum constituit (1479), nec multo post Romam accitum recepit inter auditores s. Palatii seu Rotae et referendarios apostolicos; Alexander VI. eum cardinalem creavit (1493). Anno 1499 ecclesiam rexit parmensem totusque incubuit, ut gregem optimis imbueret moribus. Deinde patriarcha hierosolymitanus est constitutus et tusculanae ecclesiae episcopus (1503), quam commutavit cum albanensi et praenestina (1507) et a. sequenti cum sabinensi († 14. Mart. 1509). Inter alia opera[1]) scripsit Commentaria *super quarto Decretalium* (de sponsalibus et matrimonio), Papiae 1476; Lugduni 1490; Venetiis 1493; Tridini 1493; Romae 1494 etc. Commentaria *super decretorum volumina* p. 1. Romae 1493; Mediolani 1494, Papiae 1497; Venetiis 1500; p. II. (ad c. 12.), Mediolani 1509 etc. Super titulo *de appellationibus*, Papiae 1488; 1490; 1497; Venetiis 1498 etc. Habitus est primus inter canonistas sui temporis.

557. Praetermissis Joanne Lupo de Palaciis rubeis (Lopez de palacios rubios, etiam de Bivero) decretorum doctore et juris canonici professore, senatore curiae concilii rerum indicarum, celebri suo tempore (1520) juris consulto[2]) — Alphonso Gomez juris canonici doctore (fl. 1516) — Joanne de Selva, Gallo (fl. 1510) — Mariano Bartolini, juris canonici doctore et professore, rotae romanae auditore, cujus decisiones etiam collegit[3]), Julii II. ad Maximilianum imp. legato († 1511) — Rocho Curtio ticinensi juris canonici professore et senatore mediolanensi (fl. 1515) — Joanne Alphonso Beneventano in salmanticensi academia rhetoricae et philosophiae professore et

necessaria ab optimis quibusque expostulabuntur, Coloniae 1535 in f. Porro opus hoc olim prohibitum legabatur in Indice tridentino. Iterum editum et amplius deturpatum fuit (inquit Foppens II, 935) ab Ed. Brown anglicanae ecclesiae ministro adjecto t. 2. scriptorum veterum, quorum pars magna nunc primum e mss. cod. in lucem prodit, qui Ecclesiae romanae errores et abusus detegunt et damnant, necessitatemque reformationis urgent, Londini 1690 t. 2 in f. Obiit Gratius in magna paupertate 22. Maj. 1542. Cf. Streber KL. V², 1036 ss. Hartzheim p. 261; Geiger allg. d. Biogr. IX, 600; Reichling O. Gratius, sein Leben und Wirken, Heiligenstadt 1884.

[1]) Ossinger eum Menaldum vocat et inter sodales O. S. Aug. videtur referre scribitque eum Parisiis cathedram theologiae moralis rexisse atque obiisse 1513.

[1]) Cf. Schulte II, 338 ss. qui de ejus operibus scribit: Alle Schriften ... zeugen von einer enormen Belesenheit ... von ungemeinem Fleisse im Zusammentragen der Literatur und vom sehr genauen zitieren. ... Die Darstellung ist klar und fließend, zeichnet sich aber weniger durch juristische Schärfe als durch eine Breite aus, die ihn veranlaßt Alles mit Zitaten zu belegen. Die Schriften sind Meisterwerke im Geist der Zeit, die nur auf Autoritäten sah. Der Umfang ist ein enormer. Sein Standpunkt ist der streng curialistische. Argelati Bibl. Script. mediol. II, 1297 ss.; Tiraboschi l. c. n. 19.

[2]) Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. novae I, 719.

[3]) Cf. Vermiglioli Scrittori perug. I, 184 ss.

ss. canonum interprete (fl. 1513) — Nicolao Simonis O. Carm. Harlemensi († 1511), cujus *disputationes et repetitiones* prodierunt Venetiis 1487; 1497; *de potestate papae*, imperatoris et concilii ll. 4 in 2. l. decret. de foro competenti c. si quis contra clericum, Mediolani 1495; 1510, quae tamen alii tribuunt Nic. Tudeschi Panormitano [1]) — Joanne Mario (le Maire) Belga, qui praeter l. fabulosum de origine Gallorum a Trojanis scripsit etiam contra agendi rationem Julii II. in bello adversus Ludovicum XII *de la difference des Schismes* et des Conciles de l'Eglise et de la preeminence et utilité des Conciles de la s. Eglise Gallicane, 1511 in f., l. quondam prohibitum — aliisque, quos jam laudavimus, de argumentis *singularibus* egerunt Fortunius Garzia de Erzilla, alias Arteaga Cantaber, Bononiae primarius legum interpres, a Carolo V. in Hispaniam evocatus regius cōnsiliarius et supremi Castellae senatus pater, cujus praeter alia [2]) sunt: *De ultimo fine* utriusque juris canonici et civilis, de primo principio et subsequentibus praeceptis, de derivatione et differentiis utriusque, Bononiae 1514; 1517 (cum aliis) in f.; Coloniae 1585 in 8. opus a nonnemine summopere collaudatum; ad tit. *de justitia et jure*, Bononiae 1517; *de expensis* et meliorationibus et sumptibus bonae et malae fidei possessorum, usufructuariorum etc. — Bernardus de Como O. Praed. fidei censor († c. 1510), in *lucerna inquisitorum haereticae pravitatis*, in qua summatim continetur quidquid desideratur ad hujusce sanctum munus inquisitionis exsequendum, Mediolani 1566 in 8; cum annotationibus Fr. Peñae, Romae 1584; Venetiis 1596, cui editioni adjecti sunt duo tr. Jo. Gerson, alter *de protestatione* circa materiam fidei; alter *de signis pertinaciae haereticae pravitatis*, et tr. nostri Bernardi *de strigibus;* qui prodiit etiam in collectione similium opusculorum, Lugduni 1669 in 4. — Jacobus Castellanus de Fara canonicus lateranensis, qui Leoni X. dicavit tr. *de SS. canonizatione*, in quo diligenter collecta recteque digesta edidit quaecunque hac de re allata fuerunt tum a card. Hostiensi atque a ceteris juris pontificii professoribus, tum a Troilo Malvetio (cf. p. 1070). — Sal. Alberteschi, qui disseruit de potestate cardinalium mortuo vel impedito papa, Romae c. 1520. — Joannes Hugonis Alsata, parochus Argentorati ad s. Stephani ecclesiam, notarius apostolicus et caesareus, Raymundi legati apostolici et cardinalis gurcensis capellanus, compilavit [1]) ex jure canonico et caesareo *Quadruvium* (quadrigam voluit dicere) *Ecclesiae* quatuor praelatorum officium, quibus omnis status tum secularis tum vero ecclesiasticus subjicitur, Argentinae 1504; etiam ib. germanice: Das kirchliche Viergespann oder der h. Kirchen und der röm. Reichswagenfuhr. Hi quatuor praelati, qui Ecclesiae currum trahunt, sunt pontifex, cujus jura etiam circa temporalia summopere extollit, episcopi, parochi et imperator, cujus praerogativae, cum dominus sit mundi, plurimum celebrat, sed eum filium vult esse obsequiosum Ecclesiae. Concedit tamen eijus urgente causa deponendi rom. pontificem. Contra Ant. Roselli (cf. supra p. 965) tr. *de potestate papae*, Argentorati 1504.

558. Convertamus nos ad *theologiam moralem* et *pastoralem*. Conradus Summenhart Würtembergensis, n. in oppido Calw, Parisiis studiis vacavit, ubi et baccalaurei gradum est adeptus (1476), et factus professor in facultate artium academiae neoerectae tubinga-

[1]) Cf. Fabricius V, 125.
[2]) Nic. Antonius I, 395 s.

[1]) Cf. Schmidt Hist. Litter. d'Als. II, 51—55.

nae et a. 1484 illius rector: quod munus ter adhuc gessit. Postea se magis convertit ad theologiam factusque est theologiae doctor (1489). Obiit peste correptus 1502 (juxta alios 1501). Haec ejus opera (docta et erudita): Commentaria in *summam physicae Alberti M.,* Hagenoae 1507; Tr. bipartitus *de decimis* seu defensiones opinionis theologorum adversus communiter canonistas de quota decimarum, si debita sit jure divino vel humano, ib. 1497, in quo negat jus divinum; tr. *exhortatorius* ad attendendum super decem defectibus virorum monasticorum, Tubingae 1498; opus septipartitum *de contractibus* pro contractibus in foro conscientiae et exteriori[1]), Hagenoae 1500 in 4; 1517; tr. bipartitus, in quo *quod Deus homo fieri voluerit*, et quod Messias in lege et prophetis promissus non solum homo, sed et Deus esse debuerit, 50 amplius s. Scripturae Hebraeorumque testimoniis et rationibus confirmatur, Tubingae 1494 in 4. etc. — Joannes de Dalberg egregius episcopus wormatiensis (1482—1503) utile edidit *Synodale wormatiense* de quo cf. Fr. de Weeth, Das Wormser Synodale von 1496, Karlsruhe 1875. — Jacobus Philippi Basileensis, sacrae paginae baccalaureus formatus, et ecclesiae basileensis plebanus, theologiae magister in universitate patria. Vixisse legitur[1]) adhuc a. 1508. Ipsius sunt *Reformatorium vitae morumque* et honestatis clericorum saluberrimum cum fraterna quadam resipiscendi a vitiis exhortatione et ad poenitentiae portum applicandi admonitione cum expressione quorundam signorum ruinae et tribulationis Ecclesiae, Basileae 1444 (errore ut videtur typographico); *Praecordiale sacerdotum* devote celebrare cupientium utile et consolatorium, Argentorati 1489. 1490; Parisiis 1516. — Joannes Romming de Bareuth (Bayreuth, Paratanus) rector scholae Norimbergae praeter alia scripsit[2]) in utilitatem discipulorum *Poenitentiarius* in 3 pp. contritionem, confessionem et satisfactionem discretus multijugis s. Scripturae et doctorum Ecclesiae sententiis utcunque desumptis redolens, cuiquam veram ac plenariam poenitentiam agere gestienti non minus utilis quam necessarius, Nurinbergae s. a. (p. a. 1514). Edidit quoque Lactantii l. *de opificio Dei* vel formatione hominis, ib. 1514. — Jodoci Textoris (Morder) Winshemii, magistri artium in universitate Erfordiana prodiit *Forma recte poenitendi* Erphurtiae 1515. 1516; 1517, de qua cf. Katholik 1899 I, 382—384; II, 94. et Oratio *de passione Domini,* ib. 1514, cum alia *de s. Ivone.* — Andreas Proles O.S.Aug. Dresdensis n. 1. Oct. 1429, magister philosophiae et theologiae lector, magnus fuit congregationis saxonicae zelotes[3]), sed nimis violentus et minus

[1]) Vor allem diese Schrift hat S. einen bleibenden Wert verschafft für alle die mit der Volkswirtschaft zusammenhängenden Fragen: Eigentum, Kaufgeschäft, Rentenkauf, Gesellschaftsvertrag, Wechsel. Die Theorie des Wuchers (Zinsennehmen) zieht sich durch sie hindurch. Obgleich er auf dem strengen Standpunkte der älteren Zeit steht, bietet sein Werk nicht bloss manche interessante neue Gesichtspunkte dar, sondern ist überhaupt für die Beurtheilung der Zeit und ihrer Wirtschaft von Bedeutung. Schulte allg. d. Biogr. 37, 156. Cf. in primis Linsemann: K. Summenhart. Ein Kulturbild aus den Anfängen der Universität Tübingen, Tübingen 1877; Janssen I. 143 s. ed. 18.

[1]) Cf. L. Schulze in diss. das reformatorium vitae clericorum ein Spiegelbild aus der Zeit der Reformation in Luthardti Zeitschr. für kirchl. Wissensch. u. kirchl. Leben 1886 p. 98 ss.; et idem in Realenc. XVIII², 228—232.

[2]) Cf. N. Paulus Katholik 1900, II, 570—575.

[3]) Cf. Zeck KL, 10. 460; N. Paulus, der Augustinermönch J. Hoffmeister p. 121. Flacius Illyricus auctorem nostrum ineptissime testibus veritatis i. e. praecursoribus reformationis adnumerat: quam ipsius illusionem vel Kolde in op. Die

prudens. Eam a. 43 rexit et ampliavit; ducum Saxoniae erat ecclesiastes († 9. Juni 1503). Germanice edidit *instructionem christianam*, quomodo pater, mater, sacerdos et patrinus in baptismo se gerere debeant, Straubingae 1494; eadem cum l. Ein Innige lere wie man sych halden soll bei der Tauff der Kinder, s. l. et a. (c. 1495 m. 120); Magdeburg 1500 etc.; *Sermones dominicales* ed. a Petro Sylvio parocho catholico, Lipsiae 1530 nonnihil retractati.

559. Joannes Ludovicus Vivaldus O. Praed. de Monteregali (Mondovi) s. theologiae professor, Ludovico Salutiarum marchioni viceregi neapolitano a consiliis et confessionibus, scripsit Aureum opus *de veritate contritionis*, in quo mirifica documenta aeternae salutis aperiuntur, Salutiis 1503 in f., saepe editum sub aliis etiam inscriptionibus, Lugduni 1506; Parisiis 1508; Hagenoae 1513; alia septem opuscula ejusdem collecta a sodali Andrea Socino prodierunt sub titulo *Opus regale*, Salutiis 1507; Lugduni 1508 in f.; 1518 in 4. etc.: inter ea sunt tr. *de cognitione electorum* a reprobis; *de duodecim persecutionibus Ecclesiae Dei*, quarum decima est ab indigne doctoratu potientibus; *de magnificentia Salomonis* et quid sentiant doctores catholici de statu animae ejusdem; *de duplici causa contritionis* etc. Nova explanatio *septem Psalmorum poenitentialium*, de agro ss. doctorum recollecta, Salutiis, 1500; 1507. — Theodorus Sovicus (Suigo) O. Praed. theologiae magister scripsit *Confessionario* utilissimo a ogni persona, Mediolani 1496; 1505; 1518. — Celsus Maffeus (Maphaeus) Canc. reg. lat († 1503) reliquit *monumentum* compendiosum pro confessionibus, Romae 1478; 1491 in 4; Venetiis 1498; et *diss. dissuasoriam*, ne christiani principes sibi usurpent census ecclesiasticos, ad senatum venetum, Bononiae 1494 in 4. etc. — *Confessionale* composuit Jacobus Cavicaeus Parmensis n. 1443 (Parmae 1509; Venetiis 1529), qui literis humanioribus egregie quidem fuit imbutus, sed iis seductus vitam duxit sacerdote plane indignam et turbulentam[1]: sexagenarius enim adhuc auctor fuit fabulae obscenae, quare memoria hic plane indignus († 3. Jul. 1511). — Praetermissis Martino de Arles et Andosilla canonico et archidiacono vallis de Aivar in ecclesia pampilonensi, qui disseruit *de superstitionibus* contra maleficia et sortilegia, quae hodie vigent in orbe terrarum, Parisiis 1517; Venetiis 1584 — Francisco Jacobs congr. olivet. Trajectensi, qui scripsit *de modo visitandi:* Rodericus Fernandez de Santa-Ella artium et theologiae magister, protonotarius apostolicus et Hispali in metropolitana ecclesia canonicus simulque archidiaconus reginensis († 1509), juris canonici professoribus collegium unaque disciplinarum omnium academiam Hispali erexit. Orationem habuit coram Sixto IV. *de mysterio crucis* et Christi passione, Romae 1477. Compilavit *vocabularium ecclesiasticum* partim latina partim hispana lingua scriptum, Hispali 1499 in f.; 1550; Caesaraugustae 1549; Toleti 1559; ab Eustachio Moro de Cervantes locupletatum et ab erroribus correctum, Salmanticae 1561; Compluti 1572 in f. Citatur illud subinde Santella cognominatum. — Raymundus Perault (Peraldus, Peraud, Peyraudi, Peraudi etc.) Gallus, aliquamdiu O. S. Aug., „vir juxta Trithemium chron. Sponhem. ad a. 1505, vita et moribus sanctissimus et omni integritate conspicuus, justitiae cultor magnus, honorum et divitiarum contemptor omnium constantis-

deutsche Augustiner-Kongregation und Joh. von Staupnitz, Gotha 1879 p. 79 ss. notat; Janicke a. d. Bi. XXVI, 661 ss.

[1]) Cf. Affò Memorie degli scritt. par. mig. III, 79—94.

simus, cui similem non habet aetas nostra.« Meruit [1]) creari episcopus gurcensis (1491—1505), dein et patriae suae sanctonensis, imo et cardinalis ab Alexandro VI. a. 1493, et mitti legatus caesareus ad pontificem et a pontifice in Germaniam ad promovendam expeditionem bellicam adversus Turcas († 1505). Ejus l. *de dignitate sacerdotali* super omnes reges terrae prodiit s. l. et a. *Summaria declaratio* bullae indulgentiarum ecclesiae sanctonensis pro reparatione ejusdem et tuitione fidei concessarum s. l. et a.

560. Duo adhuc mentione speciali sunt digni ob opera in fidelium utilitatem conscripta. Joannes Udalricus Surgant in oppido Altkirch Alsatiae superioris natus studiis vacavit Basileae et Parisiis. Adepto juris doctoratu professorem et parochum egit Basileae ad s. Theodorum semper sollicitus de promovenda morum reformatione. Quater functus est munere rectoris universitatis († 1503), scripsitque opera admodum utilia, in primis *Manuale curatorum*, praedicandi praebens modum tam latino quam vulgari (passim quoque gallico) sermone practice illuminatum cum certis aliis ad curam animarum pertinentibus omnibus curatis tam conducibile quam salutare, s. l. 1503 ed. princeps[2]), Argentorati 1520 etc., quod brevi tempore decies fuit editum: specimen homileticae theoreticae et practicae populi necessitatibus concionatorumque muneribus maxime accommodatum, in quo impense commendat s. Scripturae usum, cum congrua materia praedicationis sit sacra Scriptura, in quo plura quoque ad liturgiam spectantia lingua germanica admodum pura exhibet. *Homiliarius doctorum*, 1493; 1505, qui est collectio concionum veterum; *Regimen studiosorum* s. l. et a. (1502) est institutio sat varia juventutis circa studia, conversationis honestatem, valetudinis curam, scripta in utilitatem Brunonis Amerbach, filii amici sui [1]). — Alter est Theodoricus Koelde (Dederich, Derick etc.) a Monasterio vel de Osnabruck (ratione sui patris inde oriundi) dictus [2]), qui primo habitum s. Augustini assumpsit, dein ad fratres Min. de Obs. transiit et qua alter s. Jo. Capistranus rigidiorem observantiam dilatare est nisus. »Declamator erat, inquit Trithemius, sermonum popularium famosissimus, cujus vitam omnes, qui eum noverunt, sanctissimam hoc tempore praedicant: in sermonibus faciendis ad populum tanta gratia divinitus illustratur, tanta facundia loquitur, tanta denique compunctione et dulcedine afficit auditores suos, ut similem apud Germanos habuerit neminem. Unde et per totam provinciam generalis praedicator est constitutus.«

[1]) Plura de hoc viro suo tempore celebri exhibent Grube KL. IX², 1799 ss.; Eggs Purp. docta l. 3 § 63; N. Paulus R. P. als Ablaßkomissar in hist. Jahrb. 1900 p. 645—683; Schneider die kirchl. und politische Wirksamkeit des Legaten R. Peraudi (1486—1505), Halle 1882. Hujus veluti supplementum est recensio diss. Adolfi Gottlob in hist. Jahrb. VI (1885), 438—461; Wackernagel Mittheil. über R. P. und kirchl. Zustände s. Zeit in Zeitschr. f. Gesch. u. Alterth. II, 2, (171-273; Hefele-Hergenroether VIII § 871, qui ejus legationem impense laudat. Composuit quoque sermonem *de ortu, conversatione, virtutibus etc. b. Catharinae*, Spirae 1503 (m. 24). Cf. Dupin XIV, 91.

[2]) Cf. excerpta in Katholik 1889. II, 166—86; 303—22; 432—44; 496—523, ubi de eo ita censetur: Klare Übersicht über den einschlägigen wichtigen Stoff; Tiefe der Gedanken, große Kenntniss der älteren Väter und der großen Theologen des Mittelalters, rührender Eifer für das Heil der Seelen befähigten den Verfasser eine Theorie der geistlichen Beredsamkeit zu liefern, die auch in unserer Zeit mit geringen Modifikationen einen Abdruck nicht zu scheuen brauchte.

[1]) Cf. Bernoulli Allg. d. Biogr. XXXVII. 165; Keppler KL. VI, 201; Schmidt Hist. littér. de l'Alsase II, 54—58; 393 s.

[2]) Distingui debet ab antiquiore Theodorico de Monasterio, theologiae professore et vicecancellario coloniensi, qui

Praesertim per Belgium munus suum apostolicum exercuit pacem et concordiam ubique annuncians. Bruxellis dum horrendum in modum pestis grassaretur (1498), ex 33000 ea affectis, 32000 ultima salutis media administrasse legitur. Manuale simplicium composuit inscriptum *Christenspiegel,* editum jam ante a. 1475; Coloniae 1480 et deinceps ad sec. XV. finem saltem decies; ita et ib. 1501; 1508; 1514 etc. 1708 ultima forte vice (seorsim); a Moufang receptum est in Sammlung der deutschen Katechismen des 16. Jahrh. Non est proprie catechismus, cum desint partes necessariae ad catechismum, sed instructio practica ad pie vivendum et moriendum [1]). Ultimos vitae annos Lovanii degebat de propagatione reformationis sui ordinis impense sollicitus, guardiani ac concionatoris munere etsi octogenarius adhuc fungens. Die qua obiit 11. Dec. 1515 concionatus est mortem suam auditoribus praesagiens. Cum in odore sanctitatis obierit, actum est de ejus beatificatione.

561. Ad philosophiam potius moralem spectant quaedam opuscula Joannis Joviani Pontani, Caeretani ex agro spoletano a. 1426 nati, qui apud Ferdinandum I. regem neapolitanum multum valuit, cui a secretis erat sicut et ipsius filio Alphonso II. († 1503 a. aetatis 77). Major tamen ejus laus et celebritas est a poesi latina, quam ad veterum poetarum exemplar feliciter excoluit. Ejus *opera* prodierunt collecta Basileae 1538 t. 4 in 8., quorum primus complectitur *de obedientia ll. 4* (Neapoli 1490 in 4: italice 1568); *de fortitudine ll. 2,* ubi statuit fortitudinem in mediocritate esse positam; *de principe* ad Alphonsum Calabriae ducem: *de liberalitate,* de beneficentia, de magnitudine, de splendore, de convenientia, de prudentia ll. 5; *de magnanimitate* ll. 2; *de fortuna* ll. 3; *de immanitate* etc. Gli opusculi morali, scribit Tiraboschi VI. p. 1. l. 2 c. 2 n. 48, da lui composti... oltre all' esser scritti con molta eleganza, ci offrono ancora il primo esempio di una maniera di filosofare libera e spregiudicata, che superando i volgar pregiudizi siegue unicamente il lume della ragione e del vero. Cf. eundem p. 2. l. 3. c. 4. n. 29 ss.; Fabricius V. 310; Roberto da Sarno congr. Orat. in ejus vita, Neapoli 1761. — Baptista Spagnoli communiter a patria Mantuanus dictus n. 1448 a juventute poesi erat deditus. Ordinem ingressus est Carmelitarum septiesque electus in vicarium congregationis mantuanae generalem, demum in praepositum totius ordinis supremum (1513). Semper fuit sollicitus de restauratione regularis observantiae († 20. Mart. 1516). Dux mantuanus statuam ei erexit laureatam ad Virgilii latus. Opera ejus fere poëtica collectim prodierunt Antverpiae 1576 t. 4. Praetermissis ejus carminibus non tanti pretii ad theologiam practicam referri forte possunt *Contra detrectatores* dialogus; *de patientia lb. 3* opusculum saepe editum, Venetiis 1499 etc.; *de vita beata* libellus [1]).

562. His subjicimus alios quosdam *concionatores* (sed inferioris qualitatis)

---

nomine academiae interfuit concilio constantiensi († ante a. 1419; cf. de eo Hoogeweg allg. d. Biogr. 23, 25—27), et a Theoderice Vrie de Osnabruck, de quo p. 841 egimus. Cf. de nostro J. B. Nordhoff P. D. Coelde und sein Christenspiegel in der Monatsschr. für rheinisch-westph. Geschichtsforschung 1845. I, 67 ss.; Ernsing hist. Jahrb. 1891 p. 56—68; Evelt KL. III, 1744 ss.; C. A. Heyden allg. d. Biogr. IV, 386 ss.

[1]) Er ist so einfach, verständlich und kräftig, daß er noch heute mit gleichem Nutzen wie vor 400 Jahren gebraucht werden könnte. Von Anfang bis zu Ende geht der einzige Gedanke: Jesus mein Alles, Alles für Jesus. Janssen Gesch. des Deutschen Volkes t. I, 48 ed. 18.

[1]) Cf. Nicerons Nachrichten XXII, 35-51.

et *ascetas*. Oliverius Maillardus O. Min. Britannus, theologus parisiensis, regi Gallorum a concionibus, totius cismontanae familiae iterato vicarius generalis, necnon legatus apostolicus in Galliam directus, religione ac vitae sanctitate conspicuus († 1502), concionator erat suo tempore clarus, vehemens et audax, qui stilo utitur rudi barbarismis soloecismisque pleno, minus sacro suggesto digno, nisi ea vitia latino potius concionum interpreti sunt tribuenda [1]). Reliquit praeter alia *quadragesimale,* Parisiis 1498; 1515; alterum, ib. 1518; sermones *de adventu,* ib. 1497; 1498; *sermones dominicales* post Pentecosten, ib. 1515; 1521; junctim una cum pulcherrimis juris qq. quolibet in sermone insertis et spiritualiter applicatis, Parisiis 1499, Argentinae 1506; 1512; sermones *de sanctis,* Lugduni 1507; Parisiis 1513; Argentinae 1514; supplementum seu novum *diversorum sermonum* opus, Parisiis 1513; *Sermones* omni tempore praedicabiles una cum 12 signis mortis naturalis ac spiritualis et 16 conciones *de stipendiis peccati,* Lugduni 1499; instructio et consolatio *de vita contemplativa,* gallice Parisiis s. a. in 4. — De ejus sodali et aequali Michaele Menoto supra jam egimus p. 1141. — Alterius sodalis Roberti Massier *sermones* prodierunt, Parisiis 1524; 1531 t. 2. — Lucchinus Corvinus de Aretio O. S. Aug. ob concionandi talentum concionatoris generalis munere et privilegio decoratus, decies definitor et bis vicarius generalis congregationis Lombardiae († 1501), reliquit opusculum *de prologis* seu prooemiis pro concionatoribus quadragesimae aliisque concionari volentibus perutile, Mediolani 1500 lingua patria. — Antonii Averarii (Averariae) O. Carm. Mediolanensis († 1509; juxta alios 1523) vicarii generalis congregationis mantuanae sermones 4 *de virtutibus* prodierunt Mediolani 1509. — Joannes Raulinus OSB. Tullensis, in academia parisiensi egregiam navavit studiis operam, theologiae doctor, magister et rector in regio Navarrae gymnasio (1481—99): sed honoribus commodisque, quibus abundabat, relictis ad Cluniacenses a. 1497 se contulit, unde ad amicum suum scripsit [1]): „Qui nutriebar in croceis, nunc cibus aridus dulcis est; qui mollibus vestiebar in domibus regum et praesidentium, nunc mihi deliciae sunt aspera vestis, hirsutus habitus, vilis supellex, vigiliae longae, jejunium multum, silentium assiduum.“ Ei demandata fuit a card. Ambasiano legato cura reformandi monasteria OSB. Nullis parcens laboribus nunc scribendo, nunc monasticos ordines reformando, nunc sermones ad populum instituendo totum vitae tempus exegit († 6. Febr. 1514 vel 1515). Ejus sermones *de adventu Domini* prodierunt Parisiis 1516; 1519; Venetiis 1584; opus *de triplici mortis genere,* scil. corporis, culpae et gehennae, quod vulgo dicitur *Doctrinale mortis,* Parisiis 1518; 1523 et Venetiis 1588 cum *Itinerario Paradisi* seu opere sermonum poenitentiae cum illius partibus (Parisiis 1524 cum op. *de conjugio et viduitate*); *sermones quadragesimales* super epistolas et evangelia quadragesimalia, Parisiis 1518; 1523; sermones *de festivitatibus SS.* totius anni, Parisiis 1514; omnes simul Venetiis 1575: 1585; Antverpiae 1611. 1663. Collatio *de perfecta religionis plantatione,* incremento et instauratione, Basileae 1498;

[1]) Cf. ejus apologiam apud Mich. a s. Joseph III, 383 adversus Schelhorn, qui eum insipidum declamatorem exhibet; A. Samouillon Ol. Maillard sa prédication et son temps. Etude sur la chaire et la Société française au XVe siècle Paris 1891; Feret La fac. de Théol. de Paris, epoque mod. II, 213—223.

[1]) Cf. hanc ep. pulcherrimam, qua rationem suae fugae reddit, apud Ziegelbauer t. III. c. 3 § 30. Cf. Dupin XIV, 92; Feret La fac. de théol. de Paris, ép. moderne II, 309—16.

Parisiis 1499; Argentorati 1644 in 12; *epistolae* (55), quibus continentur monita admodum salutaria, sed ob nimias allegorias ac tropos inconcinnae, Parisiis 1521 ed. valde mendosa; commentarium *in Logicam Aristotelis,* Parisiis 1500. — Joannes Clerée O. Praed. Neustrius, vir magnae apud principes auctoritatis, doctrina, eloquentia, pietate regularique disciplina ac prudentia insignis, theologiae magister parisiensis, concionibus maxime innotuit. Ob regularis disciplinae zelum congregationi Hollandiae, in qua ea maxime floruit, se adjunxit (1494), electusque est in vicarium generalem (1499). Defuncto Vinc. Bandello ordinis magistro agente Oliverio Caraffa card. institutus est a Julio II. vicarius generalis, dein in comitiis magister ordinis electus (1507), sed mox 10. Aug. ejusdem a. mortuus. Ejus sermones *de adventu* tam dominicales quam feriales super unicum illud thema: *Venit Jesus quaerere et salvum facere quod perierat* Luc. 19, 10, prodierunt Parisiis 1522; 1529; cura sodalis Joannis de Villerio (de Villers † 20. Sept. 1531), qui etiam ediderat *summam* s. Thomae A., Rotomagi 1520; *Sermones quadragesimales,* Parisiis 1520; 1524 pluribus aucti; 1530 in 8., qui tamen non ex scriniis auctoris, sed ex ore dicentis tumultuare, ab auditoribus neque satis fideliter excepti suoque modo latine versi typis traditi eunt[1]). — Joannis Reynardi O. Praed. Galli, vicarii generalis in spiritualibus Casparis de Turnono episcopi diensis et valentinensis ecclesiarum unitarum († ante 1515), quadragesimalia *de peregrinatione generis humani,* et *de infirmitatibus generis humani* prodierunt Lugduni 1515 in 8. — Rostochii in septentrione claruit ineunte hoc sec. Nicolaus Rutze (Russ) in academia magister, vir potens sermone. Cum suis concionibus graviter et libere inveheretur in abusus, qui tunc ubique irrepserant in cleri vitia etc., a Flacio Illyrico reformationis praeformatoribus accensetur, sed plane immerito. *Instructionem ejus catecheticam* lingua vulgari iterum edidit Dr. Nerger in progr. gymnasii rostochiensis a. 1886. Cf. Katholik 1887 II, 93 ss.; Lesker KL. X, 1420. — Joannes Veghius sodalitatis fratrum vitae communis a. 53 (1451—1504) patria erat Monasteriensis, rector domus viridis horti erectae Rostochii (1469), dein domus ad fontem salientem (Springborn) monasteriensis. Laboribus morbisque attritus munus rectoris et confessarii obiit apud sorores sui sodalitii, de quo optime meruit. Insignis plane et fervens erat concionator, cujus laudes cf. apud L. Schulze Realenc. XVIII², 405-414 et jam antea apud Fr. Jostes, Joh. Veghe ein deutscher Prediger des 15. Jahrh. zum ersten mal herausgegben, Halle 1883, qui in hist. Jahrb. VI (1885), 345—412 alia tria scripta egregia ascetica ei vindicat atque de eorum argumento fusius disserit.

563. Praeprimis vero hic nominandus est Joannes Geiler de Kaisersberg (quia proavus, qui ejus ab infantia curam egit, in hoc oppido Alsatiae morabatur) Schaffhusiae n. 16. Mart. 1445, Friburgi in Brisgovia studiis operam dedit (1468), factusque jam est 1464 magister artium, ibidem 1465 praelectiones habuit de libris quibusdam Aristotelis, et decanum egit facultatis philosophicae (1469—70). Inde transiit (1471) Basileam statum ecclesiasticum ingressus; decani munere functus est facultatis philosophicae 1474, doctoris vero lauream et cathedram s. Scripturae in facultate theologica a. 1475 promeruit: sed jam a. sequenti revocatus est Friburgum. Cum vero vocationem in se experiretur ad concionandum, munus acceptavit concionatoris in ecclesia cathedrali argentoratensi (1478), cui exinde vixit ingenti auditorum concursu, intrepida

[1]) Cf. Echard II, 11.

dicendi libertate[1]), etiam adversus clerum et magistratum, adeo ut protestantes illum suis praecursoribus accenseant, sed plane immerito. Magna fruebatur auctoritate apud populum christianum, apud episcopos, apud Maximilianum imp., qui eum libenter audiebat, ejus consilia excipiebat et capellanum caesareum dixit. Homo erat plane popularis et centrum virorum literatorum, ut Petri Schott, Seb. Brant, Jacobi Wimphelingae, Thomae Wolf, Hier. Gebweiler, Beati Rhenani etc. Vitam ducebat vere sacerdotalem, piam operibusque misericordiae deditam († 10. Mart. 1510). Plurimos reliquit sermones, sed dolendum ab ipso nil fere fuisse editum, nisi septem tractatus ab inscriptione primi dicti: *Das irrig Schaf* s. l. et a. Argentorati 1514, inter quos der *Trostspiegel* saepissime editus, et aliqua minoris momenti. Reliqua edita fuere ab aliis ex ejus schedis latinis, vel ex iis, quae ipsius auditores exceperunt: hinc genuinitas textus originalis subinde dubiis est obnoxia. Majori fide digna sunt quae ediderunt Jacobus Otther ejus discipulus et familiaris, necnon Petrus Wickgram ejus ex sorore nepos et in munere successor; minori vero quae debentur curae Jo. Adolphi Müling medici et Joannis Pauli[1]) O. S. Fr. Ex his praesertim mentione digna: *Epistola* de modo praedicandi dominicam passionem, in op. Wimpheling: *De integritate*, 1505; *de oratione dominica*[2]) 1510; germanice *Usslegung über das*

[1]) Müller KL. V, 190: In allen diesen Predigten, sowie in den Tractaten Geilers, die meistens ebenfalls die Grundlage zu Predigten bildeten, zeigt sich ein hoher sittlicher Ernst, freilich oft in dem energischen Ausdruck und dem derben Humor jener Zeit, der für uns an das ungenießbare streift. Die „helltönende Posaune von Straßburg," wie die Zeitgenossen G. nannten, ist eine jener Stimmen, deren damals viele, wenngleich selten mit ähnlicher Kraft, in der Kirche laut wurden, jener Stimmen, die auf Reform im sittlichen Leben aller Stände drangen. Diese Stimmen aus vorlutherischer Zeit muß man hören, um die nachfolgenden Stürme zu begreifen. Für die Kulturgeschichte der damaligen Zeit ist G. eine Hauptquelle, und in der Wärme und Kraft seines Ausdruckes, in der seinem Jahrhunderte eigenen Naturwüchsigkeit der Sprache, in der konkreten Popularität seiner Bilder und seiner ganzen Darstellung, die vielfach an den späteren Abraham a Santa Clara erinnert, ist er geradezu unübertroffen. Cf. etiam Keppler KL. X, 338; Wimpheling In Jo. Keiserspergii theologi doctrina vitaque probatissimi . . . mortem planctus et lamentatio cum aliquali vitae suae descriptione et quorundam epitaphiis, Oppenheym 1510; Janssen I[18] 136 ss.; Kawerau Realenc. VI[3], 427—432.

[1]) Cf. de Joanne Pauli O. Conv., juxta quosdam origine Judaeo, dein ad fidem catholicam converso, qui saepius fuit guardianus, theologiae lector et concionator in variis urbibus provinciae Germaniae superioris († c. 1530), Euler Geschichte der oberdeutschen (Straßburger) Minoritenprovinz p. 66. Non solum edidit varias concionum Geileri series, sed et l. *Schimpf und Ernst* saepe editum, a populo multum lectitatum, quia utiliter narrat facta seria et jocosa, hinc ab aliis saepe retractatum. Recenter repertae fuere 23 conciones ejusdem, de quibus fusius agunt Bolte in Alemannia 1888 p. 34 ss. et Linsenmayer hist. Jahrb. XIX (1898), 873—891.

[2]) Cf. de his concionibus Falk hist.-pol. Bl. 108, 689. Ibidem vero p. 682-89 laudat scripta Marci de Weida O. Praed. in coenobio s. Pauli civitatis lipsiensis lectoris circa initium sec. XVI., ex quibus prodiit praeclara *expositio orationis dominicae* Lipsiae 1502; Argentorati 1516; 1520; Coloniae 1573 stilo nitido et puro lingua patria; recentissime Hasak in op. Die letzte Rose, Regensburg 1883 p. 1—125. *Der Spiegel . . . des Rosenkranzes*, Lipsiae 1515. Edidit quoque versionem *Legati divinae pietatis* s. Birgittae Lipsiae 1505; 1508; et *Buch geistlicher Gnaden*, Lipsiae 1503; 1508, qui complectitur *revelationes* ss. Mechtildis et Gertrudis; *Orationes* (5) vel potius divinorum eloquiorum enodationes facundissimae . . . coram ss. D. N. Julio II. P. M. . . . per rev. et eximium P. Nic. de Schoenberg alias de Alemania nuncupatum O. Pr., Lipsiae 1512. Obiit Schoenberg cardinalis 1537. Cf. N. Paulus Zeitschr. XXVI (1902), 247—262.

Gebette des herren; Argentinae 1515; *Navicula* seu speculum *fatuorum* scil. concionum cursus in celebre opus Seb. Brant: *das Narrenschiff* 1510; germanice Argentorati 1520; *Navicula poenitentiae,* 1511 (germanice cura Jo. de Eck; *Schiff der Penitentz,* Augustae 1514); Peregrinus; *Der Seelen Paradiss,* Christentlich Bilgerschafft, quod prodiit 1508—13 cura Jac. Otther; *Das Evangelibuch,* Argentorati 1515; 1517; 1522; *Die Emeis* (Ameise) . . . *von den Unholden,* oder Hexen und vom gespenst der geist etc., ib. 1516; *Die Brosamlein,* ib. 1517 etc. cura Jo. Pauli; Sermones *de tempore et de sanctis; de conditionibus mortis,* de morte virtuali sive gratiae; *Ars moriendi* (ed. ab Alex. Hoch 1901 in Strassburger theol. Studien IV, 1); tr. *de dispositione ad mortem* per modum alphabeti, Argentorati 1514 etc.; *sermones* et varii *tractatus,* ib. 1510; 1515; 1518 cura Petri Wickgram ex schedis avunculi; sermones *de arbore humana,* Argentorati 1521 in f.; Postill *über die fyer Evangelia* durchs Jor sampt dem Quadragesimal und von etlichen Heyligen, ib. 1522 cura Henr. Wessmer ex ore Geiler excepti (m. 160); postilla *de filio prodigo,* ib. 1522; *von dem Baum der Seligkeit,* ib. 1518. Ab anonymis edita fuere: *Das Buch Granatapfel,* in Latin genannt *Malogranatus* . . . sampt gaystl. Bedeutung des ausgangs der Kinder Israhel von Egypto; *von der gaistlichen spinnerin* . . . *von dem Hasen im pfeffer* . . . *Von siben schwertern und schayden,* Augustae 1510; Argentorati 1511; 1516; *Das Buch der Sünden des Munds* (conciones 24), dabei Alphabet (conciones 23), am Schlusse genannt Predigeu von dem Baum des ewigen Lebens, Argentorati 1518; Der Passion oder dy *Leyden J. Christi* unsers Herren nach dem Texte der fyer Evangelisten, Strassburg 1514 (m. 120). Ejus *epitsolae* prodierunt Friburgi 1877; opera potiora selecta cura Ph. de Lorenzi, Treviris 1881—83 t. 4. Haec editio egregia et accurata[1]) complectitur praeter introductionem de vita et scriptis genuinis t. 1: Das Buch vom guten Tode; die 12 Früchte des h. Geistes; t. 2: Das Narrenschiff; der Mensch ein Baum; der Baum des h. Kreutzes; t. 3: der christliche Pilger; Neue Früchte und Vorzüge des Ordenslebens; sieben Schwerter und sieben Scheiden; t. 4: Das Schiff des Heils, et duplicem indicem, comparationum et rerum. Relata fuere in indicem ll. prohibitorum nominatim Navicula sive speculum fatuorum et sermones de oratione dominica a Jac. Othero collecti, sed rogante de Lorenzi permissa ipsi fuit Geileri opp. editio, si faceret mentionem prohibitionis et concessae permissionis et ea signaret, quae emendatione indigerent. In introductione p. 11—14 quatuor notat locos emendatione indigos[2]). Modo tamen Indice ll. prohibitorum exemptus est.

564. Ad *ascesin* praeter multos jam laudatos referre potes Alphonsum de Balboa ecclesiae palentinae portionarium et parochum, cujus *Dechado de Religiosos,* Toleti 1501 prodiit. — Matthaeum Bossum can. reg. Salv. later. ordinis procuratorem generalem, Jo. Pici Mirandulani amicum († 1503 a. aetatis 75), cujus *opera* collecta prodierunt Bononiae 1627 in f. cur. Julio Ambrosino ejusdem congr., inter quae sunt dialogus *de veris ac salutaribus animi gaudiis,* Florentiae

[1]) Cf. Liter. Handweiser 1882 p. 107 ss.

[2]) Cf. Kerker in hist.-pol. Bl. t. XLVIII. XLIX; Dacheux Un reformateur catholique à la fin du XVe siècle J. Geiler etc., Paris et Strasbourg 1876, opus eruditum et accuratum. Ipse etiam edidit G. v. Kaisersberg älteste Schriften Freiburg 1884, ubi omnia ejusdem opera et 82 editiones recenset. Lindemann J. G. v. Kaisersberg, Friburgi 1877; Lorenzi in introd. ed. cit.; Martin allg. d. Biogr. VIII, 509—18; Schmid Hist. Littér. de l'Alsace l. 3 p. 335—461. qui fuse de ejus concionandi methodo disserit et t. II. p. 374—430 accurate ejus opera recenset.

1491; Argentorati 1509 cum ll. 8 *de vero sapientiae cultu;* dialogi duo *de tolerandis adversis, ep. 465 cum sermonibus* etc. — Marcus Vigerius de la Rovere O. Min. Conv., scripsit *Decachordum christianum,* Fani 1507 in f., quo complectitur praecipua incarnationis mysteria, ed. splendida (m. 200) cum controversia *de excellentia instrumentorum dominicae passionis* (Romae 1512), cura Rich. Gibbons SJ. in t. 2. op. *Historia admiranda* de J. Christi stigmatibus sacrae sindoni impressis ab Alph. Paleoto explicata, Duaci 1606; 1616; *de annunciatione b. Virginis,* Fani 1507 (etiam cum priori opere) etc. Fuit Vigerius pronepos Sixti IV. ex sororis filia, Savonensis n. 1446, in baptismate Emmanuel vocatus, a pontifice lector publicus in romana Sapientia, nec multo post (1476) episcopus senogallensis institutus. A Julio II. creatus est cardinalis (1505) et episcopus praenestinus (1512; † 17. vel 18. Jnn. 1516). Apologiam instituit pro Julio II. adversus conciliabulum pisanum, quam tamen morte praeventus imperfectam reliquit[1]). — Antonius Du Four (de Furno) O. Praed. aurelianensis, Ludovico XII. a concionibus et confessionibus et tam carus, ut ei vix aula abesse licuerit, episcopus massiliensis (1507; † 1509), composuit *La diete du salut,* scil. 50 meditationes de passione Christi Salvatoris, Parisiis 1557 cum paraphrasi Psalmorum poenitentialium; 1574. —

[1]) Cf. Eggs Purp. docta l. 4 n. 4. Hujus Marc. Vigerii consanguineus fuit alius Marcus Vigerius de la Rovere ejus in episcopatu senogalliensi successor (1513—60), qui interfuit conc. tridentino et nuncium apostolicum egit in Lusitania 1556, de quo infra. — Joannes Vigerius pariter O. Conv. (a Vorragine, al. a Varagine agri genuensis oppido) Papiae et Romae philosophiae publicus lector, ordinis minister generalis 1529 et a Clemente VII. creatus episcopus chiensis 1534. Reliquit *lecturam super l. l. sententiarum Scoti,* Venetiis 1527 in f.

Antonius Garzia de Villalpando toletanae ecclesiae canonicus, qui in visitanda dioecesis vices generales magni Ximenis card. supplebat, vernacula lingua scripsit *instructionem vitae christianae,* Toleti 1500 in 4. — Garsias de Cisneros OSB. Hispanus, n. Fordelagrenae c. 1450, quem Ferdinandus Catholicus abbatem misit ad Montem Serratum, ut collapsam ibidem disciplinam restauraret († 1510). Concinnavit *Reglas y Constitutiones* de los Padres Ermitanos de Montserrat, quas Alexander VI. approbavit (1495). Scripsit *Exercitatorium vitae spiritualis,* 1499, quod s. Ignatio usui fuisse affirmant. — Udalricus Krafft juris studio se dicavit Basileae, Tubingae et Patavii, juris utriusque doctor, Tubingae rectoris munere functus est (1485). Innocentius VIII. canonicatu eum donavit tum Augustae, tum Constantiae. Postea Friburgum venit atque in ea academia philosophiam atque jus docuit, nec non et a. 1493 rectorem egit. Inde transiit Basileam juris utriusque professor (1495) atque ab a. 1495—1500 rector. Parochus demum fuit ulmensis († 11. Apr. 1516). Ejus sunt: *Das ist der geistlich streit . . .* ausgetheilt in Sermones durch die fiertzig tegigen Fastenn lert wie Christus unser Hauptmann für das menschlich geschlecht gestritten unter dem Banner und stammer des h. Creuts, Strassburg 1513; 1517; Das ist *die Arch Noe*: leret wie Gott Noe gebotten hat die Arch zu bauwen, wie weyt und hoch die sein sollt. Auch wie man sie behoblen und bestreychen sollt mit vil schönen leren[1]), ib. 1517. — Udalricus de Landau cognomento Kaegerl seu Kager OSB. professor fuit artium liberalium et philosophiae, diu prior in monasterio tegernseensi († 28.

[1]) Cf. Rottermund Fortsetzung zu Jöchers allg. Gelehrten-Lexikon III, 783; N. Paulus Diöcesanarchiv von Schwaben 1898 p. 113 ss.

Oct. 1505). Ejus doctrinam et pietatem eloquuntur mss. relicta ultra 60 diversos in se continentia tr. de disciplina claustrali, sermones de tempore et de sanctis ad fratres[1]) etc., ex quibus Erhard Niggl recepit in l. *Mariani congr. bened.*, qui primitus cultum magnae Virginis illustrarunt et propagarunt luce donati publica a sodalitate minori salisburgensium parthenia academia benedictina etc., expositionem super illud Apoc. XII, 1: *In capite ejus corona stellarum duodecim*, sed melle et nectare manans, Salisburgi 1623 in 8. — Udalricus Pinder professione medicus († 1509 vel 1519), qui literarum amore in propria domo erexit typographiam. In ea edidit *Speculum passionis J. Christi* cum glossis doctorum, Norimbergae 1507 l. rarissimus; Der beschlossen gart der rosenkranz marie. ib. 1505 etc. — Christophorus a Varisio O. Min., cujus jam supra meminimus p. 968 a. inclusus et solitarius in sancto sepulcro Hierosolymis opusculum devotissimum concinnavit *de vita et passione* nostri piissimi Salvatoris D. J. Christi, quod demum prodiit Mediolani 1523.

565. De *liturgia* meruit Joannes Burchard[2]), de quo jam supra p. 1082 egimus. Natus hic erat in Haslach prope Argentoratum; Romam profectus 1480 factus est protonotarius apostolicus, dein et clericus caeremonarius sub Aug. Patrizzi, de quo ib. egimus. A Julio II. dictus est episcopus hortanus 1503 († 15. vel 16. Maj. 1506). Multum innotuit suo *diario* de Alexandro VI., quod post varia fata et editiones partiales nostra aetate prodiit inscriptum: Jo. Burchardi . . . *diarium* Innocentii VIII., Alexandri VI., Pii III. et Julii II. tempora complectens nunc primum publici juris factum commentariis et monumentis quam plurimis et arcanis adjectis ab Achille Genarelli, equite, Florentiae 1854. Neque haec editio[1]) integrum exhibet diarium, sed tantum ab a. 1484—94 idque cum lacunis, neque videtur satis expressa ad codices autographos vel saltem authenticos. Quare L. Thuasne novam curavit editionem integri diarii (ab a. 1483—1506) inscriptum Diarium sive *rerum urbanarum commentarii*, Parisiis 1883-85 t. 3, editio ut videtur accurata et satis fide digna[2]). Fragmentum adhuc ineditum a mense Majo 1493 ad 11. Jan. 1494 exhibet Pieper[3]) RömischeQtlschr. 1894. VIII, 187—216. Narrat rudi stilo Burchardus in hoc suo diario scrupulose ritus et caeremonias dierum festorumque cursu servari solitos, sed et inspergit alia facta et rumusculos, prout haec in aula principum occurrere solent. Plurimum abusi sunt sedis apostolicae adversarii hoc diario, nam continet quoque facta scandalosa, sed non tot, ut aliqui conjiciunt vel exaggerate affirmant. Excerpta, quae ex hoc diario publicavit Leibnitius in sua historia arcana Alexandri VI., Hannoverae 1696. 1697 quondam prohi-

[1]) Cf. Pirm. Lindner eos diligenter recensens in Familia s. Quirini in Tegernsee p. 78—82.

[2]) Alius ab eo est Joannes Burkhardt concionator bremgartensis, qui sub nomine Theobaldi Perdutiani reliquit adversus Bullinger *Gesprächbüchlein* 1523: qui idem videtur cum illo Jo. Burchardo O. Praed. theologiae doctore et vicario generale congregationis Germaniae superioris († c. 1536), qui juxta Alexandrum „magno vitae periculo ab initio usque hujus tumultus pro defensione Ecclesiae laboravit". De eo fusius agit N. Paulus die deutschen Dominikaner p. 325—330. — Alius quoque est ab Ulrico Burkhardt Francone, episcopi wirceburgensis capellano, cujus dialogismus *de fide christiana* prodiit Bambergae 1523. De nostro Commer Jahrb. für Phil. und spec. Theol. XIII (1899), 304—323 fusius agit.

[1]) Cf. de hac ed. Civiltà Catt. 1856. II, 201—21.

[2]) Cf. Hagen Zeitschr. für kath. Theol. 1886. X, 196—204.

[3]) Cf. eundem ib. 1893 p. 387—403 accurate disserentem de cod. autographo hujus diarii.

bita fuere decr. 12. Mart. 1703; modo ed. Gennarelli decr. 12. Jun. 1856, qui eam locupetavit narratiunculis aliunde haustis, p. 1. et 2. est prohibita. Ob notitiarum etiam minutarum copiam diarium hoc non caret pretio. Burchardi collega et in munere successor Petrus de Grassis (de quo in sequenti periodo redibit sermo), sed et ejus aemulus, non solet de Burchardo nostro honorifice loqui: non tamen propterea fide est indignus in iis praesertim, quae testis occulatus refert vi sui muneris: cum grano salis tamen est adhibendus. Sine ratione sufficienti ipsi tribuitur a Moroni (Dizionario VI, 169) *Conclavi dei Pontefici Romani* (a Clemente V.), quod prodiit 1668. — Petrus Casola canonicus mediolanensis, in caeremoniis ritus praesertim ambrosiani[1]) admodum versatus († 1507) composuit *Rationale caeremoniarum missae ambrosianae,* Mediolani 1498; *Caeremoniale missae ambrosianae,* ib. 1499. Ejus *Viaggio a Gerusalemme* prodiit Mediolani 1855. — Marcus Rosilius Fulginas, canonicus († 1508), reliquit *Ordinationes divini officii* totius anni, Romae 1503 in 8. — Antonius Dulciatus O. S. Aug. Florentinus, astronomiae bene peritus (fl. 1512), scripsit *Computum solis et lunae* cum ea, quae ad clericos spectat astronomiae ratione, Regii Longobardiae 1512 p. 1; Florentiae 1514 p. 2; opusculum *de reformatione ritus celebrationis festorum,* Florentiae 1519; *Vita d. Nicolai tolentinatis,* Florentiae 1525 italice. — *De las Ceremonias de la Misa* aliisque argumentis asceticis vel practicis disseruit Ferdinandus (Hernando) de Talavera O. S. Hier. illustrissimum Ecclesiae hispanae decus, Ferdinando et Elisabethae regibus catholicis a confessionibus et consiliis[1]), abulensis episcopus, dein primus granatensis urbis recens a Maurorum potestate ereptae archiepiscopus († 14. Maji 1507), qui non sine fructu zelo plane apostolico de Maurorum conversione fuit sollicitus. Plura ejusdem opuscula simul prodierunt Salmanticae 1673 in 8. — Hermannus Torrentin edidit l. *Hymni et sequentia* cum diligenti difficillimorum vocabulorum interpretatione, Coloniae 1513. — De Diether O. Carm. »qui suis dotibus totius civitatis moguntinae oculos perstrinxit« et inter Reuchlini judices sedit († 1519) cum Joanne Bertram a. 30 academiae moguntinae professore et (1487) rectore († 6. Febr. 1515), cujus laudatur a Trithemio et Sixto sen. Prologus bibliae omnia ad Scripturae introductionem necessaria copiosissime complectens (ineditus) cf. Falk Bibelstudien . . . in Mainz 1901 p. 65 ss.

[1]) Cf. Argelati I, 2, 335, qui scripta ejusdem 16 ad liturgiam spectantia inedita recenset.

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. n. I, 390. et Franc. Gomez ipsi a sacris in Vita de D. F. Hern. de Talavera, Granatae 1564 in 8; Hefele der Card. Ximenes, Tübingen 1851 p. 52² ss.

XVII.

Theologi annorum 1521—1540.

I. Theologia scholastica.

566. Incipit gloriosa ordinis *s. Dominici*[1]) periodus, speciatim in theologia *scholastica*. Agmen ducat Thomas Vio, vulgo Gaetanus (Cajetanus) a patria Cajeta (Gaëta) cognominatus, scholasticus subtilissimus, n. 20. Febr. 1469 parentibus honestissimis et in baptismo Jacobus dictus. Egregie institutus a pueritia ludos et voluptates aversabatur, studio solum deliciabatur et virorum piorum consortio. Parentibus invitis a. aetatis 16. s. Dominici est ingressus ordinem a. 1484. Magistris ab ingenii facilitate et feracitate admirationi erat et stupori. Hinc junior adhuc aetatisque a. agens vix 23 Patavii lector artium est positus maximamque famam qua lectionibus qua scriptis editis sibi comparavit. In generalibus ordinis comitiis conclusiones cum plausu defendit, et inter arguentes nactus est celeberrimum Picum Mirandulanum, cujus objecta centum tam praesenti memoria repetiit, tanta solertia solvit et eruditionis copia suas responsiones fulcivit, ut finita disputatione applaudens omnium ordinum consessus Thomam e pulpito apprehensum inter brachia velut triumphantem ad ducem ferrariensem magistrumque ordinis Joach. Turrianum deportarint, a quo mox creatus est s. theologiae magister a. aetatis 26 vix ingressus, quod eo usque, si Aquinatem excipias, in ordine insuetum. Exinde lectorem egit Patavii, Brixiae, Ticini; a. vero 1501. electus est procurator ordinis et professor philosophiae et exegesis in Sapientia romana. Defuncto ordinis magistro supremo Jo. Clerée communibus fere suffragiis in tanto munere eidem fuit suffectus (1508). Cum grave schismatis periculum instaret a conciliabulo pisano (1511) se jam adversus Julii II. auctoritatem erigenti, pontificis causam factis, scriptis, consiliis egregie tutatus est (cf. Hardouin coll. conc. IX, 1618 ss.). In meritorum praemium a Leone X. creatus est 1. Jul. 1517 car-

[1]) Praetermittimus ex hoc ordine Joannem Baerlenum (a Baërle municipio patria in Brabantia ita apellatum) in academia heidelbergensi theologiae magistrum et professorem, per dioecesim leodiensem haereticae pravitatis inquisitorem generalem († 4. Jul. 1539), cujus exstabat Mechliniae apud Sodales commentarius in 1. l. sententiarum (ineditus).

dinalis et 8. Febr. 1518 archiepiscopus panormitanus, cui sedi mox renunciavit ob contradictionem senatus Siciliae: quare Carolus V. eum episcopum cajetanum voluit. Missus est legatus apostolicus in Germaniam ad Maximilianum electum imp., ut ei deferret ensem a pontifice benedictum et pro foedere sanciendo adversus Turcas (1518). In comitiis imperii luculenta oratione Leonem X. ab avaritiae accusatione purgavit. Cum eo tempore prima infelicissimae reformationis spargerentur a Luthero semina, jussus est eum ad se accersire, quem perhumaniter exceptum ad errorum revocationem inducere est nisus, sed frustra. Quare non defuerunt, qui incusarint illius cum Luthero agendi rationem: sed attenta Lutheri indole agendique ratione vafra et infida, prout eam tota sua vita prodidit, vix aliud exspectare licuit[1]). Romam rediit et defuncto Leone X. (2. Dec. 1521), ut Hadrianus VI. sufficeretur, haud parum contulit, a quo a. 1523 cum multo aere in Pannoniam missus est legatus ad Ludovicum Hungariae regem, quem Turcae oppugnabant, suppetias laturus. A Clemente VII. in Urbem revocatus (1524), in omnibus deinceps gravissimis de fide negotiis ab eodem in consilium fuit adhibitus. Roma ab exercitu caesareo capta et ipse in hostium manus venit libertatemque suam suorumque familiarium quinque aureorum millibus coactus est redimere († 9. Aug. 1534). Vir fuit Cajetanus parvi corporis pusillaeque staturae. Cum propterea quasi parvipenderetur a Ludovico Sfortia mediolanensi duce, respondisse fertur: »Ipse fecit nos, non ipsi nos.« Sed in corpore pusillo ingens latebat spiritus. Pertinacissimum erat illius erga literas studium, ita ut nullum unquam diem sine litera praeterierit sive iter faciens sive domi constitutus, sive cardinalis sive legatus, sive liber sive captivus, sive sanus sive aegrotans. Narrant eum dicere solitum, vix se a peccato mortali sodalem praedicatorum excusare, qui quotidie quatuor horas studio non impenderit. Cum studio conjunxit vitam religiosissimam moribusque candidissimam. Magnis encomiis ab aequalibus posterisque celebratur, quae paucis ita complectitur Ughelli[1]): »Hic ille est alter Thomas, ingeniorum extrema linea, doctorum virorum miraculum, haereticae pravitatis terror, ss. Scripturarum lumen ac fax, scholastici pulveris athleta invictus, thomisticae doctrinae galeatus defensor, sincerioris doctrinae propugnaculum, arx ac promptuarium subtilium argumentorum, cathedrae demum splendor ac decus, cujus adeo immortalia scripta sunt, ut tamdiu videantur perennatura, quamdiu divinam sapientiam scholastica subsellia personabunt.«

567. Plurima sunt ejusdem opera. Praetermissis philosophicis, cujusmodi sunt *commentaria* in Porphyrium, Aristotelis ll. ex. gr. *de anima*, Romae 1512; Parisiis 1539 (cum commentariis s. Thomae in eosdem) in f.; in opusculum s. Thomae *de ente et essentia* Venetiis 1506 cum aliis opusculis; Lugduni 1541 et inter opera s. Thomae ed. rom. 1517 t. IV. etc., quod juvenis jam edidit; praecipuum est ejus commentarium in *s. Thomae summam theologicam*, quam primus cum sodali Koellin, de quo mox, interpretandam felicissime praetulit operi magistri sententiarum[2]), Lugduni 1540. 1541 t. 4 in f.; 1552; 1558. Verum cum ad 3. p. q. 68 tueretur, parvulos sine baptismo decedentes in fide parentum addita aliqua exteriori protesta-

[1]) Cf. Hefele-Hergenroether IX § 922.

[1]) Italia sacra, Venetiis 1717. I, 544.

[2]) Reliquit tamen et in hoc opus commentarium manuscriptum. Ejus commentarius in 2. 2. prodiit jam Parisiis 1519 in 4. cura Petri Fabri de Noviomago sodalis, ut supra jam diximus p. 1109 a.

tione ut signo crucis cum trinitatis invocatione salvari posse, ut de pueris hebraeorum sine circumcisione morientibus aliqui theologi opinabantur, quae propositio a D. Soto haeretica censebatur: voluit Pius V., ut in sequentibus ed. quaedam resecarentur. Editum dein fuit saepius Romae 1570; 1588; Lugduni 1581; Venetiis 1596 ed. praestans, quia complectitur etiam commentaria Javelli et Capponi, receptum quoque in ed. omnium op. s. Thomae, quia habetur ut expositio classica et sincera doctoris angelici[1]): hinc etiam Leo XIII. voluit, ut recipiatur in ed. s. Thomae sub ipsius auspiciis adornatam. Recentissime curante Prospero Lyra 1892 t. 1. Composuit dein *opuscula* quam plurima *theologica* de argumentis et quaestionibus specialibus, quorum plura collecta (80) Lugduni 1562; 1575; 1581 t. 3 in f.; Romae 1570; Venetiis 1588 t. 3 in f.; 1594; 1596 Antverpiae 1612 etc. prodierunt: inter haec haud pauca sunt adversus Lutheranorum errores, in quibus abstinens a personis, a conviciis omnibus temperans, nudis argumentis et auctorum testimoniis rem agit non minore cura quam ingenio, ut censet Erasmus ep. I, 587. Aliqua nominasse sufficiet. *De praecepto eleemosynae* mentem s. Thomae, quem quidam in sua Summa sequius interpretabantur, declarans; *de Dei infinitate;* an in rebus naturalibus detur potentia neutra et an potentia receptiva actuum supernaturalium sit naturalis; plura (5) *de usura; utrum votum non nubendi aequivaleat voto castitatis;* utrum vacante sede et quaerentibus omnibus pontificatum per fas et nefas, propter ambitionem et avaritiam ac Ecclesiae ruinam, liceat viro probo ac digno quaerere pontificatum, adhibendo promissiones et exhibendo temporalia ut beneficia etc. pro suffragiis propter hunc finem, ut in sede positus Ecclesiae prosit et illam reformet; utrum confessor teneatur occultam servare deliberationem confitentis se omnino occisurum regem aut pontificem summum; utrum matrimonium legitime contractum inter Christianos per verba de praesenti possit ante carnalem copulam dirimi auctoritate papae absque religionis ingressu; *de comparatione auctoritatis papae et concilii*, Romae 1511; Coloniae 1512, adversus conciliabulum pisanum, contra quem tr. scripserunt Jacobus Almain (cf. p. 1119) *de auctoritate Ecclesiae* seu ss. conciliorum eam repraesentantium, Parisiis 1512; et Joan. Major (p. 1218): hinc apologiam sui tractatus instituit; *de romani pontificis institutione* et auctoritate, Coloniae 1521; Mediolani 1521; quae scripta classica pro juribus primatus, in Gallia Ludovico XII. igni fuere addicta; ea habentur etiam in Roccaberti bibl. max. pontifica XIX, 446—561; *de Ecclesia et synodorum differentia*, oratio habita coram Julio II. in sess. 2. conc. lateranensis 16. Maj. 1512, Romae 1512 in 4; *de conceptione b. Virginis* ad Leonem X., Romae 1515; *de indulgentiis;* an omnes animae in purgatorio sint certae de sua salute (contra Lutherum); *de confessione venialium* et omnium mortalium; *de effectu absolutionis sacramentalis* seu de confessione qq. quinque; *de thesauro indulgentiarum;* an papa auctoritate clavium det indulgentiam animabus in purgatorio, aliaque quae composuit (15), dum legatus degeret Augustae contra Lutheri errores; qq. (11) *de sacramentis* in 3. p. praesertim de poenitentia et matrimonio; *de missae sacrificio* et

[1]) Cf. cum utilitate quae de hoc commentario adnotat Limbourg Zeitschr. für k. Theol. 1880. IV, 239 ss. Cum Conrado Koellin, ejus aequali et sodali, quaedam ampliori expositione vel commentario indiga viderentur, duplex ut illi satisfaceret scripsit opusculum, quod prostat inter cardinalis opuscula. Durius vero Mart. Ledesma in praef. comment. ad 4. l. sent. Conimbricae 1555 censet: „Etsi eruditissimus vir Cajetanus interpretatus fuerit s. Thomam, in multis multa reliquit et in omnibus infelici et confuso et parum utili stilo processit."

ritu adversus Lutheranos, Romae 1531, opusculum eruditum et solidum, in quo rationem habet doctrinae s. Pauli in ep. ad Hebraeos cc. 7—10; *de fide et operibus* adversus eosdem, ib. 1532; *de communione sub utraque specie, de integritate confessionis; de invocatione Sanctorum*, ib. 1531 cum duobus praecedentibus; Lugduni 1536. Plura opuscula contra Lutheranos collecta prodierunt Lugduni 1530 in 8. inscripta: *Quaestiones quodlibetales* cum aliquot assertionibus contra Lutheranos et aliis difficultatum theologicarum enodationibus. In causa conjugii Henrici VIII. cum Catharina Aragoniae ipse pro matrimonii valore stetit (apud Raynaldum ad a. 1530 n. 193—201): qua de re commotus rex literas ad eum dedit: sed idem retulit responsum, quod post cardinalis mortem prodiit: Ad Henricum VIII. Angliae regem *de conjugio cum relicta fratris* sententia, cura Joannis poenitentiarii papae. Anonymus quidam edidit ejus responsum Coloniae 1518 ad q. Num fas sit principes absolvere in sacramentali confessione, qui per apros, cervos etc. subditis inferunt damna, nisi desistant et damnis satisfaciant. *Quaestiones* rarae et religiosis hominibus in diversis conscientiae casibus maxime necessariae, Coloniae 1515 cur. Koellin.

568. Verum Cajetanus non solum erat theologus acutus, sed et exegeta laboriosus, quod testantur copiosa ejusdem opera in s. Scripturam, quae collecta prodierunt cura atque industria insignis collegii s. Thomae complutensis O. Praed., Lugduni 1639 t. 5 in f., quibus continentur *commentaria* in omnes fere ll. V. et N. Testamenti, et *jentacula* h. e. praeclarissima plurimarum notabilium sententiarum N. T. literalis expositio. Plura ex his etiam seorsim prodierunt, ita *jentacula* Romae 1525; Paristis 1526 elegans editio; Lugduni 1565; Duaci 1613; commentarii *in Pentateuchum* Romae 1531; Parisiis[1]) 1539 in f.; *in ll. historicos*, Romae 1533; Parisiis 1546 in 8; *in Job*, Romae 1535; *in Psalmos*, Romae 1530; Parisiis 1532; *in Parabolas et Ecclesiasten* et tria priora cc. Is. (reliqua in V. T. absolvere non potuit morte interveniente), Romae 1542 in f.; Lugduni 1545; Parisiis 1587; *in Evangelia*, Venetiis 1530; Parisiis 1536 in f.; *in ep. Pauli et septem catholicas*, Romae 1532; 1537 in f.; 1540; 1542. Apocalypsim aggressus non est ingenue fassus, „in ea exponenda non ingenio, sed divinatione opus esse.“ Sed hi Cajetani labores multis non arriserunt, qui eum acriter sunt aggressi, immo vel inter haereticos recensent, ut Alphonsus de Castro et Gabriel Prateolus. Etiam inter suos nactus est adversarios, ut Melch. Canum, praeprimis Ambr. Catharinum, qui Cajetani expositiones ceu in multis erroneas et etiam haereticas, vel saltem haereticis faventes acerrime est aggressus easque facultati theologicae parisiensi denunciavit obtinuitque, ut expositiones in Evangelia censura notarentur, et licet Cajetanus art. ex 14 specialiter notatis quosdam ut non suos reprobasset, reliquos ut male intellectos ostendiset, ipse Catharinus mox a morte Cajetani adversus ejus commentarios sex valde acres edidit libros invectivarum seu *Annotationes* in excerpta quaedam de commentariis card. Cajetani dogmata, Parisiis 1535; locupletiores, ut novum sint velut opus et refusum ab integro Lugduni 1542: quem suum conatum ita velut excusat in l. inscripto *Expurgatio:* „Vilissimus Domini catulus . . . non sum deterritus ante summi pastoris pedes pro causa veritatis debitos latratus emittere“ etc.: quibus tamen in latra-

[1]) Hanc ed. curavit sodalis Antonius Fonseca Lusitanus, in academia conimbricensi s. Scripturae professor, concionator eximius, qui adjecit *introductionem* in Pentateuchum, *annotationes* suas ad marginem, et *vitam* Cajetani a se compendio scriptam.

tibus omnes aequi limites est praetergressus. Facultas parisiensis Cajetani commentaria ejusque responsionem apologeticam (inter ejus opuscula) censura iterum notavit 9. Aug. 1544: sed censura rogatu Praedicatorum non fuit promulgata: sed 1. Febr. 1545 approbavit criticam Ambrosii Catharini: commentaria vero Cajetani non reperiuntur in elencho librorum prohibitorum a facultate a. 1551 et 1556. Ita de eo scribit Cornely[1]: „Quum linguarum hebraicae et graecae ignarus esset, per Judaeum veteris, per alium quendam N. T. literalem versionem adornandam curavit, quam vulgata neglecta, imo non raro impugnata, commentariis suis subjecit. Unde jam magnum exortum est errandi periculum, quod non parum auxit, quum traditionali relicta interpretatione novam quandam viam inire vellet . . . Ad ejus commentarios autem quod attinet, Pallavicinus testatur, eos nec haereticis nec catholicis probari, simul vero monet eum, qui virum hunc ex ejus commentariis exegeticis aestimare vellet, perinde sese habere ac qui non ex pennis, sed ex pedibus pavonis pulchritudinem aestimaret[2]." Denique[3]) composuit Cajetanus *Peccatorum summulam* ordine alphabetico, quae saepius prodiit Romae 1525; Venetiis 1525; Parisiis 1526; 1530 etc.; recognita et notis illustrata a Gaugerico Hispano Duaci 1613; 1627 in 8.

569. Chrysostomus Javellus O. Pr., a patria in Insubribus Canapicius, ab aliis de Casali a professione scil., ut videtur, dictus, praestantissimi vir ingenii fuit. Hinc a primis annis ad docendum fuit adhibitus. Vitam sibi delegit quietam, a praefecturis omnino alienam, ut totum se daret scribendis operibus, inter quae commentarius in 1. p. summae s. Thomae Moguntiae 1611 in f. *de attributis scil. Dei et de Trinitate*, cui inserta est ejus quaestio *de Dei praedestinatione et reprobatione*, in qua descivit, ut Lutheri errores facilius vitaret, a doctrina de praedestinatione in thomistarum schola recepta: hinc doctrinam ejus, ut testatur Echard II, 105, thomistae horruerunt omnes, adeo ut nec nominetur inter eos, et nomen suum indelebili macula foedaverit, atque utinam lucubrationem aeternis tenebris damnasset, subjicit ille. Alia ejusdem opera sunt philosophica, quae collecta prodierunt Lugduni 1567; 1574; 1580 t. 3 in f., Venetiis 1577 sub inscriptione *Totius rationalis, naturalis, divinae ac moralis philosophiae compendium*, t. 3 in 2 in f. (m. 100), inter quae qq. acutissimae *super 8 ll. physices* ad mentem s. Thomae, Aristotelis et commentatoris plurimum decisae; qq. naturales super 3 ll. *de anima* juxta thomisticum dogma decisae; *qq. super 12 ll. metaphysices* ad mentem s. Thomae etc. (Venetiis 1564); *christiana philosophia* seu ethica in 8 pp. divisa (ib. 1540); *philosophiae politicae* sive civilis christianae *dispositio* (ib. 1540); *oeconomica* vel familiaris christiana disciplina (ib. 1540), tractatus tres valde utiles; *de conceptione b. M. V.; de animae humanae indeficientia* in quadruplici via, scil. peripatetica, academica, naturali et christiana (Venetiis 1536). Vixit adhuc a. 1538. — Tertius isque insignis s. Thomae interpres est Conradus Koellin (Kollin, a Colle) O. Pr. Ulmensis, natus c. 1476 patre, qui munere sepeliendi mortuos fungebatur. Heidelbergae studiis operam dedit sub magistro Petro Siber sodali, insigni concionatore et professore. In capitulo Papiae ha-

[1]) Hist. et crit. introd. in ll. s. Script. I. n. 251. Cf. Rich. Simon Hist. crit. du V. T. II, 20; III, 12 p. 419; Hist. crit. des comment. du N. T. c. 37 p. 537 ss., qui Catharini latratus referens longe aequius de Cajetano censet; Feret La fac. de Theol. à Paris, Ep. mod. I, 374 ss.

[2]) Hist. Conc. trid. VI, 17 n. 2.

[3]) Plura de Cajetano praebent Echard II, 14—24; Scheeben KL. II, 1675-80; vita praemissa ed. operum ejusdem Lugduni 1639.

bito datus est conventui heidelbergensi ad legendum sententias, mox factus est studii regens et a. 1507 facultatis theologicae decanus. Tunc coepit si non primus, saltem unus ex primis exponere summam s. Thomae tanto auditorum plausu, ut facultas theologica iteratis vicibus eum ad edendum suum commentarium urgeret, quod demum Coloniae jam ante a. 1512 praestitit accedente etiam celebris Cajetani tunc ordinis magistri generalis facultate. Prodiit hac inscriptione: *Expositio commentaria* prima subtilissima simul ac lucidissima cunctisque theologicae facultatis secundum quamcunque opinionem studiosis maxime necessaria in 1. 2. ang. doctoris s. Thomas Aq., Coloniae 1512 in f.; Venetiis 1589; 1602 (m. 120). Coloniam translatus studii regens a. 1512 scripsit ediditque precibus enixis fratris sui Ulrici pariter O. Praed, ulmensis conventus prioris et professoris, tandem victus *Quodlibeta 27* per modum dialogi concinnata, Coloniae 1523 in 4., in quibus romani pontificis infallibilitatem tuetur, quamvis concedat, eum posse esse haereticum errore personali adhaerendo mente obstinata opinioni in fide erroneae, neque concedat immunitatem ab errore in sanctorum canonizatione. Ex facultatis theologicae mandato refutandum suscepit Lutheri libellum *Das siebed Capitel S. Pauli zu den Corinther ausgelegt,* Wittenberg 1523. Prolixae refutationis prodiit p. 1: *Eversio Lutherani epithalamii* (Coloniae) 1527, in qua prae primis tuetur coelibatum; p. 2 *adversus caninas M. Lutheri nuptias* adversusque alia ejusdem vel gentilibus abominabilia paradoxa, Tubingae 1530, in qua non tam Lutheri aggreditur nuptias, quam ejus impudentes de matrimonio opiniones, hinc vindicat matrimonii christiani sanctitatem et indissolubilitatem. P. 3. non videtur prodiisse. Argumentum suum solide quidem pertractat, sed prolixe nimis et stilo sat rudi et ad captum populi minus accommodato: unde haec scripta non tanti sunt facta. Interim constitutus est per moguntinam, trevirensem ac coloniensem provincias haereticae pravitatis inquisitor (1527). Augustae interfuit imperii comitiis, ut staret pro causa catholica selectusque est qui cum aliis theologis refutaret confessionem, quam dicunt, augustanam. Decessit Coloniae 26. Aug. 1536, postquam diu fuisset illius conventus prior et a. 25 studii regens[1]).

570. Angelus Savilianus a patria in Insubribus dictus, O. Pr. theologiae professor Summam s. Thomae de A. contra gentiles a se recognitam et a notariorum mendis purgatam edidit Lugduni 1521 in 8. — Hanc vero classico illustravit commentario Franciscus Silvester, a patria Ferrariensis dictus, natus c. a. 1474. Collega fuit Bononiae Chrysostomi Javelli atque sententias est interpretatus ingenti auditorum concursu et plausu. Priorem egit postea in domo sua natali tum Bononiae, ex qua assumptus est a. 1519 Mediolani totius congregationis suae vicarius generalis. A Clemente VII. constitutus est vicarius generalis ordinis et mox in comitiis generalibus communi electorum suffragio electus in ordinis magistrum 3. Jun. 1525. Ad lustrandas exinde ordinis provincias se aacinxit atque Italiam, Galliam et Belgium peragravit. Hispanias tum cogitabat, sed in itinere Rhedonis morbo

[1]) Cf. N. Paulus Zeitschr. f. k. Theol. 1896 p. 47—73; et die deutschen Dominikaner p. 111—134; Streber KL. VII, 821; Echard II, 100. Petrus de Blomevenna de eo deque Arnoldo Tongrensi in ep. ad archiepiscopum coloniensem scribit: „Hic (Arnoldus) et M. Conradus s. theologiae professor eximius, regens in monasterio ff. Praed. in Colonia, mihi in omnibus dubiis oculi sunt et directores. Qui insuper in districtu dominii tui sunt quasi duo luminaria, terram vita, exemplo atque doctrina illustrantes, quos, oro, semper audias."

correptus 19. Sept. 1526 decessit. Vir erat praestantissimi ingenii, in quo procreando omnes suas vires natura videtur congessisse, ut dicere solebat Leander Albertus ejus in itinere socius[1]). Prodierunt ejus commentaria fusissima et egregia, Venetiis 1534; (sine textu s. doctoris) Parisiis 1552; Lugduni 1567; Antverpiae 1568; dein in ed. op. s. Thomae cum hujus summa; recentissime Romae 1878 cura Joachimi Sestili. Alia ejusdem opera sunt *Annotationes* in ll. posteriorum Aristotelis et s. Thomae, Venetiis 1517 in f.; qq. luculentissimae *in 8 ll. physicorum* Aristotelis, Romae 1577; Venetiis 1619 in 4; qq. luculentissimae in 3 ll. *de anima* Aristotelis, Romae 1577; Venetiis 1619; utrique operi adjectae sunt additiones et qq. Matthiae Aquarii († 1591, de quo cf. Nomencl. I², 49). Apologia *de convenientia institutorum romanae Ecclesiae* cum evangelica libertate tr. adversus Lutherum de hac pessime sentientem, Romae 1525; Venetiis 1525; Parisiis 1552, opusculum stilo nitido, compto et nervoso scriptum puriorique latinitate detersum, quod per errorem nonnulli tribuerunt Silv. de Prierio. *B. Ossanae* Mandrasiae V. tertii ord. O. S. Dominici († 1505) mantuanae de tertio habitu O. FF. Praed. *vita* ll. 6, Mediolani 1505; 1557; in actis SS. 18. Jun. III, 673—724 annotationibus illustrata.

571. Apologiam doctrinae s. Thomae instituit Didacus de Deça (Deza) claro nobilique sanguine apud Hispanos oriundus, sed praeclare gestorum virtutumque laude longe nobilior, Tauri in regno legionensi natus ad a. 1444. Salmanticensis academiae post Petrum oxumensem (cf. p. 1025) primariam assecutus cathedram sententias magno auditorum concursu est interpretatus. Exinde a catholicis regibus principis heredis Joannis praeceptor est delectus unaque episcopus zamorensis dictus. Sexennio circiter elapso translatus est ad sedem salmaticensem (1493), inde ad giennensem, postea ad palentinam (1499) et post mortem Torquemadae generalis regnorum Castellae Legionisque inquisitor designatus, simulque Castellae cancellarius creatus. Nondum honorum satis: nam ab a. 1497 regii confessarii munus obibat et 1499 aulae episcopus est renunciatus; 1505 archiepiscopus hispalensis, demum 1523 archiepiscopus toletanus et Hispaniorum primas: sed in itinere ad capessendam hanc sedem decessit 9. Jun. 1523 a. aetatis 80. Haec ejus opera: *Novarum defensionum* doctoris ang. super 4 ll. sententiarum t. 4 in f. adversus Scotistas, Hispali 1517: ubi scil. celeberrimus Jo. Capreolus eandem hanc spartam adornans (cf. supra p. 805) defecisse visus est, nova id opera noster supplere voluit. Occasione hujus operis scribit Joannes de Victoria ejus aequalis et sodalis: „Neque scripta s. doctoris legentibus ambiguum jam occurret aut quid doctor sentiat dubitare fas erit, quando in nostri Hispalensis lucubrationibus cuncta plana et enucleata doctoris dogmata reperiuntur.“ Jam vero in hoc opere haud parum distat in sua s. Thomae interpretatione a commentis, quae postera aetate Bannez illi subjecit, itaque accedit al Molinae expositionem, ut Christ. Pesch eum salutet „Molinistam ante Molinam[1]).“ *Defensorium* doctoris ang. s. Thomae A. contra invectivas M. Dorinck in replicationibus contra Paulum burgensem super Bibliam (cf. supra p. 812), Hispali 1491 in 4; Parisiis 1514 in 4. et ad calcem praecedentis op. *Synodus Hispali celebrata*, Hispali 1512., in qua antiquis sanctionibus renovatis aliae ab eo fuerunt additae. Ea reperitur in collect. conciliorum, ut apud Aguirre—Catalani conc. Hisp. V, 361—381. *Sta-*

[1]) Cf. Echard II, 60.

[1]) Zeitschr. für k. Theol. 1885. IX, 172 ss.

tuta seu instructiones a variis s. tribunalis inquisitionis ministris observandae, Hispali 1500; *Statuta alia* etc. Methymnae 1504., quibus inquisitionis tribunal reformare nititur [1]). Haec omnia prodierunt etiam Matriti 1576 in f. Ejus Monotessaron h. e. ex quatuor evangeliis unum adjecta catena veterum patrum illa exponentium non prodiit.

572. Coepit quidem s. Thomas jam in scholis splendere, adhuc tamen regnabat in cathedris sententiarum magister, cujus iterum plura elaborata sunt commentaria, sed jam minoris pretii quasi testimonia sideris ad occasum vergentis. Praetermittimus Everardum de Clivis O. Praed. aliquamdiu studii heidelbergensis regentem suaequae provinciae praepositum († 4. Dec. 1524). — Michaelem Wratislaviensem (fl. 1530) theologiae professorem, mathematicum et astronomum, cujus *epitome conclusionum theologicalium* in 4 ll. sententiarum prodiit Cracoviae 1521. — Hadrianum Arnoldi (de Arnoldis) O. Carm. Belgam, theologiae doctorem et lectorem, episcopum rossensem in p. i., vicarium in spiritualibus († 1536) — Aegidium Viterbiensem O. S. Aug. ex praeposito generali de ordinis reformatione admodum sollicito [2]) cardinalem († 1532), in linguis orientalibus non solum hebraica et chaldaica, sed et turcica, persica et arabica bene versatum, qui innumera reliquit inedita, etiam ad mentem Platonis, ad ss. literas, eruditionem rabbinicam, historiam etc. spectantia et cujus orationem a viris eruditis valde laudatam pro concilii lateranensis V. (1512) inchoatione habes apud Hardouin conc. coll. IX, 1576; *epistolas* vero selectas vulgavit Martene collect. novae III, 1234 ss. et hujus sodalem Gabrielem Mascolum Anconitanum, sociumque, dum esset magister generalis, sacristam pontificium et episcopum castrensem († 1534) — Gallerandum Cassayach O. Carm. Hispanum, episcopum chrysopolitanum ad exercenda munera pontificalia in diocesi majoricensi († 1537), cujus etiam supersunt commentaria in aliquot libros s. Scripturae — Joannem Geelvelde seu van Haetvelde (a calido Campo) O. Carm. Brabantinum, theologiae professorem, episcopum auxiliarem trajectensem (1523), qui scripsit contra Lutherum etc. — Martinum a Turnhout cognomento van der Keele O. Min. professorem in conventu lovaniensi et fervidum ecclesiasten († 13. Mart. 1540), qui etiam Isaiam commentariis illustravit — Joannem de Salaya patria Valentinum, doctorem parisiensem, in patria theologiae scholasticae magistrum, qui apud archeologos minus bene audit. Siquidem indigne ferens, a christianis hominibus lapides horridae rubigine vetustatis obsitos venerabunde tractari, antiquas inscriptiones consuli, suasit ac persuasit credulis magistratibus, ut quidquid hujusmodi monumentorum prisci seculi tota urbe reperiretur, pontis cujusdam, qui de novo exstruebatur, fundamentis substernerent [1]). Reliquit expositionem *in 8 ll. physicorum* Aristotelis cum qq. ejusdem secundum triplicem viam b. Thomae, Realium et Nominalium, Parisiis 1502 in f.; expositio aurea *in 10 ll. Ethicorum* Aristotelis, Parisiis 1522 in f.; *in 2. l. sententiarum* secundum eorundem triplicem viam, Venetiis 1531 in 4; *in 3. l.*, Valentiae 1530 in 4; *in 4. l.*, ib. 1528

[1]) Cf. Hundhausen KL. III, 1657, qui eum contra Llorente accusationes ac si nimis fuerit durus tuetur.

[2]) Strenue quoque tuebatur regularium privilegia adversus episcoporum querelas, qui in concilio lateranensi V. illorum abrogationem vel imminutionem postulabant. Cf. Hefele-Hergenroether VIII § 904.

[1]) Cf. Nic. Antonius biblioth. hisp. n. I, 773.

in 4; *introductiones dialecticae* cum nonnullis ejus additionibus, Parisiis 1516; *in praedicabilia* Porphyrii cum qq. secundum triplicem viam, ib. 1517 in f.; *in summulas* Petri Hispani, ib. 1517 in f.

573. Hadrianus Dedel Florentii Ultrajectinus n. 2. Mart. 1459, Lovanii philosophiae, juris prudentiae et theologiae studuit et 21. Jun. 1491 hujus creatus est doctor. Decanus erat ad s. Petrum et academiae cancellarius. Philosophiam et theologiam ibidem docuit religiosissimae ordinatissimaeque vitae simul praebens exemplum. Media nocte surgebat ad recitandum breviarium, totus literis suisque vivebat muneribus, et proventus haud exiguos impendebat ad fundandum convictum theologicum. A Maximiliano imp. selectus est praeceptor principis haeredis, qui postea fuit Carolus V., quem et optime in fide catholica bonisque moribus solidavit, ut hujus imperatoris vita et gesta postea monstrarunt. Ob suam agendi prudentiam in gravissimis adhibitus fuit negotiis status et cum Ximene pro Carolo V. adhuc juniore regni hispanici moderatus est gubernacula. Interim factus est episcopus dertosanus et generalis per Hispaniam inquisitor, et a Leone X. creatus 1517 cardinalis. Pontifice defuncto unanimi cardinalium suffragio etsi absens[1]) et illis satis ignotus electus est 9. Jan. 1522 in successorem sub nomine Hadriani VI. Inter difficillimas temporum conditiones rerumque augustias munus apostolicum intentione optima suscepit ultimus ex natione germanica. Non est nostrum difficultates, pericula, obstacula omnis generis enarrare, quae in suo munere incurrit[1]). Illi vero succubuit jam post breve tempus: obiit enim pie in Domino 14. Sept. 1523. Breviter tantum recensebimus ejus opera in utilitatem scientiae theologicae conscripta. Quaestiones et disputationes *in 4. l. sententiarum de Ecclesiae sacramentis,* Parisiis 1512; 1516; 1518; 1537 in f.; Romae 1522 in f; *quaestiones quodlibeticae XII,* Lovanii 1515; 1618; Parisiis 1516; 1518; 1521; 1531; cum qq. Jo. Briardi athensis (cf. supra p. 1120), Lugduni 1546; *Computus hominis agonizantis,* et *de sacculo pertuso* seu de superbia sermo, Antverpiae 1520; *Regulae cancellariae,* 1523; *epistolas* aliquot exhibet Car. Burmannus ad calcem suae Vitae; Matthaei in Analectis vet. aevi, 1738 t. 3.

574. Joannes Major (Majoris, Le Maire, John Mayr) cognomento Haddingtonus a loco patrio Scotiae Haddington (n. c. 1470), initio studiis Oxonii et Cambrigiae operam dedit, fama dein universitatis parisiensis illectus illuc se juvenis contulit factusque est magister artium. Transiit in collegium Montis acuti (Montaigu), in quo Erasmum condiscipulum habuit magnoque fervore philosophiae et theologiae vacavit et a. 1505 consecutus est lauream theologicam. Cathedram rexit logicae et theologiae ad a. 1518 non sine plausu, nam ex omni fere Eu-

[1]) Ejus *Itinerarium* ab Hispania descripsit Blasius Ortiz ejus familiaris, qui eum Romam comitatus est, dein canonicus toletanus magistralis et vicarius generalis. Prodiit Toleti 1548 et in Baluzii Miscell. t. III. In eo pontificem a calumniis vindicat ejusque modestiam, frugalitatem ceterasque dotes summopere commendat. Dedit etiam *Summi templi toletani* graphicam *descriptionem,* Toleti 1544 in 8.

[1]) Cf. Burmann Analecta hist. de Hadriano VI., Trajecti 1727, quibus continentur praeter alia ad ipsum spectantia Vitae auctoribus Ger. Moringo (Lovanii 1536) et Paulo Jovio, variorum elogia et breves vitae descriptiones etc.; Reussens Syntagma theol. Hadriani VI., Lovanii 1862; ejusdam Anecdota de vita et scriptis Hadriani VI., ib. Lovanii 1862; praeprimis Höfler in variis de ipso libris, praesertim Das Leben des Papstes Adrian VI., Wien 1880; KL. V, 1426-37; Hefele-Hergenroether IX § 943 ss., qui eum multum laudat.

ropae regione discipulos attraxit. Ab eo a. eum professorem reperimus in patria universitate glasgoviensi, inde transiit praepositus factus collegii s. Salvatoris ad academiam s. Andreae (St. Andrews 1523), ad quam pariter plurimos attraxit discipulos, quia aevo suo doctissimus habebatur theologus. Rediit quidem iterum Parisios ad regendam cathedram (1525), sed post aliquot annos revisit patriam fidelis manens avitae fidei, quam tunc temporis viri fanatici et rebelles tam inique evertere nitebantur († c. 1540). Praetermissa ejus *historia majoris Britanniae* tam Angliae quam Scotiae ll. VI, usque ad Henrici VIII. matrimonium, Parisiis 1521, plura composuit opera philosophica Nominalium terministarum sequens opiniones princeps et quasi hujus scholae suo aevo dux, quae majori ex parte collecta prodierunt inscripta: *Libri,* quos in artibus in collegio Montis acuti Parisiis regentando in lucem emisit, Lugduni 1516 in f., et *Indroductorium* perutile in aristotelicam dialecticam, duos terminorum tr. ac 5 ll. summularum complectens M. Jo. Majoris . . . denuo ab eodem summa vigilantia repositum, Parisiis 1508; 1527; *quaestiones logicales*... cum ejusdem literali expositione succincta in veterem Aristotelis dialecticen, ib. 1528 etc. Edidit primus Scoti opus parisiense sub titulo: *Reportata* super 4 ll. sententiarum nunquam antea impressa, Parisiis 1517—18 t. l. in f., qua in ed. socios habuit Jac. Rufin O. Min. et Petr. de Sault *in 4. l. sententiarum qq.,* Parisiis 1508; recognitae 1516; *in 1. l.,* ib. 1509; 1519; *in 2.* ib. 1519; *in 3.* ib. 1509; 1517., quo in commentario conatus est Nominalium principiis adhibitis in singulas distinctiones »unam quaestionem vel plures scribere, quas et Reales si advertant facile capient: utrique enim viae theologia erit communis,« monet ipse lectorem in praef. commentarii ad l. 4. *In Matthaeum* ad literam expositio una cum 308 dubiis et difficultatibus ad ejus elucidationem admodum conducentibus passim insertis, quibus perlectis pervia erit quatuor evangelistarum series, Parisiis 1518 in f., ex qua deprompta est disp. *de auctoritate concilii* supra pontificem maximum, et altera *de potestate papae* in rebus temporalibus, quae prostant etiam inter op. Gersonii II., app. 1131-45-1164, ubi reperies et diss. *de statu et potestate Ecclesiae* ex commentario in l. 4. sent. (p. 1121—31), in quibus tuetur Gallicanorum, imo Richerii errores, unde »venerabilibus theologiae gallicanae patribus« cum Gersonio, Almaino etc. a nonnullis accensetur[1]). *In quatuor Evangelia* expositiones luculentae cum quaestionibus et disputationes adversus haereticos, ib. 1529. Ipsius tamen non est *Magnum speculum exemplorum* locupletatum a Jo. Major S. J. († 1608), Duaci 1603 editum.

574. *Scotus* etiam nactus est illustratores, asseclas et vindices, sed jam pauciores et minoris celebritatis. Ita Hieronymus Gadi (Gadius) O. Min. Conv. Bononiensis, qui metaphysicen theologiamque publice a. 17 Bononiae professus est († 3. Nov. 1529 vel circa 1530), scripsit commentaria *in Quodlibeta* Joan. Scoti, Bononiae 1513. — Maturinus Le Bret O. Min. Gallus, lector elaboravit lecturam in 1. et 2 l. sententiarum sub titulo *Parvus Scotus* Lavalensis, qui scil. est epitome commentarii Scoti, Compluti 1527 in 4; lecturam *in 4 ll. sententiarum,* Andegavi 1528 in 4. — Laurentius Brixianus O. Conv. s. theologiae magister scripsit breves, faciles ac perutiles *Ysagoges* in Jo. Scoti formalitates, Brixiae 1537; Venetiis 1588 in 8. cum aliorum tr. de formalitatibus Scoti, cura Const. Sarnani et cum ejusdem notis margineis. — Joannes Vallo-

[1]) Cf. Morgott KL. VIII, 1108—14; Feret II, 92—96.

nus a Juvenatio O. Min. reg. obs. lector generalis reliquit lecturam absolutissimam *super formalitatibus Scoti,* Neapoli 1533; Venetiis 1566; Florentiae 1580; a Const. Sarnano in multis ampliatam, cum textu Ant. Syrecti; adjiciuntur isagogica expositio Laur. Brixiani, epitomata Steph. Bruliferi et Mauricii Hiberni, formalitates A. Syrecti et disquisitio in easdem A. Trombettae, Venetiis 1588. — Antonius de Fantis Tarvisinus, medicinae doctor, doctus et subtilis doctrinae scotisticae assertor, qui tamen non fuit ordinis Minorum, ut aliqui sunt opinati, Lugduni emisit 1530 alphabetica methodo *tabulam generalem scoticae subtilitatis* sect. 8, quarum 1. materias omnes a Scoto disputatas amplectitur; 2. conclusiones decisas; 3. praecipuas definitiones; 4. subtilissimas divisiones, quarum cognitio facilem praestat aditum ad pleraque omnia percipienda; 5. regulas in explicandis rerum omnium proprietatibus; 6. propositiones tamquam certa theoremata pro decidendis conclusionibus ex philosophiae penetralibus desumpta; 7. plurimorum sanctorum interpretum ambiguas propositiones, nimirum Ambrosii, Hilarii, Augustini, Gregorii, Damasceni, Anselmi, quin etiam triplicis peripateticae philosophiae Aristotelis et Averrois pugnantes sententias; 8. demum continet epitomen scibilium seu mare magnum scoticarum omnium speculationum, cui digressionem perbrevem auctor adjecit, qua eorum, quae in unum congessit, seriem methodicam oculis subjicit. *Commentaria* in 1. et 2. sententiarum, Lugduni 1530 in 4; *speculum spirituale rationale,* Venetiis 1546 in f.

575. De *argumentis specialibus* disputavit praetermissis Hieronymo Maripetro O. Min. (fl. 1534) patricio veneto[1]), cujus *Summa divinarum ac naturalium difficilium quaestionum* in capitulo generali FF. Min. publice discussarum prodiit Venetiis 1506 in f. — Raphaele Novocomensi can. reg. congr. lat. (fl. 1530) — Alphonso Lusitano, episcopo eborensi († 24. Apr. 1522), cui tribuitur perutilis tr. *de indulgentiis,* Olisipone s. a. in f.: Isidorus de Isolanis O. Praed. Mediolanensis Bononiae in gymnasio generali regens et sententiarum interpres (vixit adhuc a. 1522), cujus plurima supersunt eruditionis monumenta[1]). Tr. *de aeternitate mundi* contra Averroistas ll. 4, Papiae 1513; 1522 in 8. cum l. *de velocitate motuum* fr. Alberti de Saxonia (cf. p. 672), opus redactum in compendium ed. rara, Lugduni 1521, *De imperio militantis Ecclesiae,* Mediolani 1517 in f., in quo disserit de praedicatione Evangelii apud insulas magni maris Oceani, de conversione infidelium, de haereticis et schismaticis, de connexione omnium scientiarum, de cognitione futurorum etc. *De regum principumque omnium institutis,* ib. s. a. in f.; *de veritate conceptionis immaculatae V. Matris Dei Mariae* ex doctoribus Scoto et s. Bonaventura, in quo omni postposito affectu inordinato ss. doctorum veritas et Sixti IV. determinatio explanatur, ib. 1510 in 4; *disputationes catholicae quinque* de igne inferni; de igne purgatorio; de merito animarum purgatorii et cognitione propriae beatitudinis futurae; de dispositione dantis et recipientis indulgentias; de modo remissionis factae per indulgentias, quarum quaedam typis prodierant Mediolani 1517 in f.; tum simul omnes, Papiae 1522; Lugduni 1580; *contra fratrem Hieronymum haeresiarcham* libellus et processus s. l. et a. (1499); Summa *de donis s. Joseph,* Papiae 1522 in 4; *de immortalitate animi humani,* Mediolani 1505; 1520;

[1]) Hic etiam Petrarchae carmina amatoria et profana reddidit sacra et honestiora, quae prodierunt inscripta *Petrarcha spiritualis,* Venetiis 1534; auctus 1545; 1567; 1575; 1587 in 8.

[1]) Cf. Echard II, 50; Argelati I. 2, 744 ss.

ex humana divinaque sapientia tr. *de futura nova mundi mutatione;* itidem oratio de laudibus aureae mensae solis, Bononiae 1523 in 4; *inexplicabilis mysterii gesta* b. Veronicae V. monasterii s. Marthae urbis mediolanensis sub observatione regulae d. Augustini ll. 8, Mediolani 1518; in actis SS. Jan., I, 887-929; *Divinum epitoma* qq. in 4 ll. sententiarum a principe thomistarum Jo. Capreolo O. Pr. disputatarum editum per fr. Socinatem, his additis, quae idem morte praeventus perficere nequivit, Papiae 1522 in 8; Lugduni 1580 etc. In his omnibus operibus oratio est pura et elegans.

576. Praesertim *de potestate ecclesiastica* argumentisque huic affinibus haud pauci scripserunt. Ita Cyprianus Benetus O. Praed. natione Aragonus, patria Albeldensis, in facultate theologica parisiensi magister, vir sane eruditus, qui plures vitae annos Romae transegit ibique in Sapientia s. Scripturae interpres fuit, et post a. 1521 obiisse videtur. Composuit tr. quatuor: 1. *de prima orbis sede;* 2. de concilio; 3. de ecclesiastica potestate; 4. de pontificis maximi auctoritate sive de ss. D. N. papae supremo et insuperabili dominio, Romae 1512; in Rocab. B. VII, 783—97; *de non mutando paschate,* ib. 1515; *de ss. eucharistiae sacramento* et de ejusdem ministro contra haeresiarcham Lutherum, s. l. n. typographi et a. (c. 1521); tr. *de fortitudine animi* et de perfecta arte militari, Lugduni 1550. Edidit quoque illustrium virorum *opuscula,* Parisiis 1500 in f., scil. Athanasii, Didymi alex., Casssiodorii etc. — Joannes Franciscus Poggio natus est patre Francisco Poggio Guccio (Ugutio) cognomine Bracciolini (1380—1459), qui septem pontificibus a. 40 a secretis fuit, inventione quidem operum antiquorum celeber[1]), sed maledicus. Noster canonicus erat florentinus († 1522) stetitque strenue pro juribus pontificis in l. *de potestate papae et concilii,* s. l. et a. (f. Romae 1512) occasione conciliabuli[1]), quod nonnulli Pisis cogere adversus Julium II. nisi sunt. In eo argumentis 35 adversariorum respondet. — Pro hoc conciliabulo acerrime stetit Zacharias Ferreri Vicentinus, prius ord. s. Benedicti, dein O. Cart. abbas subastensis[2]), vir doctus quidem, sed indolis inquietae, in *apologia s. pisani concilii moderni,* Pisis 1511; huc forte spectant etiam *Acta* scitu dignissima *constantiensis concilii,* Mediolani 1511; *decreta et acta concilii basileensis,* Pisis 1511; Parisiis 1512. Hinc in schismaticorum poenas incidit e sententia Julii II. 13. Febr. 1512. Sed resipuit, factusque est Leonis X. praelatus domesticus ac refendarius, episcopus gardiensis, et per universam Poloniam cum legati de latere et poenitentiarii majoris de Urbe potestate nuncius et legatus ad componendam pacem inter Sigismundum I. regem et Albertum brandenburgicum († 1524). Jubente eodem pontifice novam hymnorum in breviario recitandorum seriem aggressus est, quam quum perfecisset, Clemens VII. probavit literis ad eum datis 11. Dec. 1523. Operis porro hic est titulus: *Hymni novi ecclesiastici* juxta veram metri et latinitatis normam a bb. P. Clemente VII. P. M. ut in divinis quisque eis uti possit, approbati, sanctum et necessarium

[1]) Cf. Tiraboschi VI. p. 1. l. 1. c. 4 n. 4; l. 3. c. 1. n. 29 ss.; Ap. Zeno diss. Voss. I, 36 ss.; Feller 7, 44. Cf. supra p. 925.

[1]) Pro pontifice adversus illud conciliabulum stetit et Angelus de Fondi O. Vall. Anachoreta dictus in *Oratione* ad Julium II. pro concilio lateranensi contra conventiculum pisanum, Vallumbrosae 1511 in 4; et s. l. 1511; et ep. ad Julium II., Francorum regem et Bernardinum tunc cardinalem s. Crucis *pro christiana unitate conservanda,* ib. 1511 in 4.

[2]) Cf. Tiraboschi Della vita e delle opere di Z. Ferreri, Modena 1799; Morsolin L'Abbate di Monte Subasio et in Monographia rara ejusdem Vicentiae edita 1877; Pastor Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des MA. III³, 693 ss.

opus, Romae 1525. Scripsit etiam *vitam s. Casimiri* Poloniae regis filii et in regem Hungariae electi († 1484), s. l. (Cracoviae) 1520; Thorunii 1521; in Actiis SS. 4. Mart. I, 347—51. — Occasione ejusdem conciliabuli pisani scripsit Dominicus Jacobatius (de Jacobatiis, Jacovazzi, Giacobacci) tr. plane classicum *de concilio*, in quo erudite et plene hoc argumentum exhaurit, et quam plurimas ad concilium spectantes quaestiones diligenter expendit. Disserit enim de loco concilii; expendit dein qq., ad quem spectet congregare concilium, et quando sit congregandum, quales illi debeant interesse; num papa habeat auctoritatem a conciliis generalibus; an concilium possit restringere auctoritatem papae; an cardinales recedentes a papa possint illud congregare; an papa possit accusari de haeresi; ex quibus causis et quomodo possit deponi papa; de appellatione a papa ad concilium[1]). Prodiit Romae 1538; inter tr. ill. jurisc. de potest. eccl. Venetiis 1584. XIII. 1, 190 ss.; in coll. conc. Labbei t. XVIII; ex parte (ll. 3—10) in Roccaberti bibl. max. pont. IX, 8 ss. Porro Jacobatius patricius romanus erat, vir acerrimi judicii et praestantissimi ingenii, quem Innocentius VIII. consistorialis primum aulae advocatum, dein romanae rotae auditorem, mox decanum constituit. Lucerinus episcopus interfuit concilio lateranensi V. sub Julio II. et Leone X., sub quo romani gymnasii rector ac pontificis vicarius in urbe exstitit. Ab eodem a. 1517 creatus est cardinalis. Purpuram decoravit virtutum ornatu, eruditione, in gerendis negotiis prudentia, ut a nonnemine diceretur „inter doctos patres nobilissimus, inter nobiles doctissimus, inter utrosque optimus, inter omnes modestissimus[2]).“ Decessit pie in Domino 2. Jul. 1528. — Aegidii Richard O. Carm. Belgae, lectoris apostolici in Sapientia romana et procuratoris generalis († p. 1540) tr. *de rom. pontifice*, de regno Christi, de dignitate hominis, de inscrutabilibus Dei viis, de fecunda Ecclesiae sterilitate etc. prodierunt Venetiis 1540. — Dialogos tres *de Christi Domini republica* composuit Alexius Hurtado de Salamanca Zamorensis O. Min., Salmanticae 1528; Lugduni 1556; 1616.

577. Jam nos convertamus ad theologiam *apologeticam* et *polemicam*, campum hac epocha ultra modum feracem. Joannes Franciscus Picus Mirandulae dominus et Concordiae comes et princeps, celeberrimi Jo. Pici (cf. 1010) ex fratre nepos, capta nocturnis insidiis a cognato arce, interfectus est 15. Oct. 1533 provolutus ad imaginem Christi cruci affixi cum Alberto filio. Plura reliquit opera eruditionis et diligentiae fructus, quae collecta prodierunt Argentorati 1508 in f.; emendatiora cum ejus patrui op. Basileae 1573; 1601 in f. Ad nos spectant: *Examen vanitatis doctrinae gentium* et veritatis christianae disciplinae ll. 6, Mirandulae 1520, quorum tres omnem philosophorum sectam universim, reliqui aristoteleam armis aristoteleis particulatim impugnant: in quo tamen op. scopum suum non satis assequitur, cum platonicae philosophiae nimis inhaerens non tam vanitatem doctrinae gentium insequitur quam aristotelismum impugnat. *De studio divinae et humanae philosophiae ll. 2*, Halae 1702 cura Jo. Fr. Buddei, quo in op. ostendit, quantum s. Scripturae scientia praecellat disciplinis profanis; *de amore divino ll. IV*, Romae 1516. *De veris calamitatum causis* nostrorum temporum, ed. Calorius Cesius, Mutinae 1860; *de morte Christi et propria cogitanda ll. 3; de animae immortalitate* digressio, cura Lucae Bettini O. Praed. edita, Bononiae 1523 in 4; theoremata XXVI *de fide et ordine credendi* ad Julium II. *Justini M. admonitorius Gentium l.* la-

[1]) Cf. Hefele-Hergenroether VIII § 882.
[2]) Cf. Eggs Purp. docta l. 4. § 13.

tine redditus; *de rerum praenotione ll. 9* pro veritate religionis contra superstitiosas vanitates editi, Argentorati 1508; 1509, cum l. de providentia, „quam ab omni, inquit, natione atque ab iis ipsis, qui creduntur a plerisque impii, philosophis existimatam monstrare consilium est, nedum ss. literis narratam et nostrorum theologorum validissimis rationibus assertam [1])." Novi 1508 in f.; *Hymni heroici tres* ad ss. Trinitatem, ad Christum et ad Virginem una cum commentariis luculentissimis, Argentorati 1511; Epistolarum ll. 4 etc. Ep. apologetica *pro s. Dionysio Areopagita*, quam edidit Jo. Eckius, Ingolstadii 1526. Habuit et orationem ad Leonem X. et conc. lateranense *de reformandis moribus* [2]). Non assequitur avunculi eruditionem vel sagacitatem, soliditate forte et ratione disserendi aequabili superat etc. — Christophorus a s. Antonio O. Min. reg. obs. Hispanus auctor est operis egregii, cui titulus *Triumphus Christi Jesu* contra infideles, quod constat tit. 20, ad quorum calcem adjecit 45 additiones notabiles, quas extraxit ex quodam tr. Petri Galatini, Salmanticae 1524 in f.

578. Joannes Ludovicus Vives suo tempore celebratissimus et cultissimus n. est 6. Mart. 1492 Valentiae in Hispania. Parisiis philosophiae et disciplinis naturalibus operam dedit (1590) pronoque animo literis humanioribus indulsit, quibus etiam prae primis nominis sui famam debet. Transiit postea in Belgium fereque semper Brugis haesit studiis intentus. Lovanii praelectiones habuit doctas et classicas, commercium familiare fovit cum viris doctissimis, inter quos et cum Erasmo, qui eum magnis encomiis extollit. Ab a. 1523—28 commoratus est in Anglia. Oxonii factus est doctor juris, praelectiones de jure civili et philologia habuit, gratiose exceptus est ab Henrico VIII. ejusque uxore Catharina, qui saepe interfuerunt cum aula ejus praelectionibus, horumque filiam Mariam sollicite instituit atque in ejus usum utiles concinnavit libros. Verum quod noluerit in matrimonii regii dissolutionem consentire, regis offensionem incurrit, imo per sex hebdomadas detentus fuit: quare melius censuit solum vertere iterumque redire Brugas. Non obstante sua eruditione nullum consecutus est munus publicum, quo honeste vivere potuisset: hinc studiis, curis, jugibus pecuniae angustiis inopiaque consumptus decessit vir illustris virtutum ornamentis omnique disciplinarum genere amplissimus 6. Maj. 1540 a. aetatis 49. Ex ejus operibus quam plurimis aliqua ad nos spectant. Praecipuum forte est *De veritate fidei christianae ll. 5* opus posthumum ed. ab ejus amico Craneveld, Basileae 1543; 1544; Coloniae 1568; Londini 1639. In l. 1. agit de Deo et homine; in 2. de J. Christo, hinc de ss. Trinitate deque incarnatione; in 3. tuetur plane et solide fidem christianam adversus Judaeorum exceptiones; in 4. contra Mohammedanos; 5. l. agit de praestantia doctrinae christianae. Opus sane sagacis est ingenii stilo eleganti conscriptum, quod tamen morte interveniente ex integro limare non potuit. Hortante Erasmo conscripsit stilo classico commentarios in ll. d. Aur. Augusti *de civitate Dei*, Basileae 1522, quod opus olim prohibitum fuit ‚donec corrigatur,' ob propositiones aliquot non bene sonantes, vel injuriosas in ordines mendicantes, vel exaggeratas contra cleri vitia etc., qua prohibitione non obstante avide lectum est et saltem ad a. 1661 decies et ter editum, scil. ib. 1570; 1571; Venetiis 1551; Lugduni 1563; 1580; Parisiis 1544; 1555; 1570; 1574; 1585; 1613;

[1]) Cf. Fabricius IV, 402 s.; praesertim Bartoli Elogio di G. Pico, Guastalla in 8.

[2]) Apud Roscoe Storia della vita e del pontificato di Leone X, Mediolani 1816 t. VIII doc. 146 p. 105—19.

Hamburgi et Francofurti 1661. — Magna vero sunt auctoris nostri merita de *paedagogia*, propter quae nostra praesertim aetate iterum inclaruit[1]). Huc spectant: *De institutione feminae christianae* ad Catharinam Angliae reginam pro institutione filiae suae Mariae, Brugis 1523, l. modo adhuc utilis, saepius editus et in varias linguas versus; epistolae (2) *de ratione studii puerilis; introductio ad sapientiam*, Parisiis 1527; 1548 etc., brevi tempore saepissime edita ubique fere regionum; *de anima et vita*[2]), *de disciplinis*, quod opus prae primis aestimatur; p. 1. agit ll. 7 de causis corruptarum artium; p. altera ll. 6 de tradendis disciplinis seu de institutione christiana[3]). Brugis 1531; Antverpiae 1531; Coloniae 1532; 1536; Oxonii 1532; 1612; Lugduni 1532; 4551; Lugduni B. 1536; 1636; *Dialogi*, germanice nostra aetate interprete Jul. Broering, Oldenburg 1897, magni momenti pro historia culturae et methodi in discendo et docendo regendisque discipulis in scholis et convictibus exeunte sec. XV. et ineunte sec. XVI. *De ratione dicendi*, Coloniae 1537; *introductio ad sapientiam*. — Mentione etiam digna sunt: *De officio mariti; de subventione pauperum* l. inscriptus senatui et consulibus urbis brugensis[1]); *de communione rerum* ad germanos inferiores, Brugis 1535, in quo communismi principia repetit ex innovatione lutherana. — Scripsit quoque pulchros libellos *asceticos*, quibus animum prodit vere pium et catholicum, neque enim ullo modo favit erroribus protestantium: collecti prodierunt inscripti *Ad animi excitationem in Deum commentatiunculae*, Antverpiae 1538; Coloniae 1539; Basileae 1540; 1543 etc.; meditationes *in septem Psalmos ... poenitentiae* stilo classico conscriptae; *Genethliacon J. Christi; J. Christi triumphus*, 1514. *Preces et meditationes* diurnae et generales cum pulchro commentario in orationem dominicam, 1535. — Neque desunt opera *philosophica*, inter quae *De initiis, sectis et laudibus philosophiae*, primum specimen historiae philosophiae; *de censura veri*, quae est quaedam logica reformata; *censura de Aristotelis operibus* secundum materiam et formam, aliaque praesertim ad literas humaniores spectantia et juridica, quae merito praetermittere possumus. Fatendum eum prae nimio literarum humaniorum amore aversatum esse scholasticam non solum secundum naevos, quibus praesertim ratione habita formae et stili tunc temporis inficiebatur, sed ipsam rem[2]), maxime in ll. in *Pseudodialecticos*,

[1]) Cf. Lange in K. Schmid Encyklopaedie des gesammten Erziehungs- und Unterrichtswesens Gotha 1873 IX, 737-814; Kuypers J. L. in Pädagogik, Lipsiae 1897, qui nititur auctoris nostri praecepta et monita paedagogica ad systema revocare. Plura ex ejus scriptis germanice prodierunt interpretibus Heine in Richter Pädagogische Bibliothek Lipsiae 1861 t. XVI; Wychgram in Lindner Pädagogische Klassiker Wien und Leipzig t. XIV; praesertim interprete Kayser in Bibliothek der kath. Pädagogik Freiburg 1897 t. 8. etc.

[2]) Cf. G. Hoppe Die Psychologie des L. J. V. nach den beiden ersten Büchern s. Schrift de anima et vita, Berlin 1901.

[3]) Durch dieses Buch, inquit Fr. Kayser KL. XII, 1026, ist er vor Allem der Reigenführer für die neuere Pädagogik der kath. Kirche geworden. Noch heute wie damals ist sein Buch überaus lehrreich für Schüler und Lehrer in jeder Richtung.

[1]) Die erste durchdachte und mit völliger Klarheit entwickelte Theorie einer staatlichen Armenpflege. Kayser l. c. p. 1029.

[2]) Qua de re conqueritur Melch. Canus de locis theol. l. 10 c. 9: „Plus ille nimio interdum sibi indulget, dum corruptas disciplinas persequitur. Nec novitios solum errores, qui vel irrepserunt vel invaserunt, coarguere, sed antiquorum recepta placita convellere tentat, maximo quidem semper verborum ambitu, sed vi quandoque argumentorum minima. Dixit ille quidem in ll. *de corruptis disciplinis* multa vere, multa praeclare: atque fidenter pronunciavit aliquando tamquam e divorum concilio descendisset etc.“

Selestadii 1520; *Veritas fucata* (1514). Opera ejus collecta (exceptis commentariis in l. Augustini de civitate Dei) prodierunt cum ejus vita cura Majansi Valentiae 1782—90 t. 8 in 4. ed. splendida[1]); prodierant jam 1555 Basileae cur. Frobenio.

579. Contra *Judaeos* opus edidit Petrus Columna, a patria dictus Galatinus, O. Min. reg. obs. Apulus, vir linguarum graecae et hebraicae peritus, Romae philosophiae et theologiae professor, poenitentiarius apostolicus. Inscribitur *De arcanis catholicae veritatis ll. 12,* Orthonae 1518 (ed. rara), in quibus dialogi forma inter Reuchlinum (Capnionem), Hogstratanum et Galatinum pleraque religionis christianae capita contra Judaeos ex V. T., ex Talmude et rabbinicis scriptis confirmantur et illustrantur. Utitur multum Raymundo Martini, quin eum nominet, (cf. p. 400) et forte Porcheto Selvatico (cf. p. 491), plura etiam de suo, sed ex fontibus suspectis, adjungit, omnia in meliorem ordinem redigit, plagii tamen suspicionem non effugit. Aliae hujus operis editiones sunt Basileae 1550; 1561; 1591; Parisiis 1602; Francofurti 1603; 1612; 1672 cum Reuchlini de Kabbala ll. 3. Plura opera magna reliquit inedita, quae nunc asservantur in bibliotheca vaticana[2]). Vixit senex ad a. saltem 1539. — Praetermisso Nicolao degli Avanzi O. S. Aug. Bononiensi[3]) (fl. 1527) memorandus est Joannes (antea Josephus dictus) Pfefferkorn Norimbergae c. 1469 n. et cum uxore et octo liberis a. 1503 renatus Coloniae factus Christianus. Hauserat una cum baptismo ingens odium fanatismi, quo libri Judaeorum scatent, cui eliminando intentus statuit, quidquid in libris hebraicis Christo, Moysi et prophetis contrarium est, radicitus esse eliminandum. Hinc varios edidit ll., ut *Judenbeichte,* 1508; *Osternbuch* 1508; *Judenfeind* 1509 etc., in primis l. inscriptum *Der Judenspiegel* tribus partibus constantem, quarum 1. docet, Judaeos frustra exspectare alium Messiam; 2. proponit principibus varia media Judaeos convertendi; 3. ostendere nititur mundum hunc brevi interiturum. Inter media autem convertendi Judaeos proponit prohibitionem usurae et ut omnes libri hebraei Christo ejusque religioni injurii eis auferantur a magistratibus. Adiit dein Maximilianum imp. ab eoque mandatum impetrat 19. Aug. 1509, quo locorum omnium magistratus datis duumviris et parochis assistere jubentur Joanni inspecturo, dijudicaturo et exterminaturo ejusmodi hebraicos codices. Fretus hoc edicto Francofordiam properat et magistratu adjuvante insignem numerum librorum ejusmodi hebraicorum collegit. Ea potestas Joanni data Judaeos vehementer commovit, qui omni conatu nisi sunt efficere, ne uni Pfefferkorn hoc committeretur examen. Acquievit Caesar et 6. Jul. causam commisit omnem Urieli archiepiscopo moguntino jubens, ut simul adhiberetur consilium universitatum coloniensis, moguntinae, erfurtensis et heidelbergensis, tum Hoogstrati inquisitoris coloniensis, Jo. Reuchlin et Victoris de Korb. Reuchlinus, qui alioquin paucos ante annos gravissimis contra Judaeorum pertinaciam verbis scripserat de sua sententia rogatus satis facilem se ostendit pro conservandis eorum libris theologicis, speciatim Thalmude: »contra eos Hebraeorum libros, qui in Christum blasphemias, injurias in Deiparam, sanctos, Ecclesiam et Ecclesiae placita verba continent, magicos item

[1]) Cf. de nostro auctore praesertim Kayser, qui accuratam diligentemque de eo exhibet notitiam in hist. Jahrb. 1894. XV, 307—354; Namêche Mémoires sur la vie et les écrits de J. L. Vives in Mémoires couronnés par l'acad. Royale, Bruxellis 1841 XV, 13 ss.

[2]) Cf. Joan. a s. Antonio II, 447; Fabricius III, 6; Esser KL. IX, 1913: Nic. Antonius bibl. hisp. vet. II, 92.

[3]) De quo cf. Fantuzzi I, 298.

superstitiosos, fanaticos Judaeis eripiendos et Vulcano tradendos« censuit. Simul tamen in suo responso acriter in Pfefferkorn l. est invectus: qua de re hic indignatus vulgavit 1511 libellum: *Handspiegel* . . . wider und gegen die Juden und Judischen Thalmudischen Schriften, so sie über das christliche Regiment singen und lesen, welche billig Gotteslästerer, Ketzer und Aberglauber des alten, newen und des natürlichen Gesetzes gezehlet, geheissen, verthumbt und abgethan werden mögen: darum sich etliche Christen gegen mich setzen, anfechten solche Articul zu widerlegen; dargegen ich antworte und mit bescheidenen Reden abgelöst hab: in quo vehementissime in Reuchlinum invehitur: et sic orta est controversia non literaria, sed nullius frugis plena bilis et injuriarum. Neque enim Reuchlinus tacuit: reposuit nulla interposita mora libellum viro docto indignum inscriptum *Augenspiegel*, 1511, qui delatus fuit ad archiepiscopum moguntinum: Pfefferkorn vero edidit *Brandspiegel* (a. 1512). Archiepiscopus examen commisit viris doctissimis facultatis coloniensis, qui plura in Reuchlini l. censura digna repererunt, super quibus ab eo modeste petierunt, ut scripto latius mentem suam develando facultatem theologicam informaret aut exemplo humilis et sapientis Augustini palinodiam cantando retractaret. Hinc immani ira aggressus est theologos colonienses novo libello germanice Tübingae 1512 edito, in quo fusius evolvit ea, quae in priori libello jam scripserat. Quare Arnoldus Tungrensis[1]) vir alioquin spectatissimus pro defensione censurae collegarum coloniensium stilo tranquillo et digno scripsit l. Articuli sive *propositiones (43) de judaico favore nimis suspectae*[1]) ex l. teutonico Jo. Reuchlin etc., Coloniae 1512, cui opposuit iste acerrimam *Vertheidigung* gegen die kölnischen Verleumder, 1513, improperiis plenam. Hanc ob suam maledicentiam imperator suppressam voluit ejusque venditionem prohibuit. Ceterum et facultates lovaniensis, moguntina, erfordiensis et parisiensis Reuchlini l. Augenspiegel reprobarunt, Hochstraten vero generalis fidei inquisitor causam in eum instruxit. Reuchlinus interim appellavit Leonem X., qui causam detulit Georgio episcopo spirensi, hic Thomae Truchsess canonico, Reuchlini discipulo, qui in magistri sui favorem sententiam protulit. Sed et Hochstraten Romam provocavit. Quamvis vero Carolus tunc archidux causam urgeret, ut sententia de hoc negotio proferretur, ne malum latius serperet, sententia tunc nulla fuit lata. Interim Hochstraten *Erroneas assertiones* in oculari speculo J. R. publicae luci proposuit in libello 1517 edito, et duas *apologias* Coloniae 1518. 1519. adversus Hermannum comitem de Neuenar capituli coloniensis praepositum Reuchlini defensorem[2]). De-

---

[1]) Arnoldus Luydius (a Lude), ab urbe patria Tungrensis dictus, origine fuit Coloniensis. S. theologiae erat doctor et „apud Coloniam insignis professor, fama doctrinae suae undique notus, quippe qui eruditionis suae magnitudine et christianae fidei zelo almam illam coloniensium universitatem magnifice hoc tempore nostro illustrat," ut scribit humanista Jo. Buitzbach (Auctarium in Zeitschr. des Bergischen Geschichtsvereins VII, 260). Fuit diu Laurentianae scholae Leodii regens et canonicus aedis metropolitanae († 28. Aug. 1540). Reliquit opus ingens praelectionum in Joannem et in Ev. Matthaei (ineditum), et l. *de invocatione SS.* contra Lutheranos (germanice) Lipsiae 1536.

[1]) Secundum Hartzheim p. 25 tria scripta hac in causa elaboravit: *Tr. articulorum seu propositionum male sonantium* (43) de l. cui Speculi ocularis titulus extractorum; tr. *propositionum alphabeticarum* contra Judaeos et blasphemum eorum Talmud; *Responsio* ad argumenta (50) de libello consultationis D. Jo. Reuchlin sumpta, quae prodierunt eodem a. 1512 Coloniae.

[2]) H. comes de Neuenar laudatur alioquin ab eruditione. Vir literatorum

mum tamen cum controversia literaria cresceret, augerentur turbae, instaurata fuit causa, Reuchlino 23. Jun. 1520 silentium fuit impositum et liber ut scandalosus prohibitus[1]). Ceterum neque Pfefferkorn tacuit editis pluribus libellis acribus in Reuchlinum, quos praetermittimus[2]), quia magis spectant causam personalem quam scientiam theologicam. Dolendum quod se immiscuerint huic controversiae humanistae laxiores, auctoritatis omnis, ecclesiasticae inprimis, hostes et auctores epistolarum virorum obscurorum[3]). Decessit Pfefferkorn inter a. 1521-1524.

580. Tristissimum schisma a Luthero, Zwinglio, Calvino aliisque reformatio-

erat liberalis Maecenas († 1530). Reliquit nonnulla scripta, quae recenset Hartzheim in bibl. col. p. 137.

[1]) In indice trid. versio gallica *Miroir oculaire* prohibita quondam legebatur, modo in eo non amplius comparet.

[2]) Cf. Hartzheim bibl. col. pag. 192 ss. Cf. plura de hac controversia apud Janssen Gesch. des deutschen Volkes 2, 40 ss. ed. 17. 18 cur. L. Pastor, ubi et copiosam literaturam invenies; Zeck KL. IX², 1973; coll. 10, 1104 ss.; Geiger allg. d. Biogr. XXV, 621 ss. et praesertim in op. Reuchlin Leipzig 1871 p. 205—454; Katholik 1874. I, 569—593; 700–719; II, 51—71; 1902 I, 30—40.

[3]) Harum perfidarum epistolarum t. praesertim primi auctor vel saltem inspirator fuit Crotus Rubianus (a loco patrio) alioquin nomine familiae Joannes Jäger (Venator), quondam scholasticae theologiae addictus, dein ex nimia cum Erasmo, Hutten, Luthero etc. conversatione ejus adversarius. Initio quidem gratulatus est Luthero ob suas innovationes, quod primus post tot secula ausus fuerit gladio s. Scripturae jugulare romanam licentiam, easque fovit, sed postea videns desolationem, qua desolata fuit hac rebellione Germania, ad meliorem frugem rediit, imo etiam quadamtenus se illis opposuit, hinc Lutheri suarumque asseclarum in se concivit odium et calumnias. Inter eruditos et humanistas sui temporis eminebat. Quando obierit non satis constat: vixit adhuc 1531. Cf. de eo G. Kampschulte de Jo. Croto Rubiano commentatio, Bonnae 1862; Welte KL. III², 1206 ss.; Raess Convertiten I, 95.

nis ducibus suscitatum ingentem pugilum turmam excitavit ad causam fidei catholicae tuendam. Impossibile nobis est omnium facere mentionem, quosdam tantum adducemus, eosque secundum nationes et ordine fere chronologico disponemus. Initium, ut per se patet, ducimus a *Germania*[1]), ubi primo ortum est bellum. Ex clero *seculari* nominare licet Joannem Eckart parochum bobenhusanum dioecesis augustanae, cujus sunt: Ain Dialogus zwischen Dr. M. Luther u. J. Eckartz . . . *Christum das höchst goldtrain opfer der h. Mess betreffent*, s. l. et a. (c. 1521); *in divorum sycophantas praecones* . . . dialogus, Landshut s. a. (c. 1523). — Melchiorem Fattlin[2]) episcopum auxiliarem constantiensem (c. 1526) — praeprimis vero Hieronymum Emser Ulmae 16. Martii 1478 (1477?) nobilibus natum parentibus. Studiis operam dedit Tubingae et Basileae. Raymundus cardinalis gurcensis magnum per Germaniam promulgaturus jubilaeum eum in secretarium et capellanum selegit. Cum eo Emser 1502—1504 archiepiscopatus 5 et 20 dioeceses adiit multos viros eruditos vidit. Postea fuit Georgio Saxoniae duci a secretis. Initio quidem aestimabat Lutherum, verum a famosa disputatione lipsiensi auditis ejus opinionibus erroneis aestimatio imminuta fuit, imo in acrem versa discordiam, quae se prodidit libellis acrimonia plenis utrimque editis (praesertim de primatu, missae sacrificio, sacerdotio universali), quos non vacat recensere. Collecta illa edidit Enders inscripta *Luther und Emser* t. 2 Halle

[1]) Numerosum catalogum ejusmodi scriptorum pro fide catholica exhibent diligentissimi hac in materia auctores Falk Katholik 1891. I, 440–63; et N. Paulus qui illius plurimum auxit elenchum 1892. I, 544–65 et 1893. II, 213–23.

[2]) Cf. Schreiber M. Fattlin, Freiburg 1832.

1890. 1892. Versionem s. Scripturae N. T. a Luthero adornatam erroribus scatere ostendit in l. *Auss was grund und ursach Luthers Dolmetschung über das N. T. dem gemeinen man billich verböten worden sey* (a Saxoniae duce), Lipsiae 1523; Dresdae 1524, in quo Luthero exprobrat ultra 1400 N. T. locos male vel erronee versos vel etiam aperte corruptos. Hinc ipse ad novam versionem N. T. secundum Vulgatae textum edendam se accinxit, quae saepissime prodiit, Dresden 1527 (m. 360); Lipsiae 1528 (m. 350); 1529 (m. 200); Coloniae 1528 etc.; juxta formam originalem vel emendata, vel retractata supra centies usque ad sec. XVIII. Scripserat quoque *D. Bennonis* misnensis quondam ep. *vitam,* miracula et alia quaedam non tam Misnensibus quam Germanis omnibus decora et immortalem paritura gloriam, Lipsiae 1512 in f.; in actis SS. 16. Jun. III, 150—174; germanice, Lipsiae 1517, nam a Saxoniae duce Romam missus fuit ad Bennonis canonizationem urgendam: cui cum se opposuisset Lutherus, scripsit *Antwort* auf das lesterliche Buch wider B. Benno zu Meissen und Erhebung der heyligen jungst ausgegangen, 1524. Obiit Emser[1]) 8. Nov. 1527. Contra Zwinglium ediderat *Canonis missae defensionem,* s. l. 1524. et eodem fere titulo *Missae christianorum* contra lutheranam missandi formulam *assertionem* s. l. et a. et alios reformationis asseclas. Edidit quoque aliorum opera, ut Gersonii opera.

581. His praeterea addantur Joannes Buchstab (Litera) winodurensis (Winterthur) canonicus, ludimagister Lofingensis, qui interfuit disputationi Badenae 21. Maj. — 7. Jun. 1526 et 7.—26. Jun. 1528 Bernae habitae († 6. Jun. 1528) atque dextere fidem catholicam defendit. Prolixum opus composuit *de purgatorio* (germanice), quod cum nullus typographorum ob magnitudinem suam imprimere voluisset, divisim in 10 segmenta vulgavit 1528 (quae sunt rarissima); alios quoque libellos edidit inter a. 1527—29 de sacrificio missae, traditionibus, de intercessione et invocatione SS., de confessione et operibus satisfactoriis[1]) etc. — Wolfgangus Wulfer, (Wolfer) Schneebergensis, scriba dresdensis, dein cappellanus in oppido Briesnitz prope Dresden, cujus praeter alia[2]) est l.: *Tatianus* der ertzketzer in Grichenland hat verpotten Ehelich zu werden, Luther der ertzketzer in Dewtschland gepewt Ehelich zu werden, beydes wider S. Pauls Text, Dresden 1528. — Otto Beckmann Westphalus, ecclesiae wittenbergensis syndicus et professor eloquentiae, Lutheri et Melanchtoni quondam amicus, a quibus tamen non potuit seduci, mox perspexit ex agendi ratione Lutheri „aliquid monstri[3]).“ Postea fuit parochus oppidi patrii (Warburg) decessitque praepositus s. Aegidii monasteriensis. Praeter alia egregiam composuit instructionem de oratione inscriptam: *Pre-*

[1]) Cf. Kolde Allg. d. Biogr. VI, 96; Scharpff KL. IV, 497; Enders Luther und Emser, ihre Streitschriften aus dem Jahre 1521; Janssen-Pastor Gesch. d. deutschen Volkes II, 117 ss.; 308 ss. ed. 17; VII[18], 467, ubi inter alia de eo legimus: Das Gewicht, welches Emser mit seinen Schriften gegen Luther in die Wagschale warf, ist nicht zu unterschätzen. Seine Formgewandtheit erkennen auch seine heftigsten Gegner an. In der deutschen Prosa ist er von wenigen seiner Zeitgenossen übertroffen worden. Zur Aufklärung des Volkes haben die zahlreichen Flugschriften des unermüdlichen Streiters außerordentlich viel beigetragen. Pag. 559 ss.; Kawerau H. Emser Ein Lebensbild aus der Reformationsgesch., Halle 1898 et Realenc. V[3], 339—342.

[1]) Cf. Floss KL. II, 1397; Schumann a. d. Bi. III, 492.

[2]) Cf. Paulus Katholik 1892 I, 562; Ge. Müller Allg. d. Bi. XLIV. 269.

[3]) In sua ep. ad Spalatinum 24. Febr. 1519.

catio dominica contra impios et seditiosos Lutheranorum errores, Coloniae 1525; commentarium *super orationem dominicam* et symbolum apostolorum ib. 1528 videtur esse illius ed. aucta. Disputavit etiam 1528 Monasterii fortiter et solide de primatu adversus Hecker praeconem protestantem[1]).

582. Conradus Cocus (Koch) de Wimpina, hinc Wimphinas etiam dictus vel Wimpina, sive ex Fagis (Buchonia, Buchovia, Buchen) dioecesis wirceburgensis natus c. 1460, Lipsiae et aliquamdiu Romae studiis operam dedit. Canonicus erat brandenburgensis et havelburgensis, philosophiae professor 1491 et 1494 rector academiae lipsiensis. Interim factus est theologiae doctor atque hujus facultatis professor. Inde accitus est ad illustrandam academiam wittenbergensem cum Staupitz et Martino Pollich; postea ad erigendam novam academiam Francofordiae cis Oderam, in qua theologiae cathedram rexit, rectoris munere est functus 1506 atque iteratis vicibus munere decani. Eminuit inter illius professores, sed non diu ea academia floruit. Sub ejus praesidio propugnavit Tetzel rotas theses (106) Lutheri thesibus (95) oppositas, quarum Wimpina fuit auctor. In comitiis augustanis inter eos fuit, qui scripserunt contra articulos torgenses et confessionem augustanam († 17. Maj. 1531). Haec potiora ejusdem opera[2]): *Farrago miscellaneorum* collecta a Jo. Romberch a Kierspe[3]) O. Praed., cui ea recognoscenda tradiderat, Coloniae 1531 in f.: qua collectione continentur l. *de ortu, progressu et fructu s. theologiae* seu introductio quaedam ad theologiae studium; Palillogia *de fastigio theologico* ex nobilitate objecti ejus Christi ll. 3; *de laudibus Christi* panegyricus quintuplex, de sublimitate ejus, de admirabilitate, bonitate, clementia et amabilitate; *de signis et insomniis* eorumque interpretatione ll. 3; explanationes *in symbolum s. Athanasii, in prologum s. Joannis; Orationes* sive sermonum l. unus, plane eruditae (Coloniae 1531); *Errologium* sive tr. de erroribus philosophorum in fide christiana, Aristotelis, commentatoris Avicennae et Alkindi cum confutationibus eorundem, Lipsiae 1493 in 4;

---

[1]) Cf. Streber KL. II, 168.

[2]) Cf. Fabricius I, 389; Freib. Diöcesan-Archiv XIII, 17—26; Katholik 1891. I, 462; N. Paulus KL. XII, 1682—1685; N. Müller Über K. Wimpina. Eine Quellenstudie, in theol. Studien und Kritiken LXVI (1893) 83—124; LXVII (1894) 389 ss.

[3]) Joannes Host a Romberg, a loco patrio Kierspe in Westphalia Kyerspensis (Kierspensis) dictus, O. Praed. Mensingi erat discipulus, Venetiis, Romae ac Bononiae studia est prosecutus, atque inter eos numerandus, qui contra Lutherum steterint. Edidit aliorum opera utilia: ita Brochardi veridicam *descriptionem terrae sanctae*, Venetiis 1519; Alberti M. commentaria *in Aristotelis Ethicam*, ib. 1520 in f.; qq. subtilissimas Jo. de Gandavo in ll. 8 Aristotelis *de physico auditu*, ib. 1520: Joan. Fabri *de Sacerdotio*, Coloniae 1523 in f.; ejusdem *Antilogiarum M. Lutheri Babyloniam*, Augustae V. 1530; *Malleum* Jo. Fabri . . . in haeresim lutheranam, ib. 1524; Dionysii Cartusiani *Compendium theologiae* aliaque ejusdem opuscula, Coloniae 1532: Jo. Eckii *Enchiridion locorum communium*, ib. 1525; varia opera Joannis Fischer ep. roffensis ib. 1525 et 1527; Cochlaei opuscula collecta, 1531, quibus duo de suis adjecit; Mensingi *de Ecclesiae Christi sacerdotio* ll. 2, 1532 etc. Ipsius Host est libellus *de ratione confitendi* germanice et alius latine, qui prodiit in *Enchiridion sacerdotum* de eucharistia et missae officio, Coloniae. Pugnavit acriter fortiterque adversus Carolostadium, Jonam, Brunsfeld aliosque. Hinc mirum est, ejus nomen lectum olim fuisse in Indice ll. prohibitorum et quidem primae cl., cum vel ab adversariis inter primarios lutheranae sectae adversarios numeretur. Nunc non amplius in illo reperitur. Egregia est ejus oratio *de idoneo verbi Dei ministro*, ib. 1532 († 1533). Cf. fuse de eo agentem N. Paulus Katholik 1895. II, 481—497; 1896. I, 473—81; 1897. I, 188—90; et in op. die deutschen Dominikaner etc. p. 134-153.

cujus alia ed. est: *De sex philosophorum erramentis* eorumque confutationibus ll. 3; etiam in farragine supra citata; *Sectarum*, errorum, hallucionationum et schismatum ab origine ferme christianae Ecclesiae ad haec usque nostra tempora concisioris *anacephaleosos*[1]), una cum aliquantis Pigardicarum, Wiglefticarum et Lutheranarum haeresium confutationibus pp. 3, Francofurti ad O. 1528 in f. op. rarum (m. 70) et unum ex praecipuis illius temporis adversus Lutherum. Eo complexus est opuscula, quae prius jam contra Lutherum ediderat. *Eucharistiae mirabilia, Glaubensspiegel,* 1666 in 12; *Epitoma* mire, breviter sed districte satis amplectens varia et alioquin dispendiosa doctorum problemata, opinationes et argumenta eorum, qui circa sententiarum l. interpretando, disputando et resolvendo sunt non temere defatigati pro processu disputatorio theologico circulari florentissimi studii francofordiani, 1508. Tractat in ea erudite problemata 120, quae spectant ad sententiarum l. 1 dist. 1—48. *Disputationes quodlibeticae,* 1510. Alia ejusdem opera spectant vel ad literas humaniores vel sunt philosophica, ut ex. gr. disputationes *de nobilitate corporis caelesti:* de eo *an animati possint coeli appellari; de nobilitate animarum* (metricum), innixae veterum scholasticorum opinionibus, etiam in farragine cit.; polemica et apologetica adversus Mart. Polich de Mellerstadt (1500—1504). Controversiae infructuosae cum hoc medico finem imposuisse videtur archiepiscopus magdeburgensis. Ea vigente scripsit praeter alia Apologeticum *in s. theologiae defensionem*[2]). *De theologiae notione* et natura; *de d. Annae trinubio* ejusque generosa trium filiarum et nepotum propagine (1518), de quo tunc a multis acriter disputatum fuit; l. *Dass die Mess eyn recht christlich Opfer sey,* de quo argumento etiam Francofurti publice disputaverat. Produnt quidem Wimpinae opera vastam eruditionem, sed desiderantur lima et judicium criticum, stilus salebrosus est et asper, allegationes non satis sunt accuratae. — Triplici saltem opere aggressus est Wolfgang Schindler de Ellenbogen, Dr. Cubito vulgo cognominatus, Amsdorfium (1528). — Stilo populari et lingua patria scripsit Joannes Femelius (fl. 1530) de cultu sanctorum.

583. Franciscus Arnoldi (fl. 1531) parochus coellensis (oppidi Coellen, Cöln ad Elbam) impiger fuit in impugnando Luthero ejusque discipulo Alexio Chrosner libellis quibusdam, de quibus accurate disserit Flosz (cf. KL. I², 1433. — Ab hoc distingui debet Arnoldus Haldrein, a loco nativitatis Vesaliensis dictus, qui Coloniae alumnus fuerat gymnasii laurentiani et receptus est ad facultatem artium (1516). Laurea doctorali theologica fuit insignitus et canonicus aedis metropolitanae († 30. Oct. 1534). Haec potiora ejusdem opera[1]): *Exegesis decalogi,* Coloniae 1550. Inserta sunt *de cultu et veneratione SS.* assertio; *de divorum invocatione, de divorum reliquiis* etc.; *Consultatio quadruplex* super confessione augustana quorundam protestantium una cum Cochlaeo[2]), 1554;

[1]) Hujus op. eruditi conspectum prolixum reperies in articulis, qui habentur de auctore nostro ejusque operibus, Mittermüller Katholik 1869. I, 641—682; II, 1—21; 129—66; 257—86; 385—404. Cf. et Janssen-Pastor VII[12], 478.

[2]) Cf. de hac controversia scil. de relatione inter poësim et theologiam Hefele-Hergenroether VIII § 896. Pro Wimpina stetit Joannes Seitz (Seicius Faginus), qui pro defensione s. theologiae et theologicae veritatis *apologiam secundam* valde acrem scripsit.

[1]) Cf. Hartzheim p. 23; KL. V, 1460; Foppens I, 105.

[2]) Cum hoc scripsit etiam *brevem* ad singula puncta confessionis protestantium principum *responsionem* apud Coelestin Historia comitiorum a. 1530. Francofurti 1577. II, 234 ss., si non est idem

partitio locorum communium christianae religionis, Coloniae et Lovanii 1557; 1568. *Epitome magistri sententiarum* cum distichis ad singulas sectiones, 1555 in 16. — Liborius Schwichtenberg (Zwichtenberg) canonicus ad s. Nicolaum Greifswaldae († 1534) propugnavit fidem catholicam per Pomeraniam, impugnatus propterea a Paulo de Rode et Jo. Bugenhagen[1]). — In Bavaria[2]) Georgius Hauer, Haverius (n. 1484; † 23. Aug. 1536) professor juris canonici in academia ingolstadiensi et hujus academiae sexies intra 1523—31 rector: notior tamen ob *Puerilia Grammatices* saepe edita et multum in scholis adhibita[3]). — Petrus nomine familiae Penick seu Pienitz dictus c. a. 1470 n. Forstae in Lusatia inferiori (Niederlausitz), hinc etiam Forst, latine Sylvius cognominatus, Lipsiae studuit factusque est magister 7. Mart. 1508. Ingressus quidem est ordinem s. Dominici, sed ob valetudinis infirmitatem imparem rigori vitae religiosae ferendo dispensationem ab eo petiit atque obtinuit: vestem tamen non exuit. Lutheri innovationibus si non primus, saltem unus ex primis fortiter se opposuit paucisque annis ab inchoata rebellione ad 25 libellos composuerat contra illius errores, quos propter subsidiorum penuriam typis initio vulgare non potuit. Demum a. 1525, postquam multa passus est a Lutheranis et solum vertere coactus, coepit illorum editionem non sine felici exitu. Primus l. est *Eyne verklerunge* des eynigen waren Apostolischen, Christlichen gloubens, Dresden 1525; Lipsiae 1528, quem secuti sunt alii libelli, ut Ein sunderlich nutzlicher Tractat *von der eynigen warhafftigen gemeyne Apostolischer h. Christlichen Kirche*, s. l. 1525; Eyn verklerung *der Evangelischen Kirchen*, s. l. 1525; uterque simul Lipsiae 1533. *Von der eynigkeit* der Luttrischen und Lutziferischen kirche und von yhrer gleichformiger arth und eygenschaft, s. l. 1525; 1535; *Vom glauben*, Lere und geistlicher ubunge der Luttrischen kirche, s. l. 1526; 1536, in quo aperit Lutheri contradictiones; Eyn kurtze und doch gnugliche untterrichtunge, *Ob die junckfrau Maria, die Mutter Christi, kan oder soll auch genannt werden eyn mutter Gottes*, Lipsiae 1527 in 4. *Von den vier Evangelien*, szo eyn lange tzeit untter der bank seyn gelegen. Das ist von den irrigen Artickeln der vier unchristlichen ketzereien, nemlich der Pikarden, der Muscovitern, des Wigkleffs und des Huss, aus welchen allen Luther sein fünft Evangelium zusammengelesen, Lipsiae 1528. Edidit quoque aliorum scripta, inter quae et sermones quosdam Andreae Prolis O. S. Aug. (cf. supra p. 1150). Morbis forte ex rerum penuria et indigentia, qua semper

---

cum priori scripto. Cf. Laemmer op. cit. p. 37 ss.

[1]) Cf. Krause Allgem. d. Biogr. XXXIII, 442.

[2]) Mentio hic fieri potest Clementis Sender OSB. chronographi augustani Lauingae 23. Nov. 1475 nati. Concinnavit Chronographiam t. 12, quae a t. 7. utilitate non caret, quia narrat quae suo tempore contigerunt, ea tamen nunquam prodiit. Concinnavit per modum diarii Chronik der Stadt Augsburg (ineditum), magni momenti pro turbarum historia, quae innovationum religiosarum occasione in hac urbe contigerunt, unde patres S. J. derivarunt *Relationem de ortu et progressu haeresum in Germania*, praesertim vero Augustae V. ex antiquis annalibus mscr. cujusdam contemporanei fideliter descriptam, Ingolstadii 1654. Obiit c. 1537.

[3]) Cf. Streber KL. V, 1531. Alius ab eo est Georgius Hauer OSB. altacensis, humanista et chronista, qui aliquantulum prius floruit (exeunte sec. XV). Senescente abbate electus est monasterii administrator (1475), eo tamen defuncto a sodalibus in carcerem conjectus. Compilavit chronicam (1478), quae non videtur prodiisse. *Gesta illustrium ducum Bavariae*, ex quibus aliqua prodierunt 1782. De ipso deque ejus auctore fuse disserit H. Waltzer Archivalische Ztschr. X (1902), 184—310.

laborabat, consumptus decessisse c. a. 1536 videtur[1]).

584. Joannes Altensteig Mindelheimensis, Suevus, Tubingae 1505 magister artium et 1510 in canonia pollingana philosophiae et theologiae professor, parochus dein mindelheimensis (fl. 1523), innotuit praesertim suo *Vocabulario theologiae,* Hagenoae 1517 in f.; saepius dein recuso ut Antwerpiae 1576; Venetiis 1579; Lugduni 1580 et cum auctario Joannis Tytz, Coloniae 1619. — Hujus discipulus Christophorus de Schwarzenberg (n. 1488) ab eo magno encomio ob studendi fervorem collaudatus, Tubingae literis humanioribus operam dedit, postea in Guilelmi IV. Bavariae ducis obsequio suprema adeptus munera, auctoritate sua in bonum religionis catholicae est usus, pro qua et scripto stetit[2]). Obiit 9. Jan. 1538. — Hieronymus Dungersheym (Tungersheym), quem Lutherus pro humanitate sua taurum, bovem, asinum lipsiensem et similia vocitare solet. Natus est Ochsenfurtii (hinc et doctor Ochsenfurt dictus) in Franconia inferiori 22. Apr. 1465. Lipsiae factus est artium magister (1489) atque 1495 interpres magistri sententiarum. Aliquamdiu magno zelo praedicationi verbi Dei institit; transiit deinde ad studia excolenda Bononiam et Senas adeptaque laurea theologica et j. u. rediit in Germaniam et a Georgio Saxoniae duce consecutus est cathedram theologicam Lipsiae (1506), ibique a. 1510 rectoris munere est functus (1510). Suae diligentiae fructus sunt: Tr. de modo discendi et docendi ad populum sacra seu *de modo praedicandi,* 1513 s. l.; Lauserheim 1514, l. valde bonus[1]); *Epithemata, introductorium, memoriale 4 ll. sententiarum* de novo revisum, Lipsiae 1515; *conclusiones* cum rationibus ad partes summae theologiae doctoris s. Thomae Aq., Lipsiae 1516 etc. Invalescente defectione populi a fide avita fortiter se opposuit concionibus primum, deinde et scriptis[2]). Ea, quae sunt contra Lutherum, collecta ipse edidit Lipsiae 1531. Memoria dignae sunt ejus *Improbatio* dispendiosae atquae fallacis praefationis Lutheri in N. Testamentum; et *Reprobatio* translationis textus Evangelii secundum Matthaeum per Lutherum praesumptae. Decessit 2. vel 3. Mart. 1540. — Wolfgang Redörfer theologiae doctor, canonicus lubecensis et praepositus stendalensis († 1539), inter theologos fuit, quibus munus fuit impositum refutandae confessionis augustanae. Reliquit quoque aliquot opuscula adversus protestantes[3]). Hisce addantur[4])

[1]) Cf. N. Paulus Katholik 1893 I, 49—68, et deinde in op. Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther, Freiburg p. 52—67, qui inter alia de eo ejusque operibus scribit: Der Verfasser weiss in seiner Polemik kein Maß zu halten, in seinen Anklagen ist er nicht selten übertrieben, in seinen dogmatischen Ausführungen oft zu oberflächlich, zudem spricht er eine Sprache, die die Geduld des Lesers auf eine harte Probe stellt. Dessenungeachtet verdient dieser fleißige Arbeiter, daß wir seiner in Ehren gedenken. In der Liebe und Anhänglichkeit zur katholischen Kirche, in dem Eifer für die Vertheidigung des alten Glaubens ist er wohl nur von wenigen seiner Zeitgenossen übertroffen worden. J. K. Seidemann M. P. Sylvius ein Dominikaner der Reformationszeit im Archiv für Literaturgeschichte 1875. IV, 117—153; 1876. V, 6—32; 287—310; Janssen-Pastor VII[12], 477.

[2]) Cf. N. Paulus, qui praeclara diss. in hist.-pol. Bl. CXI (1893) 10—33 et CXII, 144—154 ejus memoriam renovavit.

[1]) Cf. Keppler KL. VI, 201.

[2]) Cf. Streber KL.[2] IV, 13.

[3]) Cf. Rotermund VI, 1536.

[4]) De Jacobo Lemp professore tubingano (1494), ab humanistis multum impugnato, qui etiam interfuit celebri disputationi Badenae habitae († 1523) cf. Falk Katholik 1891. I, 458. — Joannes (VII.) de Schleinitz episcopus misniensis (1518; 13. Oct. 1537) quaedam contra Lutherum vulgavit. Cf. ib. I, 457. — Nominari forte posset et Gregorius Breit-

tot alii ex variis ordinibus religiosis, quorum plerique Germani fuere, de quibus jam seorsim agemus.

585. Ordo *Praedicatorum* insignes rei catholicae submisit apologetas[1]). — Lambertus Campester Germanus, s. theologiae magister, patria relicta Lugduni stationem fixit, ubi auctorum veterum, praesertim sui ordinis, operibus recognoscendis, emaculandis, illustrandis ac edendis sedulam navabat operam. Ita edidit Raynerii Pisani O. P. *Pantheologiam*, Lugduni 1519 t. 2 in f.; *Legendam SS.* Jac. de Voragine, ib. 1516; praecipua opera theologica s. Thomae, ib. 1570. Huc spectat propter *Apologiam in M. Lutherum* haereseos acephalorum ac sacrilegorum antesignanum, qua strictim hujusce factionis loci insigniores expenduntur, Parisiis 1523, in qua agit de primatu Petri ap., de apice romanae Ecclesiae; de arbitrii libertate, de veniis apostolicis, de animarum purgatione, de religione auctaria; de conciliis atque decretis, de ditione ecclesiastica, de nomine Cephas, de gloria Romae christianae, de summo pontifice, de ecclesia Solymorum, de fide et operibus, de pompa clericali, de libertate christiana, de eucharistiae sacramento, de evangelii gratia; de pontificio et imperio, de Luthero aborigine, de satellitio Lutheri. Eodem anno jam ib. ediderat *Heptacolon* in summam scripturae sacrilegae M. Lutheri in apologia ejus contentam. Videtur esse idem cum illo L. C., de quo Erasmus conqueritur apud Jo. Selva primum senatus parisini praesidem ob editionem suorum Colloquiorum interpolatam et juxta Ecclesiae doctrinam correctam Parisiis 1525 adornatam. — Joannes Faber non Friburgi in Helvetia, sed Augustae c. 1470 natus et Augustanus cognominatus, theologiae doctor, prior conventus augustani per a. 20, congregationis Germaniae vicarius generalis (1512), Maximiliano imp. a consiliis, composuit *Consilium* cujusdam ex animo cupientis esse consultum et r. pontificis dignitati et christianae religionis tranquillitati, quod contra ejusdem voluntatem ex cujusdam indiscretione s. l. et a. (Coloniae 1520 in 4.) vulgatum fuit, iterum 1521 s. l. et germanice s. l. et a., quod a nonnemine Zwinglio, plerumque Erasmo etiam nostra aetate tributum fuit, sed nostri auctoris esse ostendit N. Paulus, qui illud iterum exhibet[1]). Initio Faber

---

kopf (Bredekop), Laticephalus dictus, et a loco originis de Conitz vel Prutenus cognominatus, philosophiae (1498), dein 1523 theologiae doctor et professor in universitate lipsiensi, hujus et a. 1508 rector († 20. Jan. 1529), qui praeter multa philosophica vel ad literas humaniores spectantia scripsit *Dass die Widertauff irrig sey* und keyne Krafft habe, Lipsiae 1528 in 4. Cf. Adelung I. 2227 s. — De Bartoldo Moller (Molre, Molitor), theologiae doctore, professore et rectore (1505. 1529) universitatis rostochianae et capituli decano († 12. Mart. 1530), qui strenue causam catholicam Hamburgi et Rostochii propugnavit, cf. Krause allg. d. Biogr. XX, 112. Aliquas ejus notitias de a. 1527. 1528. vulgavit Lappenberg Hamburgische Chroniken in niedersächsischer Sprache, Hamburg 1861. — Joannes Werstemius auctor est disputationis adversus Renatum quendam lutherinae sectae *de purgatorio* et aliis quibusdam axiomatis, Coloniae 1528. Cf. N. Paulus Katholik 1892. p. 561, pariter ib. 1893. II, 214 ss. de Valentino Compar scriba urensi in Helvetia, qui nomine sui pagi se opposuit Zwinglio (Turingii 1525), deque ejus collega Joachim am Grüdt, scriba tigurino, qui disputavit de sacramento altaris 1525, hinc munere privatus (1526) in peregrinatione romana decessit 1528. — De Balduino (Boldewino) Marentholte (de Marenholtz) ultimo abbate s. Michaelis Luneburgi (1504), qui strenue se opposuit defectioni sui monasterii, viro docto et probo († 11. Dec. 1532) cf. Krause Allg. d. Bi. XX, 311.

[1]) Horum forte praecipuus est Jacobus de Hoogstraeten, de quo infra loquemur p. 1263.

[1]) Cf. ejus accuratam diss. hist. Jahrb. 1896 p. 39—60; Veith bibl. august. 1875. I, 62 ss.; Schrödl KL. IV, 1170.

nimis propensus erat erga humanistas, praesertim erga Erasmum, a quo commendari meruit; defectionis lutheranae momentum et gravitatem non statim agnovit, hinc blandius de ea judicat; imo in concione funebri de Guil. de Croy non bene locutus est de sede apostolica, quamobrem Aleander nuncius apostolicus de eo est conquestus. Verum ipsa eventuum iniquitate meliora edoctus coepit jam fortiter innovationibus reformatorum obsistere, ut Hutten et Erasmus de ejus sententiae mutatione acriter scripserint, imo propter concionandi libertatem Augusta ejectus est decessitque exsul 1530 (secundum alios 1531). — Petrus Rauh a loco patrio in Franconia Anspach cognominatus, O. Praed. sagax et disertus rei catholicae apologeta[1]), cujus laudatur *Antithesis der Lutherischen Bekenntniss* oder Beicht, so sie zu Augsburg vor k. Majestät und dem h. römischen Reich im 30. J. angegeben, Francofurti a. d. O. 1531. — Georgius Neudorfer[2]) prior conventus rotvillani impugnavit (1526) Ambrosium Blaarer. — De Hermanno Rab theologiae doctore et professore in academia lipsiensi, suae provinciae praeposito († 5. Jan. 1534) cf. N. Paulus die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther p. 9—16.

586. Prae primis innotuit Michael Vehe Biberaci prope Wimphen natus, qui Heidelbergae studiis vacavit ab a. 1506, ibidemque jam a. 1512 cathedram rexit, habuitque inter discipulos Jo. Dietenberger. Anno sequenti lauream adeptus est theologicam. A Capitulo generali Neapoli 1515 habito assignatus est conventui heidelbergensi in regentem magistrum et a card. moguntino Alberto ob probitatem et eruditionem assumptus in consiliarium et praepositum hallensis ecclesiae in Saxonia, quam egregie reformavit. Ibi quotidie praelegit epistolas paulinas. Interfuit comitiis imperii Augustae habitis a. 1530 et ab imperatore selectus fuit qui cum aliis fidei confessionem lutheranam refutaret; interfuit quoque colloquio Lipsiae 29. et 30. Apr. 1534 habito cum theologis lutheranis, inter quos fuit et Melanchton († 1539). Impugnavit fidei catholicae adversarios scriptis doctis sine ira et felle. *Von dem Gesatz der nyessung des h. hochw. Sacraments* in eyner Gestalt, Lipsiae 1531; 1532. Cum vero Bugenhagen vulgasset libellum adversus fures calicis, respondit Vehe opusculo *Erettung der beschuldigten kelchdyeb* vom neuen Bugenhagischen Galgen, Lipsia 1535. *Wie underschydlicher weiss* Gott und seine auserwelten Heiligen von uns Christen sollen geehret werden, Lipsiae 1532, opusculum egregium sive doctrinam sive formam spectes. *Assertio sacrorum quorundam axiomatum*, quae a nonnullis nostri seculi pseudoprophetis in periculosam rapiuntur controversiam, Lipsiae 1535 in 4., quae complectitur tr. 15, quibus omnia controversiarum illius temporis capita continentur[1]). *Ein New Gesangbüchlin* Geystlicher Lieder (52) vor alle gutthe Christen

[1]) Cf. Floss KL. I², 908. Echard eum non videtur cognovisse.

[2]) Cf. N. Paulus die d. Dominikaner p. 280–283.

[1]) Diese lateinischen Traktate und die oben besprochene Abh. über die Verehrung der Heiligen gehören wohl zu den besten apologetischen Schriften, die im 16. Jahrh. in Deutschland zum Schutze des alten Glaubens verfaßt worden sind. Beide Werke zeichnen sich aus durch große Gründlichkeit verbunden mit einer ruhigen, lichtvollen Darstellung. Trotzdem sind diese Schriften bisher ganz unbeachtet geblieben. N. Paulus hist. pol. Blätter CX (1892), 469—489, ubi pro more accurate de hoc auctore ejusque scriptis disserit, et KL. XII, 645 s.; et die d. Dominikaner 215-231; Katholik 1855, II, 366–375; 421–431; 458—470; cf. etiam Baeumker allg. d. Biogr. XXXIX, 529; Echard II, 95; Janssen-Pastor VII, 461.

nach ordnung Christlicher kirchen, Lipsiae 1537, Moguntiae 1567; et nostro seculo Hannover 1853 in 8. (sine notis), cujus et protestantes rationem habuerunt.

587. His praeterea ex eodem ordine addantur: Bernardus n. in oppido Strassen prope Luxemburg, unde communiter de Luxemburg (Lutzenburgo) cognominatur. Coloniae literis humanioribus operam, ibique etiam ordini nomen dedit. Vir erat in utraque academia coloniensi et lovaniensi haud parum clarus. A capitulo generali Papiae 1507 regens constitutus est studii coloniensis. Iteratis vicibus egit conventus coloniensis priorem atque ibidem obiit 6. Oct. 1535. Haec potiora ejusdem opera[1]): *Catalogus haereticorum* omnium pene, qui a scriptoribus passim literis proditi sunt, nomina, errores et tempora, quibus vixerunt ostendens ll. 4, qui prodiit pluries, s. a. et n. typographi; Erfordiae 1522; Coloniae 1523; 1526; Parisiis 1524; 1529 etc., quaeque ed. fere auctior. Caret tamen judicio critico et in eo viros etiam catholicos satis imperite recenset, quin et minus proprie haereticis accenset Avicennam et Averroem. Opusculum *de jubilaeo* sive peregrinatorium ad urbem Romam in XXX diaetas redactum, in quo mirae antiquitates et ss. interpretum sententiae referuntur, Coloniae 1525 in 4; sermones *de symbolica colluctatione* septem vitiorum capitalium et virtutum spiritualium, Coloniae 1516 in 4; sermones *de Rosario,* Coloniae 1507; *de quindecim virtutibus V. Mariae,* ib. 1507; *Vita R. de Pennaforti,* ib. 1576; *D. Athanasii symbolum* cum luculenta expositione, Coloniae 1517; compendium *de laudibus aquae benedictae* ejusque primaria institutione . . . pro instructione simplicium contra lutheranos et waldenses haereticos, s. l. et a. B. Alberti M. . . . postillatio in *Apocalypsin* ejus curis e praelo prodiit, Basileae 1506 in 4. — Joannes de Fraxino Gallus, theologiae magister, universitatis tolosanae cathedram primariam diu moderatus est (fl. 1534) et Lutheri errores circa eucharistiam impugnavit opere, ut videtur, inedito. — Cornelius de Sneek (Snekanus, de Snekis) natus in oppido hollandico prope civitatem Sneek, in academia rostochiana studiis operam dedit, doctor creatus est theologiae et factus prior conventus, inquisitor haereticae pravitatis et vicarius generalis sodalium reformatorum (1505 et 1511) per Hollandiam, dein 1514 monasteriorum Germaniae, vir integer et strenuus reformationis lutheranae adversarius († 15. Sept. 1534). Reliquit[1]) *sermones* (21), de serto rosaceo, Parisiis 1514; cum additione plurium sermonum, Rostochii 1517; *sacrosanctae missae ac canonis mysteriorum brevis et compendiosa dilucidatio,* Francofurti a. O. 1534; *Defensio Ecclesiasticorum,* quos Spirituales appellamus: qua ceu hyperaspistae, Ecclesiae cum auctoritas tum libertas egregie vindicatur, s. l. et a., quo

[1]) Cf. Paulus Katholik 1897. II, 166-71. Die deutschen Dominikaner p. 106—110.

[1]) Cf. Echard II, 82; Krause allg. d. Biogr. XXXIV, 500; praesertim N. Paulus Ztschr. f. k. Theol. XXV (1901), 401-412, qui 412—419 et in op. die deutschen Dominikaner etc. p. 267-84 meminit Cornelii sodalis, scil. Augustini ab Getelen, propugnatoris fidei verbis et scriptis Lüneburgi, Hamburgi et Verdenae: qui propterea Lüneburgo fuit expulsus. A Carolo V. inter theologos fuit electus, qui examinarent fidei confessionem a protestantibus oblatam comitiis augustanis (fl. 1530). Ejus scripta manserunt inedita vel perierunt. — De Joanne Heym Seligenstadiensi, concionatore insigni († 18. Jun. 1535) cf. Paulus op. cit. p. 212-214; et p. 283—286 de Petro Hutz concionatore ulmensi, postea priore ratisbonensi (1537). — De Joanne Vischer eistettensi (fl. 1535) cf. ib. p. 289. — De Antonio Pirata, qui fere a. 30 Constantiae strenue et fortiter concionatus est († 21. Aug. 1534), ib. p. 313—323.

in op. bene pontificis infallibilitatem tuetur. — Eustachius Vander Rivieren, ab oppido patrio de Zichenis etiam dictus († 1538). — Arnaldus de Badeto theologiae magister et quaesitor fidei generalis tolosanus (1531) construxit *Destructorium haeresum,* Parisiis 1532 in 8; Breviarium *de mirabilibus mundi* ejusque compositione secundum triplicem viam theologorum, astrologorum et philosophorum, Avenione 1499 in 4; *Margarita virorum illustrium* de futura temporis dispositione praenoscenda, Tolosae 1525.

588. Ex ordine *s. Francisci* praeter Bernardum, lectorem in monasterio Jüterbock, qui cum sodalibus in comitiis provincialibus ibidem habitis jam ante celebrem disputationem lipsiensem inter Eckium et Lutherum (1519), 14 propositiones Lutheri declaravit haereticas — Jacobum Schwederich (Suedericum) theologiae doctorem et lectorem in conventu dresdensi, custodem misniensem[1]), cujus est adversus Lutherum *Collectariolum* de religiosorum origine, eorum multiplicatione per mundum ac a ceteris vulgaribus per habitum, signa et ritus discrimine, de apostatarum quoque et iis cooperantium periculo simul ac punitione, 1525 — Joannem Faber reg. obs. Lipsiae excubitorem, qui vulgavit celebrem disputationem contra Balth. Basomontanum (Basberg) in causa Lutheri, Lipsiae 1522 in f. — praeprimis laudandus est Caspar Schatzger (Schatzgayer), qui Landshutii n. 1463 vel 1464, Ingolstadium missus studiis vacavit. Post suum in ordinem ingressum factus est conventus monacensis guardianus (c. 1497) et lector sodalium, quo munere functus est a. 16; a. 1544 electus est in vicarium praepositi provinciae argentoratensis seu Germaniae superioris, in comitiis generalibus Romae 1517 habitis ejusdem primus provincialis et definitor generalis, et in comitiis burgensibus (Burgos 1523) inquisitor Germaniae. Verbo, scriptis et opera se opposuit Lutheranorum innovationibus: hinc plurimum contulit ut magna Bavariae pars ab errorum immunis servaretur infectione. „Tantus ergo vir recti amantissimus, scribit celeber Eckius in praef. suae ed. operum hujus veri et germani d. Francisci filii, conspicatus in pseudoevangelicis errores, acediam, luxum, insolentiam et turpissimae vitae scandala, zelo fidei excitatus ascendit e diverso et opposuit se murum pro domo Israel, ut staret in praelio in die Domini, et omnem vitam scribendo, praedicando, consulendo, hortando et orando contra perniciosas doctrinas consumeret . . . Tanto sane contra adversarios scripsit ac si muneribus vacuus in summo otio vixisset.“ Obiit Monachii 18. pie in Domino Sept. 1525. Quam plurima reliquit opera admodum utilia contra protestantes; hinc Guilelmus IV. et Ludovicus Bavariae duces illa literis missis omnibus praelatis, canonicis, parochis et subditis commendarunt atque praescripserunt, ut expensis ecclesiarum ubique emerentur. Intra septennium eorum ultra 23 vulgavit[1]), quorum plura postquam seorsim prodierunt, collecta edidit Eckius Ingolstadii 1543 in f., inter quae *Scrutinium divinae Scripturae* pro conciliatione quorundam dissidentium dogmatum circa materias de gratia et libero arbitrio (Basileae 1522); tr. *de cultu et veneratione SS.* (s. l. et a. 1523 germanice);

[1]) Cf. Ge. Müller Allg. J. Biogr. XXXIII, 325.

[1]) Cf. Gaudentius Beiträge zur Kirchengesch. des 16. und 17. Jahrh., Bozen 1880. I, 11; Greiderer Germ. franc. II, 418 s.; Druffel der baierische Minorit der Obs. C. Schatzger und seine Schriften im Sitzungsber. der k. baier. Ak. der Wissenschaft (Philolog. und hist. KL. 1890. II. 3. 397—433, cujus epitomen exhibet hist. Jahrb. 1891 p. 843 s.; N. Paulus C. Schatzgeyer ein Vorkämpfer der kath. Kirche gegen Luther in Süddeutschland, Friburgi 1898; KL. X², 1761 etc.

de vita christiana seu potius christiano-monastica, quam bene adversus vivendi licentiam lutheranam tuetur; *de vera libertate evangelica*, Tubingae 1525: *indissolubilitatis matrimonii* vera declaratio, ib. 1525; *de missa* ejusque partibus intermixta materia de satisfactione et purgatorio, etiam germanice 1525; *Vom fegfeur*, München 1525; tr. 30 art. contra sectarios coaetaneos defendens; *Satanas se transformans in angelum lucis* in Evangelio, christiana Ecclesia, primatu Petri et generalibus conciliis detectus, Monachii; *de articulo erroneo,* quod anima Christi post mortem inferos descendens ibi poenas infernales sustinuerit. Haec opuscula scripta sunt germanice. *Examen novarum doctrinarum* pro elucidatione veritatis evangelicae et catholicae efformatum, in quo de omnibus fere dogmatibus in controversiam tunc temporis vocatis disputat, Ulmae 1523; *apologia* pro ff. Min. reg. observ. adversus Bonifatium de Ceva provincialem Conv. in Gallia, Basileae 1516 etc. — Joannes Apobolymaeus (nomen graecum, vocabatur proprie Findling) O. Min. Stauronesii (Kreuznach) n. auctor est op. rari admodum *Lutheri antilutherana . . . congesta.* Assertionis lutheranae confutatio centum locorum, in quibus ipse Lutherus sibi ipsi contradicit per modum dialogi (inter Lutherophilum et catholicum) s. l. 1528 in 8., in quo ostendit Lutherum coacervasse errorum cloacam[1]: *Anzaigung zwayer falschen Zungen des Luthers,* wie er mit der ainen die pauren verfüret, mit der andern sy verdammet hat, Landshut 1526.

589. Alius strenuus hujus ordinis fidei catholicae apologeta fuit Nicolaus Ferber, saepe Herborn cognominatus a loco nativitatis in Nassovia, conventus marburgensis guardianus, qui solus ea in ditione defectioni ab avita Ecclesia, quam famosus Philippus de Hassia induxerat, se opposuit, hinc cum sodalibus loco cedere est coactus. Concionatorem in ecclesia cathedrali Coloniae egit atque ordinis provinciam coloniensem moderatus est[1]). Praeter alia edidit *Assertiones CCCXXV* adversus Fr. Lamberti exiticii monachi paradoxa impia ac erroris plena, Coloniae 1526; Parisiis 1534; *Locorum communium* adversus hujus temporis haereses *Enchiridion,* Coloniae 1528; 1529, praecipuum ejus opus, cui addita sunt *Methodus praedicandi verbi divini* concionatoribus cum utilis tum accommoda; *de notis verae Ecclesiae* ab adultera dignoscenda; *Monas sacrosanctae evangelicae doctrinae* ab orthodoxis patribus veluti per manus tradita, Coloniae 1529; *Parodoxa theologica* adversus nestericos haereticos, Parisiis 1534; *Enarrationes latinae Evangeliorum quadragesimalium,* quas apud Coloniam A. germanice ad populum declamarat, Antverpiae 1533; Parisiis 1593. Ab episcopis Daniae Hafniam (Kopenhagen) invitatus fuit, ut nutanti Ecclesiae ferret suppetias. Venit Hafniam, causam catholicam defendit atque solidissimam egregiamque composuit confutationem 27 art. novatorum, a quibus propterea joculariter nominatus fuit Stagefyr[2]). Prodiit inscripta *Confutatio Lutheranismi danici a.* 1530, nunc primum ed. a L. Schmitt S. J. ad Aquas claras 1902. Ob suum pro disciplina religiosa zelum dictus est a Clemente VII. vicarius generalis fami-

[1]) Cf. Floss KL. I, 1014; N. Paulus Katholik 1892. I, 550.

[1]) Cf. Nebe N. Herborn, Herborn 1862; Streber KL. IV, 1348: Sbaralea p. 556. Juxta Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Schottl. I, 450 hic fuit natione Scotus ex nobili familia, quae cognominabatur Hepburn.

[2]) Cf. L. Schmitt S. J. Der Kölner Theologe N. Stagefyr und der Franziskaner N. Herborn, Freiburg 1896, in quo nititur ostendere nomine illo joculari hunc fuisse designatum. KL. XI, 704; C. Krafft Allg. d. Bi. XII, 42—45.

liae transmontanae Min. Obs. Hinc visitavit congregationis provincias per Hispaniam, Angliam, Germaniam, Flandriam decessitque in itinere Tolosae in odore sanctitatis 15. Aprilis 1535. — Augustinus de Alvelt (Alveld, Alveldianus) O. Min. reg. Obs. theologiae lector, in Saxonia primum, deinde ad Rhenum intrepide verbis et scriptis[1]) Luthero ejusque asseclis se opposuit ad mortem usque († c. 1532). Ita vulgavit *Super apostolica sede* an videlicet divino sit jure nec ne, Lipsiae 1520; etiam germanice; quod cum oppugnatum fuisset, reposuit *Malagma optimum* contra infirmitatem horribilem duorum virorum Jo. Loniceri et M. Lutheri, Lipsiae 1520; tr. *de communione sub utraque specie* quantum ad laicos, an ex sacris literis elici possit, Christum hanc vel praecepisse vel praecipere debuisse: et quid in re hac sentiendum pie, sane, catholice sit juxta veritatem evangelicam, Lipsiae 1520; Assertio in cant. *Salve Regina* contra Deiparae V. M. murmuratores, detrectatores, blasphematores, Lipsiae 1527, etiam germanice; Oratio theologica, quam Magdeburgi ad clerum habuit *de Ecclesia* bipartita et M. Luderi omniumque Luderanorum ruinoso ac stultissimo fundamento, ib. 1518; Sermo *de confessione sacramentali*, an confessio prorsus homini mortali ad verae beatitudinis vitam sit necessaria s. l. et a. Acri quidem et subinde ironico stilo usus est in adversarios, sed et probris vicissim et contumeliis a Luthero hoc in scribendi genere magistro plane obrutus fuit. — Michael Hillebrant Silesius opuscula undecim scripsit contra Lutheranorum errores, quae latine vel germanice partim Dresdenae partim Cracoviae prodierunt[1]). — Medardus de Kirchen a concionibus et confessionibus Ferdinandi I., insignis exegeta, linguae graecae et hebraicae peritus, fortissimus rei catholicae verbis et scriptis propugnator, quem rex voluit ut a supremo ordinis praeposito munere et titulo praedicatoris generalis per universum imperium insigniretur (1531). Obiit in odore sanctitatis a. 1533. — Anno sequenti (1534) Schwatzii decessit ejus sodalis Georgius de Amberg »praedicator egregius et famosus, in sacro poenitentiae tribunali indefessus, vir magni consilii et discretionis, plurium librorum laudatissimus auctor.« — Iterum post a. (1535) fatis functus est Anselmus de Vienna, minister provincialis (1515—18; 1521—24) et definitor generalis, inquisitor generalis pro sua provincia, vir doctus, prudens, negotiorum ordinis gerendorum peritus et insignis ecclesiastes. — Eodem tempore floruit (1535) Caspar Sager[2]) O. Min. reg. Obs. Saxo. — Joannes Heller[3]) de Corbachio coloniensis ec-

[1]) Cf. Flosz KL. I, 1682; Adelung Fortsetz. u. Ergänz. zu Chr. G. Jöchers allg. Gelehrten-Lex. I. 669; Lemmens P. Aug. v. Alfeld, Friburgi 1888 (in fasc. supplem. ad Janssens historiam); Panzer Annales typogr. X, 88.

[1]) Cf. Soffner der Minorit Fr. Mich. Hillebrant, Wratislaviae 1885.

[2]) Confundi solet cum Caspare Schatzger Bavaro, de quo jam egimus supra p. 1253. Cf. de nostro N. Paulus Katholik 1892 I. 558.

[3]) Cf. Streber KL. V, 1751. Alius est a Joanne de Daventria pariter O. Min., praeposito provinciae coloniensis, qui eodem tempore floruit, Monasterii in ecclesia cathedrali munus concionatoris obibat (1532, † 1535 vel 1540), atque scripsit *Christianae veritatis telum* seu fidei catapulta in plerosque pseudoprophetas ac populi seductores, Coloniae 1533; 1588., in qua agit de fide, de Ecclesia judice, de eucharistiae veritate et utilitate, de SS. veneratione et invocatione, de usu imaginum, de purgatorio, de infantium baptismate etc.; *Apologia contra Lutherum*, quae prodiit cum opere sequenti: *Exegesis absolutissima* juxta ac brevissima evangelicae veritatis errorumque ac mendaciorum, quae sunt cum in confessione lutherana caes. Majestati in comitiis augustanis exhibita, tum in ejusdem apologia, Coloniae 1535. Cf. Streber KL. VI, 1650.

clesiastes († 1536; secundum Gaudentium 1535) contra anabaptistas disputavit *de unico baptismate,* Coloniae 1534; *de paedobaptismo* atque adeo unius in Ecclesia catholica baptismatis assertio 1535. Disputavit etiam coram principe Johanne Francisco de Saxonia cum Frid. Myconio, cujus disp. acta non sincere prodierunt, s. l. 1527; Wittenbergae 1537 etc., quare ipse coactus est sinceriorem relationem in defensionem suae orthodoxiae typis promulgare, Coloniae 1527. — Gervicus Haverland Susatensis theologiae magister, provinciae coloniensis custos et provincialis, composuisse creditur opus bipartitum vernaculo idiomate rythmicoque stilo, sub nomine *Danielis Susatensis,* in quo omnem introductae haereseos historiam et apostatarum tam monachorum quam monialium nomina profert, s. l. 1539, duplici ed. in 8 et in 4., quae ed. adeo rara, ut unicum tantum exemplar potuerit reperiri. L. F. de Schmitz novam (Soest 1848) curavit ed. inscriptam: *Soester Daniel* oder Spottgedicht G. Haverland's, sed cum expressa non sit ad ed. originalem, pretio caret, ut dicitur in Allg. d. Bi. XI, 117.

590. Agitatissimam vitam duxit Thomas Murner probabiliter in oppido Oberehnheim in Alsatia (secundum alios Argentorati) a. 1475 n., qui a. 15 adolescens ordinem s. Francisci est ingressus et jam a. aetatis 19. ordinatus sacerdos. Studiis vacavit Friburgi, Parisiis, ubi magister artium est factus, et etiam Cracoviae et alibi: academias coloniensem, rostochianam et pragensem invisit; plurimas degustavit disciplinas sed cum soliditatis detrimento. A Maximiliano I. coronatus poeta ob sua de poesi et eloquentia sacra studia (1506), Friburgi eodem a. adeptus est lauream s. theologiae, et 1519 Basileae, frustra reclamante celebri Zasio, factus doctor juris utriusque. Modo egit guardianum (1510), modo diversarum disciplinarum lectorem, modo concionatorem, nullibi diu consistens. Italiam iteratis vicibus invisit, Angliam adiit, varias Germaniae et Helvetiae provincias peragravit. Plurima[1]) reliquit scripta (edita et inedita) et quidem de diversis disciplinis, ita, plerisque omissis, *Logica memorativa,* Chartiludium logicae seu methodus practica chartarum lusu addiscendi logicam, propter quam venit in suspicionem vel magiae; hinc coactus est eam typis vulgare, cum eam clam antea suis discipulis Cracoviae communicasset, Argentinae 1509 (m. 160); Bruxellis 1609; Parisiis cur. Jo. Balesdens 1629. Ita et chartiludium *in instituta Justiniani,* quod in tabellas redactum impressum est 1518 Venetiis. Plura scripta composuit (32) et edidit contra Lutherum, cujus ante verterat l. de captivitate babylonica, ejusque asseclas acerba quidem, sed non solida, nullius fere pretii theologici, inter quae praecipuum est: *Von dem grossen Lutherischen Narren,* wie in Doktor Murner beschworen hat, Strassburg 1522; editum etiam nostra aetate cura H. Kurtz Zürich 1848., poëma ironicum[2]). Innotuit autem in primis suis libris satyricis, quibus magna libertate aperit et reprehendit vitia omnis conditionis, etiam cleri et religiosorum,

[1]) Goedeke Grundriß zur Gesch. der deutschen Dichter II², 215—20 eorum numerat 59.

[2]) Funk KL.² 8. 2028 de eo dicit; Die tüchtigste unter den polemischen Schriften, zugleich das bedeutendste unter seinen dichterischen Erzeugnissen und somit sein Hauptwerk, hervorragend durch Erfindung und Aufbau, lebendigen und wahren Ausdruck, ofe meisterhafte Durchführung der Ironie. Cf. de auctore nostro praeter ipsum in primis Schmidt Histoire littér. de l'Alsace à la fin du XVe et au commencement du XVIe siècle, Parisiis 1879. II, 209—315; 419—31; E. Martin allg. d. Biogr. XXIII, 67—76; Eubel Gesch. der oberdeutschen Minoritenprovinz Würzburg 1886 p. 68 ss.; quaedam apud Janssen t. 2. ed. 18 pag. 136 ss.

propterea etiam tanta illa loci instabilitas: nunquam tamen more reformatorum illius temporis Ecclesiae doctrinam aggreditur vel carpit († ante 23. Aug. 1537). Ipsi tribuitur et *Till Eulenspiegel*, Francofurti 1519 (et jam prius 1515), quem J. M. Lappenberg illustratum edidit, Lipsiae 1854; Halae 1855. *Die Gots h. mesz* von gott allein erstifft, ein städt und lebendigs opffer für die lebendigen und die dodten . . . wider die fünffte schluszred zu Bern disputiert in der Eidtgnosschaftt den fromen alten Christlichen Bernern zu trost und behilff gemacht und zu Luzern offentlich . . . gepredigt und mit dem waren gots wort befestiget, Lucernae 1528, l. rarus. *Von den fier ketzeren Predigerordens* der observantz zu Bern in Schweytzer land verbrennt († 31. Maj. 1509) poetice et in prosa: *De quatuor haeresiarchis* O. Pr. de Observantia nuncupatorum[1]), Argentorati 1509. — Anglus fuit Joannes Forestus reg. obs. theologiae doctor, magnus rei catholicae zelator, infelici reginae Catharinae a confessionibus, qui pro auctoritate Ecclesiae summique pontificis strenue laboravit, docuit, praedicavit, hinc dignus habitus per biennium carceres et vincula primum perferre, sanguinem deinde et vitam profundere 22. Maj. 1538. a. aetatis 70. — Anno praecedenti (3. Aug. 1537) ad coelum fidei martyr migraverat Thomas Belchiam, qui l. conscripsit praenotatum *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (Matth. 11, 8), quo Henrici VIII. errores vitiorumque labem damnat. Num vero utriusque libri prodierint, nobis non constat.

591. Neque ex ordine *s. Augustini*, a quo Lutherus turpiter defecerat, defuerunt qui strenue ejus innovationibus se opposuerint. Ita Wolfgangus Caeppelmair (etiam Ostermaier appellatus) Bavarus, theologiae doctor et professor Wittenbergae, Lutheri magister, postea prior conventus monacensis, qui teste Eckio ut splendor verae fidei illis turbulentis temporibus eluxit († 1531). — Praeprimis vero nominandus est alius, qui dicitur fuisse magister Lutheri, quem hic ipse diu magni fecit, Bartholomaeus Arnoldi cognomento Usingen a loco patrio Nassau-Usingen. Diu docuit Erfordiae philosophiam et a. natus jam 50 ingressus est ordinem s. Augustini (1512). Fortiter stetit pro causa catholica contra innovationes lutheranas concionibus et scriptis († 9. Sept. 1532 a. aetatis 70). Pugnavit praesertim contra Joannem Culsamerum Lutheranum in serm. *de Ecclesia catholica*, 1522 in 4; *de matrimonio sacerdotum et monachorum exiticiorum*, 1523 in 4; uterque cum aliis iterum Erfordiae 1523; *de merito bonorum operum*, ib. 1525; *de falsis prophetis*, de recta et munda praedicatione Evangelii; *de tribus necessario requisitis* ad vitam christianam, quae sunt gratia, fides, opera, Herbipoli 1526 in 4; *purgatorium* contra Lutheranos per Scripturam et rationem probatum et de liberatione animarum ex eo per suffragia vivorum, Herbipoli 1527; *Invocatio SS.*, ib. 1528 in 12; *Anabaptismus:* confutatio eorum, quae Lutherus scripsit in rebaptizantes, Coloniae 1529, aliaque fere inedita[1]). Nostra aetate Dom. Duynstee edidit ex ejus cod. mscr. Polemica *de ss. eucha-*

[1]) Cf. quae de his post tot calumnias erudite disserit N. Paulus Ein Justizmord an vier Dominikaner begangen (1509), in Frankfurter Broschüren 1897 fasc. 3., qui pag. 68 merito notat Th. Murner non alienum esse a partium studio, neque satis accurate de hac causa injustissima scribere.

[1]) Cf. Floss KL. I, 1429—33; N. Paulus Der Augustiner B. Arnoldi von Usingen, Luthers Lehrer und Gegner, Freiburg 1893. Biographie nationale de Belg. I, 94 eum videtur belgis accensere vocatque Barth. Aernonds de Huysinghen; Reininger Weihbischöfe von Würzburg S. 132 etc.

ristiae sacramento inter B. A. de Usingen O. S. A. ejusque olim in universitate erfordiana discipulum M. Lutherum a. 1530, quae ed. introductione variisque commentariis necnon imaginibus est illustrata, Wirceburgi 1903. — Paulus Bachmann (Amnicola) O. Cist. chemnicensis n. c. 1466, artium magister et abbas monasterii cellensis (Altenzelle), strenue stetit cum Emser, Cochlaeo etc. in Saxonia pro fide catholica, nisusque est suum reformare monasterium († 1535). Plura reliquit opuscula pro more illius temporis acri stilo contra Lutherum, quem unus ex primis aggressus est, edita[1]).

592. *Belgae* fuere plures[2]), ex quibus aliqui plane insignes. Jacobus de Hoogstraeten, Hochstraten (oppidulo Brabantiae) n. c. 1460, sub patribus O. Praed. Lovanii studiis operam dabat, factusque magister artium eum ordinem est etiam ingressus a. 1485. Coloniae theologiae vacabat et adepto magisterio studii coloniensis regens primarius est institutus a capitulo generali Papiae 1507 habito, tum prior electus (1508) ejusdem conventus ac auctoritate apostolica per provincias coloniensem, moguntinam et trevirensem generalis fidei censor ac quaesitor institutus. Strenue suo munere fungebatur, hinc multorum, humanistarum petulantium praesertim offensionem, contradictionem, odium incurrit. Scripsit *defensorium fratrum mendicantium* contra curatos *illos*, qui privilegia fratrum injuste impugnant, s. l. et a. (Coloniae 1507 in 4); contra quandam Petri Ravennatis (cf. p. 1173) opinionem *Justificatorium principum Alemaniae* dissolvens rationes . . . P. Ravennatis, quibus principum judicia carpsit, scil. cum reos capitali sententia affectos non permitterent sepeliri, s. l. et a; Coloniae 1508 ed. 2. Cum vero hic duplici libello respondisset, occurrit[1]) theologus *noster Defensione scholastica principum Alemaniae* in eo, quod sceleratos detinent insepultos in ligno, Coloniae 1508. Non tacuit Ravennas, quare iterum arripuit theologus noster calamum edito Protectorio principum A. *de maleficis non sepeliendis* ib. 1511. Controversia demum quievit interveniente mox morte (1509) Petri R. Ut inquisitor acriter egit adversus sagas ediditque tr. rigidum et magistralem declarantem, *quam graviter peccent quaerentes auxilium a maleficis*, Coloniae 1510. Implexus fuit causae diuturnae de libris judaeorum prohibendis[2]), quam nolumus hic iterum retexere (cf. supra p. 1232). Propter eam indignissime fuit impugnatus ab auctoribus epistolarum virorum obscurorum, humanistis et ab ipso Reuchlin, quapropter plura edidit scripta apologetica atque etiam *Destructionem Cabbalae* seu cabbalisticae perfidiae adversus Reuchlinium, Coloniae 1519. — Haud spernendum opus philosophicum concinnavit inscriptum *Margarita moralis philosophiae* in XII redacta ll., ib. 1521. — Intrepidus quoque insurrexit adversus Lutherum, cujus furorem in se excitavit. Collegis suis in facultate coloniensi auctor fuit, ut censuram ferrent de Lutheri erroribus (1519) ejusque opera igni traderentur. Composuit opus solidum, sed prolixum et stilo nimis gravi et acri inscriptum: *Cum d. Augustino colloquia* contra enormes atque perversos Lutheri errores[3]),

[1]) Cf. Streber KL. I, 1829.

[2]) Ad quos spectant aliqui, de quibus jam egimus ut Arnoldus Tungrensis (p. 1234 a.), Joannes de Daventria Min. (p. 1258), Cornelius van Snêken O. Praed. (p. 1252).

[1]) In eadem controversia scripsit Gerardus de Zütphen theologus coloniensis (non confundendus cum eo, cujus supra p. 721 mentionem fecimus): Tr. *de cadaveribus maleficorum* morte punitorum, Coloniae 1508.

[2]) Cf. Kessel KL. VI^{2}, 1158, qui eam accurate describit; Echard II, 62 ss.; Hefele-Hergenroether VIII § 912.

[3]) Cf. Laemmer die vortrident. Theologie Einleit. n. 9.

Coloniae 1521. 1522 t. 2 in 4; absoluta determinatio *de presbyteris publica fornicatione notatis*, quonam pacto valeant ad missarum officia provocari promoveri, admitti seu adjuvari absque salutis detrimento; accedit q. an in extrema necessitate ita universaliter omnia sint communia, ut occupanti rem aliquam nulla de restitutione facienda conscientia sit, Coloniae 1523 in 4; Dialogus (theologi cum haeretico Lonicero) *de veneratione et invocatione SS.* contra perfidiam lutheranam, ib. 1524, bonus, sed acer; epitome *de fide et operibus* adversus chimaericam illam atque monstrosam M. Lutheri libertatem, quam ipse falso ac perdite christianam appellat; ib. 1525; *Dialogus* adversus pestiferum Lutheri tr. de christiana libertate, Antverpiae 1526, veluti ed. altera aucta et retractata; *de purgatorio* seu de expiatione venialium post mortem, Antverpiae 1525; catholicae aliquot disputationes contra Lutheranos, in quibus praesertim *de utilitate, necessitate, merito bonorum operum* etc., agit, Coloniae 1526. Post tot certamina transiit ad mercedem[1]) 21. (juxta alios 27.) Jan. 1527. — Laude dignissimus est Joannes nomine familiae Neys, qui tamen a nativitatis loco Darisdonk prope Turnhutum in Brabantia derivate Dridoens, communiter Driedo[2]) cognominatur (n. est c. 1480). Hadriani Florentii, postea summi pontificis, erat discipulus, doctor et professor lovaniensis, canonicus et parochus ad s. Jacobum († 4. Aug. 1535). Disseruit *de gratia et libero arbitrio ll. 2*, Lovanii 1537; *de concordia liberi arbitrii et praedestinationis*, ib. 1537; *de captivitate et redemptione generis humani*, Lovanii 1548; *de libertate christiana*, ib. 1546; de Scripturis et dogmatibus ecclesiasticis ll. 4, seu tr. *de locis theologicis* 1543; 1550, qui cura Ruardi Tapper collecti prodierunt Lovanii 1533 t. 4 in f.; 1546; 1552; 1556. — Christianus Sterck (Stark, Fortis, Ischyrus) juliacensis, presbyter trajectensis ad Mosam, oppidi protodidascalus, disputavit *de bonis operibus et igne purgatorii, de jejunio et ciborum delectu, de divorum suffragiis* etc., quae prodierunt Antverpiae 1533; Lovanii 1551 in 8., in quibus plus zelo quam stilo valet.

593. Neque *Daniae* defuit fortis et solidus apologeta fidei avitae, Paulus Heliae (Eliae, Povel Eliesen, Povel Helgesen) O. Carm. (n. 1480), prior conventus Dafniensis, dein praepositus provincialis (1522), lector theologiae in universitate dafniensi. Fere solus se opposuit innovationibus lutheranis pluribus libellis, quorum aliqua prodierunt in *Povel Eliesens danske Skrifter*, ed. Secher, Kopenhagen 1855, quae ed. continuata non fuit. Collegit quoque *Chronicon Skibyense* sive annales rerum danicarum ab a. 1046—1534, quos ediderunt Ludewig Reliq. mss. IX, 39—79; Langebeck SS. rer. dan. II. 554—602; Rordam Mon. hist. dan. I, 1—107. Post a. 1534 nulla amplius illius occurrit mentio[1]).

---

[1]) Cf. Cremans de J. Hochstrati vita et scriptis, Bonn 1869; N. Paulus Katholik 1897. II, 160-66; 1902. I, 22—40 et in op. die deutschen Dominikaner etc. p. 87—106.

[2]) Cf. Reusens Biogr. nat. de Belg. V, 165; Dupin XIV, 150—56, qui eum laudat a solida pacificaque disputandi methodo.

[1]) Cf. L. Schmitt S. J. der Karmeliter P. Heliae, Friburgi 1893 (60. Ergänzungsheft zu den Stimmen aus Maria Laach); KL. IX, 1717—19; C. T. Engelstoft P. Eliae in Nyt historisk Tidsskrift 1848. II, 1—174; 415—554. Schmitt l. c. p. 121 ita de ejus scriptis censet: Keine in Dänemark verfaßte Schrift aus gegnerischer Feder kann sich mit seinen Streitschriften messen. In Schrift, Überlieferung, Kirchengeschichte und Kirchenrecht bewandert wie kein einziger seiner dänischen Zeitgenossen, weiß er die rechten Beweise nicht nur zu finden, sondern auch überzeugend darzulegen; aus dem Bewußtsein die religiöse Wahrheit in der katholischen Kirche vollständig und sicher zu

594. Deficiente ab Ecclesia impuris ex motivis Henrico VIII. insignes pugiles pro fide steterunt catholica in *Anglia* contra ipsius innovationes et usurpationes. Horum agmen ducit b. Thomas Morus n. Londini 7. Febr. 1478, qui a patre religiose et optime institutus morum probitate, literarum humaniorum et classicarum cultu, eruditionis amplitudine et firmitate characteris viam sibi stravit ad amplissimos honores. Advocatum initio egit literis tamen humanioribus semper deditus, quas promovit. Praecepti regii fuit auctor, quo discipuli ad linguae graecae obligarentur studium. Erasmo erat addictus, cujus editionem N. T. defendit adversus Dorpium theologum lovaniensem *diss. epistolica.* Magni factus ab Henrico VIII. invitus ad aulam fuit vocatus, sed jam tunc futuram praesagiit tempestatem. Dignitatibus auctus factusque regni cancellarius (1529) religiosissimam duxit vitam, pietati, beneficentiae atque etiam studiis, quantum per negotia licebat, intentam. Fortiter restitit, ne innovationes Germaniae Angliam invaderent, novatores merito reputans pro hostibus etiam boni publici et regiae auctoritatis. Non solum auctoritate restitit, verum et scriptis solidis adversus Lutheranos. Sed en in ipsa Anglia tristissimae defectionis occasionem praebuerunt Henrico VIII. negatum a sede apostolica divortium a legitima sua uxore Catharina sacrilegaeque cum Anna Boleyn nuptiae. Cum nullo pacto incolumi conscientia nefandis Thomas posset velletque assentiri coeptis, munere supremi cancellarii se abdicavit (16. Maj. 1532). Hinc rex graviter offensus minis blanditiisque nisus est virum tantae auctoritatis in suas trahere partes, sed frustra. Constantia christiana vere mirabili denegavit Thomas qualemcunque illiciti conjugii approbationem: quare in carcerem fuit conjectus, in quo ut se pararet ad mortem fortiter pro fide christiana obeundam, libellum composuit *Quod mors pro fide non sit fugienda,* eamque etiam piissime subiit 6. Jul. 1535 b. martyr propterea cum aliis fidei catholicae propugnatoribus a Leone XIII. declaratus [1]) 29. Dec. 1886. Ejus *opera* prodierunt Basileae 1563, Lovanii 1566; Francofurti ad M. 1689. Inter ea maxime innotuit ejus *Utopia* (lat. Nusquam, Nirgendsheim) sive de optimo rei publicae statu deque nova insula Utopia ll. 2, toties recusa et in alias versa linguas, cum notis Erasmi (Parisiis) 1516, Basileae 1518 et saepe alibi, Berlin 1895; Oxonii 1895 etc. estque censura morum patriae suae. Prae oculis habet Platonis rempublicam pluraque theoretice probat, quae practice, cum magna potiretur auctoritate, non servavit. Inter ea praeterea reperitur *ad Lutherum responsio* a. 1522 stilo eleganti conscripta pro rege Henrico VIII. sub nomine Guilelmi Rossei; *expositio passionis Christi,* scripta in carcere; pervenit autem tantum ad verba: *At illi manus injecerunt in eum et tenuerunt*

---

besitzen, schöpft er eine Kraft und Stärke, die allen seinen Gegnern offenbar mangelt und in seiner Begeisterung für die Sache Gottes und seines Reiches auf Erden erhebt er sich nicht selten zum höchsten Schwung geistlicher Beredsamkeit. Seine Schriften sind der Schwanengesang der h. Wissenschaft im Norden. Nielsen Realenc. V[3], 296 s.

[1]) Cf. Düx KL.[2] VIII, 1930-41; Stapleton de tribus Thomis, Duaci 1588; Guil. Roper ejus gener († 1577-78) in vita vulgata a Th. Hearne Oxonii 1716; Thomas Morus ejus abnepos († 1625) in vita, Londini 1627; 1726 (aliique, quos cf. apud Fabricium V, 86); prae primis Bridgett congr. ss. Red. Life and Writings of Sir Th. More, Londini 1891 in 8., opus egregium in cujus praef. biographos hujus b. Martyris recenset eorumque vitas crisi subjicit; Erasmus Expositio fidelis de morte Th. Mori et quorundam aliorum insignium virorum in Anglia s. l. (Basileae) 1535 l. rarissimus (m. 60): Antverpiae 1536 in 8; Baumstark Th. Morus, Freiburg 1879.

eum, Marc. 14, 46. Opera anglice scripta fere incognita prodierunt a. 1557 cur. Guil. Rastell pro fide exsule († 27. Aug. 1565), ed. valde rara; Oxford 1895 cur. J. H. Lupton.

595. Praecessit ipsum in agone illustrissimum ecclesiae anglicanae sidus Joannes Fisher, a sede sua vulgo Roffensis dictus. Natus in oppido Beverley a. 1459 studiis vacavit in universitate cantabrigiensi tanto successu, ut simul et doctor crearetur academiae atque ejusdem constitueretur cancellarius. Ordinibus susceptis strenue animarum curae se impendit atque studia promovit. Ab Henrico VII. in consilium fuit adhibitus, et in episcopum roffensem electus (1504). Apostolica sollicitudine gregem sibi concreditum pavit tanta ei addictus affectione, ut nullis promissis ampliorum sedium vel honorum ab eo divelli sit passus. Ab Henrico VIII. regni initio colebatur ut pater. Cum in Germania Lutherus omnia innovaret, ipse statim pro tuenda fide catholica insurrexit et si non auctor fuit operis Henrici VIII. *Assertio septem sacramentorum* s. romanae Ecclesiae, operam saltem suam ad illud contulit. Cum vero Lutherus contra hanc assertionem acriter scripsisset, opposuit ipse *Assertionis lutheranae confutationem*[1]), 1523; Coloniae 1525. Verum in causa regis vivente legitima uxore novum inire tentantis matrimonium, prout decuit episcopum catholicum, dicere debuit cum Joanne Baptista: *Non licet;* meritoque denegavit jusjurandum, quo jura primatus romani pontificis conculcabantur et defectio ab Ecclesia aequivalenter enunciabatur. Hinc regis ira excanduit, senex fere octogenarius in carcerem durum, ubi vel necessariis ad vitam sustentandam caruit, fuit conjectus. Fidei confessorem Paulus III. cardinalem creavit, verum rex crudelis capitalem in eum sententiam protulit. Pronunciato hymno ‚Te Deum' caput ictui fatali piissimus subjecit martyr efflavitque animam 22. Jun. 1535, a Leone XIII. cum tot aliis beatus pronunciatus[1]). Vel in ejus opera manuscripta, quorum ingens numerus repertus est, fuit saevitum eaque igni fuere addicta: quae supersunt prodiere Wirceburgi 1557; 1597 in f. Inter haec *de unica Magdalena ll. 3* adversus Jac. Fabrum Stapulensem, Parisiis 1519; duo opera supra citata; *contra captivitatem babylonicam Lutheri* cc. 12; *de eucharistia* contra Jo. Oecolampadium ll. 5; *s. sacerdotii defensio* contra Lutherum; *convulsio calumniarum* Ulr. Veleni minhoniensis, quibus hic Petrum ap. nunquam Romae fuisse cavillatur; *de primatu pontificis; methodus perveniendi ad summam christianae religionis perfectionem,* quam e carcere arcis londinensis ad sororem scripsit etc. — Joannes Frazer O. Min. Scotus Neapoli vulgavit a. 1530 q. *de matrimonio reginae Angliae*[2]). — De eodem egit a. 1531 et Joannes Standicius (Standish) O. Min. Conv. doctor oxoniensis et theologiae magister, Angliae provinciae minister, episcopus asaphiensis (1518; † 1535). Hujus tamen l. et Henrico Standicio

[1]) Cf. de hoc op. Lämmer die vortrid. kath. Theol. Einl. l. 10: Es ist dies nach meiner Ansicht in formeller und materieller Beziehung eine der gediegensten polemischen Schriften aus der ersten Hälfte des 16. Jahrh.; Dupin XIV, 145 ss.

[1]) Cf. Eggs Purpurae doctae l. IV p. 494-502; Vita antiqua sec. XVI. non bene edita a quodam Thoma Bailey Londini 1655; 1739; accurate typis tradita cum doctis prolegomenis 1714; et notis et versione in Anal. boll. X, 121—365; XII, 97—287; seorsim Bruxellis 1893 ed. Ortroy. Baumstark John Fischer Bisch. von R., Friburgi 1879; Bridgett congr. ss. Red. Life of the B. J. Fisher, opus eximium Londini 1888; 1890 ed. 2., in quo tuetur martyrem nostrum adversus Gladstone, qui contendit b. martyrem sibi non constitisse atque praestitisse jusjurandum primatui rom. pontificis contrarium: de qua controversia cf. etiam Bellesheim Katholik 1890. II, 71—88.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch. d. kath. Kirche in Schottland I, 450.

ejus nepoti et sodali, theologiae doctori, viro doctrina, pietate, fide et divinae gloriae zelo conspicuo a nonnullis tribuitur († c. 1556): vicissim vero tribuitur nostro l. *de non edendis in vulgari lingua ss. bibliis* adversum Erasmum; ita et l. *de unitate Ecclesiae anglicanae,* Londini 1556.

596. In *Italia* contra Lutherum[1]) praeter Cajetanum (p. 1201), Jacobatium (p. 1225) etc. disputarunt Andreas Burius (Bauria) O. S. Aug. Ferrariensis[2]), s. theologiae doctor, in op. raro *Defensorium apostolicae auctoritatis,* Ferrariae 1521 in 4; s. l. et a. (Mediolani 1523). — Anselmus Bocturnus de Vicentia O. S. Aug., vicarius generalis in conventu tarvisino 1513, disputavit de indulgentiis aliisque catholicis veritatibus adversus Lutheri errores. — Thomas Radinus (Rhadinus) origine quidem et stirpe germana Todischorum, sed Placentiae n., O. Praed. theologiae magister, in romano gymnasio sub Leone X. et Hadriano VI. sacras literas publice docuit († 1527). Hujus memorantur[3]) duae orationes eloquentiae ciceronianae, sed minoris theologicae eruditionis, ad principes Germaniae in M. Lutherum (Romae, dein Coloniae 1520; Lipsiae 1520; Romae 1522) et Phil. Melanchtonem, qui priori, quam Emseri esse putavit, respondere nisus est, Romae 1522 in 4. Disseruit quoque *de pulchritudine animae.* Mediolani 1511. — Ejus sodalis Hieronymus de Monopoli in Apulia, professor metaphysices in academia patavina, provinciae siculae praepositus, a Clemente VII. archiepiscopus tarentinus electus (sed mox † 8. Jan. 1528), reliquit bonum Enchiridion *de necessitate bonorum operum* adversus Zwinglium, Neapoli 1539 in 8. — Thomas cognomine Illyricus (forte quia ejus parentes ex Illyria orti erant) Auximi in Marchia anconitana natus, O. Min. reg. obs., concionator vere apostolicus, Galliam meridionalem ab a. 1520—25 peragrans fervidis suis concionibus populum ad poenitentiam commovit. Ipso adventante in civitatem aliquam cessabant ludi publici atque undique concurrebant homines adeo, ut in plateis ipsi propter auditorum multitudinem esset concionandum. Vitam ducebat exemplarem rigidamque, hinc a populo sancti nomine honorabatur, et in odore sanctitatis vitam finiit Mentone in Subalpinis a. 1528. Composuit *Clypeum status papalis,* Taurini 1523 in 4., in quo tuetur pontificis potestatem adversus Lutheri errores. Hic confundi non debet cum *Clypeo piorum* Thomae Elysii O. Praed. (cf. Nomencl. I², 17). Aliud ejusdem opus est *Clypeus catholicae Ecclesiae* contra dogmata Lutheri, Taurini 1524 in 4., in quo tuetur Sorbonnae censuram contra illa latam. *Conditiones veri pastoris animarum,* ib. 1523 in 4; Sermones *de Christo* (25) et *Christipara* (25), Tolosae 1521 t. 2 in 4. — Joannes a Fano in ord. prius. Observantium definitor et minister provincialis in tunc nascentem Capucinorum familiam acerrime insurrexit, sed gratia Dei illustratus alius est factus suumque errorem compensavit ingressu in illam eandem familiam, in qua rigidam egit poenitentiam observantiae religiosae factus exemplar († 1539 a. ae-

---

[1]) Cf. Tiraboschi VII, p. 1. l. 2. c. 1 n. 2.

[2]) Petrus Accolti Florentiae n. 1455, auditor Rotae romanae, episcopus anconitanus, cardinalis 1511, vicarius Urbis et postquam plures alias sedes tenuerat episcopus sabinensis († 11. Dec. 1532), praeter alia composuisse legitur bullam adversus Lutheri errores (1519). — Ambrosius Flandinus O. S. Aug. de Neapoli dictus, theologiae doctor et lector, episcopus auxiliaris mantuanus (1517; † 22. Sept. 1531), scripsit etiam contra Pomponatium, de mundi genitura, ubi sex dierum opera explanantur, de tribus Magdalenis et unica Magdalena etc., sed omnia inedita. Cf. infra pag. 1273; Ossinger p. 341; Tiraboschi VII, p. 1. l. 2 c. 1 n. 2.

[3]) Cf. N. Paulus KL. X, 729.

tatis 70). Praeter alia scripsit *Incendio delle zizanie luterane* cioè contra la perniziosissima Eresia di M. Lutero, Bononiae 1532; Romae 1535; Antverpiae 1589; *Ars unionis cum Deo consequendae* per triplicem viam spiritus nempe per purgativam, illuminativam et unitivam, Brixiae 1565 et alibi multoties. — Praetermisso Antonio Varano Abrutio, philosopho, medico et theologo (fl. 1529) — Albertus re et nomine Pius Carporum comes eruditus, Francisci regis Galliae, dein Maximiliani imp. in romana curia orator, a Carolo V. postea declaratus est rebellis et principatu privatus. A Clemente VII. missus est ad regis Galliae aulam, sed ibidem decessit mense Januarii 1531 habitu indutus s. Francisci. Discipulus fuerat Pomponatii philosophi famosi atque Carpis cum viris doctrina praestantibus familiariter conversabatur eruditorum Maecenas. Avide conquirebat libros graecos, latinos et hebraicos magnoque discendi ardore illorum lectioni instabat, aemulus avunculi sui celebris Pici de Mirandula. Praeditus erat memoria tenaci, sagaci ingenio et loquendi facundia. Scripsit opus eruditum, non inelegans et rarum adversus Erasmum et Lutherum ll. 23 *in locos variarum lucubrationum* d. Erasmi R., quos censet ab eo recognoscendos et retractandos, Venetiis et Parisiis 1531 in f. cura J. Ge. Sepulveda; Compluti 1526 in f., in quo disserit de jejunio et ciborum delectu, de monachis, caeremoniis ab Ecclesia receptis, de ornatu templorum, de imaginum cultu et reliquiarum veneratione, de praeconiis Deiparae, de ad catalogum SS. adscriptione, de novitiis theologis et de scholastica theologia, de ss. Scripturis et earum auctoritate, de mysterio Trinitatis, de sacerdotum et episcoporum auctoritate et functionibus, de primatu d. Petri, de constitutionibus Ecclesiae ac traditionibus humanis, de voto continentiae, de virginitate et coelibatu, de matrimonio, de confessione, de fide et operibus, de bello et jure ejus, de jurejurando, de mendacio[1]). Quo in opere desideratur subinde ordo et accuratio, dum adversario respondet, nonnullaeque statuuntur opiniones, quae non amplius probantur. Additae sunt literae Erasmi ad Albertum et hujus responsio prolixa operis quasi praeliminaris. Opposuit Erasmus operi apologiam adversus rhapsodias calumniosarum querimoniarum, Antverpiae 1531; Basileae 1531; 1532; Venetiis 1532 etc., brevem quidem sed plenam injuriis in Albertum: pro quo interim defuncto scripsit Joannes Genesius de Sepulveda (cf. Nomencl. I², 19) *Antapologiam*, Parisiis 1531; Romae 1532. Roccaberti t. II B. P. M. ex ejus op. decerpsit tr. *de primatu d. Petri* P. M. potestate titulisque et honore ceterorum praesulum. — Ludovicus de Oriano (Orianus) juris consultus disputavit de potestate summi pontificis, de fide, operibus ac libero arbitrio adversus Lutherum, Venetiis 1534. — Christophorus Marcellus patricius venetus, canonicus patavinus, protonotarius Leonis X. et demum archiepiscopus corcyrensis, in dirissima urbis per Hispanos direptione fame crudelissime necatus a. 1527, praeter editionem op. Augustini Patricii *de ritibus* (cf. supra p. 1083), disputavit[2]) *de auctoritate summi pontificis* et his, quae ad illum pertinent ll. 2 contra M. Lutherum, Florentiae 1520, ex quo op. plura recepit Rocaberti VI, 686—727; universalis *de anima* traditionis opus, Venetiis 1508 in f.; exercitatio *in 7 primos psalmos*, Romae 1523 in 4; *in Ps. 12.*, ib. 1525 etc. — Hieronymus Perbonus (Perbuono) Alexandrinus, Max. Mariae Sfortiae vicecomiti mediolanensi a consiliis secretis[3]), etsi laicus, multa habet contra Lutherum in opere erudito,

[1]) Cf. Tiraboschi Biblioteca modenese t. IV; Storia della Lett. ital. VII. p. 1 l. 2. c. 1 n. 6 ss.

[2]) Cf. Fabricius I, 348; Ap. Zeno diss. Voss. II, 799 ss.

[3]) Cf. Argelati II, 2, 2142.

quod inscripsit *Oviliarum opus*, ab oppido Oviliarum, cujus dominio ab illo principe donatus fuit, Mediolani 1535 in f.

597. In *Gallia* praeter illos, quos inter regulares recensuimus, laudandus est Hieronymus de Hangest, canonicus scholasticus capituli cenomanensis, vicarius generalis, Sorbonnae socius et doctor († 8. Sept. 1538), qui disputavit[1]) in primis adversus Lutherum *de libero arbitrio* et ejus coefficientia, Parisiis 1523; *Antilogie* contre les faux Christs, 1523; *de possibili praeceptorum Dei impletione*, 1528; *de academiis* in Lutherum 1525; 1531 ad tuendos theologos scholae; *Livre de lumière évangélique* pour la Ste Eucharistie, contre les tenebrions 1534; *Propugnaculum praeconiorum matris virginisque Mariae* adversus Antimarianos, Parisiis 1529 l. rarus. — In *Hispania* laudatur Jaimus Oleza, qui l. contra errores Lutheri Leoni X. nuncupavit, quo tamen defuncto cardinalis Crucis et episcopus ostiensis collegii cardinalium nomine literas gratiarum actionis ad eum dedit: l. tamen prodiisse non videtur.

598. Theologis polemicis subjicimus eos, qui patrum operibus edendis vertendisve insudarunt. Huc spectant Joannes Alexander Brassicanus (a familia germanice olim Kohl vel Köl vel Kohlgruber appellata), qui aliquamdiu Luthero addictus patrum lectione meliora edoctus, fortiter deinde Lutheri innovationibus se opposuit. Viennam vocatus est ad academiam 1524 († 27. Nov. 1539) ediditque multorum veterum auctorum scripta[1]). Salviani Mass. *de vero judicio* et providentia ll. 8, Basileae 1530; Eucherii *opera* (genuina et supposita), ib. 1531; Gennadii Scholarii patriarchae CP. de sinceritate christianae fidei dialogus, qui inscribitur . . . *de via salutis humanae*, Viennae 1530, Parisiis 1566; *Enchiridion* de christianarum rerum memoria sive epitome historiae ecclesiasticae per Eusebium descriptae auctore Haymone ep. halberstad., Hagenoae 1531; d. Salonii Viennae G. ep. *dialogi duo*, in quorum priore Parabolas Salomonis, in altero autem Ecclesiasten interpretatur, ib. 1532; Pothonis presb. prumiensis *de statu domus Dei* ll. 5 et ejusdem *de magna domo Sapientiae* l. 1, ib. 1532. — Michael Memler († 17. Sept. 1529), qui ex cod. eberbacensi edidit *Quatuor evangeliorum consonantiam* ab Ammonio Alex. congestam ac a Victore Capuano translatam, Moguntiae 1524; Coloniae 1532. — Joannes Lagrenus O. Min. Conv., qui edidit *Sermones s. Augustini* tabulis locupletissimis adauctos, Lugduni 1520 t. 3 in 4; *Moralia d. Gregorii*, ib. 1546 in 8; *sermones Petri ad Boves*, ib. 1520. — Agapitus Vicentinus, can. later. ordinis rector, qui primus e tenebris eruit *sermones s. Petri Chrysologi*, Bononiae 1534, et exinde saepissime recusos. — Guilelmus Parvi (Petit) O. Praed. Gallus, ordinis (ab a. 1480) rarum decus et ornamentum, doctor parisiensis, Ludovico XII. et Francisco I. a confessionibus et concionibus, quaesitor fidei per Franciam generalis, episcopus trecensis (1518), dein silvanectensis (Senlis 1528; † 8. Dec. 1536), quem Buddeus in ep. ad Erasmum (5. Febr. 1516) illustri encomio commendat, et »librorum reconditorum

[1]) Cf. Steber KL. V, 1496; Feret La fac. de Théol. de Paris, époque mod. II, 25-31, qui et alia ejusdem opera recenset, ut *Moralia*, Parisiis 1529 in f., quo in op. agit de actibus humanis; *Voye seure* en controverse, ib. 1536; Avenione 1566, necnon et inedita. De Christ. Longueil († 1532) cf. Dupin XIV, 101 ss.

[1]) Cf. Döllinger Reformation I, 525; Aschbach Gesch. der Wiener Univ.; praesertim in Nachträge ad hunc t., Wien 1898 p. 43—101, ubi reperies accuratam biographiam ed. W. Hartl et C. Schrauf.

conquisitorem atque investigatorem sagacissimum ac bibliothecarum pene compilatorem « appellat, sed » nescias, subdit, utrum omnium volumina avidius corroget, an benignius amicis impertiat et commodet. « E tenebris eruit et primus edidit Sulpitii Severi aliorumque opuscula *de s. Martino,* Parisiis 1511; *Gregorii turonensis opera,* ib. 1512 in 4; 1522; *Origenis Adamantii opera* (cum Jac. Merlin) ib. 1512 f. 4 in f. Durandi de s. Portiano O. Pr. *commentaria* in 4 ll. sententiarum recensuit primusque edidit, ib. 1508 in f. Partem dicitur habuisse in ed. *Historiae miscellae* Pauli diaconi ib. 1514; *Antapodosis* Luitprandi, ib. 1514; Sigeberti gemblacensis *chronici* ab a. 381—1113 cum insertionibus Galfridi (monumetensis, quas tamen Labbe quisquilias vocat) et additionibus Roberti ab. Montis (s. Michaelis) 103 a. sequentes complectentibus, ib. 1513 in f. Composuit et ipse quaedam opuscula[1]), inter quae *Jardin de la* foi complectens apostolici et nicaeni conc. articulos continens variasque in illo haereses sacrorum Ecclesiae doctorum auctoritatibus rejiciens, ib. 1537 in 8. — Jodocus Badius cognomine Ascensius (Ascanius), quia in oppido Assen (Asca) prope Bruxellam natus (1462) celeber typographus parisiensis, linguas latinam et graecam, quas Lugduni docuerat, egregie callens plurium auctorum[2]) edidit opera annotationibus illustrata († 1535). *Opera s. Brunonis* O. Carth. patriarchae primus edidit Parisiis 1524 in 8. cum ejusdem s. vita ex recensione Guil. Bibaucii O. Carth.; *opera s. Hilarii pictaviensis* ed. Rob. Fortunato macloviensi, Parisiis 1510, ed. pretio critico carens[3]). Collegit *allegorias et sententias morales* in totam s. Scripturam ex variis auctoribus, Parisiis 1520 in f.; scripsit etiam *Vitam Thomae a Kempis* hujus operibus praefixam. — His adde Erasmum, Fabrum Stapulensem etc., de quibus infra agemus.

599. Denique propter intimum nexum inter philosophiam et theologiam scholasticam quosdam nominabimus, qui *philosophiae* praesertim operam dederunt. Praeter tot quos jam hactenus laudavimus, huc referri possunt[1]) Gregorius Reisch O. Carth. Balingae in

[1]) Cf. Echard II, 100.

[2]) Cf. Foppens bibl. belg. II, 761.

[3]) Eadem opera ediderat omnium primus Georgius Cribellus (p. 1129).

[1]) Praetermittimus Bernardum Zanni patricium venetum et archiepiscopum spalatensem (5. Jan. 1524), cujus *quaestiones metaphysicae* (3) prodierunt Venetiis 1505. — Gerardum Columelle doctorem parisiensem (1527; † 1528), qui recognovit et a vitiis purgavit philosophiae naturalis *Summam* Pauli Veneti (cf. p. 808), 1522 in f., et ejusdem aequalem Nicolaum Manuel doctorem parisiensem (fl. 1523) — Alphonsum de Prado Toletanum in complutensi academia liberalium artium professorem (fl. 1530), de quo cf. Nic. Antonium Bibl. hisp. novae I, 41 — Casparem Lax ex Sariñena oppido regni Aragoniae apud Parisios in collegio Montis acuti, logicorum sui temporis facile principem habitum, qui spretis oblationibus sibi factis, patriae amore reversus est ad suos et Caesaraugustae scholam et domicilium (fl. 1521) fixit. Cf. ib. I, 527. — Ferdinandus de Encinas Aragonus Parisiis in bellovacensi collegio artem dialecticam profitebatur (fl. 1528). Cf. ib. I, 375. — Joannes Dolz Aragonus (fl. 1521) professor erat parisiensis (de quo cf. ib. I, 683). Multo magis praetermittendus est Henricus Cornelius Agrippa de Nettesheim (1487—1535), cujus opera quondam fuere in prima classe ll. prohibitorum, nam in multis descivit a sana doctrina. Prae ceteris famosa sunt ejus opera *de incertitudine et vanitate scientiarum*, cum apologia; *de occulta philosophia* etc. Totus erat deditus studiis cabbalisticis et magicis: nomine catholicus, sed in Lutheri opiniones propensus. Ita describebatur instabilis ejus indoles (apud Feret I, 143 a.): „Contemnit, scit. nescit, deflet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia, ipse philosophus, daemon, heros, Deus et omnia.“ Cf. Dupin XIV, 134–145; Stöckl KL. I, 364.

ditione würtembergensi natus[1]), prior monasterii prope Friburgum siti et visitator provinciae rhenanae. In variis disciplinis egregie institutus, a Jo. Eck magni factus est, qui, dum Friburgi studiis operam dabat, eum saepe invisit insignemque fructum ex ejus colloquio et magisterio retulit. Erasmum juvit in edendis operibus s. Hieronymi. A Maximiliano moribundo accitus est, ut extrema eo ministro acciperet morientium sacramenta. Erroribus Lutheri fortiter se opposuit, ne iis sui inficerentur coenobitae et ditio monasterio adjacens († 9. Maj. 1525). Fructum magisterii sui philosophici exhibuit in *Margarita philosophica*, quae est quaedam encyclopaedia in ll. 12 distributa in forma dialogi conscripta, delineationibus quoque ad rerum captum juvandum illustrata. In l. 1. agit de grammatica; in 2. de logica; in 3. de rhetorica; in 4. de arithmetica speculativa et practica; in 5. de musica speculativa et practica; in 6. de geometria speculative et practice; in 7. de astrologia (necromantia, pyromantia et geomantia); in 8. de principiis rerum naturalium; in 9. de origine rerum naturalium; in 10. de anima et potentiis ejusdem; in 11. de potentiis animae intellectivae et in 12. de principiis philosophiae moralis. Propter suam utilitatem saepe prodiit, Friburgi 1503; Argentorati et Basileae 1508 ed. rara (m. 300); 1535. ed. pulcherima; quibusdam ed. additae fuere (non ab ipso auctore) institutiones linguae graecae et linguae hebraicae. Negari nequit hoc opere saltem per dimidium seculi harum disciplinarum studium fuisse admodum promotum[2]). — Nicolaus Leonicus Tomeo Venetus n. 1456 adeo in lingua graeca profecit, ut forte primus Aristotelem juxta textum originalem graeco exposuerit sermone, quem in finem a. 1497 Patavium fuit accitus, ubi celebrem Reg. Polum habuit discipulum. »Platonis quoque majestatem, ut legimus in epitaphio a Bembo ei posito, nostris hominibus jam prope abditam restituit.« Stilo culto vertit Aristotelis, Procli aliorumque veterum philosophorum opera atque commentariis illustravit. *Variae historiae ll. 3* rebus jucundis scitu refertos juvenis composuit, Basileae 1531; Lugduni 1555; *dialogi X* more academico de argumentis etiam philosophicis prodierunt Parisiis 1520; Lugduni 1532; 1542. Decessit praepositus collegiatae, quae vocabatur Montebelluno a. 1531 a viris doctis magnis celebratus encomiis[1]). — Commentaria in varia Aristotelis opera scripserunt Amadeus Meigret O. Praed. lugdunensis, in capitulo gen. Neapoli habito 1515 destinatus ad legendas sententias Parisiis, doctor creatus 1520 et insignis concionator[2]), qui tamen pro concione dicitur protulisse ejusmodi opiniones, quae ad facultatem theologicam parisiensem delatae, ejus censuram meruerunt 9. Martii 1524. — Hieronymus Rupeus, vulgo ut videtur de la Peña, Medinensis auctor est *Commentariorum philosophiae moralis ll. 3,* Parisiis 1537 in 8. — Jacobus (Joannes alibi ab Antonio dictus I, 749) Naveros artium theologiaeque professor complutensis (fl. 1533). — Bernardinus Landucci O. Carm. Senensis, doctor parisiensis, vicarius generalis 1511 et 1517, prior generalis († 28. Mart. 1523), disseruit *de sensu composito,* l. mole quidem exiguus, eruditione tamen grandis et eximius. — Marcus Antonius Zimara, Apulus, etiam medicus, inter Averrois interpretes haud ultimus fuit,

[1]) Secundum Sbaraglia p. 312 ipse fuerat O. Min., et nonnisi provectae aetatis factus est O. Carth.

[2]) Cf. Alex. de Humboldt Kosmos II, 286 Stuttgart 1847; Zeck KL.[2] X, 991; Jansen I[18], 131.

[1]) Cf. Tiraboschi II. 1. l. 2. c. 2. n. 2.

[2]) Cf. Echard II, 58. Propositiones revera malesanas ipsi tributae cf. apud Dupin XIII, 216.

hinc ejus *Solutiones contradictionum Aristotelis et Averrois* additae fuere hujus operibus t. XI. ed. 1560. Professus est philosophiam Patavii et Romae, et decessisse videtur a. 1532 vel post hunc annum[1]). — Joannes Lintholz (Tilignus Monopolitanus) natus in oppido Muncheberg prope Francofordiam ad O. philosophiam docuit Lipsiae et Francofordiae, ubi philosophicae facultatis decanum et rectorem egit. Electus est hujus civitatis parochus 1518 († 1535). Plura reliquit commentaria in Aristotelis opera, ut *Breviloquium* in parvulum naturalis philosophiae 1502; 1507; in Thomae A. opusculum de ente et essentia, 1501; expositionem tractatuum M. Petri Hispani secundum viam ... Alberti M., Francofordiae 1504; *Arbores consanguineitatis, affinitatis* etc. ib. 1516, factus est enim et juris doctor[2]). — Ferd. Ponzettus Florentinus cardinalis († 2. Sept. 1527) edidit *de philosophia naturali* ll. VI, Romae 1520 etc.

600. Erroribus suis innotuit Petrus Pomponazzi (Pomponatius), Neoaristotelicus et Alexandristarum (qui ita vocabantur ab Alexandro Aphrodisia, antiquo Aristotelis interprete, Averrois adversario) dux, Mantuae 16. Sept. 1462 natus, ob staturam parvam Petretto etiam dictus. Docuit magno plausu Patavii, deinde et Bononiae philosophiam. Profitebatur (saltem facto) pessimum errorem, aliquid secundum philosophiam posse esse verum, quod secundum fidem et theologiam sit falsum et viceversa, speciatim animam rationalem secundum philosophiam esse mortalem, qui error damnatus fuit in concilio lat. V. sess. 8. (a. 1513). Eum propugnavit[3]) in l. *de immortalitate animae*, Bononiae 1516, in quo negat eam ratione probari et ab Aristotele doceri. Acriter hic liber impugnatus fuit et agentibus fratribus ord. Min. igni traditus Venetiis; Leo X. vero erroris retractationem exegit, num eam ex corde praestiterit est dubium. Aliis quoque in operibus pessimos proposuit errores, ut in l. prohibito *de naturalium effectuum admirandorum causis* sive de incantationibus, Basileae 1556; 1569 in 8., in quo tam miracula quam facta magica negat. Cum hoc opere prodierunt ll. 5 *de fato*, libero arbitrio, praedestinatione, providentia Dei, Basileae 1567 in 8., in quibus Stoicorum fato favet[1]). Opera ejus philosophica, stilo barbaro et rudi conscripta, collecta prodierunt, Venetiis 1525 in f. ed. rara. Obiit recusatis constanter omnibus cibis inedia a. 1524. — Plurimi ejus errores de anima impugnarunt, ut Augustinus Nifo (Nyphus) Calaber, a patria Suessanus dictus. Discipulus erat Nicoletti Vernia philosophi celebris, philosophiae magister variis in academiis. Gratia fruebatur Leonis X., qui eum comitem palatinum dixit eique Medicei cognomen tribuit et insignia concessit[2]). Huic opposuit Pomponatius

[1]) Cf. Werner der h. Thomas III, 131.
[2]) Cf. Schwarze A. d. Bi. XVIII, 724.
[3]) Cf. Stökl KL.[2] I, 530; X, 179.

[1]) Cf. Pastor Gesch. der Päpste 3^2, 113 ss., qui copiosam exhibet literaturam; Katholik 1861. I, 150 ss.; Spicker Leben und Lehre des Pietro Pomponazzi, München 1868; Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. III, 465, secundum quem apud plures atheismi notam incurrit; Tiraboschi VII p. 1. l. 2 c. 2 n. 3 s.; Amadei Difesa del Pomponazzi, Mantuae 1748; Fr. Fiorentino P. Pomponazzi studii storici sulla Scuola Bolognese Padovana del sec. XVI, Firenze 1868, qui eum admodum glorificat ut scholae novae caput.

[2]) Cf. Niceron XVIII, 63; Werner des h. Thomas v. A. III, 128; Fabricius V, 133. Ejus opera philosophica prodierunt Venetiis 1559 t. 6 in f., inter quae ll. 6 *de intellectu et daemonibus*, ib. 1492 in f.; 1503; 1527, in quo op. errorem Averrois de unitate intellectus in hominibus tuetur, cui tamen errori agente Barozzi ep. patavino demum renunciavit. Ejus opuscula moralia et politica prodierunt Parisiis 1645. In theoria et praxi laxa sectabatur principia moralia. Obiit 18. Jan. 1538. Cf. Stöckl KL. IX, 403; Tiraboschi VII, p. 1. l. 2. c. 2 n. 5, qui inter alia de eo scribit: Moltissime sono le opere che ne abbiamo, ma or quasi tutte abbando-

Defensorium, Bononiae 1519 in f., in quo animam esse immortalem se fide quidem credere divina contestatur, at ejus immortalitatem ratione probari non posse naturali, se solum contendere. — Chrysostomus Javelli, de quo supra p. 1209 egimus, Pomponatii literis excitatus ad argumenta respondit in *Solutionibus rationum animi mortalitatem probantium,* quae in defensorio contra Niphum ab illo formantur. Cum solutionibus Javelli, ep. Pomponatii ad Javellum et hujus ad illum, permissa fuit demum impressio l. *de immortalitate,* Bononiae 1519. Huic ed. praeterea adjiciuntur tres Pomponatii *apologiae,* tr. Aug. Niphi et illius adversus hunc *defensorium.* Ejus praeter alia quoque est *Dilucidarium* metaphysicarum disputationum in 14 ll. metaphysices ex Aristotelis et Averrois arcanis absolutum, Venetiis 1559 in f. — Ambrosius Fiandino O. S. Aug. Neapolitanus, s. theologiae doctor, episcopus titularis lamocensis et auxiliaris mantuanus († 1531), disputavit fortiter acriterque *de immortalitate animae* contra P. Pomponatium, quem per ludibrium „Peponatium, senem delirum, hominem maledicum, patriae vituperium“ appellat, Mantuae 1519 in f.; et adversus Lutherum (ll. tamen ineditis). Ejus *conciones quadragesimales* prodierunt Venetiis 1523 in 8. Cf. p. 1271 a. — Praetermissis interim Barth. de Spina, de quo infra — Bartholomaeo Fiera mantuano medico († 1538) — Hieronymo Amideo de Luca O. Serv. b. M. V., qui supremos in ordine multis annis magistratus cum summo regularis observantiae incremento gessit († 1543) et etiam contra Lutherum scripsit[1]) — Casparo Contarini, suo quondam discipulo, cujus libri duo *de immortalitate animae* Venetiis 1516, ob argumentorum pondus maxime Pomponatius rationem habuit et cui respondit *Apologia,* Bononiae 1517 in 8 — Vincentius Colzado O. Praed. Vicentinus, theologiae doctor et gymnasii bononiensis praefectus, ad quem audiendum multi Bononiam accesserunt, Pomponatium impugnavit, qui ipsi *apologia* respondit. Reliquisse fertur erudita quoque commentaria in s. Scripturam (fl. 1532). — Petrus Nicolaus Castellani Faventinus, Pisae professor, aliquot Aristotelis opera commentariis illustravit et contra Pomponatium l. vulgavit *de immortalitate animorum* secundum Platonem et Aristotelem, Faventiae 1525 ed. 2., in quo tuetur, Aristotelem animae docuisse immortalitatem. — Simon Porzio Pomponatii discipulus, Pisis philosophiae professor († 1554) ejus haesit vestigiis, sed successu infelici[2]). Ejus praeter alia est l. (ab aliquibus dictus impius) *de mente humana,* Florentiae 1551.

---

nate alla polvere, di cui veramente sono degne. Quasi tutte le opere di Aristotele furono da lui illustrate, anzi non vogliam dire oscurate, il che pure si può affermare di quasi tutti i commentatori di questo secolo. Adversus ipsius Paradoxon disseruit *de alterationis modo et quidditate* Sanzius Carranza de Miranda Navarrus (fl. 1523), ecclesiae calagurritanae canonicus, deinde hispalensis magistralis, qui Compluti dialecticam et physicam doctrinam docuit, dein et theologiam „cum magna sua gloria, scribit Jo. Genesius Sepulveda in hist. collegii bononiensis, acerrimus omnium, quos ego unquam viderim, disputator, et qui in sophistarum et physicorum scholasticis congressibus, quo tempore haec studia curabat, regnare dicebatur. Sed illam tantam gloriam audio jam ab eodem majoribus suis virtutibus et opinione theologicae sapientiae superatam.“ Cf. alia ejusdem scripta apud Nic. Antonium Bibl. hisp. n. II, 275. Etiam Thomas Rocha Catalanus, medicus (fl. 1522), contra quasdam Niphi assertiones scripsit, de quo cf. ib. II, 312.

[1]) Cf. Markl Speculum virtutis et scientiae O. Serv. b. M. V. p. 150 s. Contra Pomponatium scripsit Apologiam *pro animae immortalitate.* Mediolani 1518.

[2]) Cf. Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 2. n. 6.

II. S. Scriptura.

601. Non solum typographiae inventio, sed multo magis protestantium innovationes, qui omnia sus deque verterunt et Scripturae, ut jactabant, innixi plurima fidei avitae dogmata sunt aggressi, occasio extiterunt, ut catholicorum circa s. Scripturae studia fervescerent. Incipiamus ab eorum laboribus, qui praeliminares dici possunt[1]). Albertus Castellanus[2]) O. Praed. venetus editis in lucem propriis aliorumve recensitis operibus aliquod sibi nomen apud posteros fecit[3]). Ita ejus cura *Biblia latina* cum pleno apparatu tersissime et nitidissime impressa prodierunt Venetiis 1506; 1511; 1519 cum concordantiis V. et N. T., necnon et juris canonici, ac diversitatibus textuum canonibusque evangeliorum etc.; *sermones b. Zenonis veronensis; homiliae et admonitiones b. Caesarii* arelatensis ep. aliique sermones, ib. 1508. *Pontificale* secundum ritum romanae Ecclesiae emendatum primum a Jac. de Lutiis . . . et Jo. Burckardo (cf. p. 1082) Romae 1497 editum cum multis additionibus, Venetiis 1520. Tribuitur ipsi (cf. supra p. 704) et *chronica* brevis ab initio ordinis usque ad praesens tempus de omnibus pontificibus romanis et omnibus magistris generalibus et de viris illustribus tam sanctitate quam scientia praeditis ipsius ordinis, ib. 1508 in 8. etc. Obiisse videtur c. 1522. — Joannes de Gradibus Mediolanensis, j. u. professor, edidit *Biblia* cum concordantiis V. et N. T.; accedunt auctoritates ex antiquitatibus Judaeorum Josephi, Lugduni 1522 (m. 60) inf.; necnon opera canonistarum celebrium[1]) ut Fr. Zabarellae, Jo. de Imola, Petri Ravennatis, Guidonis de Baysio, Jo. Ant. de s. Georgio, Dominici de s. Geminiano, Felini Sandei etc., de quibus supra egimus.

602. Aelius Antonius de Lebrixa (Lebrija, Nebrissa) vulgo Nebrissensis dictus n. c. 1442, quinquennio Salmanticae studiis operam dedit, inde in Italiam a. aetatis 19. transiit liberalium omnium disciplinarum avidus, ibique decennio commoratus omnia fere gymnasia perlustravit atque fructus adeo uberes retulit, latinae praesertim, graecae hebraicaeque linguarum peritiam et ingenuarum omnium artium eruditionem, ut in ore esse literatorum illius aevi sit promeritus. Rediit in patriam zelo incensus restaurandi classicarum literarum studia: quem in finem novae grammaticae et vocabulario

[1]) Non inutile pro studiis biblicis erat *dictionarium graecum* (Romae 1523; Basileae 1538; Venetiis 1712; 1801 etc.) Varini (Guarino) Phavorini (Favorini ab oppido patria Favera in Umbria) OSB. congr. silvestr., qui erat discipulus Joannis Lascaris et Angeli Politiani, praeceptor Joannis de Medicis, qui postea fuit pontifex Leo X., demum episcopus nuceriensis (1514; 1. Maj. 1537). — Franciscus de Robles O. Min. reg. obs. exposuit *Rationem accentuum* omnium fere dictionum difficilium tam linguae latinae quam hebraicae nonnullarumque graecarum, sed praecipue earum, quae per ss. literas sparguntur, cum quibusdam orthographiae regulis et additionibus, Compluti 1523: Toleti 1572., quem tr. auctum edidit Michael Ascensius ejus sodalis, Aragonius, inscriptum Tr. *de accentibus* linguae latinae et hebraicae, Caesaraugustae 1621. 1628.

[2]) Ejus forte est *Liber sacerdotalis* nuperrime ex libris s. romanae Ecclesiae et quarundam aliarum ecclesiarum collectus, Venetiis 1537. — Alius ab eo est Jacobus Castellanus, cujus supra pag. 1178 jam fecimus mentionem.

[3]) Cf. Echard II. 48.

[1]) Cf. Argelati I, 700 s.; II, 1905.

linguae latinae componendis sedulo se impendit. Docuit et literas humaniores Hispali, tum et Salmanticae. Interim selectus est a rege Ferdinando Catholico, qui gestorum suorum historiam conscriberet (1504). Postea ejus opera (cum aliis viris eruditis) uti voluit literarum Maecenas Ximenes archiepiscopus toletanus pro editione suae Polyglottae († 2. Jul. 1522). Magnis encomiis eum prosecuti sunt eruditi. Plurima reliquit opera[1]): praetermissis grammaticis et philologicis, quae ei summam pepererunt nominis famam — poeticis, historicis, inter quae *Decades* duae rerum a Ferdinando et Elisabetha Hispaniarum regibus gestarum, opus posthumum, Granatae 1545; et inter rerum hisp. SS. Francofurti 1579, opus magni pretii — juridicis et medicis — huc videtur memorandus propter operam collatam in illam Polyglottae editionem. Composuit *tres locorum Scripturae quinquagenas,* non vulgariter enarratorum, quarum duae propter nimiam libertatem in carpenda versione vulgata suppressae fuere per censuram Didaci Dezae O. Pr. inquisitoris, ideoque periisse videntur, tertia tantum interveniente mitiori censura Ximenis, Didaci in eo munere successoris et auctoris nostri fautoris, alphabetice disposita, prodiit Parisiis 1520, opus ingentis eruditionis curiosissimis profanorum scriptorum citationibus refertum, in quo testimonia s. Scripturae exponens rationem habet textus originalis; Basileae 1543; cum Angeli Canini locis hebraicis N. T., Antverpiae 1600 in 8., et receptum inter criticos sacros anglos Londini, Francofurti et Amstelodami excusos t. 8. *Hymnorum recognitio* cum aurea illorum expositione: accedunt nonnulli proprii sanctorum hymni a Petro Nunio Delgado presbytero dilucidati, 1554; Granatae 1541; *Segmenta* ex expistolis Pauli, Petri, Jacobi et Joannis necnon et prophetis, quae in re divina leguntur per anni circulum, Granatae 1516; 1545; *Homiliae* diversorum auctorum in evangelia, quae diebus dominicis decantantur, revisae cum expositione, ib. 1549; *Sanctorum acta* seu vitae cum additionibus marginalibus, Lucronii 1527 etc.

603. Mentionem quoque meret Joannes Reuchlin nomine graeco dictus Capnio: etsi enim immediate in rebus theologicis non sit versatus, haud parum contulit ad promovendam genuinam s. Scripturae intelligentiam cultura linguae hebraicae, quam studio laudabili impense commendavit, fovit, diffudit: hinc pater grammaticae hebraicae inter Christianos merito salutatur. Huc spectant *Rudimenta linguae hebraicae ll. 3,* Phorcae 1506; *commentariolus* ad discendam linguam hebraicam, Tubingae 1512; *de accentibus et orthographia linguae hebraicae,* Hagenoae 1518 etc., quae modernis quoque grammaticis hebraicis usui esse possunt[1]). Natus is est Pforzheimii 22. Febr. 1455. Studiis vacavit Parisiis, Basileae aliisque in civitatibus illustribus addiscendis linguis graecae et hebraicae maxime intentus. Ab Eberardo Würtembergae comite ad gravia negotia gerenda saepe fuit adhibitus et ab imperatore dictus comes palatinus. A Philippo electore palatino electus est in paedagogum filiorum suorum. Magnam quoque operam impendit eruendis

[1]) Ea accurate recenset Nic. Antonius Bibl. hisp. n. I, 132—39. Cf. Fabricius V, 91; Hefele KL.[2] 1, 989; Dupin XIV, 120. J. B. Muñoz Elogio de A. de L. in Memorias de real. acad. de la hist. III, 1—30.

[1]) Cf. Cornely hist. et crit. introd. in V. T. ll. sacros t. 1. n. 250. Janssen I[18], 118: Reuchlin hat den unvergänglichen Ruhm in Deutschland das eigentlich wissenschaftliche Studium des Hebräischen begründet zu haben. Seine hebräische Grammatik nebst Wörterbuch ist das erste vollständige Lehrgebäude dieser Sprache.

arcanis cabbalisticis, nam inde haud spernendum pro intelligentia s. Scripturae et mysteriorum fidei christianae commodum sibi est pollicitus: hinc etiam scripsit *de verbo mirifico ll. 3*, 1494, Lugduni 1522 in 16, opus saltem octies editum; quorum primus exponit quidquid selectius ac illustrius paganorum philosophia subministrat; alter vero mysteria in hebraicis nominibus et praecipue in Dei nomine recondita detegit; tertius denique inducitur, ut utriusque principia adoptans christianam religionem comprobet. *De arte cabbalistica*, Hagenoae 1516. Athanasium *in l. psalmorum*, Tubingae 1515 et *de variis quaestionibus* latine transtulit, Hagenoae 1519; *septem psalmi poenitentiales*, hebraice cum grammaticali translatione latina de verbo ad verbum et super eisdem commentarioli, Tubingae 1512 in 8; Wittembergae 1520. Optavit quidem cum tot aliis Ecclesiae in moribus restaurationem, sed innovationes lutheranas non approbavit. Aliud ejusdem opus est *de arte praedicandi*, Pforzheim 1504, quo l. exhibet suas lectiones datas sodalibus s. Dominici. Ejus *epistolas* cf. in op. J. R. Briefwechsel in Bibl. des lit. Vereines in Stuttgart CXXVI, Tübingen 1875. Sua opera judicio Ecclesiae subjecit. Decessit post vitam ultimis annis sat turbatam professor tubinganus 30. Jun. 1523 in pace Ecclesiae. Inclaruit restauratione literarum classicarum, nominatissimus vero factus est controversia tristi primum cum Pfefferkorn, dein cum Hoogstraet, de libris judaeorum[1]), de qua jam supra egimus p. 1232.

604. Neque praetermittendus est Erasmus Roterdamus can. reg. vir sane eruditissimus, qui tamen sui nominis gloriam multiplici foedavit macula[1]). Natus est Rotterdami 28. Oct. (probabiliter) 1466 vel 1467. Puer a. 12 studiis operam dedit Daventriae in scholis fratrum vitae communis, quas tunc frequentabant duo discipulorum millia. Jam tunc magistri magnam ejus praesagiebant eruditionem. Non tam sponte sua et ex corde, quam egestate aliorumque suasu incitatus ingressus est ordinem can. reg. in canonia Emaus prope Goudam. Diu noctuque in literis versabatur ac velut occulta naturae vi musarum studio se dedit. Taedio vitae regularis affectus libertatem degendae extra communitatem vitae impetravit retento tamen habitu (quem postea etiam exuit). Parisios et Aurelianum adiit, Angliam, Bataviam, dein et Italiam lustravit amicorum subsidiis adjutus ad excolenda studia, ubique a viris literatis cum honoris significatione ob eruditionem in literis classicis exceptus. Taurini creatus est theologiae doctor (1506). Cum magni fieret ab Henrico VIII, vix ac hic thronum conscendit, invitatus transiit in Angliam atque Oxonii praelectiones habuit de literis graecis deque ipsa theologia. Post aliquot annos Bruxellas rediit (1516) atque a Carolo V. auctus est honore consiliarii regii. Postquam variis in civitatibus degit, demum Basileae ab a. 1521 stabilem sedem fixit, ut edendis operibus incumberet, frustra eum pontificibus et episcopis, regibus et summis principibus, propositis etiam splendidis conditionibus, alio invitantibus. Attigit tunc apicem gloriae et honoris, encomiis virorum omnium literatorum obruebatur, cunctis desiderantibus vel apicem ab eo recipere et possidere, unde aliquoties ad 40 literas una expediebat die. Sed dolendum eum prae nimia literarum humaniorum cul-

[1]) Cf. Trithemius de SE. c. 920, qui eum impense laudat; Funk KL.[2] X, 1101—9; Geiger J. Reuchlin sein Leben und sein Wirken, Lipsiae 1871; allg. d. Biogr. XXV, 785—99, Janssen Gesch. d. deutschen Volkes II[18], 40 ss.; Fabricius V, 370; praeprimis Katholik 1874. I, 569-93; 700—19; II, 51—71.

[1]) Hanc satis colliges ex iis, quae legere poteris apud Janssen Geschichte des deutschen Volkes II[18], 7 ss.

tura et doctrinae veterum gentilium admiratione methodum et accurationem fastidisse scholasticam ipsamque scholasticorum sapientiam. Levitate sua dicendi et scribendi (neque enim profundus erat theologus) circa plura dogmata fidei et disciplinam ecclesiasticam inexacte, dubie, etiam erronee se exprimebat[1]), ut suis scriptis, praesertim ob suam auctoritatem, innovationibus protestantium straverit viam: hinc illud adagium: „Erasmus innuit, Lutherus irruit; Erasmus parit ova, Lutherus excludit pullos: Erasmus dubitat, Lutherus asseverat. Erasmus lutherizat, Lutherus erasmizat.“ Neque desunt qui eum scurram in rebus vel sanctissimis dicant. „Certe in ejus ll. haereses permultae sunt fere exploratae[2]). Arianismum Bellarminus et Possevinus invenerunt in ipsius lucubrationibus, Valentia etiam Macedonianismum detexit. Vorstius deprehendit dubitationes circa ipsam Dei immensitatem. Canisius intolerabiles petulantissimi ingenii irreverentias offendit in describendo Christi conceptu et Virginis partu. Catharinus doluit hominis insani risum, qui christianum de Christi morte luctum in Parasceve ab Ecclesia celebrari solitum „luctum Adonidis“ vocavit. Alanus Copus abjectissimam de s. reliquiis opinionem multis in locis reperit. Molanus circa imagines ss. Severi iconoclastae blasphemias corripuit. Omnes denique spurciloquia ubique ab Erasmo ubertim sparsa invenerunt, praecipue vero in *colloquiis*[3]) et in suo detestabili „*Moria*“, seu in l. quod (a Sorbonna quoque 1543 reprobato) inscripsit *Laus stultitiae*. In eo defectus omnis conditionis, vanitatem, corruptionem etc. acerbe et ironice reprehendit. Inter paucos menses septies et deinde innumeris vicibus prodiit et vel Leoni X. arrisit. Sed postquam Gerardus Listrius ex inspiratione Erasmi illud commentario illustravit totumque virus latens aperuit, gravem meritamque incurrit censuram; theologi lovanienses illud viro erudito indignum judicarunt (1515). Sorbonna vero damnavit atque ab auctoritate ecclesiastica in ll. prohibitorum indicem fuit relatum. Quibus accusationibus plures aliae addi possent: nam et peccatum originale et missae sacrificium, divinam primatus et confessionis institutionem, matrimonii indissolubilitatem in dubium revocat; coelibatum et jejunia contemnit; romanos pontifices aggreditur, ipsum robur fidei et disciplinae christianae arrodit indifferentismo et naturalismo viam sternens, statum religiosum deprimit et irridet[1]) etc. Initio quidem Lutherum excusavit, sed videns tristes sequelas exhorruit, pedemque nisus est retrahere frustraque tentarunt defectionis coryphaei eum ad suas allicere partes, controversiarum tamen fastidio aperte illi se non opposuit[2]). Demum ad suae orthodoxiae

[1]) Janssen-Pastor VII[12], 482: Das Ideal seiner Theologie war möglichste Dehnbarkeit, Vieldeutigkeit und Unbestimmtheit. Nichts war ihm so verhaßt wie die speculative Begründung theologischer Lehren, die scharfe und distincte Begriffsbestimmung, das Systematisiren und Deduciren in Dogmatik und Moral. Daher seine principielle Feindschaft gegen die Scholastik.

[2]) Ita Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. 2, 231.

[3]) Haec 1518 primum edita, 1524 multum aucta, innumeris vicibus recusa, a facultate parisiensi damnata fuere a. 1526, qua de re cf. D'Argentré II, 47; Feret La faculté de Théol. de Paris, epoque moderne l l. 2 c. 2 § 7; Fleurii H. E. l. 130 § 86 ss., praesertim vero l. 131 § 73 ss. reperies (ex D'Argentré) prolixas censuras in 32 Erasmi prop. ex ejus in primis paraphrasibus in N. T. derivatas. Cf. eas etiam in Op. IX, 814 ss.

[1]) Injuriarum in monachos prolatarum quasi retractationem instituit in praef. ad ed. commentarii in Psalmos Haymonis Halberst. a se ed. 1533, in qua splendidum in statum religiosum encomium legitur.

[2]) Cf. Janssen II, 160 ss. ubi ejus ambiguum ingenium ostendit; de ejus diatriba adversus Lutherum Laemmer op. cit. praef. n. 13.

veluti tutelam calamum strinxit in Lutherum in diatribe *de libero arbitrio,* Basileae 1524, qua multis reddidit Lutheri dogmata suspecta: cui mox ille opposuit l. de servo abitrio contra Des. Erasmum plenum conviciis et contumeliis, quo hic graviter offensus reposuit *Hyperaspistes diatriben* contra servum arbitrium Lutheri, Antverpiae 1526; Basileae 1526; accedit l. 2, ib. 1526—27 etc., pari acerbitate respondens: hinc ortum irreconciliabile odium Lutheri adversus ipsum. Praevalentibus vi et armis protestantibus in urbe Basileae (1529) Friburgum secessit: post sexennium rediit Basileam edendis operibus sedulo intentus. A Paulo III. factus est a. 1535 praepositus Daventriae, imo plures amici romani, inter quos cardinales sex, satagebant, ut purpura honoraretur: verum ipse mortem imminentem praesentiens, illos ab eo consilio dehortabatur. Morbis demum consumptis, quos patienter tolerabat, decessit (num sacramentis munitus incertum) inter 11. et 12. Jul. 1536.

605. Abstinemus a recensendis encomiis et elogiis, quibus supra meritum a viris eruditis omnis nationis et generis cumulatus fuit. Non negamus ipsi eruditionem in literis humanioribus vastissimam, indefessum studendi ardorem, stili elegantiam [1]): multum promovit quaquaversus ingeniorum culturam, antiquitatis studium. *Opera* ejus [1]) collecta prodierunt cura Beati Rhenani, Basileae 1540—41 t. 3 (m. 170); emendatiora et auctiora ad optimas ed. summa fide exacta doctorumque virorum notis illustrata Lugduni B. 1703-6 t. 10 in 11 v. cura Clerici (m. 300). Praemittuntur in ea ed. scripta, quae ad illustrandam ejus vitam spectant; sequuntur t. 1. quae ad literarum institutionem pertinent; t. 2. *adagia* (1500) opus magnae eruditionis; t. 3. ejus *epistolae* (ultra 1200) magni momenti pro historia literaria illius temporis, nam literas dedit ad viros eruditos omnis nationis, ordinis, dignitatis [2]): saepissime seorsim editae; t. 4. et 5. scripta, quae referuntur ad morum institutionem et quae instituunt ad pietatem, inter quae aliqua spectantia ad paedadogiam [3]), ut *de ratione studii* et instituendi pueros commentarii (1512; jam t. 1.); *Enchiridion militis christiani* (1502), saepe editum, sed et impugnatum, a Sorbonna 1540 reprobatum; *institutio principis christiani* pro Carolo principe, postmodum imperatore, Lovanii 1515, etc., saepissime ed., quibus adde l. *Ecclesiastes* sive

[1]) Plura de nostro auctore exhibent, Streber KL. IV², 729—44; Kerker E. und sein theol. Standpunkt Tüb. Qtlschr. 1859 p. 531 ss.; Richter Erasmus-Studien Dresden 1891; Nève E. d'après ses nouveaux historiens en Revue cath. ser. 2. 1875. t. 13: Durand de Laur.: Er. precurseur et initiateur de l'esprit moderne, Paris 1872 t. 2; Drummond Er. his Life and Character asshown in his Correspondence and Works, London 1873 t. 2; Gaston Frugere Er. Etude sur sa vie et ses oeuvres ages Paris 1874; Hoffmann Essai d'une liste d'ouörages et diss. concernant la vie et les écriss d'E. (1518-1866), Bruxellis 1866: Kaemmel A. d. Bi. VI. 160—180; Dupin fuse admodum XIV, 12-91 de ejus operibus disserit.

[1]) Cf. Foppens Bibl. Belg. l, 231-39, Bibliotheca Erasmiana, quae cura directionis bibliothecae universitatis gandavensis tribus fasciculis Gandavi 1893 in 4 prodiit, exemplum diligentiae et accurationis bibliographicae, quorum 1. complectitur varias editiones operum Erasmi isque inscribitur modeste Liste sommaire et previsoire. Alter recenset auctores ab Erasmo editos, versione donatos vel illustratos; tertius denique literaturam de ipso.

[2]) Jos Förstemann et (eo defuncto) Otto Günther ediderunt Briefe an Des. Erasmus (232), Leipzig 1904.

[3]) Cf. Toegel Die pädag. Anschauungen des E. in ihrer psycholog. Begründung Dresden 1896; sed prae primis Pädag. Bibliothek t. 8. Herder, Freiburg 1896, quo potiora ejusdem continentur scripta germanice reddita a Dr. Reichlin cum auctoris vita.

concionator evangelicus (Basileae 1535), qui multis admodum fuit acceptus, saepius editus, adhuc Lipsiae 1820; *Modus confitendi* (1525); *praeparatio ad mortem;* T. 6. continetur ejus *N. T. graecum* cum versione et annotationibus (Tiguri 1547 m. 175); t. 7. ejus in illud *paraphrases*. Propter hos labores hic maxime Erasmum nominamus. Paraverat scil. novi T. editionem graecam adhibitis, ut ipse testatur in ep. dedicatoria ad Leonem X., „compluribus utriusque linguae codicibus" iisque „vetustissimis simul et emendatissimis"[1]): revera autem quinque dumtaxat (binos ad evangelia et ad actus epistolasque, unum ad apocalypsin) c)dd. eosque juniores byzantinae recensionis adhibuerat, imo cum apocalypseos codex truncatus esset, ultimos versus 22, 16—21 ipse ex latino graece reddiderat, Basileae 1516, ed. mendis plena, parum critica. Textum hunc, quem ipse postea „precipitatum potius quam editum" appellavit, in altera ed. ib. 1519 ab haud paucis typographi vitiis emendavit; 1522, ed. 3., in quam recepit 1. Jo. 5, 7; 1527 ed. 4., quam secundum textum complutensem cen-

[1]) De his ed. cf. Long-Masch Bibl. s. I, 281—92; Cornely l. c. n. 144; Hundshausen KL. 2, 600 ss. Contra Erasmi editionem scripserunt Jac. Latomus, Lopez Stunica, Faber Stapulensis, Nic. Egmond, Eck, Gomez Sepulveda etc., de quibus infra; Eduardus Lee, anglus, archiepiscopus eboracensis († 13. Sept. 1544), qui edidit *annotationum ll. 2.* quorum alter est in annotationes prioris ed. N. T. Erasmi, alter in annotationes posterieris ed. Parisiis 1520. Affirmat se in versione Erasmi plus quam trecentos errores notasse. Rich. Simon illas annotationes ab eruditione, non tamen a judicio critico laudat (Hist. crit. du N. T. c. 21 p. 246). Opposuit autem Erasmus responsionem seu apologias tres ad E. Lei annotationes, Antverpiae 1520 etc. Tribuitur huic auctori etiam commentarius in Pentateuchum (ineditus probabiliter). Bludau Die beiden ersten Erasmus-Ausgaben des N. T. und ihre Gegner, Münster 1902.

tum fere in locis mutavit[1]); 1535. Dolendum quod erasmianus textus praecipuum textus recepti fundamentum sit factus, cum fatentibus vel protestantibus doctissimis ut Millio et Delitzsch, sine ullo dubio complutensi sit inferior. Illum fere pro fundamento habent editiones illae, quas Rob. Stephanus curavit atque innumeris vicibus repetitae fuere, et Elzevirus Lugduni B. 1624; 1633. Hunc vero textum nunc fere ubique receptum parum esse purum et satis longe ab autographis apostolorum distare hodie fatentur fere omnes. Textui a se edito adjecit Erasmus versionem latinam stilo classico et nitido, quae innumeris vicibus fuit recusa[2]); saltem ter et decies Basileae intra 1516—42; ejus paraphrases (in N. T. excepta apocalypsi) vero saltem sexies et decies Basileae: prima vice 1516 t. 2. Propter versionem suam prae primis incurrit Erasmus theologorum catholicorum censuram, quia quamvis protestetur (in resp. ad. annot. Lee): „Ego quod muto in privata lectione non volo quidquam habere ponderis, nisi comprobet Ecclesiae auctoritas": nimis libere tamen carpit pluribus locis Vulgatam, quod antiquus interpres „palam vel dormitaverit vel lapsus sit vel inscite reddiderit (Contra morosos quosdam et indoctos)," aususque ejus fere colligitur versionem suam substituendi Vulgatae usu tot seculorum Ecclesiae sacratae, quod bene carpit vel Rich. Simon Hist. crit. du N. T. c. 21. 22. p. 242 ss.; et ipse revera primus novam adornavit versionem latinam N. T., quae,

[1]) De his mutationibus cf. Stunica *Loca*, quae ex Stunicae annotationibus illius suppresso nomine *in 3. ed. N. T. Erasmus emendavit*, Romae 1524.

[2]) Damianus Lorus O. Praed. venetus s. theologiae magister linguae graecae adeo peritus, ut eam pure eleganterque loqueretur, edidit textum graecum epistolarum b. Pauli ap. cum triplici versione, Erasmi scil., Fabri Stapulensis et vulgata, Venetiis 1533 in 8. ed. elegans.

quod merito graves viri critici reprehendunt, nimis dissonat absque sufficienti ratione a Vulgata. Etiam annotationes Erasmi merent censuram, ut post tot alios idem R. Simon Hist. crit. des principaux Comment. et c. 35 ostendit, nam praeter omnem scopum declamat in monachos, carpit scholae theologos, et errata, quae istis exprobrat, ipse haud raro incurrit, assertionesque plane erroneas enunciat. T. 8. operum Erasmi continentur versiones variorum opp. s. Joan. Chrysostomi, Athanasii, Basilii et Origenis. Tomis demum 9. et 10. scripta continentur polemica et apologetica, quae passim edidit adversus exceptiones contra aliquot suas opiniones et assertiones[1]). Operam praeterea contulit ad editionem opp. ss. Irenaei, Ambrosii, Hilarii, Hieronymi, Eucherii, Gregorii naz., Cypriani, Basilii, Augustini, Athanasii, Algerii leodiensis (cf. 14), Arnobii, Haymonis Halberst. etc. *Hilarii* opera prodierunt Basileae 1523; 1535; sed praeter ll. *de Trinitate* vix alios ad mss. fidem recognovit et eos quidem non magno examine adhibito correxit. In declamatoria vero sua praefatione, quae et s. inquisitioni romanae et parisiensi theologicae facultati censuris digna merito visa est, »vanissimis, ut Gillotii verbis utamur, contumeliosisque disgressionibus, quas gratiosis excusationibus involvit, plurima Hilarii dicta gestaque sinistram in partem sic interpretatur, ut videatur ex liberiori quadam carpendi sanctum virum licentia gloriam sibi facere voluisse. Modo enim arianos excusat, quo pium praesulem acrius mordeat: modo quae virtutem in eo spirant, vitio tribuit[1])« etc. Non semel omnia opera Erasmi prohibita fuere, praesertim rigidissime a Paulo IV; post varia fata[2]) prohibita legebantur in Indice tantum »*Colloquia familiaria, Moriae encomium*, lingua sive *de linguae usu* atque abusu, *christiani matrimonii institutio* (Basileae 1526), *de interdicto esu carnium*, *Adagia*, si non fuerint ex ed. Pauli Manutii, quae permittitur, prohibentur, nisi expurgantur loca suspecta; opera, in quibus de religione tractat, donec expurgentur; *Parafrasi sopra s. Matteo* tradotte da Bernardino Tomitano.« Modo haec Indice exempta sunt.

606. Inter eos, qui contra labores biblicos Erasmi scripserunt[3]), magnae auctoritatis est Didacus Lopez de Zuñiga (Stunica) unus ex praecipuis polyglottae complutensis editoribus († 1530 vel 1531), »theologus latine graeceque doctus, sacrarum ecclesiasticarum historiarum peritissimus, ingenii candidi et supra quam credi potest urbani, quodque his multo majus erat, innocentissimae vitae summaeque non morum tantum sed etiam verborum honestatis, veri si quis unquam amantissimus et perquam egregius pietatis cultor: qui non malevolentia, sed veritatis studio in Erasmum scripsisse se moriens non obscure declaravit[4]).« Quocirca edidit *Annotationes*[5])

[1]) Scripta polemica adversus auctores catholicos recenset Müller Leben des E. Hamburg 1828 I, 317—505. Scripsit enim adversus Petrum Sutoris, monachos quosdam hispanos, Albertum Pium quondam Carporum principem, Sanctium Caranzam, Lopez Stunicam, Ed. Lee, Nicolaum Ecmondanum etc. Apologiae adversus hos aliosque prodierunt conjunctim Basileae 1522 in f. Nicolaus Bacehem (Baccham) cognominatus, natione Belga, O. Carm., professor lovaniensis († 24. Aug. 1526) his addatur, qui et commentaria reliquit in Ev. s. Matthaei et Pauli ep.

[1]) Coustantius praef. gen. ad suam Hilarii op. editionem n. 6.

[2]) Cf. Reusch Index I, 347 ss.

[3]) Praeter eos, quos mox nominavimus vel laudabimus, etiam Dietenberger, de quo infra loquemur.

[4]) Ita doctissimus Jo. Gen. Sepulveda in Apol. ad Erasmum. Cf. Nic. Ant. I, 295.

[5]) In dieser ersten Schrift handelte es sich wesentlich um kritische Bemerkungen, mit denen Stunica vielfach Recht

contra. Erasmum R. in defensionem translationis N. T., Venetiis 1520 in f. et in Criticis sacris, Londini 1660 t. IX c. 3343—3552. Opposuit Erasmus illico apologiam (inter opp. t. IX), repondit Zuñiga l. *Erasmi Rot. blasphemiae et impietates propalatae* ac proprio volumine alias redargutae, Romae 1522. et jam tertio in l. *Conclusiones principaliter suspectae et scandalosae*, quae reperiuntur in ll. Erasmi R., ib. 1523; et in *assertione ecclesiasticae translationis N. T.* a soloecismis, quos illi Erasmus R. impegerat, Romae 1524, l. rarus. Reliquit praeterea annotationes (80) in Scholia Erasmi ad opera s. Hieronymi (ineditas). Strinxit calamum etiam contra Fabrum Stapulensem in suis annotationibus super epistolas Pauli. Dr. Ehses recentissime publicae luci dedit ejus *Consilium*, quod ad causam lutheranam non sit opus generali concilio, in röm. Qtlschr. VIII (1894), 480—492, bona intentione et accurata rerum cognitione conscriptum et Clementi VII. oblatum. — Ejusdem Fabri et Erasmi acer antagonista erat Natalis Beda (Bedda, Bedier) Abrincensis, facultatis theologicae parisiensis syndicus, praeses (1504) collegii Montacutii primus (1520), cujus sunt *Annotationum* in Erasmi paraphrases N. T. et Jac. Fabri commentarios in Evangelia Paulique epistolas ll. 3, Parisiis 1526. ed. rara. Respondit Erasmus[1]) in l. *Supputationes errorum* in censuris N. Bedae, in quo ei exprobat 181 mendacia, 310 calumnias et blasphemias 47, Basileae 1527; 1528; respondit et Faber, cui itidem controversia alia duplex cum Beda intercessit, qui contra ipsum et Clichtoveum scripsit solidam, sed nimis acrem scholasticam declarationem sententiae et ritus Ecclesiae *de unica Magdalena*, Parisiis 1519, et apologiam *pro filiabus et nepotibus s. Annae*, contra eundem aliosque graves theologos, juxta quos s. Anna unicam habuit filiam, b. Mariam V. Apologia *adversus clandestinos Lutheranos* (Erasmum et Fabrum), Parisiis 1529 in 4; *restitutio in integrum benedictionis cerei paschalis* contra Jod. Clichtoveum sine nomine auctoris, Parisiis 1520. Hic enim in suo Elucidario ecclesiastico patrocinabatur deletioni verborum in praeconio „Exsultet," „felix culpa" etc. Ipse nisus est Sorbonnam inducere, ne approbaret Henrici VIII. divortium, tantaque vehementia alia occasione peroravit, ut proferret contumelias in regem: hinc et parlamenti jussu publice ante ecclesiam principem debuit satisfactionem exhibere et relegatus est in abbatiam Montis s. Michaelis, ubi et decessit 8. Febr. 1536 vel 1537. Ipse quoque propositiones ex Erasmi operibus decerpsit auctorque fuit facultati theologicae parisiensi, ut censurae subjicerentur[1]). Vehemens erat opinionum censor, quarum judicium facultatis censurae subjiciebat, sed nimio aestu abreptus prudentiae limites excessit. Hinc a scriptoribus vel catholicis carpitur. Opus *Confession de Beda* in Indice prohibitum non est ipsius.

---

hatte: zu tadeln war nur der bittere Ton. Reusch Index I, 350. Cf. etiam R. Simon Hist. crit. du N. T. c. 21 p. 247 et in Hist. crit. de princ. Comment. c. 36 p. 532 ss., ubi de eo scribit: Il est certain que cet Espagnol a été un des plus savans hommes de son tems, et qu'il entendoit au moins aussi bien que luy (Erasmus) le Grec et le Latin. Il savoit de plus la langue Ebraïque et il étoit exercé dans l'art de la Critique. Sa maniere d'écrire ne cede en rien à celle d'Erasme etc. Notat tamen eum minus in scriptoribus veteribus ecclesiasticis fuisse versatum.

[1]) Praeierat jam *prologus* in supputationem calumniarum N. Bedae, Basileae 1526; secuta sunt *responsio* ad notulas Bedaicas, aliaque, quae collecta habentur in Erasmi opp. IX, 441—738 ed. lugd. 1703—6.

[1]) De ejus l. memoriali facultati theologiae oblato, quo ostendere nititur, quemlibet theologiae doctorem ferre posse censuram doctrinalem de aliorum opinionibus, cf. Dupin XIII, 241. Cf. de eo Feret La fac. de Théol. de Par. Epoque moderne II, 4—16.

607. Cum jam bis Fabri Stapulensis (Lefèvre d'Estaples) meminerimus, p. 1295 a. et p. 1299, accuratiorem hic ejus faciamus mentionem[1]). Natus is est in oppido Estaples dioecesis ambianensis a. c. 1440 (secundum alios 1450) et in baptismo Jacobus dictus. Parisiis studiis operam dederat, praesertim linguae graecae et hebraicae, disciplinis biblicis, etiam Aristotelis operibus. Post itinera in regiones dissitas (etiam Africae et Asiae) rediit Parisios et laurea theologiae adepta philosophiam profitebatur. Adhaesit dein Briconnet episcopo primum lodovensi, dein meldensi, ejus quondam discipulo, cujus et vicarium generalem egit (1523). Eo tempore scripsit *de Maria Magdalena* 1517. 1518; *de tribus et unica Magdalena*, Parisiis 1519 disceptatio secunda; quibus in ll. tuetur sororem Lazari, Mariam Magdalenam et mulierem peccatricem tres fuisse personas distinctas: quae opinio magna excitavit controversiam literariam multique eam impugnarunt ut Nat. Beda, Nic. Grandis, de quo infra, Fisher episcopus rocestrensis (cf. p. 1270) in op. praestanti *de unica Magdalena ll. 3*, Parisiis 1519. Ea etiam gravi censura[2]) notata est a Sorbonna a. 1521. Vertit Faber N. T. in linguam gallicam, additis brevibus annotationibus et praemissis literis exhortatoriis, in quibus impense inculcat lectionem s. Scripturae in lingua vernacula, Parisiis 1523. Cum vero propendere videretur in novatorum opiniones, in suisque operibus, de quibus mox loquemur, propositiones statueret erroneas, vel minus cautas et novitatem sapientes, multorum, Sorbonnae praeprimis, incurrit reprehensionem (1523), quae ipsum demum et laurea doctoratus privavit, unde fuga sibi consuluit a. 1525. Verum a Francisco I. Parisios revocatus munere quoque magistri Caroli filii sui honoratus fuit. Edidit et *Le Psautier* de David, ib. 1525; dein integrum V. Testamentum secundum s. Hieronymi editionem vulgatam, quae versio nomine ipsius suppresso prodiit Antverpiae 1528; 1530; 1534 cum annotationibus, 1541, ed. IV (m. 300). Ea satis est accurata, per seculum invaluit, praesertim post revisionem Nicolai de Leuze aliorumque theologorum lovaniensium; eique innituntur versiones a catholicis, imo et Calvinianis postea adornatae. Decessit fere centenarius a. 1536 et, ut sperare licet, Ecclesiae catholicae addictus, etsi innovationibus protestantium in Galliis viam sterneret et sentiendi carpendique licentiam foveret. Plurima reliquit opera[1]), inter quae eminent exegetica: Commentarii initiatorii *in quatuor Evangelia*, Meldis 1522 in f.; Coloniae s. a.; et 1541; 1526 s. l., in quibus post versionem vulgatam veteris editionis per capita exhibitam breves prius exhibet annotationes circa literam »quae partim quod in vetere editione obscurum est, illustrant, partim quod vitiatum est, emendant, partim quod apud graecos plusculum est adjiciunt praeposito asterisco*, partim quod non habetur apud illos, confodiunt obelisco«

[1]) Alius Jacobus Le Fèvre (Faber) floruit exeunte hoc seculo. Doctor erat sorbonnicus (1554) ediditque aliquot adversus haereticos opuscula, inter quae et carmina. Curavit novam editionem s. Scripturae Ren. Benoît, contra cujus versionem duos observationum libros edidit; sed hujus op. exemplaria omnia videntur fuisse suppressa, adeo ut unicum tantum adhuc exstet in Sorbonna exemplar. Pugnavit prae primis *pro s. missae sacrificio* adversus impiam missae et missalis anatomen dissectorum, laniorum, misoliturgorum calvinianae familiae perdite excogitatam, Parisiis 1563 in 8. Cf. Feret La fac. de Theol. de Paris, ep. mod. II, 78—81.

[2]) Quam cf. apud D'Argentré coll. jud. t. 2 initio, et Fleury Hist. eccl. l. 127 § 80.

[1]) Welte KL. IV, 1178 ss.; Fabricius I, 544 ss.; Reusch Index I, 156 ss.: Bibl. belg. t. II; de Sabatier Plantier Lefèvre d'E., Montauban 1870.

(in praef.); dein longiorem subjungit commentarium. Hoc opus censurae subjecit facultas theologica parisiensis, et theologi ad eos examinandos deputati catalogum bene longum 25 pag. exhibuerunt propositionum erronearum vel male sonantium, quas retractare eum jussit. Non retractavit Francisci I. protectione munitus. *Omnes ep. s. Pauli,* quibus ille gentium doctor sapienter instituit, quo humanae vitae tramite nos incedere oporteat, ut ad coelestem beatitudinem proculdubio perveniamus, Parisiis 1512, 1515; 1531; Basileae 1527; Coloniae 1515, 1531; Antverpiae 1540. Praeter versionem vulgatam addidit aliam a se adornatam, quam non sine Vulgatae reprehensione, in cujus correctione nimia utitur libertate, *Intelligentiam* appellat[1]). *In ep. catholicas* Joannis, Petri, Jacobi et Judae, Meldis 1525; Basileae 1527; Antverpiae 1540, sed absque versione propria; *Les Epistres et Evangiles* des LII Dimanches de l'an, avec des briefves et très utiles expositionis, Meldis 1525: qui l. parisiensis facultatis theologicae decreto, quo praesertim prop. 48 gravissimis notantur censuris, condemnatus a. 1525 est et igni traditus. *Quintuplex psalterium* romanum (ex prima revisione s. Hieronymi, gallicanum ex altera ejusdem revisione), hebraicum ex hebraico ab eodem versum, vetus, conciliatum i. e. a se emendatum, Parisiis 1509. 1513. 1515. Opera hactenus recensita olim prohibebantur cum clausula „donec corrigantur." In nova vero Indicis ed. non amplius comparent. Vertit praeterea latine epistolas s. Ignatii (XV), Polycarpi, Clementis etc.; ll. 4 de orthodoxa fide Jo. Damasceni, Parisiis 1507: Venetiis 1514, cum Jod. Clichtovei commentario; Parisiis 1512; 1519; illiusque *opera* edidit Parisiis 1498; Venetiis 1502; *contemplationes Idiotae* (Raymundi Jordani cf. p. 723), Parisiis 1519 in 4; Basilii M. *opera* 1520; Richardi a s. Victore opus *super Trinitate,* 1500; s. Hilarii ep. *opera* (aliquot), 1510; *Agones Martyrum* mensis Januarii s. l. etc.; *l. trium virorum* Hermae, Uguetini et Roberti triumque spiritualium virginum Hildegardis, Elisabethae et Mechtildis, Parisiis 1513, propter quem multorum incurrit offensionem. Praeter Erasmum (in c. 2, ad Hebr. et in singulari apologia), Nat. Bedam et Stunica (de quibus supra egimus) adversarios habuit, et Petrum Sutorem (Couturier) O. Carth. (gallum) priorem Carthusiae parisiensis, qui vehementer in eum invehitur[1]) c. 21. *de translatione Bibliae* et novarum reprobatione interpretationum lucubra-

[1]) R. Simon Hist. crit. du N. T. c. 21 nimiam libertatem in corrigenda Vulgata notat et inter alia scribit: Mais il se croyoit assez habile homme dans la langue Grecque pour en donner une (version) de sa façon. Cependant si l'on examine sa Traduction et ses Remarques, on y trouverait des preuves d'une grande foiblesse. Il fait paroître en plusieurs endroits qu'il n'entendait que mediocrement la langue Greque. Et Stunica in prol. annot. adversus Jac. F. Stapulensem scribit: „Tot errata, cum tralationem illam Fabri discuteremus, sese nobis offerebant, ut si omnia ad plenum annotanda ac refellenda forent, non parvum volumen exposcerent." Iterum de Fabro disserit et quidem fuse R. Simon in Hist. crit. des principaux comment. du N. T. c. 44 pag. 488—504, ubi fere eadem notat sicut loco supra cit. atque etiam carpit defectum judicii critici in usu operum patrum. Eum tamen recenset inter exegetas meliores sec. XVI.

[1]) Hujus sunt etiam *de triplici connubio d. Annae* (quod Faber etiam propugnaverat) disceptatio, Parisiis 1523. Erasmus ei opposuit apologiam acrem adversus debacchationes P. Sutoris, Basileae 1525, cui Sutor respondit *Antapologia,* Parisiis 1526; sed mox et Erasmus adjecit suae apologiae appendicem respondentem ad quandam Antapologiam P. S. *de patestate Ecclesiae* in occultis, ib. 1534, 1546; *de vita Carthusiana ll. 2* ib. 1522; Lovanii 1572; Coloniae 1609. Apologeticum *adversus Anticomaritas,* Parisiis 1526 etc. († 19. Jun. 1537). Cf. Feret II, 392—95.

tiones, sicut et in Erasmum c. 17 ss. Parisiis s. a. (1524) et 1525 (opus valde rarum m. 45) in f., et Marcum Grand-Val canonicum reg. s. Victoris parisiensem, cujus *apologia Ecclesiae catholicae* non tres Magdalenas, sed unicam colentis, Parisiis 1518, hujusque apologiae *tutamen et anchora* Fabro opposita prodiit 1519 in 4. Videtur tamen Faber postea sententiam suam mollivisse permittens, ut unica vel duplex admittatur Magdalena.

608. Jam de variis *versionibus* s. Scripturae egimus ut Emseri, Erasmi et Fabri Stapulensis: alias jam addemus. Joannes Dietenberger O. Praed. Francofurti ad Moenum c. 1475 natus est. Ipse fuit theologiae magister, conventus patrii et alibi passim prior, Treviris studii regens et s. Thomae interpres, in academia moguntina ss. literarum interpres publicus ac in dioecesibus moguntina et coloniensi adversus haereticam pravitatem inquisitor generalis. Interfuit comitiis augustanis a. 1530 atque unus fuit ex illis 20, qui delecti fuerant ad refutandam confessionem augustanam († 4. Sept. 1537). S. Scripturam germanice vertit, quae versio prodiit Moguntiae 1524; 1534 (m. 350); 1540 emendata secundum annotationes Wiceliii et de in vulgatissima facta Augustae V. 1776 apparuit ed. 58. Frustra vero protestantes eum plagii accusant, ac si versionem Lutheri vel Emseri descripserit; nam ipse secutus est etiam praedecessores catholicos, quibus usus est vel Lutherus: hinc nil mirum si subinde quaedam inter eos detegatur affinitas: quod si eo utitur, id non dissimulat. Reliquit plura (15) scripta polemica admodum salubria de missae sacrificio, confessione, votis, caeremoniis etc., inter quae eminet *Fragstück an alle Christgläubigen,* Coloniae 1530: quo in l. singulis Lutheri exceptionibus ex ss. literis luculenter et erudite respondet[1]); *Ob der Glaube allein selig mache,* 1523; *Ob die Christen mögen durch ihre Werke den Himmel verdienen,* 1524 etc. In *Phimostomo scripturariorum* contra haereticos, Coloniae 1532 in 4. etiam contra Erasmum disputat. Collecta prodierunt haec opuscula Coloniae 1530. Plurimum meruit catechismo egregio sive spectes stili elegantiam, sive expositionis nitorem duplicis formae, Moguntiae 1537, qui saepissime deinde a synodis collaudatus prodiit[2]); recenter cur. Moufang Katholische Katechismen des 16. Jahrh., ib. p. 1—105. — Hieronymus de Leopoli O. Min. Ruthenus, theologiae professor et concionator cathedralis Cracoviae, indefessus Lutheranorum adversarius († 1536), ut his efficacius se opponeret, universam s. Scripturam polonice vertit, quam versionem Jac. Wujek (Wiecus S. J. † 1597; cf. Nomencl. I². 74) retractavit emendavitque jussu Gregorii XIII. Ea prodiit Cracoviae 1599.

609. Inter eos, qui in *exponendis* divinis literis versati sint, praeter illos, quorum jam meminimus[3]), inclaruit

---

[1]) Falk Litt. Handw. 1888 c. 479: D. zeigt sich als schlagfertigen, raschen Arbeiter, zugleich als wachsamen Beobachter, der die angegriffenen Positionen zu behaupten suchte mit demselben Geschütz, womit Luther operirte, nämlich mit zahlreichen Belegen aus der heiligen Schrift.

[2]) Cf. Wedewer in diligenti et accurata biographia Joh. Dietenberger Friburgi 1888 et KL. III, 1739; Moufang die Mainzer Katechismen, Mainz 1872 p. 22 ss., Janssen-Pastor VII, 461 ss., ubi de ejus scriptis legimus: Es gibt wenige Schriften aus der damaligen Zeit, in welchen die einzelnen kirchlichen Lehren so trefflich und so faßlich für das Volk auseinandergesetzt werden wie hier. Et II[18], 311 quaedam ejus opuscula ut classica etiam pro nostris temporibus commendantur; N. Paulus die d. Dominikaner p. 186—190.

[3]) Ejusmodi sunt Cajetanus (p. 1203), Ambr. Catharinus de quo infra; Jo.

in primis Franciscus Titelmans O. Min. n. in oppido Hasselt ditionis limburgicae. Splendido successu operam dedit studiis Lovanii adeoque bene addidicit linguam graecam, ut a. aetatis 16. eam expedite loqueretur; peritus quoque fuit linguarum hebraicae et chaldaicae. Ordinem Min. de Obs. ingressus academiae hasseltensis et philosophorum lovaniensium moderator, necnon et s. Scripturae lector fuit. Sed perfectiora et arctiora adhuc quaerens, cum Romam venisset, reformationem Capuccinorum est amplexus (a. 1535). Vix admissus s. theologiae lector Mediolanum est destinatus. Verum cum aliud longe diversum a scientiae gloria in ea sodalitate sibi proposuisset, suppliciter a Generali impetravit, ut Romae potius incurabilium aegrotorum domui cum aliis sodalibus inserviret. Obtinuit, ministravit et pro suo voto exinanivit semetipsum in omnibus caritatis et humilitatis obsequiis. Non diu tamen passa est religio hoc ab illius humilitate sibi illatum detrimentum pati. Quare vicarius generalis ordinis illum evocavit et romanae provinciae praesidere voluit. Biennium in eo moderatoris ministerio nondum expleverat, cum ad mercedem a Domino vocatus est 12. Sept. 1537. a. aetatis 40 vir pius aeque ac doctus. Mirandum est eum tam brevi tempore tot opera condere potuisse: in iis autem prae oculis habet praesertim Erasmum, Vallam, Stapulensem, ut horum immodestam in vertenda Scriptura licentiam emendet et corrigat: hinc vulgatae versionis apologetam agit. Stilus ejus est admodum clarus, nitidus, purus, pietatem spirans. Haec sunt potiora opera ordine chronologico[1]): *De expositione mysteriorum,* quae in ss. missae sacrificio ex ordinatione ss. Patrum geruntur, Antverpiae 1528 in 12; 1530 (cum expositione Odonis); Lugduni 1556; 1558; Lovanii 1574 in 12; etiam inscriptus *tr. mysteriorum missae.* Elucidatio brevis et succincta *in omnes ep. apostolicas 14 paulinas et canonicas 7,* una cum textu ad marginem adjecto juxta veritatem veteris et vulgatae editionis, additis argumentis miro compendio capitis cujusque materiam complectentibus, Antverpiae 1528 in 8; 1529; 1532; 1540; Parisiis 1532 in 12; 1543; 1553 etc. Collationes 5 *super ep. ad Romanos* b. Pauli ap., quibus loca ejus ep. difficiliora, ea potissimum, quae ex graecis aliquid habere videntur difficultatis, diligentissime tractantur atque explicantur, ita ut etiam a graece nescientibus facile capi valeat emphasis graecarum dictionum simul et ecclesiastica N. T. latina editio rationabiliter defenditur, idque ex auctoritate veterum interpretum ceterorumque probatissimorum patrum latinorum atque graecorum, Antverpiae 1529 in 8; cum *ep. apologetica* hujus op. ad Des. Erasmum. 1530; 1537 in 12; Libri duo *de auc-*

Major (p. 1220), Fab. Stapulensis (p. 1301) etc. — Haud paucorum labores manserunt inediti. Ita Angeli Coradelli O. Carm. Brixiani, congregationis mantuanae ter vicarii generalis (1511. 1521. 1527) lucubrationes in s. Scripturas, quae eruditissimae dicuntur — Hieronymi Voltae O. Praed. mantuani inquisitoris fidei in Lombardia (fl. 1535) commentaria in ll. Esdrae — Dionysii Vasquez O. S. Aug. Toletani, primi in academia toletana s. Scripturae interpretis qui (vir) erat doctus et insignis concionator, repudio infularum clarus († 1. Jun. 1539), cujus laudatur enarratio Ev. s. Joannis, sed prodiisse tantum videtur *de unitate et simplicitate personae Christi* in duabus naturis oratio habita coram Leone X., Romae 1518 (cf. Nomencl. I², 142 a.) — Lucae Matthaei Caraccioli O. Carm. Neapolitani, episcopi lesinensis (1507—1526) — Lucae O. Praem. monasterii s Cornelii abbatis in ducatu juliacensi, cujus elucubrationes plures recenset Trithemius in chronico hirsaugiensi ad. 1533, ut in ev. Matthaei et Joannis, in Cantica canticorum etc.

[1]) Cf. Bernardinus a Bononia bibl. Script. Cap. p. 100: Dirks Hist. littér. et bibliogr. des FF. Min. de l'Obs. de s. Fr. en Belgique p. 59 – 69; Eberl O. Cap. KL. XI, 1779 s.

toritate l. Apocalypsis b. Joannis ap., in quibus ex antiquissimorum auctorum assertionibus, Scripturae hujus dignitas et auctoritas comprobatur adversus eos, qui nostra hac tempestate sive falsis assertionibus sive non bonis dubitationibus canonicae et divinae hujus Scripturae derogarunt, Antverpiae 1539 in 12; Elucidatio *in omnes psalmos* juxta veritatem vulgatae et Ecclesiae usitatae editionis latinae, quae et ipsa integra illibataque ex adverso opponitur . . . Subsequuntur deinde annotationes (utiles) ex hebraeo atque chaldaeo, in quibus quidquid ex veritate hebraica occurrit difficultatis tractatur et exponitur[1]), ib. 1531 in f.; saepissime ed. ut Parisiis 1540; 1545; 1546; 1551; 1558; 1689; Coloniae 1544; 1674 etc. *Summa mysteriorum christianae fidei* ex auctoritate divinarum Scripturarum V. ac N. T. congesta atque in pias contemplationum formulas digesta etc., Antverpiae 1532 in 12; Lugduni 1554; 1555; 1557; 1565 etc.; *de consideratione dialectica ll. 6,* Antverpiae 1545 in 12; 1570; Lugduni 1547; 1548; 1551; 1565; 1575 etc.; *de fide et religione* moribusque et caeremoniis Aethiopiae regis et subditorum ejus ex certa fide dignorum relatione, Antverpiae 1534; Parisiis 1545; Compendium naturalis philosophiae ll. 2 *de consideratione rerum naturalium* earumque ad suum creatorem reductione, commentarii instar verborum Pauli Rom. I, 20: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur,* Antverpiae 1535 in 8; 1570; Parisiis 1540; 1543; 1545; 1556; 1558; 1560 etc.; *Compendium philosophiae naturalis ll. XII,* Parisiis 1557; Lugduni 1545; 1558; Commentarii *in Ecclesiasten Salomonis* cum annotationibus ex hebraeo et additione graeca in singula cc., Antverpiae 1536 in 12; 1552; Parisiis 1545; 1549; 1552; 1577; 1581; Lugduni 1555; 1575; *de sacramentis Ecclesiae,* Parisiis 1542; Lugduni 1573; Antverpiae 1565; Elucidatio paraphrastica *in s. Christi ev. secundum Joannem* cum annotationibus in aliquot cc., Antverpiae 1544 cura fratris ipsius Petri; 1545; Parisiis 1545; 1547; 1551; 1553; 1563 etc.; in s. Christi ev. *secundum Matthaeum,* Antverpiae 1545 in f.; 1576; Parisiis 1546; Lugduni 1547; 1556; 1598; quae elucidatio in Joannem et Matthaeum fusior et forte magis exacta et critica est quam elucidatio in ep. paulinas[1]); *in l. Job* cum annotationibus ex hebraeo, Antverpiae 1547; 1556; 1557; Parisiis 1547; 1550; 1553 etc.; Commentarii *in cantica canticorum Salomonis* cum annotationibus ex hebraeo, chaldaeo et graeco textu, Antverpiae 1545; 1547; 1552; Parisiis 1546 in f. etc.; *de Deipara V. Maria* contemplationes 7 suavissimae ac dovotissimae, Lugduni 1563. Curavit etiam ed. tr. pii Arnoldi carnotensis *de septem verbis Domini in cruce* cum scholiis, quibus loca quaedam obscuriora explicantur, Antverpiae 1532 in 8. etc.

610. Quibus addantur Guilelmus Pepin O. Praed. Neustrius, qui „humilem originem eximiis dotibus, ingenio, pietate, disciplinae regularis studio, doctrina et eruditione, dicendi facundia abunde compensavit." Doctor erat theologiae parisiensis, prior domus ebroicensis († 18. Jan. 1533). Elaboravit *expositionem in Genesim* juxta quadruplicem sensum literalem, moralem, allegoricum et anagogicum, Parisiis 1528; Venetiis 1573; Duaci cura Lud. Bertr. Loth sodalis, 1634; *in Exodum,* Parisiis 1534, opus posthumum; *Ser-*

[1]) Hujus op. enchiridion complectens tantum argumenta et annotationes concinnavit de voluntate Caroli V. Jo. Mahusius, Antverpiae 1553 in 8., de quo cf. Nomencl. l², 25.

[1]) Cf. R. Simon Hist. crit. des principaux Comment. c. 39.

mones dominicales super epistolas et evangelia pp. 2, Parisiis 1529. 1530; 1534; Venetiis 1578; sermones *de adventu Domini*, Parisiis 1520; 1536; *expositio* brevis et succincta *epistolarum quadragesimalium*[1]), ib. 1511. 1513; 1589; Lugduni 1541; Venetiis 1569; 1575; 1588 in 8; opusculum *de confessione*, de quatuor peccatis cordis, oris, operis et omissionis; de contritione, de satisfactione pp. 4, Parisiis 1530; 1534; 1540; Venetiis 1588 in 8; Speculum aureum *super septem psalmos poenitentiales*, Parisiis 1519; Venetiis 1573; 1587 in 8; sermonum *de sanctis* p. altera (prior periit) Parisiis 1528; 1530; Venetiis 1589; *Rosarium b. V.* seu sermones 55, Parisiis 1519; Venetiis 1593. Omnia vero haec exceptis duobus prioribus opp. simul prodiisse dicuntur Coloniae 1610 in 4. — *Psalmos*[2]) plures exposuerunt. Joannes van Campen hinc Campensis dictus, Transisalanus, linguae sanctae Lovanii professor, a Leone X. Romam evocatus († 6. Sept. 1538), paraphrasticam interpretationem *in Psalmos omnes et Ecclesiasten* juxta hebraicem veritatem quam proxime accedentem vulgavit s. l. et a; Parisiis 1533; 1534; 1545; 1565; et alibi saepe: versio dicitur concinnata ab Ulrico Zwinglio: idem videtur cum opere quod inscribitur *Enchiridion psalmorum* Lugduni 1540. Num ipsius vel alterius Jo. Campensis sit Commentariolus *in ep. Pauli ad Romanos et Galatas*, Venetiis 1534 in 8. nobis non constat[1]). Reliquit et *Grammaticam hebraicam* 1528. — Philippus Sauli episcopus brugnatensis († 1531) commentarium Euthymii Zigabeni *in Psalmos* e graeco latine reddidit, quem Paulus Turchi O. Praed. edidit Veronae 1530; Parisiis 1543; 1547; 1560 in 8; Venetiis 1568; Lugduni 1573 in 8. — Othmarus Luscinius (Nachtigall, Nachtgall) polyhistor praematurus, vir magnae erat eruditionis. Argentorati n. est inter a. 1478—80. Puer multum debebat celebri Geiler de Kaisersberg (cf. p. 1190), quod gratus agnoscit: magistrum dein habuit clarissimum Wimpheling. Peregrinandi cupiditate excitus fere universam Europam, partem et Asiae lustravit, ubique tamen discendi ardori satisfecit atque amicitiam iniit cum poetis et humanistis illius temporis. In Italia factus est doctor juris canonici (1518). Adepto demum canonicatu in patria (1522) mox transiit Augustam, ubi monachis s. Udalrici psalmos exposuit. Solus erat, qui tunc Augustae cum celebri Matthia Kretz fidem catholicam in concionibus profiteretur: sed cum quondam Lutheranos vocasset haereticos, a magistratu prohibitus fuit ultra concionari. Hinc transiit Friburgum a. 1528, ubi munere concionatoris in ecclesia cathedrali fungebatur. Secessit dein ultimis vitae annis in carthusiam s. Joannis prope Friburgum sitam, contentus participatione bonorum spiritualium, quin factus sit monachus († 1537). Plurimum promovit studia humaniorum literarum, linguae praesertim graecae, editis pluribus libris pro scholis: atque ita inter humanistas inclaruit: sed prae studio formae methodum scholasticam aversabatur. *Psalterium Davidis* regis et prophetae ea,

[1]) De ejus sermonibus quadragesimalibus magna cum laude disserunt Stimmen aus Maria Laach 1900 I. 233—240.

[2]) Caspar Amman seu Amonius O. S. Aug. patria Hasselensis, provinciae belgicae praepositus († 1524) in lingua hebraica bene versatus vertit psalmos ex hebraico in linguam germanicam: Der Psalter des k. Propheten Davids 1523; 1524; concinnavitque grammaticam hebraicam ll. 5, quae tamen prodiisse non videtur. — Guilelmus Gregorius O. Carm. Scotus, doctor parisiensis, congregationis albiensis vicarius generalis, Francisco I. a confessionibus, scripsit praeter alia in Psalmos commentaria scholastica, de variis Scripturae sensibus etc., omnia inedita.

[1]) Alius eb eo est Heimericus d. C., de quo supra p. 892 egimus.

qua potuit fieri cura et diligentia e graeco et hebraicis dialectis latinitati redditum, prodiit Augustae 1524, cum annotationibus moralibus; etiam germanice: *Der Psalter* des Königs und Propheten Davids, ib. 1524; nititur s. Scripturam per ipsam Scripturam illustrare. *Allegoriae psalmorum Davidis prophetae* secundum literarum ordinem tractatae, quibus subjiciuntur *plectra* in singulos psalmos, quae rei totius summam sive argumentum appellare licebit; et *Scrupi* psalterii vulgatae editionis i. e. explicationes locorum obscurorum vel non satis bene in versione expressorum [1]), ib. 1524; *Evangelicae historiae* ex quatuor evangelistis perpetuo tenore *continuata narratio* ex Amonii alex. fragmentis quibusdam e graeco, ib. 1523, etiam germanice *Die evangelische Hystori*... samt ainer erleuterung der schweren örter und gutem bericht wo alle ding hindienend, ib. 1525. Etsi forte in doctrina de justificatione aliisque minus clare et sane disserat, non propterea iis accenseri potest, qui protestantium erroribus faverint, nedum eorum probaverint defectionem. Aliorum praeterea opera edidit [2]), ut Ulbertini Tusculi Brixiensis ll. 2 Symondos: *de Judaeorum perfidia,* quomodo J. Christum crucifixerunt, d. Richardum parisiensem, Simonem tridentinum afflixere martyrio supplicioque dedere, Augustae 1511 in 4; doctissimi Haymonis saxonis, ep. halberstadiensis († 853) *in d. Pauli ep.* cum brevis tum perlucida *expositio,* Argentinae 1519; *Summa Rosella,* (cf. p. 1074), Argentinae 1516; *Summa summarum,* quae *Sylvestrina* dicitur (de qua infra loquemur), ib. 1518 etc.

611. Augustinus Giustiniani patria Januensis e nobilissima familia prognatus 1470, puer 14 a. O. Praedicatorum se addixit [1]), sed invitis parentibus, qui omnia in eum commoverunt, dimitti ex eo debuit atque ipse mercaturae se dicare, ideoque Valentiam fuit missus. Jam deliciis coepit diffluere, cum morbo gravissimo afflictus, qui eum ad extrema deduxit, ad priora et saniora rediit consilia, vixque convalescens frustra parentibus obnitentibus ordinem est ingressus dictusque Augustinus, cum antea vocaretur Pantaleo. Pietati exinde indulsit et literis, linguis etiam comparandis graecae, hebraicae, arabicae et chaldaicae. Annis 18 legendi onus in variis gymnasiis subiit cum fructu laudeque non vulgari. A Leone X. promotus est ad sedem nebiensem in Corsica (1514); a Francisco I. Galliae rege accitus Parisios, ut sibi esset a consilio et eleemosynis atque in universitate ludum aperiret linguae hebraicae. Professoris regii munere integro ferme functus est quinquennio. Ea occasione lustravit Belgium et Angliam ab Henrico VIII. honorifice exceptus. Interim suam ecclesiam revisere statuit: rediens vero Genuae, cum civitas turbis graviter et bellis agitaretur, catapultae glande graviter fuit vulneratus. Sanitati restitutus dioecesim suam accessit, quam se-

[1]) Le Long geminum ei tribuit opus inscriptum *Allegoriae simul et tropologiae* in locos utriusque T. selectiores ab ipso depromptae et in ordinem digestae ex operibus 30 auctorum, Parisiis 1550; 1574 in 8.

[2]) Cf. Schmidt Hist. littér. de l'Alsace 1879. II, 124—208. et 412—418, ubi diligenter ejus recensentur opera coll. Schroeder hist. Jahrb. 1893 p. 83—106, qui in pluribus emendat Schmidt, et Lusanii orthodoxiam magis tuetur; et KL. VIII, 306; Lud. Geiger d. Bi. XIX, 655—657.

[1]) Ab eo distingui debet b. Paulus Giustiniani venetus institutor congregationis O. Cam. de Monte Corona (qui ejus est velut locus centralis prope Perusium) rigidissimae observantiae († 28. Jun. 1528), qui scripsit 122 tr. lingua latina, et 49 lingua patria, quos diligenter recenset Ziegelbauer in Centifolio camaldul. Cf. plura de eo apud Fiori Vita del b. P. G. Romae 1724; Wolfsgruber KL. II, 1748.

dulo pavit et lustravit. Redux ex itinere in patriam naufragium passus maris fluctibus absorptus est a. 1536 a. aetatis 66. Egregiam sibi comparaverat bibliothecam optimisque codicibus instructam, quam suae patriae legavit [1]). Cum esset linguarum orientalium peritissimus, speciminis loco praemisit *psalterium hebraeum, graecum, arabicum et chaldaicum* cum tribus latinis interpretationibus et glossis, Genuae 1516 in unum corpus *Octapla* inscriptum tanto artificio redactum, ut in singulis paginis octo columnas disponeret, in quibus omnes praedictae linguae propriis characteribus expressae totidem lineis totidemque verbis sibi correspondentes uno eodemque aspectu cernerentur, ed. splendida (m. 100). Quo opere praevenit labores Ximenii in Psalmos: pauca tamen ejus exempla divendita sunt haud levi damno auctoris. In Ps. 18. Chr. Columbi narrat *vitam* sat fuse, qua primam tanti viri exhibet biographiam. N. T. hebraice, chaldaice, graece, latine jam paratum habebat, sed non prodiit. *Librum Job* nuper hebraicae veritati restitutum cum duplici versione latina, altera vulgata, altera a se adornata, Parisiis 1516 (vel 1520) edidit. Aeneae platonici graeci christianissimi *de immortalitate animorum* deque corporum resurrectione aureus l., cui titulus est *Theophrastus,* Venetiis 1513; Philonis judaei 102 qq. et totidem *responsiones morales,* Parisiis 1520. in f.; *Castigatissimi annali* con la loro copiosa tavola della eccelsa ed ill. republica di Genova da fideli ed approbati scrittori, Genuae 1537 in f. etc. — Catenam auream *super Psalmos* ex dictis sanctorum concinnavit Franciscus Dupuy (a Puteo) O. Carth. praepositus generalis († 1521), Parisiis 1510; 1520; 1534 ed. rara. Cf. supra 1156. — Inedita manserunt commentaria in Psalmos et prophetas majores Michaelis Torrez O. Carth. Hispani († 1527). — Reiner Snoyus Goudae apud Batavos n., medicinae alioquin deditus suaeque patriae consul († 1. Aug. 1537), paraphrasin scripsit *in Psalmos davidicos,* quae variis in locis prodiit, etiam Lovanii 1704; *de libertate christiana,* ib. 1550 etc. — Agathius Guidacerius (de' Giudici) arochensis ex oppido ulterioris Calabriae presbyter graece et praesertim hebraice doctissimus, a Francisco I. Galliarum rege cum Fr. Vatablo Parisios vocatus est ad hebraicas literas docendas. Praeter grammaticam hebraicam Parisiis 1540 scripsit [1]) commentarios *in 24 priores Psalmos* cum versione ex hebraeo in latinum, Parisiis 1540 in 8. et succinctam explanationem *in Cantica canticorum* [2]) cum versione, ib. 1531 in 4; juxta le Long *in Eclesiasten,* ib. 1531; 1540. Obiit a. 1537, secundum alios 1542. — Editionem psalterii lingua chaldaica magna sedulitate paraverat Theseus Ambrogio Can. reg. later. bisque illi edendo institerat, sed defuit conatibus effectus. Origine Patavinus nobili de familia comitum Albonesa n. est a. 1469. Jurisprudentiae studio initio se dedit, in qua promeruit juvenis a. 19 lauream. Ingressus congregationem can. reg. lat. se impense studio linguarum, praesertim orientalium, impendit adeo, ut eorum duodeviginti caluisse feratur. A Leone X. designatus est professor linguarum syriacae et chaldaicae Bononiae. Concinnavit *introductionem in linguam chaldaicam,* Papiae 1539. Obiit [3]) praepositus s. Petri Papiae 1540. — Robertus Shirwoode Anglus, Con-

[1]) Cf. Echard II, 97 ts.; Streber KL. VI, 2057.

[1]) Cf. Zavarroni biblioth. calabrae Neapoli 1753 p. 79.

[2]) Haec sicut et Proverbia exposuit Joannes Batmanson O. Carth. prior londinensis († 1531), cujus tamen labores non videntur prodiisse. Disputavit etiam de unica Magdalena contra J. Fabrum Stabulensem. Cf. Vigouroux Diction. I, 1509.

[3]) Cf. Adelung I, 711.

ventriensis, reliquit notas in *Ecclesiasten*, cum hujus l. versione latina ex hebraeo, Antverpiae 1523 in 8.

612. Guterrus (Guterius) a Trejo O. Min. reg. Obs. Hispanus, Placentinus, graece et hebraice doctus reliquit *commentaria in 4 Evangelia*[1]), quae prodierunt studio Hier. a s. Michaele ejusdem instituti Hispali 1554. „In exponendo, legimus in praefatione, non unius sequitur contextum evangelistae, sed omnes simul adducit, quae inter illos pugnare videntur in concordiam redigens, omnia in suum ordinem digerens, Gersonem imitatus et Osiandrum in harmonia evangelica. Literalem sensum diligentissime scrutatur, ita tamen ut nonnunquam et mysticum et anagogicum attingat. Impetit non semel nostri seculi haereticos.“

[1]) Balthasar de Fidelibus Mediolanensis, j. u. doctor, archipresbyter et vicarius generalis episcopatus novariensis, dein cremonensis, disputavit *de praerogativis b. Joannis Baptistae*, Mediolani 1514 in f. — Antonius de Aranda O. S. Fr. reliquit (pretiosam) *La Verdadera descripcion de la Tierra Sancta* como estava el año 1530, Compluti 1531, ed. rara. 1563; 1587; Toleti 1537; 1545. *Loores del dignissimo lugar del Monte Calvario* en que se relata todo lo que N. S. J. Christo hizo y dixó en él, ib. 1551 in 4. etc. — Ejus sodalis Bonaventura Brochart Gallus descripsit iter ad loca sancta Palaestinae et ad montem Sinai Arabiae (1533), in op. *Delineatio et descriptio Hierusalem* et terrae promissionis accuratissima, Parisiis 1544; Coloniae 1624. — Ita et Francisci Sivriani exstat *Itinerario de Hierusalem*, Venetiis 1524. — Noë Bianco (Blancus) ejusdem ut videtur ordinis venetus auctor est Itinerarii terrae sanctae, in quo tractat de rebus Aegypti, Arabiae ac terrae sanctae, quod saepe lingua itala prodiit, Venetiis s. a.; 1566. 1570 etc. Bassano 1638; 1647; 1742. Floruisse dicitur a. 1527. Cf. de his Roehricht in sua Bibl. geogr. Pal. Joannes Paschasius O. Carm. Belga, studiorum regens Lovanii († 1526) edidit vernaculo sermone *descriptionem terrae sanctae*, Lovanii 1563; Gandavi 1612. Ejus commentaria in 4 ll. sententiarum manserunt inedita.

Paradisus deliciarum s. Pauli ap., in quo miro artificio cum dictis probatissimorum auctorum inseruntur epistolae omnes ejusdem ap. et ad amussim exponuntur, Compluti 1538 in f. — Franciscus de Ossuna O. Min. reg. Obs. Hispanus, Baeticus, commissarius generalis Indiarum, quem s. Theresia commendat in l. de vita sua c. 4, doctissimas et piissimas lucubrationes in vulgus emisit. *Abecedarium spirituale* circumstantiarum passionis Domini aliorumque mysteriorum pp. 5, Hispali 1528—30 pp. 2; p. 3. Matriti; p. 5. Burgis; totum Hispali 1554 t. 7 in 4. lingua hispana; *Pars meridionalis* in accommodas hisce temporibus allegorias hermeniasque mirabiles evangeliorum dominicalium totius anni, Caesaraugustae 1546; Medinae 1554; Romae 1590 in 8; *Pars occidentalis*, in qua evangelia quadragesimalia exponit cum sermonibus 7 de b. Virgine (Tolosae 1533), Parisiis 1546; Medinae 1554; Lugduni 1560; Venetiis 1572; *Sanctuarium biblicum* cum serm. 8 de Deipara V. sub hoc themate: *Ipsa conteret caput tuum*, Tolosae 1533 in 4; commentarius super Ev. *Missus est*, Antverpiae 1535; in idem alter l., ubi agitur *de hominis reformatione* in paradiso deliciarum deformati ac per incarnationem Filii Dei in paradiso virgineo reparati, ib. 1535; *Trilogium evangelicum* sive de Christi passione, resurrectione et ascensione, ib. 1536; Parisiis 1537; *il convitto delle gratie* del ss. sacramento dell'Altare interprete Julio Zanchini, Venetiis 1599 in 12; sermone hispanico 1543 in 4; *de mystica theologia*. Creditur obiisse circa a. 1540. — Franciscus Gregorius O. Erem. s. Pauli prior s. Stephani in Monte Coelio Romae, Hungarus, collegit ex castissimis tum veterum tum recentiorum commentariis collectanea in (Canticum canticorum et) in *Apocalypsim*, Venetiis 1541; Parisiis 1571; Tyrnaviae 1682. — Alvarus Gomez de Ciudad-Real, Sorbonnae doctor (†

14. Jul. 1538) totus in pangendis carminibus non infeliciter versatus est. Ejus inter alia sunt carmen heroicum *Talichristia,* in quo J. Christi triumphus redemptionisque mysteria celebrantur ll. XXV, Compluti 1522; *Musa Paulina,* ib. 1529, opus vastum, in quo versibus elegis Pauli ep. reddit; *Proverbia Salomonis* Basileae 1538, carmen; *Theologica descripti*on de los Misterios Sagrados in XII cantos, Toleti 1541, omnium optimum atque magna eruditione refertum, et alia etc.

613. *Locorum* aliquot obscuriorum s. Scripturae per alias ejusdem divinae Scripturae sententias clariores interpretationem dedit, Coloniae 1540, Joannes Monsenus Amstelodamensis, cujus etiam est *Finitiva* scriptis e canonicis *decisio,* ab apostolorum provenire consuetudine, populo sub panis tantum specie sacram synaxin esse tribuendam, ib. 1546 in 4. — Franciscus Giorgi (Georgius) O. Min. Venetus n. 1460, quem aliqui dicunt obiisse jam a. 1510, quod non videtur verum, sed c. 1540, collegit *problematum in s. Scripturae ll. 6,* in quibus 3000 loca s. Scripturae atque id genus res alias explanavit, Venetiis 1525 in 4; 1536; Parisiis 1575; 1622. Auctor erat doctrinae platonicae et thalmudicis cabbalisticisque hebraeorum inanibus arcanis nimis intentus, hinc Sixti senensis, Marii Mersenni (ad calcem commentarii in sex primà Geneseos cc., Parisiis 1623) aliorumque reprehensionem incurrit, imo opus cum altero mox citando prohibitum olim fuit ‚donec corrigatur': quod modo in ll. prohibitorum Indice non amplius legitur. Editioni parisiensi a. 1622 bene longus catalogus omnium expurgatorum adjectus est. In 1. l. historiam sacram usque ad captivitatem babylonicam persequitur; in 2. de lege disserit; 3. exhibet oracula prophetarum, 4. Evangelium; in 5. septem meminit sapientum (Salomonis, Jobi, Hermetis Trismegisti, Platonis academicorumque, Orphei, Pythagorae et Zoroastris); in 6. argumenta tractat varia de Deo, de coelis, homine, angelis bonis malisque, animalibus, de quibusdam s. Scripturae locis reconditis etc. *Harmonia mundi totius* cantica tria, quorum singula octo tonis iterum distinguuntur[1]). Canticum primum sive antiquum, quo divina, humana, coelestia, supercoelestia atque inferiora omnia concinna proportione et harmonica suavitate distributa esse demonstrantur; canticum secundum sive novum omnia in Christo multiplici consonantia correspondere ostendit; cant. tertium sive novissimum de mundi minoris sive hominis, propter quem facta sint omnia, concordi in debitum finem progressu et statu agit, Venetiis 1525; Parisiis 1544, in quo index hisp. p. 396—406 multa expungenda notat. — Bonaventura Blancus O. Min. in suis *thesauris ss. Scripturarum* ll. 5, disserit in prioribus duobus ll. de illustribus viris V. et N. T., Bononiae 1534; reliqui tres ll. complectuntur *sermones,* ib. 1537 in 4.

614. Mentionem tandem meret Sebastianus Brant (Tilio) Argentoratensis n. 1457, juris utriusque doctor (1489), qui jus civile docuit Basileae, propagavitque jus romanum per Germaniam. Fuit decanus facultatis juridicae, dein scriba et cancellarius in patria sua. Maximilianus vero imp. eum iteratis vicibus ad aulam vocavit, consiliariumque caesareum et comitem palatinum dixit († 10. Maj. 1521). Operam suam contulit ad editionem s. Scripturae cum glossa Nic. Lyrae Basileae 1498 t. 6 in f. et celebris Conradi de Halberstadt (cf. p. 410) con-

[1]) In essa egli usa ogni sforzo per conciliare insieme la S. Scrittura, Platone e i Cabbalisti, dal qual miscuglio quale strano composto si venisse a formare, ognun può imaginarlo. Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 2 n. 13. Cf. Brucker hist. crit. philos. IV, 374.

cordantia, quae ibidem prodiit 1496; ad editionem s. Augustini *de civitate Dei ll. 22; operum* s. Ambrosii, *decreti* Gratiani, *decretalium* Gregorii IX; Trithemii *l. de scriptoribus ecclesiasticis, l. Sexti decretalium, Panormiae* Ivonis, *Summae angelicae* Angeli de Clavasio aliorumque veterum operum. Diligenter nitebatur promovere studia humaniora et juridica: hinc curavit editionem operum auctorum veterum. Majorem tamen nominis celebritatem meruit[1]) suis poematibus latinis religiosis et politicis. In illis celebrat etiam b. Virginem fervideque ejus tuetur immaculatam conceptionem. Inter alia huc referri possunt *Argumentum* in Jac. Wimphelingii carmen de conceptu virginis, Basileae 1494 in 4; *de origine et conversatione bonorum regum* et laude civitatis Hierosolymae cum exhortatione ejusdem recuperandae, Basileae 1495, l. rarus (m. 100); prae primis *Das Narrenschiff* von Narragonia, Basileae 1494 in 4; Augustae V. 1498 (m. 250); latine per Jac. Locher *Stultifera navis,* s. l. 1497 (m. 170), (Lugduni) 1498; Basileae 1506 (m. 200), opus satyricum, in quo magna libertate et acerbe carpit omnis conditionis et status tam ecclesiastici quam laici vitia: sed adeo salutare est et spiritu christiano animatum, ut Geiler de Kaisersberg concionator clarissimus illud vocaverit ‚speculum salutis' atque concionibus populo explicandum selegerit deque eo ultra annum sit concionatus. Est varium, eruditione mythologica et antiquitatis refertum, sed non satis ordine logico connexum, hinc obscurum, quod haud raro indiget commentario, stilus non est adeo rusticus et indecens sicut tot humanistarum illius aevi[1]). Saepe prodiit atque in alias linguas fuit versum. Optimae editiones sunt Lipsiae 1854 cura Fr. Zarnke; ib. 1872 cur. Goedeke; ejus versio cur. K. Simrok, Berolini 1872. Alia ejusdem opera sunt: Expositiones sive *declarationes omnium titulorum juris* tam civilis quam canonici, collectae et revisae, Basileae 1490 in 4; 1500; 1503; 1504; 1505 etc. saepe etiam alibi; *liber faceti* docens mores hominum, praecipue juvenum, in supplementum illorum, qui a Catone erant omissi, 1496; Memmingae s. a. etc. saepe editus; *liber moreti* docens mores juvenum etc., 1496 s. l. etc.

---

[1]) Cf. Janssen KL.[2] II, 1200; Schmidt Notice sur Sébastien Brant in Revue d'Alsace, Nouv. Série, Colmar 1874. III. et in Hist. littér. d'Alsace I, 191—334, qui p. 330 de illo ita censet: Pour résumer mon opinion sur notre auteur, je dirai qu'il a eu toutes les qualités, qui constituent l'homme sage, probe, honnête, qu'il a été doué d'aptitudes diverses, plein de connaissances et de bonnes intentions, mais d'un charactère trop assombri et d'un esprit trop confiné dans le cercle étroit de certaines idées, pour être vraiment un homme supérieur etc. Ejus opera recenset II, 340—76. De ejus controversia cum Wirt (cf. p. 1113a.) propter immaculatam Virginis conceptionem cf. Lauchert hist. Jahrb. 1897 p. 770 ss.

[1]) Janssen Gesch. des d. Volkes I, 303 ed. 18: Die erfreulichste Erscheinung unter allen Zeit- und Sittengedichten ist das . . . im J. 1494 erschienene *Narrenschiff* von S. Brant, ein der Form nach satyrisches, im innersten Kern religiöses Gedicht, welches nach einem Verfall von Jahrhunderten die deutsche Dichtkunst im Inlande wie im Auslande zu neuem Ansehen erhob. Wenigen Werken in der Literatur kann die Geschichte die Ehre einer so großartigen, plötzlich einschlagenden Wirkung zuerkennen wie dem Narrenschiff. Cf. ibidem in annot. alia splendida elogia. Cf. etiam I, 135. „In quo, inquit Trithemius SE. c. 924, causam et radicem omnium stultitiarum adeo eleganter expressit, mores hominum carpit, et quaedam salutaria remedia singulis tradit, ut non jure stultorum librum, sed divinam potius satyram opus illud appellasset. Nescio enim si quid tempestatis nostrae usibus salubrius aut jucundius legi posset".

III. Historia ecclesiastica.

615. *Quaestiones chronologicas* tractat Joannes Lucidus Samosatheus cognominatus Venetus, mathematicus, in op. *de emendationibus temporum* ab o. c. usque ad a. Christi 1537, Venetiis 1537; 1546, quod Hier. Bardi continuavit ad a. 1575, ib. 1575 in 4. Disputat in eo etiam de vera die passionis Christi. — Solide vero et docte de hac disputavit Paulus, qui familiae nomine carens a natali solo Middelburgo in Zelandia Middelburgius cognomen mutuatus est. Lovanii adolescens studiis multos impendit annos. In Italiam transgressus ob eximiam physices reique medicae peritiam magnum auctoritatis et gratiae locum obtinuit apud ducem urbinatem, cujus favore creatus est ab Alexandro VI. episcopus foro-semproniensis (1494). Cumque studiis astronomicis et mathematicis etiam artibus excelluerit (nam judice Jul. Caes. Scaliger omnium sui temporis mathematicorum facile princeps fuit), quas etiam prius docuerat Patavii, a Julio II. et Leone X. Romam fuit vocatus. Scripsit *Paulina* sive de recta paschae celebratione et de die passionis D. N. J. Christi, Foro-Sempronii 1513 in f., in quo ll. 14 de paschate et ll. 19 de passionis die erudite disserit, cui disputationi occasionem praebuit Judaeus catholicis exprobrans, ipsos a vero computo paschali recedere. Ceterum jam ipse institit, ut calendarium reformaretur, hinc suam disputationem proposuit conc. lateranensi V. Decessit[1]) Foro-Sempronii 15. Dec. 1534. a. aetatis 89. — Paucos vero reperimus qui historiam *universalem illustraverint*[2]). Amandus de Ziericzée (Zieriksee) O. Min. Zelandus, lector in variis conventibus et guardianus, minister provinciae coloniensis, qui in martyrologio franciscano dicitur ‚prodigiis clarus et vitae sanctitate pollens' (sepultus 8. Jun. 1534, secundum Sbaraglia 1535), praeter commentaria (inedita) in Genesim, Job et Ecclesiasten, concinnavit *chronicam* compendiosissimam ab exordio mundi ad 1534, Antverpiae 1534; adjecta sunt tr. de LXX hebdomadibus Danielis; ep. regis Aethiopiae Davidis ad Clementem VII., cum articulis quibusdam de fide et moribus aethiopum christianorum; aliae quoque ep. (3) ex nova maris oceani Hispania de fructu admirabili illius surgentis novae ecclesiae; 1537 in 12., compendium non magni pretii. — Franciscus Carpesani Parmensis episcopo suo a secretis et ‚flamen parmensis' stilo eleganti scripsit *commentaria* suorum *temporum* ab a. 1470—1526 ll. 10 comprehensa apud Martene Vet. Script. et Mon. V, 1177—1426. Obiit auctor noster[1]) 6. Sept. 1528. — Raphael Maffei[2]) a patria

[1]) Cf. Esser KL.[2] IX, 1721; Foppens 2, 944; Fabricius V, 206; Hefele-Hergenroether VIII § 898.

[2]) Bartholomaeus Abraham episcopus ariensis in insula Creta (ad a. 1536) latine vertit *acta graeca concilii florentini* (probabiliter a Dorotheo Mytilenaeo archiepiscopo concinnata † v. 1444), quam versionem ed. Romae 1521 retractavit Matthias Caryophilus. Ea reperitur in actis conc. Labbei t. XIII., Harduini t. IX; Mansi t. XXXI., estque fons magni momenti pro historia illius concilii.

[1]) Cf. Affò Memorie degli Scrittori e Letterati parmeg. III, 212—218, qui de eo scribit: Parma non ebbe tra gli Scrittori suoi esercitati nella prosa latina chi più elegantemente e pulitamente del Carpesano i propri concetti esprimesse.

[2]) Alius a Bernardino Maffei n. 1514 claro sui temporis poëta, oratore et antiquitatis investigatore, viro vere docto ac pio, episcopo massanensi, dein archiepiscopo theatino, demum cardinali († 1553),

Volaterra Hetruriae urbe Volaterranus dictus n. 1451, Romae juris professor, ab a. 1466 pluribus pontificibus a secretis († 25. Jan. 1522), narrat *vitas romanorum pontificum* scil. Sixti IV., Innocentii VIII., Alexandri VI. et Pii III., Venetiis 1518; aliquot patrum graecorum opuscula latine reddidit, *de fide christiana* disseruit ll. 10, et *commentarios rerum urbanarum ll. 38* conscripsit, Parisiis 1526; Basileae 1530; 1544 in f., opus eruditum quidem, cui tamen deest lima critica. Eo continetur encyclopaedia quaedam argumentorum, quae scitu sunt digna et praesertim ad geographiam, philologiam, anthropologiam et historiam spectant[1]). — Multa ad illustrandam historiam illius temporis reperiuntur in Laurentii Campeggi epistolis. Natus is est Mediolani 7. Nov. 1474 (al. 1472) filius celebris juris consulti Jo. Zachariae Campeggi[2]). Nondum juris doctor illud publice docuit Patavii (1493), dein Bononiae, ubi ei collata fuit laurea doctoralis juris canonici (1499). Defuncta uxore factus est a Julio II. auditor rotae romanae: imo mox missus est nuncius apostolicus ad Maximilianum imp. in difficillimo pseudoconcilii pisani negotio. Prudentia et dexteritate sua imperatorem initio reluctantem reddidit pontifici propitium, imo ita ejus invenit gratiam, ut ipse et fratres ejus ab eo comites crearentur palatini. Factus deinde est episcopus feltrensis, a Leone X. cardinalis 27. Jun. 1517 et missus legatus in Angliam ad Henricum VIII., cujus benevolentiam adeo promeruit, ut hic eum elegerit in episcopum salisburiensem et palatio donaverit in Urbe. Clemens VII. eum dixit episcopum bononiensem et in Germaniam bis misit legatum ad componendas turbas Lutheri defectione excitatas, dein et in Angliam ad Henricum VIII. legitimam suam uxorem repudiare cogitantem, sed irrito successu[1]). Praetermittimus alias negotiationes gravissimas, quibus ob suam dexteritatem et prudentiam implicitus fuit. Paulus III. eum misit Vicentiam cum Simonetta et Aleandro ad inchoandum concilium indictum, verum 25. Jul. 1539 Romae vitam finivit. Ejus epistolae dispersae reperiuntur per varias collectiones: ita aliquot leguntur in *epistolarum miscellanearum ll. 10,* Basileae 1550 in f. Eas, quas (1530—1532) e Germania scripsit, diligenter collegit Ehses, sed aliis laboribus impeditus nondum edere potuit: large tamen iis utitur in Introd. op. Concilium Tridentinum c. 4 p. XXXII, et röm. Qtlschr. XVII (1903), 383—406; XVIII (1904) 358—843. *Constitutio* ad removendos abusus et ordinatio ad vitam cleri reformandam Ratisbonae 1524 edita exstat apud Le Plat II, 226—37. Quasdam relationes, quas nuncius Romam misit, publicavit Laemmer in Monumentis vaticanis.

616. Ut ad historiam ecclesiarum *particularium*[2]) vel regionum veniamus,

---

cujus praeter scripta ad literas humaniores spectantia est l. *de inscriptionibus et imaginibus* antiquorum numismatum.

[1]) Cf. Falconcini Vita del ven. R. Maffaei, Roma 1722 in 4; Lastri Marco Elogio di R. M. in Serie d'Elogi d'illustri Toscani, Serie II. Ab eo distingui debet Raphael M. O. Pr. Calaber, qui scripsisse dicitur *de vera et legitima Urbani VI. electione* (fl. 1385). — Ita et Timotheus Maffei Veronensis, Paulo II. a secretis, archiepiscopus Ragusinus, († 1470), qui in dialogo in studia inquirit, quae monachum deceant: Inscribitur *insanctam rusticitalem* literas impugnantem.

[2]) Cf. de eo Sigonius in Vita, Bononiae 1581; inserta ejusdem operi de episcopis bononiensibus; inter opp. Sigonii III, 531—76; Fantuzzi Scritt. bologn. III, 47—61; Tiraboschi VII. p. 2. pag. 139 ss.; Kreutzwald KL. 2². 1779; Ehses Röm. Dokumente zur Gesch. der Ehescheid. Heinrichs VIII., 1893. p. XVI-XXXI; Hefele-Hergenroether IX § 949 ss. passim.

[1]) Cf. Ehses Röm. Qtlschr. XIX (1900), 256—268.

[2]) Bartholomaeus de s. Aegidio reliquit chronicam *de seditione et tumultu pragensi 1524—51,* editam latine

Petrus Impens can. reg. O. S. Aug. n. 1445, director monasterii mariendalensis, dein prior canoniae bethlehemiticae († 23. Dec. 1523), dedit *Compendium decursus temporum* monasterii Christiferae Bethlehemiticae puerperae O. Can. reg. juxta Lovanium, quo complectitur non solum annales sui ordinis atque conventus, sed et historiam ecclesiasticam et literariam Belgii. Prodiit illis omissis in Kervyn de Lettenhove Chroniques relatives à l'hist. de la Belgique 1876. II, 339—468. — Jacobus Manlius (Mennel) Brigantinus, j. u. doctor et artium magister, scriba friburgensis, consiliarius et historiographus caesareus, vir haud criticus († 28. Sept. 1532; secundum alios ante 6. Mart. 1526) scripsit praeter alia *de episcopatu et civitate vindonensi et constantiensi* a. 1519; ab alio continuatum ad a. 1607 apud Pistorium, rer. germ. SS. 1607. III, 617—722; ed. Struve III, 697—804; *Keyserall und Bäpstall,* Basileae 1522 in 4., in quo exhibet seriem imperatorum et rom. pontificum cum brevibus notitiis de singulis, quando et quamdiu regnaverint, qua morte obierint cum praecipuis gestis[1]), — Fr. Christophorus Hofmann OSB. Rottenburgensis († 1534) concinnavit[1]) *Chronicon breve* (non magni momenti) de primis ducibus Bavariae, episcopis ratisbonensibus et de s. Emmeramo apud Oefele rer. boic. SS. I, 545. — Paulus Lang OSB. in monasterio bozaviensi, cygnaeus sive zwiccaviensis, pro Trithemio, cui erat amicus, plures per Germaniam bibliothecas lustravit ad conferendam symbolam illius operi de scriptoribus ecclesiasticis. Digessit diligenter ex pluribus scriptoribus et chronicis *Chronicon citicense* (Zeitz) de illius dioeceseos gestis et aliis etiam passim juxta ejusdem praesulum annos et successiones ab a. 968—1515, ed. a Pistorio SS. rer. germ. I, 755—907; I², 1120-1291; *Chronica naumburgensis ecclesiae* omnium episcoporum, qui a tempore Ottonis M. usque ad Caroli V. tempora per 560 a. rexerunt, nomina et gesta scitu digna continens (968—1536), apud Menken SS. rer. Germ. 1738. II, 1—102. Utrumque plus continet quam titulus promittit, multa enim refert specialia notatu digna ex Germania, imo universa Europa. In priori Lutherum adhuc demiratur, in altera ejus admiratio plurimum deferbuit, imo graviter in eum invehitur[2]). — Antonius Belloni utinensis scriba seu notarius cancellariae patriarchalis narrat *vitas patriarcharum aquilejensium* usque ad a. 1530, apud Muratori SS. rer. It. XVI, 23—70. — Joannes Tilianus (Lindner) O. Praed. monachus, Pirnensis dictus (fl. 1530), ordine alphabetico personarum et locorum re-

---

Pragae 1859, cum introductione historica auctore Höfler. — De J. Wimpheling, qui illustravit ecclesiam argentoratensem, infra loquemur. — Wigandus Gerstenberg (al. Victor Bodenbender) n. Frankenbergae 1. Maj. 1457, sacerdos († 27. Aug. 1522) fideliter concinnavit ex variis monumentis, praesertim ex chronica hassiaca Jo. Riedesel († p. 1341) *Chronicon hassiacum et thuringiacum* (ad a. 1498), quod ab a. 813 accurate edidit Schminckein Mon. hass. Cassel 1747 I, 31—293, II, 295-574; *Chronicon Frankenbergense* d. i. Frankenbergisch Chronik und Zeitbuch (1525), ed. Jo. Phil. Kuchenbecker Anal. Hass. V, 145—240, sed non complete; additamenta apud Ayrmann Syll. anecd. 1746 I, 623—672. Cf. Allg. d. Biogr. IX, 66 s.

[1]) Cf. Horawitz Allg. d. Biogr. 21, 358 ss.

[1]) Scripsit quoque *chronicon Bohemiae*, quod vulgavit Hier. Pez SS. rer. austr. II, 1042 et historiam *de expulsione Judaeorum* ex urbe ratisbonensi, quam Struvius in actis liter. t. II. fasc. 1. publicavit. Reliquit plura alia inedita. Cf. Balbinus Boh. doctae II, 203.

[2]) Cf. Horawitz Allg. d. Biogr. 17, 614 ss.; K. E. H. Müller Das Chronikon citicense . . . und die in demselben enthaltenen Quellen in Neues Arch. für sächsische Gesch. Dresden 1892. XIII, 279—314.

fert facta, quae ad illos referuntur[1]). Excerpta saxonica, misnica et thuringica ex ejus *Onomastico* autographo exhibet Menken inter Scriptores, Lipsiae 1728. II, 1447—1632.

617. Lambertus Slagghert O. Min. lector et in monasterio monialium ribnicensi confessarius († 1533), scripsit[2]) hujus monasterii *chronicam* (1323-1533), cujus fragmentum (1522—27) edidit C. F. Fabricius in Meckl. Jahrb. ed. Lisch III, 96—140; opus latine versum et retractatum ad a. 1539 Westphalen in Monum. ined. 1745. IV, 841 ss. Continentur in ea plura, quae spectant ad historiam O. Min. provinciae saxonicae. — Joannes de Komorowo O. Min. strict. obs. Polonus, nobili prosapia ortus, guardianus wilnensis, et post divisionem Observantium a Conventualibus (1517) primus Observantinm per Poloniam provincialis († 3. Nov. 1536), composuit prius tractatum *chronicae fratrum Min. Obs.* a tempore constantiensis conc. et specialiter de provincia Poloniae (1503), ed. ab Henr. Zeissberg, Viennae 1873, quam dein retractavit, dilatavit et continuavit[3]) stilo implexo et dificili in *Memoriali O. ff. Min.* maxime rectorum ipsius ordinis et contingentium in ordine, ed. a Xav. Liske et A. Lorkiewicz in Monum. Pol. hist. 1888. V, 64—362 (cum continuationibus ad 1620 ib. p. 363 ss.) seorsim Leopoli 1886 in 8. Scripsit etiam *introductionem* in doctrinam doctoris subtilis intra a. 1508—19 quater editam. — Marianus de Florentia O. Min. († 1527) haud parum sollicitus fuit de historia sui ordinis, cujus laboribus libenter usus est Wadding, sed Suyskens S. J. bollandista illis multum detraxit pretii, adeo ut oblivioni fuerint traditi et pene perierint. Tria scripta: *vita* s. Francisci, *vita* s. Clarae et tr. *de tertio* s. Francisci *ordine* reperit diligens monumentorum O. Min. scrutator Paul. Sabatier deque eis scitu digna refert in Collection d'études et de documents sur l'hist. relig. du moyen âge, Paris t. II. Fr. Barth. de Assisio tr. de indulg. s. Mariae de Portiuncula, App. p. 137 ss. Alia scripta mscr. recenset Sbaraglia p. 518. — Anonymus auctor elaboravit chronicon Schutterani monasterii OSB. (ad confinia silvae nigrae) ab a. 603—1542, quo in opere usus est laboribus Nicolai de Gerau OSB. († 1538), cujus chronici l. 3. ab a. 1491—1542 periit[1]). Prodiit inscripta *Chronik von Schuttern* apud Mone Quellensammlung der bad. Landesgesch. 1863. III, 67—132 coll. 666—680. — Joannes Philippus novariensis composuit *chronicam canonici ordinis,* Cremonae 1535. — Joannes Nibling Volkacensis O. Cist. in monasterio ebracensi, qui factus est in academia heidelbergensi artium liberalium determinator et theologiae baccalaureus formatus, munere functus est prioris a. 24, dein praepositi schoenaugiensis, cui dignitati mox renunciavit († 1526 a. aetatis 63). Magna diligentia compilavit t. 4 chronicam monasterii (quam Heppestein sodalis et prior continuavit ad a. 1538), in quam omnis generis notitias congessit, etiam sermonum schemata, carmina, epistolas etc. Mansit inedita, ex qua aliqua ediderunt Const. de Höfler in Arch. für Kunde öst. Geschichtsquellen t. VIII et Jaeger minister protestans in op. Die Cistercienserabtei Ebrach zur Zeit der Reformation, sed longe plura Dr. P. Wittmann in Studien u. Mittheil. aus dem Benediktiner und dem Cistersiens-Orden XVII (1896), 583—600, notitias de ipso auctore et carmina ejusdem; XVIII (1897), 68—79 epistolas; 286—293 notitias varias de mo-

[1]) Cf. Falk Katholik 1891, I, 496 s.
[2]) Cf. Krause Allg. d. Biogr. 34, 450 s.
[3]) Cf. Eubel histor. Jahrb. 1889 p. 383-89 coll. p. 570 ss.

[1]) Cf. Potthast p. 291.

nasterio; 429—438; 598—608; XIX (1898), 100—107 notitias de rebus gestis alibi etc.; 271—278 miracula et carmina; 630-647 seriem abbatum et catalogum fratrum monasterii eberacensis. — Ibidem reperies *Historiam excidii Maximiniani* (monasterii trevirensis OSB.) in bello Francisci a Sickingen, quam accurate describit Joannes Scheckmann sodalis, Trevirensis, vir vere religiosus (12. Aug. 1531). Ejus manuscripto jam alii usi sunt, sed cum non sine pretio sit pro historia hujus monasterii florentissimi, et tristissimi status ditionis trevirensis tempore reformationis, edidit illud Phil. Diel l. c. VIII (1887), 348—357 et fasc. seqq. Joannes noster edidit praeterea Epitomen sive *medullam gestorum trevirensium*, Metis 1517, quae est proprie Jo. Enen (cf. supra p. 1149); *vita Popponis* archiep. trev. et ejusdem *Elevationem* in Act. SS. Jun. I, 105-107. Alia minoris momenti manserunt inedita. — Joannes Stolz O. Praed. narrat facta sodalium monasterii Gebweiler ab a. 1520—1540. Ejus narratio constituit p. alteram totius chronici hujus monasterii germanice conscripti, quod prodiit cur. X. Mosmann, Argentorati 1844. Priorem p. ab initio sec. XIV. alius conscripsit; tertiam Seraphim Dietler hujus monasterii praepositus, qui illud in ordinem redegit et ad a. 1723 continuavit.

618. Ex *hagiologis* sufficiet nominasse Stephanum Serva can. reg. lat. cremonensem, cujus *Vita s. Ubaldi* ep. eugubini († 1160) prodiit latine et italice Romae 1519; 1523; Romae 1628. Majori tamen credulitate quam prudentia quaedam scripsit, quae vera non esse facile detegere potuisset[1]). — Augustinus Monfalconius O. S. Aug. († c. a. 1522), qui aliquot sodalium opera correxit praeloque mandavit (cf. supra p. 672), *vitam, miracula et revelationes b. Clarae Montis Falci* narrat, Venetiis 1515 in 4. — *Vitam b. Columbae V.* tertii ord. seu de Poenitentia s. Dominici († 1506) Sebastianus de Angelis O. Praed. vulgo a patria Perusinus dictus, prior provincialis, in mathematicis et astronomicis disciplinis versatus († 1525), virgini illi a confessionibus, prius quidem italice, quae periit, dein latine, quae prodiit[1]) in Actis SS. 20. Maji V, 320-94, italice versa, sed interpolata et quibusdam rescissis interprete Leandro delli Alberti, Venetiis 1521. — *R. Jacobi Salomonii* Veneti vita ex visis aut auditis ab anonymo et ex processibus intra tres aut quatuor ab ejus morte (1314) annos concinnata, a Vincentio de Faventia O. Praed. ab interitu vindicata, instaurata et restituta prodiit in actis SS. 31. Maj. 460—75. — *Vitam s. Antonini* archiep. florentini composuit Vincentius Mainardus de s. Geminiano O. Praed. elegans ac floridus orator, magistri generalis in visitandis provinciis socius, ordinis procurator († 1527), Romae et Mediolani 1525. — Nicolaus Valla seu a Valle O. Min. Conv. Agrigentinus praeter alia[2]) typis vulgavit ex anonymo auctore Seraphicam silvam i. e. *vitam s. Francisci ll. 4*, Florentiae 1498. Anno 1525 assumptus est episcopus medaurensis datusque coadjutor episcopo melitensi. — Ignatius Squarcialupus OSB. Florentinus[3]), abbas casinensis († 1526), describit *vitam et passionem s. Bertharii* ab. casinensis († 883 vel 884), quae est farrago ampla et plurimum indigesta satis, pauca de sancto narrans nec semper probata, deficiens plurimum in chronologia, ut censent editores Act. SS., in quibus ea legitur IX. Oct. p. 670—82.

[1]) Cf. Rosinus in Lyceo latern. t. 2; Mich. a s. Joseph Bibliogr. crit. 4, 273.

[1]) Cf. quasdam annotationes apud Echard II, 65.

[2]) Cf. Mongitore bibl. sic. II, 109.

[3]) Cf. Armellini bibliothecae benedictinocassin. II, 9.

Mons orationis cum tr. *de scala coeli* s. Augustini, Florentiae 1524. — Laurentius de Fadilla Antiquiariensis ex nobili familia natus, rondensis archidiaconus regiusque Caroli V. historiographus, scripsit bona quidem fide sed minus accurato et critico labore *Catalogum* (brevem) *sanctorum Hispaniae* (vernacula lingua), Toleti 1538, l. rarus. *El libro primero de las Antiguedades de España*, Valentiae 1669 in 12. opera Jos. Pellizerii; alii duo ll. non prodierunt. Complura continentur hac historia apocrypha prorsus et vana, quae desumpta creduntur ex hispanica historia nunquam edita P. Jo. de Ritmerga, cujus lucubrationes non tanti sunt pretii[1]). — *Vitam s. Dominici* lingua patria descripsit Didacus de Lemos O. Praed. Lusitanus, Olisipone 1525.

619. Ad *historiam literariam* spectant[2]) Joannes Butzbach n. 1477 Miltenbergae, qui post agitatissimam calamitatibusque et egestate duram juventutem quietem tandem (1500) reperit in monasterio lacensi OSB., in quo magistri novitiorum, dein et prioris munere fungebatur vitamque duxit literis, quas impense fovebat, deditam († 1526). Miro cultu prosequebatur Trithemium, cujus vestigia presse sequebatur. Collegit ad Trithemii catalogum scriptorum ecclesiasticorum (cf. p. 1166) auctarium ita, ut exhibeantur virorum doctrina illustrium 1155 nomina, aliosque libellos ut de illustribus seu studiosis doctisque mulieribus, de claris picturae professoribus etc.: sed dolendum ejus scripta mansisse inedita, si excipias ejus *Hodoporicon*, in quo juventutis fata stilo candido et aperto describit. Prodiit illud germanice cura J. Becker inscriptum: *Chronika eines fahrenden Schülers* oder Wanderbüchlein des J. Butzbach, Regensburg 1869, cui adjecit editor reliquae vitae narrationem et accuratum catalogum ejus scriptorum[1]). — Alphonsus a Madrito O. Min. reg. obs. (fl. 1529) exhibet *Espejo de Illustres personas*, Burgis 1542. in 12; italice factum auctumque a Car. Basilica-Petri, Romae 1603; 1604 in 16; latine versum a Jo. Hentenio O. Praed. Lovanii 1560; 1576; Parisiis 1585; Coloniae 1606; 1608; 1625 in 12. *Arte para servir a Dios*, Compluti 1526; 1555; Burgis 1530; Matriti 1578. Cum autem hoc opusculum alioquin egregium et valde utile minus emendato dicendi genere esset scriptum, illud expolitum edidit Ambr. Morales Tarraconae 1591; Matriti 1598; latine versum ab Jo. Hentenio cum priori Lovanii 1576; Ingolstadii 1578; Coloniae 1608 etc. — Bernardinus Rutilio j. u. doctor, Ridolfi cardinali a secretis, canonicus vicetinus († 1538), scripsit *de vitis juris consultorum*, quem l. iterum edidit Franck Halle 1718. — Denique pro *historia missionum* aliqua discere licet ex scriptis Petri Martyris de Anghiera Aronae ad lacum majorem natus a. 1455. Secutus est aliquamdiu castra Ferdinandi et Isabellae regum Hispaniae, sed capta urbe Granata deposuit arma secularia, ut sequeretur Christi vexillum. Datus est paedagogus pueris ex aula, dein missus legatus ad Sultanum Aegypti pro molienda conditione Christianorum ibi degentium felici cum fructu. Hujus legationis reddidit rationem in op. *de legatione babylonica* ll. 3, Hispali. Obiit circa 1526 canonicus granatensis et prior. Neque pretio carent pro historia illius tempo-

[1]) Cf. Michael a s. Jos. III, 176.

[2]) Referri quoque huc potest Henning Pyrgallus (Pirgallus) professor lipsiensis et poeta non imperitus ob suum *Encomium aliquot virorum illustrium* hac lugubri tempestate catholicas veritates asserentium, Lipsiae 1539, et apud J. A. Fabricium Centifolium lutheranum, Hamburgi 1728.

[1]) Cf. Becker KL. II², 1623.

ris (1488—1525) ejus *Opus epistolare* Alcala 1530, Amstelodami 1670, sed de epistolarum genuinitate dubitatur; *de orbe novo decades* (VIII), Parisiis 1536; 1687; *de insulis nuper inventis* et incolarum moribus, Basileae 1521; 1633 in f.. Cf. KL. IX, 1925; Tiraboschi VII. 2, 366 s.

IV. Theologia practica.

620. Tres occurrunt hac periodo pontifices. Bellicosum Julium II excepit Leo X. pontifex Joannes de' Medici antea cognominatus. Natus is est 11. Dec. 1475 nobilissima stirpe: pater enim ejus celebratissimus erat dux de Medicis, sub quo respublica florentina summum adepta est splendorem. Puer a. 13 creatus est ab Innocentio VIII. cardinalis (1488), sed nonnisi 9. Mart. 1492 cardinalatus insignibus fuit donatus, interim diligentissime fuit institutus in literis humanioribus, jure canonico et theologia. Tristia diu expertus est fata, post mortem tamen Julii II. electus est in pontificem et cum diaconus tantum esset, 15. Mart. 1513 ordinatus est presbyter, et 17. ejusdem mensis episcopus. Pontifex quam maxime promovit studia, accivit viros in literis doctissimos, collegit codices, fovit artes, urbem orbis caput ad congruum provexit splendorem. Concilium lateranense V. a Julio II. jam inchoatum continuavit. Strenue nisus est componere schisma et revocare fideles ad unitatem, promovere morum reformationem, componere pacem inter principes Christianos, ut fortiter possent Turcarum invasiones comprimi. Pro tuenda fide plures rejecti fuere errores, qui animam spectant humanam atque damnata assertio veritatem (rationalem) adversari posse veritati fidei. Sub ipso unio Maronitarum cum sede apostolica renovata fuit, missis ad eos nunciis et missionariis (cf. Hefele VIII, 832—44). Praeter alias constitutiones edita fuit praeclara constitutio de munere praedicationis (Hardouin IX, 1806-1809). Sub ipso contigit tristissima magnae Germaniae partis a vera Christi Ecclesia defectio duce M. Luthero. Omnes conatus illum ad rectam revocandi semitam cesserunt incassum: quare pontifex 41 propositiones ejusdem erroneas 15. Jun. 1520 edita damnavit bulla et ipsum Lutherum 3. Jan. 1521 excommunicavit. Ipse pontifex a. aetatis 45. decessit[1]), num ex veneno dubium, 1. Dec. 1521. Innumeras reliquit epistolas, decreta aliaque monumenta etc., quae stupenda sedulitate colligere coepit ill. card. Hergenroether, qui tamen morte praeventus edidit tantum fasc. 8, quibus recensentur ad a. 1515 documenta 18070, Friburgi 1894—1901. — Sedit post Leonem Hadrianus VI., de quo alibi egimus (p. 1217), quem excepit Clemens VII., antea Julius cardinalis Mediceus, patruelis Leonis X. (20. Nov. 1523—26. Sept. 1534). Tristissima ejus pontificatus incidit tempora. Sub eo defecit Henricus VIII, cum suo regno ab Ecclesia romana, quod pontifex noluerit irritum declarare ejus cum Catharina legitima sua uxore matrimonium, ut novum inire posset cum Anna Boleyn amasia. Ipse plures approbavit ordines religiosos, per quos inaugurata fuit vera vitae religiosae quaquaversus reformatio[2]). Plures ejusdem epistolas, quae spectant

[1]) Cf. plura de eo apud Roscoe Storia della vita e del pontificato di Leone X, cum plurimis documentis, Mediolani 1816; Jovii de vita Leonis X. ll. IV, Florentiae 1548; A. Fabroni Leonis X. vita, Pisae 1797; Hefele-Hergenroether VIII § 892 ss.

[2]) Cf. Patr. de Rossi Memorie storiche del pontificato di Clemente VII., Romae 1837; Reumont KL. III, 479-484. Hefele-Hergenroether IX § 948 ss.; 980 ss.

protestantium defectionem ejusque conatus componendi turbas in Germania suscitatas, habes apud Le Plat in coll. monum. ad hist. conc. trid. spectantium t. II. passim.

621. Sicut historici ita et *canonistae* hac periodo sunt rariores quam epochis praecedentibus. Antonius de Burgos Salmanticensis n. 1450, juris canonici professor Patavii, dein a. 20 Bononiae, a Leone X. Romam vocatus utriusque signaturae referendarius est factus. Ejus discessum admodum aegre tulit academia bononiensis († 10. Dec. 1525). Plurium decretalium titulos commentariis illustravit[1]). — Joannes Franciscus Riva (a Ripa) Ticinus, Avenione et Paviae professor clari nominis, ad quem audiendum undique, dum in priori urbe doceret (1518—33), discipuli accurrerunt. Senator dictus est mediolanensis decessitque 1535, secundum alios 1534. Maximi eum aestimavit Sadoletus[2]), qui de eo ita ad Clementem VII. scripsit: „Vestrae sanctitati hoc testimonium praebere possum, nullum a me de his, de quibus aliquid judicare potuerim, aut praestantiore ingenio aut illustriore fama fuisse cognitum, nec solum doctrinae et eruditionis, sed virtutibus etiam eximiaeque integritatis.“ Magis emicuit in jure civili, ejus tamen opera evanuerunt prae operibus magni Alciati, de quo infra. Huc spectant: *Commentarius* ad jus canonicum, Augustae 1574; Lugduni 1585 in f.; *interpretationes* in 1. et 2. decretalium l., Lugduni 1554 in f.; Venetiis 1575 in f.; *lecturae* in aliquot titulos, Tridini 1519; 1542 in f. — Philippus Decius Mediolanensis n. 1453, Papiae studio juris civilis se addixit fratremque suum majorem Lancellottum praeter alios praeceptorem habuit, quem brevi eruditione et doctrina praecelluit. Eum Pisam secutus est, ubi a. aetatis 21 doctor renunciatus est et mox magister constitutus. Ut profiteri coepit, auditorum numero omnes brevi superavit, quamvis collegas haberet celebres, ecsque disputandi sagacitate facile vincebat, quod et in aliis academiis, in quibus docuit, contigit, hinc collegarum invidiam commovit: quare invitatus Senas transiit ibique primum sacros canones, mox jus civile docuit. Ab Innocentio VIII. designatus est Rotae auditor, qua occasione tonsuram clericalem accepit: ordinibus tamen majoribus non fuit initiatus. Rediit Pisas ad docendum, ubi multos habuit discipulos insignes atque inter eos Joannem Mediceum, postea pontificem Leonem X., pluresque alios, qui creati sunt cardinales. A Ludovico Galliae rege, qui tunc Mediolanensium potiebatur, in patriam invitatur, cui vocationi obsequens in ticinensi lyceo annos septem canones legebat maximo discipulorum concursu. Interim a rege agentibus nonnullis cardinalibus schismaticis convocatum fuit conciliabulum pisanum, adversus Julium II. (translatum postea Mediolanum), cui et ipse interfuit et cujus legitimitatem duplici scripto nisus est tueri: *Consilium supra Ecclesiae auctoritate* supra Papam in causa synodi pisanae; et *Sermo* de eadem materia pro justificatione concilii pisani, apud Goldast Monarch. S. R. E. II, 1167 ss. Quare excommunicatus a Julio II. coactus est exturbatis Papia Gallis confugere in Galliam, ubi honorifice fuit exceptus. Nam a gratianopolitanis civibus adlectus est senator et Valentiam evocatus cathedram conscendit magno auditorum concursu. Defuncto Julio II. Leo X. ejus in sede apostolica successor Decium suum quondam praeceptorem a censuris omnibus absolutum declaravit. Hinc revocatus in Italiam Papiae iterum docuit auctus dignitate senatoria mediolanensi et munere curatoris universitatis. Post aliquot annos

[1]) Cf. eorum elenchum in Nic. Antonii bibl. hisp. nova I, 105.

[2]) Epist. I, 138 ss.; 201 ed. rom.; Tiraboschi VII. p. 2. l. 2. c. 4. n. 4; Schulte III, 444.

Pisis cathedram rexit ibique 13. Oct. 1535 senex a. 81 diem postremam vidit. Sibi ipsi sepulcrum fabricari vivens curavit, „ne posteris suis crederet," ut in epitaphio legimus. Dum viveret ob disputandi sagacitatem, praelectionum vivacitatem et elegantiam magna erat ejus fama: hinc undique fuit invitatus splendidissimis et illo aevo adhuc insolitis pollicitationibus, oblatae fuere cathedrae honorificae a principibus et academiis. Ea tamen post ejus mortem obliterata fuit, neque enim tantum est ejus operum pretium, quorum pleraque jus respiciunt civile, pauca jus canonicum[1]). Ad hoc spectant commentum super rubrica *de judiciis,* Pisis 1494; *consilia* (700), Papiae 1512—31 t. 4 in f. cum auctoris vita. Commentaria *in decretales,* Lugduni 1557; Venetiis 1576 in f. Quamvis tueretur conc. pisanum, non tamen cum Gallicanis illimitate profitetur conciliorum generalium super romanum pontificem auctoritatem, sed concilium de eo tantum in casibus quibusdam judicare posse opinatur etc. — Jodoci de Fontanis judicis appellationis populi rhodiensis († p. a. 1538) *scholia* in constitutiones Bonifacii et Clementis cum vita Joannis XXII. prodierunt Parisiis 1527. — Petrus Andreas Gambarus (Gammarus) seu de Gambarinis n. 1480 in ditione bononiensi, j. u. doctor, juris canonici professor, vicarius generalis erat archiepiscopi florentini Julii de Medici: qui postmodum electus pontifex sub nomine Clementis VII. eum fecit auditorem Rotae (1526), dein (1527) auditorem s. Palatii apostolici et vicarium suum, mox 7. Aug. 1528 episcopum faventinum. Obiit tamen in itinere ad ecclesiam suam eodem a. mense Septembri. Collegit nomine sui archiepiscopi decreta concilii provincialis florentini (1517—1518), quae prodierunt Florentiae 1564 et apud Mansi Supplem. ad conc. IV. 407—500, de quibus cf. Hefele-Hergenroether VIII § 909. Scripsit commentarium in Extravag. Julii II. *de electione simoniaca rom. pontificis* (14. Jan. 1506), quam electionem ex jure novo per Julium II. sancito invalidam censet, Romae 1528. Ceterum ipse optat, ut haec constitutio radicitus tolleretur „ne contingat olim ex ista schismatis alicujus semen oriri[1])". *Tr. de beneficiorum permutatione,* inter tract. juris univ. XV. 1, 208 ss.; *de officiis et auctoritate legati a latere,* ib. XIII, 1, 150 ss.; Venetiis 1585 in f.

622. De quaestionibus *singularibus* disputarunt praetermissis Henrico Grefe Goettingensi, professore in universitate lipsiensi (1481—1521) — Paulo Cittadino (de Citadinis) Mediolanensi, in academia friburgensi legum interprete, sub mediolanensis ecclesiae archiepiscopis post reditum in patriam appellationum judice totius provinciae in foro ecclesiastico († 1525), cujus exstat sat copiosus tr. *juris patronatus* et summaria distinctionum ac quaestionum causarum decreti, s. l., a. et n. typographi, Argentinae 1506; Lugduni 1573; Venetiis 1583 in f. cum Roccho de Curte Papiensi et Jo. Nicolai; ib. 1607 cum card. Simonetta — Bernardino Landriano juris consulto (fl. 1524), qui additionibus locupletavit aliorum opera ut Dominici de s. Geminiano super l. VI. decretalium, Panormitani glossas super decretalibus, Jo. Petri Ferrarii papiensis practicam etc. — Hieronymo Gigas ex urbe Forosempronii (fl. 1527), cujus tr. *de pensionibus ecclesiasticis* saepe prodiit, ut Lugduni 1546; 1563; Venetiis 1570; Coloniae 1619; *responsa familiaria* in

[1]) Cf. Tiraboschi VI. p. 1. l. 2. c. 5 n. 43 ss.; Schroedl KL. 3^2 1440; Schulte II, 361; Argelati I, 539; Boeza in ejus *vita* operibus praemissa.

[1]) Cf. N. Paulus Katholik 1899 II, 379—384.

materia ecclesiasticarum pensionum, ib. 1619; *de residentia episcoporum*, inter tr. juris XIII. 2, 369 ss. — Hippolyto Marsilio Bonouiensi (n. 1450), juris civilis professore († 1529), qui singularia seu *notabilia* ex utroque jure collegit et simul redegit, Mediolani 1512 in f., pro cognitione praxis sui temporis utilia — Caspar o Estevan O. Praed. Catalano, theologiae magistro et priori provinciali, concionatore insigni (fl. 1530) — Paulo Grillaudo Castilioneo, cujus tr. *de haereticis et sortilegiis* eorumque poenis[1]) etc. prodiit Lugduni 1536; 1547 — Nicolao Boerio Montepessulano[2]), advocato, consiliario regio et praeside parlamenti burdigalensis (n. 1469; † 10. Jun. 1539) — Petro Margallo Lusitano (fl. 1528) theologiae jurisque pontificii doctore, philosophiae moralis professore, supremi senatus membro[3]) — specialem mentionem meret Udalricus Zasius (Zäsi, Zasi 1461—1535) Constantiensis, juris consultus celeber et professor friburgensis, cujus opera olim prohibeba ntur, donec corrigerentur, inter quae *apologetica defensio* contra Jo. Eckium super eo, quod olim tractaverat, quo loco fides non esset hosti servanda, 1519, quae in indice absolute prohibebatur; modo non amplius in Indice comparent. Quaestiones *de parvulis Judaeorum baptizandis* communi doctorum assertione dissidentes etc., Argentinae 1508 in 4. Quamvis vero haereticos, praeprimis Lutherum, initio laudaverit, monachos irrideat[1]) etc., postea tamen agnoscens illius monachi ausus et rebellionis sequelas, Ecclesiam non deseruit. Vir erat insigniter doctus, cujus magna sunt in studii juridici reformationem merita[2]). Prodierunt praeter alia *Lucubrationes* aliquot sane quam elegantes nec minus eruditae, Basileae 1518, quibus adjectae sunt *Antinomiarum* aliquot acutissimae simul et eruditissimae *dissolutiones* 1526; 1532; Responsorum juris sive consiliorum l. 1., ib. 1538; l. 2. 1539. *Opera omnia* prodierunt Lugduni 1548; 1550. 1551 t. 6; Francofurti 1590—1595 t. 6. Epistolas edidit cum commentario de vita Zasii Riegger Ulmae

[1]) Geminus tractatus, qui prodiisse legitur pariter Lugduni 1536, tribuitur Joanni Nicolao arelatensi.

[2]) Cf. Schulte III, 553. Alius ab eo est Petrus Boerius (Boëri) Narbonensis OSB. ex abbate s. Aignani episcopus urbevetanus (1364), dein 1370—78 vassonensis (1380), cujus est *Expositio vocum ecclesiasticarum* in Damasi sive Anastasii vitis pontificum inter Cassandri opera p. 118. Regulam quoque s. Benedicti „novo et inusitato expositionis genere commentatus est, omnia illius non solum capitula, sententias et dogmata, sed etiam quod amplioris industriae est, verba, consilia et praecepta juri pontificio conferens mirabili subtilitate canonibus patrum approbavit". Ita Trithemius de SE. c. 540. Reliquit alia, omnia inedita.

[3]) Cf. Nic. Antonius II, 213.

[1]) Cf. expurgationem apud Possevinum Apparatus II, 533—43; Reusch I, 264.

[2]) Hinc magnis encomiis celebratur a Janssen-Pastor I[18], 130 ss., ubi inter alia legimus: Zasius war auf dem Gebiete der Jurisprudenz ein Reformator von bahnbrechender Bedeutung ... In seinen Werken zeichnet er sich schon durch die Form: die größere Reinheit des Stils, die Leichtigkeit des Ausdruckes, die Mannigfaltigkeit der Wendungen und den natürlichen Gang der Gedanken vor andern Juristen aus. Aber ungleich höher ragt er hervor durch den Inhalt, durch das überall mit durchgreifendem Erfolge verbundene Streben: der Barbarei der Glossatoren ein Ziel zu setzen und auf eigenen Füßen an der Hand der ersten Gewährsmänner einherzugehen ... Als Lehrer der Hochschule wußte Zasius seine Zuhörer durch Klarheit der Gedanken, Wärme des Gemütes, glänzende Beredsamkeit hinzureißen. Keiner der Zeitgenossen weder in Deutschland noch in Italien, behauptet sein Schüler Fichard, habe ihn übertroffen ... Der tiefreligiöse Grundzug seines Wesens, seine Treue, Biederkeit und Einfachheit fesselte alle die mit ihm in Berührung kamen etc. Cf. II, 188; VII[12], 262; Neff Ud. Zasius Beil. zum Progr. des Gymn. Freiburg 1890. 1891; Nic. Paulus KL. XII, 207; v. Eisenhart A. d. Biogr. XLIV, 708-715, et praesertim R. Schmidt Zasius und s. Stellung in der Rechtswissenschaft, Leipzig 1904.

1774. — Matthias Ugonius Fama-Augustae in Cypro episcopus († 1535, secundum Tiraboschi jam 1516), disseruit *de dignitate patriarchali,* Brixiae 1507; *de conciliis,* quod opus inscribitur etiam *Synodia Ugonia,* in qua disputat de conciliorum necessitate et auctoritate, quam pontificia potiorem censet, hinc Turrecrematam impugnat, Brixiae 1532; 1541; Venetiis 1563; 1565; 1576 in f.

623. Guilelmus Cassador (Cassiodorus) Barcinonensis, rerum romanarum peritissimus, referendarius utriusque signaturae et auditor rotae (1511—23), legatus Julii II. ad reges Hispaniae et Lusitaniae, demum episcopus algerensis in Sardinia († 1528), collegit *decisiones aureas,* quotidianas materias, praesertim beneficiales et praxim et stilum curiae romanae concernentes, Parisiis 1545; decisiones et intelligentias *ad regulas cancellariae,* Venetiis 1513; Lugduni 1547; Epitome *de restitutione in integrum,* Lugduni 1586; *decisiones rotales* ab a. 1513—23. — In eadem materia beneficiali versatus est Jacobus Simonetta Mediolanensis j. u. doctor, qui Romam profectus ob insignem eruditionem relatus est a Julio II. inter advocatos sacri consistorii (1505) et paulo post inter s. Rotae auditores. Dictus est episcopus pisauriensis a Clemente VII., qui propter ejus, ut fertur, responsum de intentato repudio Henrici VIII., quo legitimam suam uxorem Catharinam abjicere cogitabat, praesertim inductus fuit, ut regis voluntati adeo constanter se opponeret. A Paulo III. purpura fuit honoratus (1535) et factus episcopus perusinus. Alios quoque episcopatus administravit et Signaturae Gratiae praefuit. Anno 1539 missus est legatus a latere cum Bonifacio Ferrerio et Alexandro ad inchoandum concilium oecumenicum, quod cum celebrari tunc non posset, rediit in Urbem decessitque 1. Nov. 1539 a Sadoleto appellatus »ad eloquentiam unice factus, omnibus disciplinis cultissimis, sacrique senatus lumen ac decus[1]).« Scripsit *tr. reservationum beneficiorum,* qui studio et labori Pauli Granuti u. j. doctoris diligenter expurgatus, novisque quaestionibus auctus etc. prodiit Coloniae 1583 in 8; Romae 1588; Venetiis 1607 in f. una cum tr. Pauli Cittadini *de jure patronatus.* Relatio facta coram ss. pont. Leone X. *super vita et miraculis s. Francisci de Paulo* O. Minimorum institutoris (cujus canonizationem promovit), Romae 1625. — Franciscus Arias de Valderas Legionensis j. u. doctor disseruit *de belli justitia et injustitia,* Romae 1533 in 4. et inter tract. juris, Venetiis 1584 t. XVI, et repetitionem reliquit ad cap. *Si quis suadente* XVII q. 1., ib. 1587.

624. Jam nos ad theologiam *moralem*[2]) et *pastoralem* convertamus. Nomi-

---

[1]) Cf. Argelati II, 1398.

[2]) Hieronymus Balbus Venetus in juventute sua poëta lascivus, ad rixas promptus et nec a moribus commendatus variis in academiis Parisiis, Viennae, Pragae literas humaniores est professus. Inter a. 1500—1515 mundo se videtur subduxisse, nam altum de eo silentium. Exinde comparet in Wladislai Hungariae regis aula, principum regiorum institutor, vaciensis (Waitzen) ecclesiae praepositus, et a. 1521 a rege Ladislao legatus ad comitia wormatiensi pro implorando adversus Turcas irruentes auxilio. A Ferdinando archiduce dictus est episcopus gurcensis atque bis in eadem causa ad pontificem legatus missus († c. 1536). Inter ejus opera collecta et edita a Jo. de Retzer Vindobonae 1791—1792 t. 2. reperiuntur poëmata commendatione indigna, *epistolae, dialogi, statuta* (II, 482—500) in synodo celebrata Gurcae 1524 pro restauranda disciplina ecclesiastica, et plures ad Clementem VII. ll., scil. *de fortitudine, de rebus turcicis, de virtutibus* l. 1. et 2., tertius periisse vel nunquam prodiisse videtur; insuper l. *de pace* inter principes christianos ineunda, *de fortuna et providentia ll. 2; de coronatione* ad Carolum V., qui tamen l. est prohibitus, quod jura imperatoris in Ecclesiam exageret. Cf. Pastor KL. I, 1873—1875.

natissimus nobis hic occurrit Silvester Mozolinus, de Prierio (Prierias) vulgo dictus ab originis suae loco in Pedemontii principatu (c. 1460). Adolescens a. 15 ingressus est O. Praed., in quo miros tum pietatis tum et eruditionis progressus fecit, ut brevi lauream magisterii obtinuerit. Bononiensi gymnasio regens praefectus est: mox senatus veneti precibus invitatus est ad gymnasium patavinum, ubi annis aliquot s. Thomae cathedram moderabatur. Praefuit pluribus conventibus prior et vicarius generalis suae congregationi utriusque Lombardiae (1508—10). A Julio II. Romam fuit accitus (1511) ad ss. literas ibidem publice profitendas factusque a Leone a. 1515 magister s. Palatii († 1523). Ipse fuit[1]) inter theologos deputatos ad examinandam Reuchlini causam; ipse primus calamum strinxit contra Lutheri theses 95 edito dialogo (qui fuit labor tridui) in praesumptuosas M. Lutheri conclusiones *de potestate papae*, Romae, ut videtur, 1517; 1520; in Löscher Vollständige Reformations-Acta, Lipsiae 1723. II, 12 ss. Inscribitur etiam *de juridica et irrefragabili veritate* romanae Ecclesiae romaniqne pontificis ll. 3, inter Lutheri opera latina cum hujus glossis II, 79—108 Francofurti 1865, l. stilo duro et neglecto conscriptus, neque satis solida argumentatione contextus[2]): cui opposuit Lutherus responsionem ad dialogum, 1518. Reposuit Prierias replicam s. l. et a. (c. 1518), in qua promittit prolixorem refutationem, cujus interim *epitomam responsionis ad Lutherum*, Perusiae 1519 vulgavit. Eam etiam edidit Lutherus cum aculeato prologo et epilogo. Prodiit ea inscripta *Errata et argumenta M. Lutheri recitata*, detecta, repulsa et copiosissime trita, Romae 1520, cujus partes recepit Roccaberti in suam biblioth. pontif. XIX, 227 ss. Sed ex eo tempore quievit ab hac controversia. Alia praeterea opera vulgavit, inter quae potiora sunt: Opus *in Joan. Capreolum* seu compendium op. Jo. Capreoli in IV. ll. sent., Cremonae 1497. *Summa summarum*, quae *Silvestrina* dicitur 1516; Argentorati 1518; Lugduni 1519; 1524; 1541; Venetiis 1569; 1578 1581 t. 2 in 4., et saepe adhuc, saltem ultra quadragies, in qua art. 715 alphabetice dispositis omnes theologiae practicae partes pertractat. *Rosa aurea* vid. clarissima expositio super evangelia totius anni tam de tempore quam de sanctis, tam secundum ordinem praedicatorum quam secundum curiam continens flores et rosas expositionum ss. doctorum antiquorum, Bononiae 1503; 1510; Venetii 1524; 1569; Lugduni 1516; 1521 in 4. etc. saltem vicies edita. In ea multa nova habet de b. Maria Magdalena, praecipue quo modo antrum petiverit, et quid ibi invenit, vel egit aut passa est; *de immolatione agni spiritualis* et sacrificio N. L., Mediolani 1509; *Conflatum* quod est compendium operum s. Thomae ex verbis ipsius doctoris angelici concinnatum: prodiit tantum pars exhibens p. 1. qq. 1—43 Perusiae 1519; *de strigimagarum daemonumque mirandis ll. 3*, una cum praxi exactissima et ratione formandi processus contra ipsas, Romae 1521; 1575 in 4; *la sacra historia di s. Agnese* de Montepoliciano dell'ord. dei Pred. (latine ab ipso scripta, ab Andrea Pisano O. Praed. eleganti lingua etrusca reddita), Bononiae 1514 in 4. Affictus ei fuit impius l. *Modus solemnis et authenticus* ad inquirendum et inveniendum et convincendum Lutheranos, Basileae 1553; et in nova ed. fasciculi

[1]) Cf. Echard II, 55 ss.; Michalski de Sylv. Prieriatis . . . vita et scriptis, Monasterii 1892 et in KL. X, 394.

[2]) Pallavicino Hist. conc. trid. l. 1 c. 6. n. 3: „Sed quam apposite proponebatur ibi fallacia Lutheri sophismatum, tam jejunae rationes afferebantur ad revincendam falsitatem illius assertionum, cum eae non semel tamquam haereticae ibi damnarentur, non alio fere argumento quam pontificiae auctoritatis“ etc.

rerum expetendarum et fugiendarum ab Ortwino Gratio concinnati, quam curavit Edw. Brown Londini 1690 in f. (cf. supra p. 1174 a.).

625. Joannes Cagnazzo O. Praed. ligur bis studii bononiensis primarius regens, et inquisitor generalis adversus haereticam pravitatem in eadem civitate, clarus theologus († 1521), collegit Summam summarum *de casibus conscientiae*[1]), quae *Tabiena vulgo* fuit dicta (quia auctor Tabiae, vulgo Taggia, in Liguria est natus), Bononiae 1517; 1520; Venetiis 1580; a Leonardo a Lege Mantuano recognita et novis synodi tridentinae reformationibus ejus studio integrata, ib. 1602. — Antonius Melius de Crema O. S. Aug. doctor theologiae parisiensis et per breve Julii II. utriusque juris doctor creatus, ter visitator, quater definitor et 1516 vicarius generalis († 12. Sept. 1528), plura reliquit, ut tr. *de vero ac legitimo intellectu* privilegiorum praecipue confessariorum ac potestate absolvendi et dispensandi in casibus reservatis ordinariam potestatem integrae potestati restituente, Brixiae 1525 in 4; Venetiis 1566; *Scala del Paradiso* con espositione mistica di historie divine, Cremae 1611 in 4; Cremonae 1626 etc. — Godescalcus Rosemondt (Rosemundus) Brabantus, Lindhoviensis, doctor et philosophiae professor lovaniensis, vir melior, Erasmi judicio l. XIX ep. 13, quam pro vulgari sorte theologorum, d. Petri canonicus ss. literas magna laude explanavit. Primus vel e primis dicitur, qui ad controversas de casibus quaestiones e d. Thoma hauriendas viam aperuit. Praeses fuit collegii ab Hadriano VI. fundati; interfuit etiam cum Ruardo Tapper et Nic. Coppin de Montibus colloquio de controversiis fidei contra Jo. Pistorium († 5. Dec. 1526). Scripsit l. peroptimum inscriptum *Confessionale* clero et vulgo deserviens cuilibet confessori et recte confiteri volenti admodum utile et necessarium de modo rite confitendi, recte vivendi et salubriter moriendi, Antverpiae 1518; 1519; 1524; 1554. — Michaelis Assensionis Hispani prodiit *Instructio curatorum*, Caesaraugustae 1525 in 4. — Antonii Saxolini O. Min. episcopi minerbini in Apulia (1525; † 1528) *Illuminata conscientia* dialogi forma conscripta prodiit Florentiae 1512 in 4. — Vincentius Giachari (Glacharus) de Lugo ditionis ferrariensis O. Praed. (fl. 1540) plures quaestiones ad mores spectantes tractavit, necnon et *de necessitate confessionis vocalis* omnium peccatorum; *de libero arbitrio,* gratia, praescientia et praedestinatione, necnon *de purgatorio et suffragiis:* haec tria prodierunt, Venetiis 1569 in 4; cum aliis, ib. 1538 in 8; *Specchio di vera vita christiana,* Mediolani 1534 in 4. — Joannes de Marre OSB., Aquitanus n. 1436, vicarius generalis per universam Aquitaniam, ad instauranda et reformanda monasteria verbo et exemplo in hoc munere plurimum laboravit. Electus est a. 1496 in episcopum condomiensem († 1521). Reliquit *Enchiridion sacerdotale,* Parisiis 1519, quod est instar catechismi[1]). — Geminum opus est *Manuale in Decalogum,* symbolum, orationem dominicam, Coloniae 1537 lingua patria editum a Christiano van Honeff O. Min. Conv. — Joannes Lasko Polonus nobilibus parentibus natus est a. 1466. Regni polonici erat

[1]) *Summa peccatorum* prodiit Parisiis 1505 Benedicti Sangalli O. Min. (fl. 1538), quae forte eadem est cum summa *de peccatis* gallice impressa Lugduni 1584 et Parisiis 1595 tributa Benedicto N. gallo O. Min.

[1]) Cf. Ziegelbauer hist. rei lit. OSB. III. c. 3 § 32, — Arcturi Fillonii doctoris parisiensis et episcopi sylvanectensis (Senlis, † 1526) *Speculum curatorum,* Rotomagi s. a.; Parisiis 1526 sub inscriptione *Statuta synodalia* dioecesis sylvanectensis.

cancellarius et a. 1510 electus est in archiepiscopum gnesensem et Poloniae primatem. Interfuit concilio lateranensi V. atque vehementi oratione auxilium imploravit pro Polonis et Hungaris adversus Turcas perniciem spirantibus. In eo etiam relationem proposuit *de erroribus Moschorum*. Admodum sollicitus erat de restauranda in sua dioecesi et per Poloniam disciplina ecclesiastica, hinc plurimas synodos provinciales celebravit ediditque Sanctiones ecclesiasticas tam ex pontificum decretis quam ex constitutionibus synodorum provinciae excerptas, in primis autem *statuta* in diversis provincialibus synodis a se sancita, Cracoviae 1525. Plures e clero, qui ad Lutheri partes defecerunt, ad rectam revocavit semitam. Magna sunt ejus de Ecclesia in regno polonico merita († 19. Maj. 1531). Ab Erasmo salutatur „pietatis antistes, eruditionis eximius patronus, omnis pudicitiae exemplar incomparabile, episcopus pacis et tranquillitatis publicae studiosissimus[1]“. — Martin Carith episcopus caminensis (1499—1521) edidit *statuta synodalia*, quae exhibet H. Müller Arch. f. kath. K.-R. XXXVII (1877), 225—255; 369-414. De reformatione disciplinae ecclesiasticae haud parum erat solicitus. Antiquiores libros liturgicos emendatos edidisse dicitur et suo *libro diurno* officia ecclesiastica reordinavit[2]).

626. Praetermissis Antonio de Crevent OSB. abbate de Bosco Alberici (fl. 1524), de quo cf. p. 248 Orpheo Cancellieri O. Min. Obs. Bononiensi, qui disseruit *de habitu mulierum*, Bononiae 1528 — Nicolao Morin O. Praed. inquisitore haereticae pravitatis Lugduni, cujus est tr. *catholicae eruditionis* ad testimonium et legem recurrens confutansque libellum perniciosum velamine eleemosynae pauperibus Lugduni impensae propalatum, in quo stilo eleganti ex verbis s. Scripturae et ss. patrum agit de eleemosynae utilitate, necessitate et modis, de sepulturis defunctorum et eleemosynis pro illis erogandis etc., Lugduni 1532 in 8. — Stanislao Zaborowski professore cracoviensi, canonico sandomircensi († c. 1530), qui disseruit de coelibatu christiano et praesertim sacerdotum ac virginum . . . et de multis aliis scitu dignis, Cracoviae 1528; 1529 — Martino de Carthagena (Castañega) O. Min. reg. Obs., qui vernacule scripsit *de superstitionibus*, Lucronii 1529 in 4 — Joanne Leopolita can. r. s. Aug. in canonia s. Floriani[1]), insigni concionatore († 1532) et professore in universitate cracoviensi, cujus diss. posthuma *de matrimonio* neque licito neque valido inter christianos et haereticos, prodiit Cracoviae 1572: duo adhuc speciali mentione sunt digni, quorum primus est Joannes Staupitius (de Staupitz) O. S. Aug. Saxo, Misniensis, quem non doctrina, sed ejus ad Lutherum relatio famosum reddidit. Artium magister et theologiae lector (1497) factus est prior (1498) conventus tubingani; (postea 1503—9) vicarius generalis et a. 1511 praepositus provinciae thuringo-saxonicae; et 1515 iterum vicarius generalis Germaniae. Interim creatus est theologiae doctor. A Frederico III. Saxoniae duce Romam missus est (1506) ad impetrandam confirmationem pontificiam pro recenter erecta academia wittembergensi, in qua ipse cathedram rexit, quam tamen non diu tenuit negotiis sui muneris nimis distentus et fere ab academia absens. Loco sui Lutherum sodalem Erfordia evocavit, doctoratus laurea insignivit

[1]) Cf. Uedink KL. VII, 1442—1444.
[2]) Cf. de Bülow Allg. d. Biogr. XX, 475 s.

[1]) Alius ab eo est Joannes Leopolita Nicz ejusdem canoniae († 1572), qui primus vertisse dicitur s. Scripturam in linguam polonicam juxta Vulgatam Cracoviae 1561; 1574. 1577. Cf. Zschokke die theol. Studien und Anstalten der k. Kirche in Österreich 290.

(1512), atque primum philosophiae, dein et theologiae et s. Scripturae professorem constituit. Orta defectione a Luthero inaugurata ejus momentum et pericula non agnovit nimia affectione ipsi addictus, imo adhuc 4. Jan. 1521 scripsit in ep. ad Link: „Martinus ardua et magna spiritu divinitus illuminatus coepit.“ Auctis turbis et querelis adversus ipsum ex vili animi imbecillitate et resistendi inertia munere vicarii generalis se abdicavit atque Salisburgum secessit. A pontifice monitus, ut errores reprobaret in Luthero damnatos coram notario et testibus, id facere recusavit, indirecte vero se sententiae subjecit apostolicae profitendo se agnoscere romanum pontificem pro fidei judice. Transiit venia a sede apostolica obtenta ad Benedictinos moxque electus est in abbatem s. Petri (2. Aug. 1522) sub nomine Joannis IV., sed jam post biennium decessit (28. Dec. 1524). Opera ejus germanica diligenter collecta cura J. K. F. Knaake prodierunt Potisdamiae 1867, inter quae praeter alia sunt *Von dem h. rechten, christlichen Glauben*, ib. p. 121—36; Büchlein *von der Nachfolgung* des willigen Sterbens Christi, ib. p. 51—88; quibus adde l. *de exsecutione aeternae praedestinationis* seu theses 257, Nurembergae 1517, germanice etiam ib. 1517; decisio q. *de audientia missae* in ecclesia parochiali dominicis et festivis diebus, Landshut 1514; *de amore Dei*, Francofurti 1524 etc. Plura manserunt inedita. Epistolas (24) primum edidit Kolde die deutsche Augustiner-Kongregation und J. v. Staupitz, Gotha 1879 p. 435 ss. Propter suam in Lutherum propensionem et conniventiam omnia ejus opera olim erant prohibita: inde tamen non sequitur eum adnumerari posse reformationis sive praecursoribus sive sectatoribus[1]): sanam enim fidem ubique profitetur. Hinc eorum prohibitio modo sublata fuit. Ceterum Denifle in suo op. Luther und Lutherthum theologastrum appellat (I, 585) passimque eum levitatis arguit.

627. Alter est Jacobus Wimpheling[1]) salutatus nobili encomio „Germaniae paedagogus,“ schlettstatensis in Alsatia n. 25. Jul. 1450, qui Friburgi (1464), Erfordiae (1466) et Heidelbergae (1469) studiis vacavit, ubi et 1471 artium magister est creatus. Aliquamdiu fuit decanus facultatis artium (1479—80) et rector academiae heidelbergensis (1481—82) et cancellarius: sed cum esset valetudinis non satis firmae, munus obire stabile non potuit, hinc et commorationis saepe mutavit locum. Aliquandiu munus praedicandi Spirae obiit: ubicunque tamen degeret, literis incubuit. A. 1498 per triennium Heidelbergae docendi munus exercuit. Vir erat sane eruditus, sed in scribendo plurimum acerbus et severus, passim ceterorum et vitam et scripta nimis taxando († 17. Nov. 1528). Eruditionis suae innumeri supersunt fructus, nam erat theologus, grammaticus, historiographus, poeta et in primis paedagogus[2]), qui suis scriptis

[1]) Ejus orthodoxiam diligenter tuetur ex ejus scriptis N. Paulus hist. Jahrb. 1891. XII, 309—347. Cf. etiam ejus opus

Der Augustinermönch Joh. Hoffmeister Freiburg 1891 c. 5 p. 122 ss.; Janssen II[18], 79 annot; Hefele-Hergenroether IX passim et § 946.

[1]) Cf. de eo Niceron Mem. 38, 4 ss.; Riegger Amoenit. Friburg. p. 161-581; Schwalb Wimpheling considéré dans ses rapports avec l'Eglise et les écoles, Straßburg 1851; prae primis Ch. Schmidt Hist. Littér. de l'Alsace, Paris 1879 I, 1—190; II, 317—340, ubi 98 scripta ejusdem recenset ejusque doctrinam theologicam et principia institutionis suae paedagogicae expendit; de quibusdam Potthast p. 1117. Recentiore aetate J. Knepper J. W. sein Leben und seine Werke in Erläut. u. Ergänz. zu Janssens Gesch. III Heft 2-4, Friburgi 1902, opus accuratum et criticum; Eug. Müller KL. XII, 1675—1682.

[2]) Inter paedagogos maxime celebratur, hinc ejus opera cura Jos. Freundgen prodierunt *J. Wimphelings pädagogische Schriften* erläutert und mit einer

plurimum promovit a Basilea usque Moguntiam humaniorum literarum culturam et scholarum renovationem. Juvenis sibi relictus secutus est sane juventutis vitia composuitque carmina aliaque scripta obscoena, sed visa Erfordiae in aliqua ecclesia inscriptione »noli peccare, Deus videt«, salutariter commotus ad meliorem rediit mentem: hinc ipse postmodum lectores veniam precatur rogatque ut ejusmodi scripta »e vestigio voracibus flammis committere« velint, tum »corruptae adolescentiae et imprudenti nondumque in vera christiana religione institutae pueritiae tribuere« dignentur: totaque vita sua cum animi amaritudine suorum recordabatur erratorum. Etsi jam diu desideraverat sinceram Ecclesiae innovationem, visis tristissimis sequelis, quibus Lutherus sub reformationis praetextu occasionem praebuerat. Literis quaquaversus missis nisus est revocare a sectandis illius vestigiis tot suos amicos. Ultimum scriptum ab ipso ante mortem editum est epistola ad Lutherum et Zwinglium seu *canonis missae defensio* s. l., praemissa etiam operi Hier. Emser l. *de missa* 1524, qua eos rogat, ut eam attente legant et ne antiquos bonosque spernant ritus. Ex quam plurimis ejusdem scriptis aliqua nominemus: Huc spectant primum scripta paedagogica ut *Isidoneus germanicus* paucis hebdomadis ter editus (1497); *Adolescentia*, 1500, saepe edita. Diatriba *de proba institutione puerorum* in trivialibus et adolescentum in universalibus gymnasiis: subjiciuntur de interpretandis Ecclesiae collectis regulae XVI; deque ordine vitae sacerdotalis, Hagenau 1540 in 4. — *Immunitatis et libertatis ecclesiasticae statusque sacerdotalis defensio* s. l. et a.; Oratio querulosa *contra Invasores sacerdotum* (1493); *de triplici candore Mariae*, carmen s. l. et a., in quo magna pietate tuetur immaculatum ejusdem conceptum; *de integritate* libellus, Argentinae 1505 in 4., seu de duplici puritate, qua praediti esse debent sacerdotes, morum scil. et fidei, qui l. ingentes excitavit turbas et concertationem literariam cum augustinianis aliisque regularibus tantam, ut ipse ad sedem deferretur apostolicam. In eo enim tuetur, s. Augustinum non fuisse alicujus ordinis religiosum seu monachum et acriter invehitur in clericos incontinentes et beneficiorum avidos. Et revera Romam fuit citatus, sed facile placavit Julium II., ut illuc pergere sibi non fuerit necesse. *Contra turpem l. Philomusi* (Jacobi Locher): *defensio theologiae scholasticae* et neotericorum, s. l. et a. 1518; *hymni de tempore et de sanctis:* in eam formam, qua a suis auctoribus scripti sunt, denuo redacti et secundum legem carminis diligenter emendati atque interpretati, ib. 1513. — *Germania Aeneae Sylvii*, in qua, candide lector, continentur gravamina germanicae nationis. Confutatio eorundem cum replicis, Argentinae 1515 in 4; *Epitome rerum germanicarum* usque ad nostra tempora[1]), prima Germaniae historia generalis lingua conscripta patria, non sine pretio, sed absque sufficienti judicio critico concinnata erro-

Einleitung versehen, Münster 1892. Cf. Janssen Gesch. des d. Volkes I, 91 s., qui eum magno encomio prosequitur: W. war der ausgezeichneteste pädagogische Schriftsteller, einer der ruhmvollsten Wiederhersteller eines geläuterten Unterrichts auf dem Boden christlicher Welt- und Lebensanschauung. Reuchlin sah ihn deshalb als einen Grundpfeiler unserer Religion an und nach seinem Tode rühmte Beatus Rhenanus: W. habe als Freund und Ermunterer und Beschützer für die Erziehung und ihren wissenschaftlichen Fortschritt in einem Maße gewirkt wie sonst Keiner in Deutschland. De ejus opere *Adolescentia* die Jugend Argentinae 1500, p. 93 ait es „gehört zu den in der Weltgeschichte bahnbrechenden Schriften. Non minori encomio extollit illius alterum opus: *Wegweiser* für die Jugend Deutschlands, quod antea prodierat a. scil. 1497.

[1]) Cf. Janssen I[18], 138.

ribusque maculata, Argentorati 1505; Marpurgi 1562 in 4 etc. *De vita et miraculis Jo. Gerson:* defensio pro d. Jo. Gerson et clero seculari s. l. et a. *Argentinensium episcoporum catalogus* cum eorundem vita atque certis historiis et illustratione totius fere episcopatus argentinensis, Argentinae 1508; cum supplemento et notis Jo. Moscherosch 1551; 1640 in 4. — Aliorum etiam celebrium virorum opera typis vulgavit vel ad eorum ed. symbolam contulit suam, ut Prudentii carmina (1520), aliquot scripta Baptistae Mantuani; s. Bonaventurae *perlustratio in 4 ll. sententiarum,* s. l. et a.; Norimbergae 1490; Ludolfi carth. (cf. p. 566) *in psalterium expositio* s. l. et a.; Trithemii *catalogus illustrium virorum* etc. cum additione ill. germanorum s. l. et a.; Lupoldi babenbergensis (cf. p. 648 a.), *germanorum veterum principum zelus et fervor* in christianam religionem Deique ministros, Basileae 1497; qq. Marsilii *super 4 ll. sententiarum,* Argentinae 1501; *statuta synodalia episcopatus basileensis* s. l. et a. (1503); *opera* Jo. Pici Mirandulae comitis Concordiae, Argentinae 1504; *Biblia latina* cum postillis Hugonis a s. Charo, Basileae 1506 t. 6 in f.; *Speculum vitae humanae* Roderici episcopi zamorensis (cf. pag. 942), Humberti O. Praed. *sermones* ad diversos status cum ep. ejusdem *de tribus votis* substantialibus et aliis quibusdam virtutibus, s. l. et a.; Franc. de Platea opus *de restitutionibus* (cf. p. 963); *Vocabularius* J. Altenstaig, 1511 in 4; erudita admodum praeclaraque *expositio in Ev. secundum Matthaeum* Christ. Druthmari monachi aquitanensis (cf. Nomencl. I^3, 825), Argentorati 1514; Hagenau 1530; Petrus Aureoli *breviarium bibliorum* Argentorati 1514 etc. — Magna quoque in ipsum redundavit nominis celebritas ex laetissima discipulorum illustrium corona, qui ipsum ut magistrum et ducem suspexerunt[1]). In epitaphio ejus sepulcro inscripto dicitur „qui juventutem ad meliora studia, sacerdotes ad vitam sanctiorem, ad optimas leges et instituta respublicas etiam editis monumentis invitare, exhortari, revocare nunquam cessavit.“

628, Plures *de s. liturgia* solliciti fuere. Praeter Alb. Castellanum (supra p. 1285), Paris Grassi (de Grassis, Crassis) Bononiensis, canonicus et j. u. doctor, qui Romam profectus per a. prope 30 versatus est in curia romana sub variis pontificibus. Ex magistro caeremoniarum capellae papalis (1504) a. 1513 dictus est episcopus pisauriensis († 10. Jun. 1528; secundum Zaccaria a. 1529). Disseruit[2]) *de caeremoniis* cardinalium et episcoporum in eorum dioecesibus ll. 2, Romae 1580; 1587; Venetiis 1582; *Ordo romanus* apud Martene tr. de antiqua Ecclesiae disciplina in div. officiis, Lugduni 1706 pag. 595, in quo sub compendio rerum sacrarum celebritates omnes pontificias, numerumque ac vices et loca, quae qualiterve ac ubi et per quos intra totum annum solemnia agantur, cultus quoque cum sacris paratibus, quibus tam pontifex max., quam patres amplissimi ad rei divinae celebrationem

---

[1]) De his passim agit Schmidt in op. diligenti et accurato Histoire Littéraire de l'Alsace, Parisiis 1879. Inter hos, praeter eos, quorum passim meminimus, mentione dignus adhuc est Georgius de Gemmingen, utriusque juris doctor, cantor et canonicus ecclesiae, spirensis episcopi vicarius generalis in spiritualibus, demum praepositus capituli († 15. Mart. 1511). Magnis encomiis eum celebrat Trithemius deque eo refert, ipsum „celare quae scribit, ut typhum inanis gloriae fugiat, vel ea quae scripsit lima maturioris examinis castiget.“ Prodiit ex ejus scriptis tantum annotatiuncula pro confessoribus Spirae, Augustae 1509, libellus admodum rarus, non sine pretio. Cf. de eo accuratam notitiam F. Falk hist.-pol. Bl. 1898. 121, 869—886.

[2]) Cf. Fantuzzi IV, 250.

eidemque praesentes utantur, collegit. *Diarium curiae romanae,* cujus fragmentum scil. ab a. 1504—1513 complectens Julii II. pontificatum edidit Döllinger in Beiträge III, 363—433, aliud ab a. 1518 usque 1522 edidit Ch. G. Hoffmann in nova scriptorum ac monum. collectione, Lipsiae 1731 p. 401—500. — Gualterus Gravius a Gravia in finibus Brabantiae et Geldriae oppido, Ruysius a familia cognominatus, O. Praed. prior noviomagensis († 30. Maj. 1534) disseruit *de ritibus et observationibus antiquis* olim circa baptizatos et confitentes eosque, qui pro delictis ab Ecclesia Dei eliminandi essent, observatis; item 113 praefationes per totum annum cantari olim solitae, Coloniae 1530; *Apologia* ad Erasmi R. l. de confessione, et *appendix* in l. ejusdem Erasmi de esu carnium, Antverpiae 1525, quibus nomen praefixit Godefridi Ruysii Taxandri. — Gaufredus Boussard Cenomannus, philosophiam docuit in collegio navarreo, dein et ll. sententiarum exposuit. Doctoratus laurea insignitus 1489, academiae etiam aliquamdiu parisiensis rectorem et cancellarium egit (1517). A cardinali de Luxemburg episcopo cenomanensi factus est canonicus scholasticus et adhibitus in administratione dioeceseos. Ab universitate deputatus est ad conciliabulum schismaticum pisanum a. 1511, cujus nomine Cajetani tr. de auctoritate papae et concilii ad parisiensem scholam discutiendum detulit. Vir erat sane eruditus († 1524 a. aetatis 81) edidit praeter alia *historiam ecclesiasticam* sub nomine Eusebii Caes., quae est scil. versio Rufini, 1495; 1497, Lugduni 1526. 1533; V. Bedae *expositionem in ep. Pauli* ex s. Augustino collectam, Parisiis 1499; interpretationem *in septem psalmos poenitentiales,* ibid. 1519; 1521; *de divinissimo missae sacrificio* compendiosam et brevem expositionem, ex Guil. Durando et Bielderivatam, Parisiis 1511 in 4; 1520; *de continentia sacerdotum,* ib. 1505; Rotomagi 1513, l. admodum rarus, in quo historiam texit coelibatus et q. tractat, num in coelibatus lege pontifex dispensare possit et cum quibus[1]). — Petrus Blomevenna (a Leydis dictus, quia ibidem natus) dura infans ob cognatorum avaritiam et cupiditatem passus, sed gratia divina in innocentia conservatus adolescens in ordine Carthusianorum Deo se consecravit (1489), in quo exemplar erat pietatis, virtutis et vitae in Deo absorptae. Prior est electus a. 1507 carthusiae coloniensis, quam ad summum vitae religiosae florem promovit, necnon et visitatoris provinciae rhenanae munere a. 28 est functus († 30. Sept. 1536 a. aetatis 70, prioratus 29). Ex ore, incessu, tota vita et scriptis facile conjici poterat, nulla gravi macula acceptam in baptismo innocentiam fuisse temeratam. Multa reliquit scripta ascetica et polemica[2]), inter quae ex. gr. Enchiridion *sacerdotum,* in quo ea, quae ad divinissimam eucharistiam et sacratissimum missae officium attinent, facili ac plane quodam tractantur stilo, cum aliorum quorundam opusculis Coloniae 1532 (m. 48); *de bonitate divina ll. 4,* unde praeter alia divini verbi praeconibus materia semper exuberat exhortandi atque docendi plebem tam de tempore quam de sanctis, ib. 1538 cum apologia Gisberti Blochovii sodalis pro ipsius opusculis et vita; latine vertit Harphii *Directorium contemplativorum* cum introductionibus (cf. p. 1086), quibus plura in illo emendavit vel explicuit; plura quoque opera Dionysii carthusiani edidit (cf. p. 909 ss.) et adversus protestantes fortiter scripsit: *Candela evangelica* adversus sectarios, Coloniae 1526; *assertio purgatorii* ib. 1534 in 12; *de auctoritate Ecclesiae,* Coloniae 1535; *de vario modo adorandi*

---

[1]) Cf. Feret II, 88—92.

[2]) Cf. Kessel KL. II², 921 ss.; Hartzheim p. 265.

Deum, sanctos et eorum imagines, 1535; *contra anabaptistas* ib. 1535 etc. — Franciscus Quiñones O. Min. Legionensis nobilissima ortus stirpe, Ximeni magno familiaris, ingressus est ordinem Min., in cujus demum electus est 1552 ministrum generalem. Caroli V. ad Clementem VII. erat legatus. Hic eum et cardinalem creavit et cauriensem episcopum († 27. Oct. 1540). Composuit ipse, adjutoribus usus Didaco Neila canonico salmanticensi, Casp. de Castro et Genesio Sepulveda, *Breviarium romanum* nostro brevius, quod Paulus III. approbavit et promulgavit[1]). Prodiit primum Romae 1535: sed non arrisit facultati theologicae parisiensi, quae illud supprimendum censuit. Hinc forte cardinalis illud recognovit et antiphonis, homiliis, precibus, sanctorum commemorationibus et aliis id genus additamentis multifariam locupletatum variisque modis immutatum iterum edidit Parisiis 1538, et exinde saepissime prodiit Lugduni 1540; 1544; 1547; 1548; Parisiis 1542 etc., sed postmodum a. 1568 a Pio V. substituto alio fuit abrogatum. *Compilatio omnium privilegiorum* Minoritus concessorum, Hispali 1530.

629. Reliqui sunt *concionatores* et *ascetae*. Ut saltem aliquos nominemus, huc spectant Antonius de Monelia O. Min. Genuensis magnus inter theologos mysticos, sed fere incognitus juxta card. Bona[2]), cujus sunt commentaria *in theologiam mysticam* s. Dionysii, Bononiae 1522; *Sursum corda* t. 2, quorum 1. inscribitur *Directorium inflammandi mentem* in abyssum divini luminis per ss. Scripturarum sensus reseratos et ad unguem materiae applicatos, Bononiae 1522, divisum in 4 ll., quorum materiam versus seq. exhibent:

Deserit Aegyptum: quatenus coelestia primus
Per mare scindit iter: lustratque creata secundus
Deserta, et mentis penetralia tertius intrat;
Quartus habet cultus superum et virtutis honores.

Alter t. inscribitur *Trophaeum israeliticum triregium* mysticam vitiorum stragem significans, ib. 1529 in 4, cujus materiam hi versus describunt:

Crimina namque refert et mystica praelia primus,
Dura superborum et Pharaonis bella secundus.
Luxuria atque Malech movet horrida tertius arma.
Accidiae atque Edom certamina quartus adaptat.

Ceterum saepius prodiit hoc opus alioquin rarum[1]). — Antonius a Matelica O. Conv. (fl. 1535) — Matthaeus Silvagius O. Min. reg. Obs., cujus haud pauca supersunt opera, ut l. *de tribus peregrinis* seu colloquia trium peregrinorum, Venetiis 1542 in 8., in quibus disserit de divinis perfectionibus, de philosophia sanctorum, de excellentiis Romae et Hierusalem etc.; *de nuptiis animae cum Christo ejus sponso,* ib. 1542 in 8; *Labyrinthi duo* de mundano et divino amore cum suis exordiis, differentiis et fructibus cumque suis semitis rite ordinatis usque ad centrales, ut vocant, terminos vel inferni vel felicitatis aeternae: et Apotheca divini amoris sive de apotheca viridarii labyrinthi, quae est ss. crux, ubi venditur amor Dei, carmine heroico, ib. 1524 in 8; Lectura seu expositio

[1]) Cf. Nic. Antonium bibl. hisp. n. I, 463; Feret I, 371 ss.; Eggs Purp. l. IV § 31; Studien und Mitth. aus dem Bened. O. XXIV. (1903), 672 ss.

[2]) In via compendii ad Deum c. 4.

[1]) Cf. Jo. a s. Antonio I, 119.

brevis *super 8 ll. physicorum* Aristotelis cum aliquibus annotationibus de mente doctoris subtilis, Venetiis 1542 in 8. — Joannes Baptista Viñones O. Min. Hispalensis j. u. doctor, sed professione laicus, composuit *Espejo de la conciencia* para todos estados, Lucronii 1507; Segoviae 1525; Hispali 1543; Medinae 1552 in f. prius suppresso ejus nomine, in posterioribus ed. expresso. — „Petrus Lucensis s. Frigidiani canonicus, vir plane sanctissimus, theologus et philosophus insignis, vitae apostolicae sedulus aemulator et praedicator per omnem Italiam, magna in veneratione habitus, cui cardinales, episcopi, principes propter illius sanctitatem omnes assurgebant, spiritu quoque prophetiae clarus, libellos quosdam Spiritu Dei plenos edidit, qui quantum ille in amore Dei profecisset, evidentur indicant[1]).“ Scripta sunt lingua vernacula et prodierunt Bononiae 1515—20, inter quae sunt *Dottrina del ben morire,* Venetiis 1529 ed. rara (m. 50); Fundamento della vita cristiana cioè tr. utilissimo *della humilita,* Bononiae 1515; *Arte del ben pensare* o contemplare la passione d. J. C. con un singolar tr. del imitare Cristo, Vinegia 1527; 1535. Obiit Bononiae a. 1522 monasterii prior. — Anzolo da Piacenza alius canonicus regularis scripsit Dialogo ad ogni condizione di persone cosi religiose come secolari *del tolerare et supportare le adversità* et tribulationi del mondo patientemente, Venetiis 1527, l. admodum rarus (m. 50). — Marcus Marullus[2]) patricius spalatensis († 1524) disseruit *de bene beateque vivendi exemplis* ex s. Scriptura petitis ll. 6, Parisiis 1513; Anversae 1601; Evangelistarum *de fide, spe et caritate* ll. 7, Coloniae 1529; 1532 in 8. Reliquit hic vir eruditus, qui habitus est suo tempore veluti luminare Dalmatiae, etiam versionem latinam chronicae anonymi, quam inscripsit *Regum Dalmatiae et Croatiae gesta* (ab a. 1538-1079), quem l. edidit Jo. Lucius ad calcem sex ll. suae historiae dalmaticae, Amstelodami 1666 p. 302 ss. — *Speculum religiosorum* exhibet Alphonsus de Zurita[1]) O. Merc. Pinciae 1533 in 4. — Ludovicus Hillesemius Andernacus, laicus, scripsit praeter alia *de vita sancte instituenda,* Coloniae 1580. — Paulus Legionensis O. Praed. non solum clarus fuit concionator, sed et insignis theologus, nam primam Salmanticae cathedram disputationi expositam omnium calculo reportavit eamque pluribus annis moderatus est († videtur ante a. 1528). Scripsit *Guia del Cielo* sive de virtutibus et vitiis ex 2. 2. s. Thomae, Salmanticae 1553 in f. — Petrus de Covarrubias (Covasrubias) O. Praed. Hispanus, theologiae magister et praedicatoris generalis titulo honoratus († 1530), conciones suas latine vertit, quarum editionem curavit Franc. de Victoria, Parisiis 1520 t. 2 in 4; *Remedio de Jugadores,* Burgis 1519 in 4; *Memorial de pecados y penitentes*[2]), ib. 1517. — Praeclarae sunt *epistolae* Petri Delphini (Delfini) veneti O. Camald. abbatis generalis[3]) a. 1480.,

---

[1]) Penottus in hist. s. ord. cler. Canon p. 817.

[2]) Cf. ejus vitam in fasc. periodico Dalmazia 1846 n. 3—5.

[1]) Alius forte est a Zurita, qui laudatur in Röm. Qtlschr. 1893 VII, 20 ob *Annales de la Corona de Aragon* (ut videntur ineditos).

[2]) Praetermittimus Bartholomaeum de Castello O. Cap., cujus l. ab Hieronymo de Melfitto (al. Molfetta, Melfetta, Morfetta, Melphictensi) O. Cap. editus *Dialogo dell'unione spirituale di Dio con l'anima,* Perugia 1538 prohibitus fuit 8. Mart. 1584; et quia denuo editus Venetiis 1598 in 12, renovata fuit prohibitio 29. Jan. 1600.

[3]) Confundi hic non debet cum Caesare Delfini Parmensi, de quo egimus Nomencl. I², 17, et cujus opera de rom. pontifice erronee huic tribuuntur. Cf. de C. Delfini fuse disserentem Affò Scritt. parmig. IV, 97—107.

cui muneri renunciavit a. 1515 († 16. Jan. 1525), quae prodierunt ll. 12 Venetiis 1524, collectio rarissima. — Jacobi Hieronymi O. Carth. *sermones* prodierunt Parisiis 1538.

630. Praeprimis laudem meret Joannes Justus (Gerecht) de Landsberg (Landsberger) O. Carth. Bavarus n. circa 1490, qui Coloniae philosophiae et theologiae operam dederat ibidemque ingressus O. Carthusianorum Carthusiam illam duce Petro Blomenvenna maxime illustravit[1]). Vicarii munere functus est septem annis et officio magistri novitiorum. Ipse omnium eorum, quae in libris docebat, vivum quoddam simulacrum erat nihilque in se admittebat, quod doctrinae suae aliquatenus adversaretur. Docebat quae ipse longa exercitatione fuerat expertus, neque committebat tenerrimae conscientiae vir, ut vel levis maculae suspicio in animo resideret. Ordinis rigorem, perennem illam solitudinem, inediae consuetudinem tamquam adhuc mollia religiosae vitae rudimenta ultroneis poenitentiis asperavit; durus erga se, erga alios blandus, seculo mortuus Deo totus vixit, comis, ipsa caritas; virtutumque omnium exemplar verbis et scriptis sodalium animos mirum in modum aedificabat, ut disciplinae religiosae fervor, quo tunc illa carthusia floruit, magna ex parte ipsi debeatur. Quidquid temporis habuit orationi scribendisque in aliorum utilitatem libris impendit. Ipse lucratus est ordinis illius decus splendidissimum Laur. Surium (cf. Nomenclator I², 36). Subinde Cantavium (Vogelsang) prope Juliacum evocatus priorem egit annis quatuor et aliquamdiu visitatoris ordinis socium. Sed valetudine morbisque affligi coepit, hinc Coloniam reverti est coactus, ubi aliquot annis infirmus jacuit ut aurum in fornace expurgandum, donec increbrescentibus infirmitatibus acerbis cum dolore intenso de ruina tot animarum candidissimum Deo reddidit spiritum 11. Aug. 1539. Plurima reliquit scripta, quorum pleraque nonnisi post ejus prodierunt mortem: eorum scopus est confirmare catholicos in fide adversus errores sui temporis, reducere devios, peccatorum conversio et conversos promovere atque instruere in vita sancte agenda et meditanda passione et morte D. N. J. Christi. Ea collecta prodierunt cura P. Garnefeldt sodalis Coloniae 1630; 1693 t. 5 in 4. (editio rara m. 200), quorum 1. continet praeter auctoris vitam ab editore adornatam *sermones* (latinos) in evangelia et epistolas dominicales; 2. *sermones* in evangelia et epistolas festorum; 3. homilias 56 *in passionem et agoniam Christi D.;* theoremata 23 *de beneficiis Christi; monatesseron* seu elucidationem in passionem Domini secundum quatuor evangelistas etc.; 4. *apologiam pro monasteriis,* de vera religione et votis monasticis ad Carolum V.; *Speculum christianae perfectionis; enchiridion* militiae christianae, prohibitum tamen ‚donec corrigatur' (quae prohibitio modo est sublata), aliaque ascetica, pleraque germanice; t. 5. complectitur alia ascetica, inter quae *pharetrae divini amoris ll. 2.* Iterum typis prodiit haec ed. nostra aetate Montreuil sur Mer s. a. t. 5; aliquot opuscula prodierant jam collecta Coloniae 1554-55 t. 2 in f. (m. 150). Vulgavit quoque vertitque *b. Gertrudis V. vitam atque revelationes* in sermonem latinum et iterum in germanicum idioma Coloniae 1657 in 8. — Alius piissimus carthusianus fuit Guilelmus Bibantius Flander, qui fulmine territus ad instar Pauli ad meliorem vi-

[1]) Cf. Hartzheim p. 183 s.; Kessel KL. VII², 1699; Boutrais Der Karth. Landsberger ein Vorläufer der s. M. Margaretha Alacoque im 16. Jahrh. und die Andacht zum göttlichen Herzen Jesu, übersetzt und mit vielen Zusätzen vermehrt von Bern. Hermes, Mainz 1888. Cf. Katholik 1880. II, 317—24. M. Martin J. Landsperger Die unter s. Namen gehenden Schriften und ihre Verfasser, Augsburg 1902.

tae semitam evocatus ordinem est ingressus in Carthusia Vallis regalis juxta Gandavum. Electus est a. 1521 in priorem generalem totius ordinis († 24. Jul. 1535). Scripsit sermones et conciones capitulares *de vitae spiritualis profectu*, quae a carthusianis in singulis fere domibus omnium teruntur manibus [1]) et demum excusae sunt Antverpiae 1654. in 4.

[1]) Cf. Foppens I, 392.

XVIII.

Theologi annorum 1541—1563.

I. Theologia scholastica.

631. Jam ad ultimam accedamus periodum eamque lectissimorum theologorum fertilissimam: quo enim magis abundarunt errores, eo copiosius etiam suppeditavit Deus Ecclesiae suae viros doctos, qui eam defenderent, illuminarent, ornarent. Nondum quidem tot sunt ut sequentibus periodis, qui *theologiam scholasticam*, a qua initium ducimus, excolerent, cum fere omnes apologiae magis essent intenti et pugnae, tamen sunt haud pauci nullo modo praetermittendi. Primus omnium sit Franciscus de Victoria, qui hujus disciplinae quod formam cultiorem attinet, restaurator, scholae salmanticensis parens censeri possit et celeberrimorum magister discipulorum[1]). Natus est Franciscus Victoriae circa a. 1480, adolescens ordinem s. Dominici est ingressus fratris majoris Didaci secutus exemplum, et ob ingenii praestantiam Parisios missus sub Petro Crockart (cf. pag. 1108) magistro miros fecit in divinis scientiis progressus. Hinc ad exponendas ibidem sententias designatus est (1516). Laurea obtenta rediit (1522) ad suos in Hispaniam atque Pinciae, ubi totius provinciae erat studium, clarere coepit primarius regens. Cum praecipua Salmanticae vacaret cathedra, concursu facto disputatione et communi totius academiae voto eam prae aemulis alioquin clarissimis reportavit. „Qua in specula positus, mirum quanto eam scholam lumine perfudit, adeo ut eam jacentem hactenus vixque notam primus erexisse censeatur et ad eam, qua deinceps fulsit, ubique terrarum existimationem et gloriam provexisse. Veram enim, quam Parisiis didicerat, docendi rationem sectatus, theologiam scholasticam non jejune, non inculte ut alias, sed erudite et ornate tractabat, eam ex historia ecclesiastica et ex ss. patrum fontibus adhibito severiori criterio locupletans ac oratione puriori verbisque elegantioribus explicans sic, ut non solum omnes in admirationem raperet,

[1]) Discipuli inter alios fuerunt Melch. Canus, qui eum dicit „summum theologiae praeceptorem, quem Hispania Dei singulari munere accepit“ et gratitudinis testimonium reddit in suo op. de locis theol. l. 12 c. 1, Bartholomaeus Medina, Dominicus Soto, Martinus de Ledesma etc.

sed et ad imitationem sui provocaret[1]). « Decessit hic theologus summus, cujus eruditionem incredibilem, lectionem paene infinitam, judicium exactissimum, memoriam promptam aequales et posteri encomiis extollunt, 12. Aug. 1546. Ex ejus scriptis, quorum pauca prodierunt, quam plurimi sua irrigarunt opera. Unde vere de eo dicere licet, eum fuisse scientia clarum theologica, clariorem methodo quam inauguravit, clarissimum discipulis et fructibus, quos per illos retulit theologia. Haec prodierunt: *Relectiones XII theologicae* in 2 ll. distinctae, quarum haec argumenta: 1. de potestate Ecclesiae; 2. de civili potestate; 3. de potestate pontificis et concilii; 4. de Indis et jure belli; 5. de matrimonio; 6. de augmento caritatis, quam Bannez recepit in 2. 2. q. 24. a. 6., sed non probat utpote dissonam, ut ei videtur, a sententia s. Thomae; 7. de temperantia; 8. de homicidio; 9. de eo ad quod tenetur perveniens ad usum rationis; 10. de arte magica; 11. de simonia; 12. de silentii obligatione, Lugduni 1557, ed. imperfecta; sed rarissima (m. 100); Salmanticae 1565, aliquantulum melior; Ingolstadii 1580, ed. bona, quam reliquae sequuntur, ut Lugduni 1586. 1587. Quaedam instructio vulgari lingua *Confessionario* inscripta, Salmanticae 1562 in 12; *Summa sacramentorum Ecclesiae,* quae est compendium ejus scripti in l. 4 sententiarum, quod discipulus ejus F. Thomas de Chaves ex ore dicentis exceperat et in eam brevem formam contraxit, quod Franciscus perlegit et approbavit, ipse vero auxit additis in altera ed. (prior prodiit ante a. 1546) multis qq. ex conciliorum, praesertim tridentini decretis, Pinciae 1561; 1565; Romae 1567; Venetiis 1569; Antverpiae 1586; 1594; 1610; Turnoni 1629 in 12. Eam italice vertit Franc. Turcio O. Carm., Venetiis 1575; 1580 in 8. etc. Inedita reliquit commentaria in summam s. Thomae et ll. sententiarum.

632. A magistro nolumus sejungere illustrem ejusdem discipulum, qui et ipse partem habuit in restaurando ad cultiorem magisque utilem formam promovendoque studio theologico, Melchiorem Cano. Natus is est Tarracone oppido Castellae novae probabiliter 6. Jan. 1509. Aetatis adhuc tenerae adolescens missus est Salmanticam humanioribus imbuendus literis, in quibus laetissimos fecit progressus: ibidemque a. aetatis 16. ordinem s. Dominici est ingressus. Cum inter discipulos ingenii felicitate et studendi aviditate emineret, orta est inter utrumque arctissima necessitudo ad mortem usque durans. Pinciam missus (1531) mox a collegis una voce postulatus est qui eos theologiam de superiore loco doceret. Collegam habuit Barth. Carranza, qui et ipse vir erat egregius et eruditus (cf. Nomencl. I², 39): unde orta est quaedam inter ipsos seu potius inter discipulos, quae in praeceptores, ut moris est, refundebatur, aemulatio, dum hi Carranzistas, illi se Canistas vocarent: imo et provinciam propemodum divisit. Vacante cathedra primaria complutensi, missus eo confestim est Cano, qui eam solemni promereret disputatione: et revera omnium facile calculo judicioque eam obtinuit. Cum post quadrienium morte Fr. de Victoria vacaret cathedra salmanticensis, et hanc solemni disputatione contra doctissimos aemulos unanimi evicit voce. In comitiis generalibus Romae habitis 1542, quibus ipse interfuit, creatus est doc-

[1]) Echard II, 129. Ehrle qui accurate agit de ejus vita et msc. Katholik 1884. II, 505: Fr. de Vitoria gilt mit Recht als der Vater wie der Salmanticenser-Schule, so der neueren Scholastik überhaupt. Bei ihm findet sich nämlich zuerst deutlich und vollständig jener Fortschritt ausgeprägt, welcher jene Schule und diese Periode der speculativen Theologie kennzeichnet. Scheeben KL. IV, 1837; Nic. Antonius Bi. hi. N. I, 496; Dupin XIV, 172—75, qui relectionum conspectum exhibet.

tor et honoratus titulo „Patris provinciae.“ Magistri sui vestigia iniens splendorem hujus academiae plurimum auxit. Inter suos discipulos fuere Barth. de Medina, Dom. Bañez et Ludovicus Legionensis O. S. Aug. etc. A Carolo V. missus est cum Barth. de Carranza theologus ad concilium tridentinum, ubi haud parum emicuit; dein a. 1552 eum episcopum voluit (1552) canariensem: sed amore forte studii sedem suam nunquam adiit, et brevi post ei renunciavit (1554). Electus est a sodalibus bis in priorem provincialem, quae tamen electio ab ordinis magistro non fuit approbata: controversiae enim nonnullae et dissensiones a Barth. Carranza suo quondam collega turbarunt annos vitae suae ultimos. Confessarii regii munus a Philippo II. oblatum modeste recusavit. Maculavit tamen nonnihil nominis famam a moribus alioquin illibatam obstinatissima aversione a societate Jesu recenter a s. Ignatio instituta: verum quae hac in re egit scripsitque praetermittamus, cum nostrum sit ejus in scientiam theologicam prosequi merita. Decessit illustris hic theologus Toleti 30. Sept. 1560. Pauca Canus edidit, sed celeberrimum illum reddidit opus, quod inscripsit *de locis theologicis ll. XII,* quo parens fuit novae disciplinae theologicae antea vix cognitae, nunc autem summopere necessariae scil. theologiae fundamentalis. Intelligit locorum nomine domicilia argumentorum theologicorum, ex quibus theologi suas argumentationes sive ad confirmandum sive ad refellendum derivant (op. l. 1. c. 3). Eorum recenset 10. Cogitavit subjicere ll. 3 de locorum usu, unum in scholastica pugna, alterum in s. Scripturae expositione; postremum speciatim adversus fidei christianae singulos inimicos, paganos, Judaeos, Saracenos, sed morte praeventus primum tantum absolvit. Prodiit saepissime hoc opus utilissimum, numerantur enim saltem ed. 27, primum Salmanticae 1563. Reliquit etiam relectionem *de sacramentis in genere et de poenitentia,* ib. 1550, quae adjungi solet ed. prioris op. Coloniae 1605. In ea contra s. Thomae sententiam 2. 2. q. 62 a. ult. docet infirmissimis argumentis, „non protinus teneri reum peccati mortalis poenitentiam agere, nec etiam cum peccata memoriae occurrerint.“ Hinc Echard II, 178 censet, eam ab auctore non fuisse recognitam, imo forsan ne scriptam quidem esse, cum neque stilum ejus redoleat. Haec tamen dubia refellit Caballero op. cit. Ed. praecipua, quam curavit Hyacinthus Serry op. M. Cano, aucta est praefatione instar prologi galeati, quo auctorem tuetur a variis exceptionibus, Patavii 1720; Venetiis 1759; Viennae 1759. *Victoria de si mismo,* Valladolid 1550 ex italico versa. Opera omnia prodierunt Romae cura Cucchi 1890 t. 3. Inedita manserunt annotationes in 1. 2. et 2. 2. s. Thomae et scholia in 4. l. sententiarum[1]).

633. His addimus non minus insignem theologum, Victoriae ut ferunt discipulum, ipsius sicut et M. Cani in cathedra collegam, Dominicum (in baptismo dictum Franciscum) de Soto[2]) n. 1494 patre tenuioris fortunae. Vic-

[1]) Cf. de his accurate sicut et de vita M. Cani disserentem Ehrle Katholik 1885. I, 85—102; praeprimis vero Firmin Caballero Vida del ill. M. Cano, Madrid 1871; N. Antonius Bibl. H. novae II, 119 ss.; Hundhausen KL. II², 1804-1812, qui de Cano scribit: Cano besaß ein reizbares Temperament, aber einen tiefen und lebendigen Glauben, große Klarheit und Schärfe des Geistes, gründliche und umfassende Gelehrsamkeit, einen weiten theologischen Blick und ein gesundes Urtheil, eine hohe Beredsamkeit und eine feine und elegante, geradezu klassische Schreibart etc.

[2]) Ab eo distingui debent Petrus de Soto, de quo infra, et Christophorus de Soto O. b. M. de Merc., qui floruit eodem tempore et clarus erat theologiae professor in schola urbis pincianae. Reliquit commentaria (inedita) in ep. s. Joannis.

tis omnibus difficultatibus Complutum studiorum causa se contulit, ubi cum Petro Fernandez de Saavedra optimae indolis adolescente, quocum arctissimam iniit amicitiam, s. Thoma de Villanova usus est magistro. Fama universitatis parisiensis exciti Parisios profecti sunt, atque festive a concivibus, qui magno numero ibidem studiis vacabant, excepti sunt. Serio philosophiae studio se dediderunt, hinc facile in ea baccalaureatum sunt consecuti. Exinde theologiae aliquamdiu incubuerunt, mox tamen in patriam sunt reversi circa 1520. Vacabat tunc Compluti artium cathedra aemulo concursui exposita, quam Dominicus tota plaudente academia meruit et moderatus est eliminans e scholis nominalium opiniones. Crescente fama ad primarias etiam theologiae cathedras anhelabat, sed dum grandia molitur, Deo interius impellente in alterum mutatur virum, jam sectatur humilia, secessumque ac solitudinem meditatur. Annos natus 30 petiit admitti in ordinem Praedicatorum admissusque est 1524 mutato nomine suo in Dominicum, eumque secutus est fidissimus amicus, quem supra nominavimus, qui dictus est Dominicus de la Cruz obiitque missionarius strenuus Mexici c. 1560, eodem scil. quo noster anno. Cathedram vespertinam salmanticensem concursui expositam ipse omnium calculo et plausu obtinuit rexitque a. 16. Interfuit vicarii ordinis nomine (vacante tunc temporis munere generalis) theologus Concilio tridentino, in quo facundia et doctrina maxime emicuit, ut ei reserendarum difficultatum ingruentium conficiendorumque decretorum (praesertim sess. VI) onus subinde demandaretur. Concionem in eo habuit 29. Nov. 1545, quam exhibet Le Plat in Monum. ad conc. trid. spectantium coll. I, 1—12. Interrupto concilio vocatus a Carolo, ut sibi adesset a confessionibus, in Germaniam est profectus. Oblatam sibi ab eodem imperatore segobiensem ecclesiam constantissime recusavit a dignitatibus ecclesiasticis alienissimus: quare etiam missionem a regii confessarii munere impetravit (1550). Redux ad suos electus est in priorem conventus salmanticensis, cathedramque matutinam ob Cani recessum vacantem communi totius academiae expetitus voto ea lege acceptavit, ut post quadriennium rude donaretur († 15. Nov. 1560).

634. Plurima sunt hujus insignis theologi opera, quorum potiora sunt philosophica, sollicitus enim erat de solido fundamento pro suis operibus theologicis: ut *Summulae* editae primum prolixiores 1529; postea contractiores Salmanticae 1536 in f.; 1568; 1575; Commentarii *in Aristotelis dialecticam*, Salmanticae 1544; 1566; 1580 in f.; Venetiis 1574; 1583 etc. in 4; *in 8 ll. physicorum*, Salmanticae 1545; 1572; 1582 in f.; Duaci (cum prioribus) 1613 in 4; Deliberatio in causa pauperum seu *de non inhibendo publico mendicabulo*, latine et hispanice, Salmanticae 1545; Venetiis 1617: id misericordiam exposcere persuasit Sotus et obtinuit[1]); *de natura et gratia ll. 3* ad synodum tridentinam, Venetiis 1547; Antverpiae 1550 in f.; Parisiis et Salmanticae ed. ab auctore recognita et emendata; 1561; 1570; 1577; Medinae 1579; Lugduni 1581; Venetiis 1584, quod opus est contra Lutheranos et Pelagianos, et instar commentarii pro decretis V. et VI. sess. synodi tridentinae. Adeo placuit opus patribus synodi, ut ipsum emblemate decorarent utriusque consertae manus flammis hinc inde erumpentibus obsitae cum hoc circumadjecto lemmate „Fides quae per caritatem operatur.“ Eo tamen Ambr. Catharinus laesum se putavit et illico contra Sotum tr. edidit hoc titulo: *Defensio catholicorum* pro possibili certitudine gratiae,

[1]) Cf. de hoc op. Ehrle Beiträge zur Geschichte und Reform der Armenpflege, Freiburg 1881 p. 41 ss.

Venetiis 1547, quo in l. contendit e concilii mente fuisse, justos citra specialis a Deo revelationis casum fide divina posse credere se esse in gratia: sicut et in *Interpretatione c. 9. synodalis decreti de justificatione,* Venetiis 1547; 1591. Sotus vero illico brevem sed nervosam opposuit *apologiam,* qua ep. minoriensi respondet, ib. 1547, et in ed. op. de natura et gratia. Non acquievit Catharinus, sed acri saleque ac pipere condita *expurgatione* Sotum redarguit: verum hujus sententia praevaluit in scholis. *In ep. d. Pauli ad Romanos,* Antverpiae 1550 in f. ed. adeo mendosa, ut Sotus eam ut opus suum agnoscere noluerit aliamque curaverit, Salmanticae 1551 in f. In hoc op. Sotus praeprimis refellit praeposteras protestantium interpretationes, sed et iterum Ambrosii sententiam veluti fidei minus consonam, imo erroneam aggreditur. Quare edidit hic *Disceptationum super quinque articulis l.,* Romae 1551. 1. de certitudine inhaerentis gratiae; 2. de praedestinatione Dei; 3. de natura peccati originalis, quo in c. toto pectore Sotum aggreditur; 4. de potentia liberi arbitrii in statu naturae lapsae, ubi docet „neminem in statu naturae lapsae, absque auxilio Dei speciali posse ullum bonum facere, quod vere bonum etiam moraliter dici possit, ut propterea quodcunque homo talis ageret, malum recte dici possit et peccatum.“ 5. De justissima Dei providentia in nonnullos hominum, quos prae illorum immani ac insigni atque diabolica malitia deserit, reprobat et in sensum reprobum tradit. In quo tamen statu putat ipsis peccata etiam gravissima non imputari. *De cavendo juramentorum usu,* ib. 1552, prius hispanice Toleti 1551; *de ratione tegendi et detegendi secretum* relectio theologica, Salmanticae 1552; 1561 in f.; 1574; Duaci 1623 in 8; cum annotationibus Ant. de Corduba, Compluti 1653; *de justitia et jure ll. 10,* Salmanticae 1556 in f.; 1569; 1580; Venetiis 1608 etc.; ex quo qq. *de residentia* ex l. 10. excerptas edidit Remigius Florentinus O. Pr. († 1580—81) in collectione opusculorum ejusdem argumenti, Venetiis 1562 in 4. *In 4. sententiarum commentarii,* Salmanticae 1557—60 t. 2 in f.; Venetiis 1569; 1589; 1598 in 4; Lovanii 1573; Medinae Campi 1581; Duaci 1612 in f.; haec duo posteriora opera melioribus de his argumentis accensentur. Contra Jo. Ferum (de quo cf. infra t. III) *annotationes* in ejus commentarios super Ed. Joannis Evangelium, Salmanticae. Unde acris controversia orta est cum Mich. de Medina, ut ibidem dicemus. *Catechismo o* Doctrina christiana, Salmanticae 1563 in 12. Inedita manserunt commentaria in Ev. Matthaei, in s. Thomae summam[1]) etc.

635. Praeter hoc illustre O. S. Dom. trifolium, cujus in doctorem angelicum labores manserunt inediti, in hoc illustrando versati sunt praeterea Antonius Beccaria (de Beccariis) O. Praed. Ferrariensis, s. Thomae doctrinae impense addictus, episcopus scutarensis (1524; † 1543), cui praeter commentaria in 1. p. ejusdem doctoris, multa alia tribuuntur, ut glossemata super psalmos secundum quatuor sensus, expositio super Job, commentaria in varia opera Aristotelis, quodlibeta etc., quorum tamen num aliquid prodierit, nos latet. — Paulus Manna O. Praed. Cremonensis (fl. 1545). — Ambrosius de Salazar Hispanus, discipulus Dominici de Soto, qui eum tanti fecit, ut cathedra cedens primaria salmanticensi eum sibi in ea regenda substituerit (1536), sed non diu eam tenuit, nam immaturo fato vivis ereptus est a. 1560 aetatis a. 38. — Hierony-

[1]) Cf. de his accurate disserentem Ehrle Katholik 1884. II, 622—55; Echard II, 171 ss.; Nic. Antonius I, 131 ss.; v. Loë KL. XI². 530; Aimé M. Viel OP. Revue Thomiste XII (1904), 151—166.

mus Perez Valentinus O. Mariae V. de Merc. s. Thomae interpres subtilissimus fuit. A schola valentina agente s. Franc. Borgia tunc Gandiae duce hanc in urbem transiit ipsumque ducem ss. literis imbuit. Hujus commentaria in 1. et in 1. 2. p. s. Thomae ex tot ineditis fere sola in lucem prodierunt, Valentiae 1548 t. 2 Fr. Borgia dicata; Monoctium sive unius noctis opusculum, *an Christus ut homo sit filius naturalis Dei,* Neapoli 1525.

636. Praevaluit adhuc eo tempore in cathedris magister sententiarum: hinc plures praeter Franciscum de Victoria et Dom. de Soto reperimus, qui in eo interpretando occupati fuerint. Praetermissis Bernardo du Serein Gallo, Pictavii lectore theologiae († 1555), cujus quoque sunt commentaria in quosdam s. Scripturae ll. — Joanne Billico[1]) sodali coloniensi, viro magnae doctrinae et vitae religiosissimae, Trithemii familiari († 1563) — Jacobo de Arena seu Bomelio Batavo, episcopo auxiliari metensi, dein virodunensi († 1549), qui scripsit etiam contra Lutheri l. de captivitate babylonica — Nicolao Audeth Cyprio praeposito generali (1524) ad mortem usque (6. Dec. 1562), antiquis Carmeli heroibus merito comparando, qui de ordinis reformatione fuit sollicitus — Raphaele Llinas Catalano, episcopo chrysopolitano et auxiliari majoricensi († 4. Jun. 1558), qui omnes fuere O. Carm.: — superest Claudius de Spina O. Praed. Rotomagensis, parisiensis prior (fl. 1560), qui concinnavit *epitomen in 4 ll. sententiarum,* Parisiis 1551 in 8; aliorumque opera typis commisit, ut commentaria *in septem ep. canonicas,* Parisiis 1543, sub nomine s. Thomae, cujus tamen non sunt, sed ut videtur Nicolai de Gorham (cf. pag. 416); Guilelmi Parisiensis (p. 262) dialogum *de septem sacramentis,* ib. 1550 in 8. etc.

637. Joannes Viguerius (Viguier) O. Praed., Granatensis subinde dictus a Granatae urbecula in Tolosatium finibus, theologiae magister, hanc professus est in academia tolosana ab a. 1527 ad a. saltem 1550. Concinnavit *institutiones* ad naturalem et christianam philosophiam, maxime vero ad scholasticam theologiam ss. literarum, universaliumque conciliorum auctoritate et doctorum ecclesiasticorum, praesertim d. Thomae Aq., eruditione confirmatas omnibusque animarum curam gerentibus admodum necessarias, saepissime editas ut Parisiis 1553; 1558; 1563; 1582 in f.; Venetiis 1560 in 4; 1567; 1571; 1575; 1581; Coloniae 1607 in 4. etc.; Commentaria *in d. Pauli ad Romanos ep.,* in quibus omnes fere haereses nostri temporis confutantur, Parisiis 1558; Venetiis 1563; 1581; Antverpiae 1565; 1572; Coloniae 1607; *de consolatione agonizantium* cum elucidatione missae, Parisiis 1553; Antverpiae 1554; Lugduni 1569. — Etiam Clementi Moliniano (Moniliano), Italo, tribuitur *compendium theologicarum institutionum,* quod prodiisse videtur Fulginii 1562. — Martinus de Olave (Olavius) Hispanus, Sorbonnae doctor, postquam in Caroli V. imp. aula degerat atque concilio tridentino interfuerat, ingressus est societatem Jesu obiitque rector collegii romani († 17. Aug. 1556). Ejus scripta recenset Sommervogel V, 1878 s.

638. Singularis ingenii, hinc et singularium opinionum[1]) vir fuit Ambrosius Catharinus, theologus alioquin eruditissimus. In seculo dice-

[1]) A quo distingui debent alii ejusdem nominis, de quibus infra redibit sermo.

[1]) Hinc Bellarminus de Script. eccl. ejus opera caute legenda esse monet, pluresque ejus opiniones passim impugnat, praesertim l. 3. de justific.

batur Lancelottus Politi, genere nobili natus 1487 patria erat Senensis. Adolescens jurisprudentiae animum applicuit et cum esset magnis talentis et studendi ardore praeditus, a. aetatis 16. juris utriusque lauream in academia patria promeruit. Exinde ad a. 25. majorem sibi comparaturus eruditionem praecipuas Italiae Galliaeque lustravit academias, in quibus arguendo, proponendo et resolvendo ad mille juris propositiones defendit, unde magnum sibi apud eruditos fecit nomen. In patriam redux publicam juris cathedram obtinuit et inter discipulos habuit Joannem Mariam de Monte, qui postmodum fuit pontifex Julius III. Romam profectus a Leone X. inter consistoriales advocatos adscriptus est: at paulo post spretis mundi curis et honoribus ingressus est ordinem s. Dominici a. aetatis 30. commutatoque nomine voluit dici Ambrosius Catharinus ex devotione erga s. Ambrosium et s. Catharinam. Peracto tirocinio sacris literis et theologiae totum se dedit, nullo usus magistro, moxque coepit calamum acuere et stilum stringere. Adhuc novitius miles ex praepositi praecepto composuit *apologiam* pro veritate catholicae atque apostolicae fidei ac doctrinae adversus impia ac valde pestifera M. Lutheri dogmata ad Carolum imp., Florentiae 1520; *Excusatio disputationis* contra Lutherum, ib. 1521 in 4. et in Bibl. pontificiae Roccaberti III, 265-325. Tacuit post haec annis multis, sed cum Bern. Ochinus apostata novatorum errores niteretur spargere, ipsi opposuit *speculum haereticorum*, Romae 1532, qui a. ab Echard assignatus error videtur typographicus [1]). Hoc in opere eum suis depinxit coloribus; emendatum et auctum prodiit Lugduni 1541 subjunctis duobus opusculis *de peccato originali* et casu hominis, et de *perfecta justificatione* a fide et operibus. Aliud de reprobatione ipsius doctrinae opusculum edidit postea Romae 1544. Cum nimis acriter loqueretur adversus Cajetani commentaria in s. Scripturam aliaque ejusdem opera, summaque esset tunc hujus cardinalis Romae auctoritas (cf. p. 1201 ss.), melius censuit in Galliam secedere, ubi edendis libris totus incubuit. Ita prodierunt Lugduni 1542 varia ejusdem opuscula (12) recognita ac repurgata t. 2, ed. rara: inter ea *de praescientia ac providentia Dei*, quod rerum contingentiam non tollat, (Lutetiae 1535); *de praedestinatione ll. 3*, olim cum praecedenti editi; *de eximia praedestinatione Christi ll. 2; de angelorum bonorum gloria* et lapsu malorum; disp. *pro immaculata V. conceptione* ll. 3 (Senis 1532 in 4), quo in op. magno fervore et zelo necnon et sagaciter hoc dogma adversus Cajetani disputationes tuetur; *de consummata gloria* solius Christi et d. Virginis; *de universali omnium morte* et omnium resurrectione futura ac judicio aeterno; *de veritate purgatorii; de bonorum praemio* ac supplicio malorum aeterno et vero igne inferni; *de statu futuro puerorum sine sacramento decedentium; de certa gloria*, invocatione ac veneratione SS. *Claves duae* ad aperiendas intelligendasve ss. Scripturas perquam necessariae, Lugduni 1543 in 8. Rediit exinde Romam, et cum jam indictum esset concilium tridentinum, a card. Jo. Maria de Monte suo quondam in legibus auditore ejusdemque praeside inter theologos fuit admissus et ad concilium ire jussus, in quo haud parum inclaruit. Orationem ejusdem ibi habitam habes apud Ehses conc. trid. IV, 582—586, et apud Le Plat I, 46—52; 143—151. Cum pluribus sodalibus controversias literarias habuit: non solum cum Cajetano, Dom. de Soto (cf. p. 1374), sed et cum Barth. Carranza (cf. Nomencl. I², 39), contra quem scripsit discussionem q. *quo jure episcoporum residentia debeatur*, Venetiis 1547 in 8. et censuram

[1]) Cf. Tiraboschi Storia Letter. di It. VII. 1. l. 2 c. 1. n. 26.

in l. quendam inscriptum Controversia *de necessaria residentia episcoporum,* quam ipse repetit ex jure humano; et cum Barth. Spina s. palatii magistro, qui in l. summo pontifici oblato ipsum 50 errorum[1]) insimulaverat: contra quem *defensionem* sui scripsit (intra tr. Romae editos 1551. 1552). Summa doctrinae *de praedestinatione:* adjicitur lucubratio de veritate enunciationum, summa doctrinae de peccato originali et dialogus de justificatione, Romae 1550 in 4.

639. Interim a Paulo III. episcopus factus est a. 1546 minoriensis in regno neapolitano, a Julio III. electus in archiepiscopum compsanum (3. Jun. 1552). Non destitit ab edendis aliis atque aliis operibus. Ita commentaria *in omnes d. Pauli ap. epistolas*[2]) et alias septem canonicas, Venetiis 1551 in f. Collecti prodierunt Romae 1551. et 1552 plures tractatus theologici argumenti (24), inter quos enarrationes *in quinque priora cc. Geneseos,* in quibus ut alias Cajetanum vellicat; *de pueris Judaeorum* sua sponte ad baptismum venientibus, etiam invitis parentibus recipiendis; Assertiones 14 circa articulum *de certitudine inhaerentis gratiae; quaestio* quibusnam verbis Christus confecit divinum eucharistiae sacramentum, in qua opinatur, Christum illud non confecisse suis verbis; tractatio secunda illius q., *quibus verbis Christus eucharistiae sacramentum confecerit,* utraque (olim, nunc non amplius) prohibita; Disp. *pro veritate immaculatae conceptionis b. Virginis* et ejus celebranda a cunctis fidelibus festivitate s. synodo tridentinae nuncupata, quae est alia ab ea, cujus supra meminimus, opposita tr. Jo. de Turrecremata *de veritate conceptionis b. Virginis.* Summaria opinionum *de divina praedestinatione ac reprobatione* explicatio, in qua tuetur duplicem praedestinationis rationem, alteram paucorum absolutam, alteram conditionatam consequenter scil. ad meritorum praevisionem. *Pro eximia praedestinatione Christi* annotatio specialis in commentaria Cajetani, in quo opusculo rursus adstruere conatur, quod alias jam defenderat, etiam Adamo non peccante nihilominus Filium Dei incarnandum. Disputatio *de cultu et adoratione imaginum,* in qua discutit difficultates inter theologos catholicos agitatas; contra M. Lutherum super his verbis: *Tu es Petrus, et tibi dabo claves regni coelorum* Matth. 16. dialogus, s. l. 1524; *Excusatio disputationis* contra M. Lutherum ad omnes ecclesias, Florentiae 1541, cujus jam supra meminimus; *de veritate incruenti sacrificii N. et aeterni T.; de communione* s. eucharistiae sub utraque specie, utrum sit omnibus necessaria aut conveniens et concedenda; q. *an parvulis danda sit s. eucharistiae communio; de intentione ministri sacramentorum:* tuetur autem sufficere intentionem, quam dicunt externam, absque ulla interna mente concepta; *de baptismo parvulorum* et de exsistentibus in utero matris; *de matrimonio; de divinis et canonicis Scripturis;* confirmatio doctrinae ejusdem auctoris *de personali residentia episcoporum* contra quendam novitium impugnatorem etc. His addantur nonnulla alia opuscula: *De christiana justitia* et fructibus ejus, 1541. Contra Antonii Brucioli[1]) versionem italam

[1]) Cf. eorum aliquos apud Echard II, 118.

[2]) Ejus diss. *de epistola ad Hebraeos* reperitur in Ludovici Tenae (cf. Nomenclator I², 319) commentario in hanc epistolam.

[1]) A. Brucioli (Bruccioli) patria erat florentinus. Cum esset particeps conjurationis contra Julium de Medicis cardinalem (qui postea fuit papa Clemens VII.) in Galliam confugere est coactus. Expulsis Florentia de Medicis (1527) rediit. Sed propter nimiam adversus clerum et religiosos obloquendi licentiam et propter errores, quibus suam infecit versionem Venetias fugere coactus est. Ejus versio protestantibus arrisit, unde eam iteratis

s. Scripturae, Venetiis 1532, et *Commento su tutti i libri dell'A. et N. T.*, Venetiis 1542—46 t. 7 in 3 v. in f.; *Compendio di errori ed inganni Luterani* in untr. Del beneficio di Cristo Crocifisso[1]) (auctore Paleario della Paglia) — *Resoluzione sommaria* contra conclusioni Luterane estratte dal l. anonymo Sommario de la S. Scrittura[2]) — *Reprobatione* de la dottrina di B. Occhino, Romae 1544 (m. 86). *De coelibatu* adversus impium Erasmum, Romae 1565; *Discorsi* contra la dottrina e le profetie di F. Gir. Savonarola, (quem olim magni aestimaverat), Venetiis 1548 etc. Julius III., cui erat ut suus quondam magister acceptus, cogitasse fertur de eo purpura ornando. Romam propterea vocatus, ut ajunt, in itinere morbo correptus placide obdormivit[3]) Neapoli 8. Nov. 1553.

640. Non desunt qui de argumentis specialibus disputaverint[4]). Praetermisso Joanne Francisco Cameni Perusino, viro literato et poeta, in academia patria professore et equite aurato († 1557 vel 1558), cujus est *Dialogorum ll. 4*, in quorum 1. (et unico, qui prodiit) Theophanus inscripto de Deo praecipue agitur, mox de praedestinatione, fato et quibusdam sacris[1]), s. l. (Perusii) et a. l. rarus — de praedestinatione disputavit Hieronymus Mendrisius[2]) O. Serv. b. M. V. (fl. 1549) in absolutissima atque clarissima q. *de compossibilitate infallibilis scientiae Dei atque contingentiae rerum* et utrum praedestinatus possit damnari vel praescitus salvari, Mediolani 1530 cum aliis ejusdem opusculis, ut de necessitate eleemosynae etc. — Franciscus Romeus O. S. Dom. Etruscus variis in locis tum artes, tum et theologiam est professus. A magistro ordinis socius curarum adscitus est, dein declaratus provincialis terrae sanctae. Postquam obivitidem munus in provincia romana, institutus est ordinis procurator generalis ac demum electus in comitiis generalibus (1546) supremus ordinis

---

vicibus typis ediderunt. Haereseos suspicionem incurrit, captus ab inquisitione, suos errores abjuravit, et jussus est edito l. opiniones suas erroneas vel suspectas retractare, quod tamen non praestitit. Ipse tamen non videtur defecisse ab Ecclesia catholica († 1566). Cf. Reusch Index I, 373; Feller Biogr. univers. 2, 206 Paris 1867; R. Simon Hist. crit. du V. T. l. 2 c. 22, qui ei exprobrat ignorantiam linguae hebraicae, stilum barbarum et rudem etc. Hist. crit. du N. T. c. 40; Minocchi in Vigouroux Dictionnaire de la Bible III, 1027.

[1]) Cf. de hoc libello famoso saepius edito et in varias linguas translato Reusch I, 383; Hefele-Hergenroether IX, § 1024.

[2]) Cf. Reusch Index I, 104.

[3]) Cf. plura de eo in sua expurgatione adversus apologiam Dom. a Soto (cf. p. 1375), Echard II, 144-151; 825; Häusle KL. II, 2053 ss.

[4]) Raymundus le Roux (Rufus) juris consultus gallus edidit adversus Car. Molinaeum *Defensionem summi pontificis*, cardinalium, episcoporum et totius ordinis sacri, Parisiis 1553. Ab hoc distingui debet Gerardus le Roux (Roussel, Rufus) episcopus oloronensis (1542-1559), ex cujus op. *Familiere Exposition* de Symbole, de la loy et de l'Oraison dominicale facultas theologica parisiensis plures reprobavit 15. Oct. 1550 propositiones cf. d'Argentrè II, 1. 161—162. — Joannes Tanquerel theologus gallus a. 1561 *theses* defendit „de suprema etiam quoad temporalia papae potestate, qua vel ipsa capita diademate fulgentia, cum bonum publicum id exigit, deponere possit. Senatui parisiensi vehementissime displicuit audax assertum junioris Sorbonnae baccalaurei, qui proinde jussus est palinodiam canere: at ille ne compelleretur tempori invitus deservire et quae sit vera theologiae doctrina a seculari . . . magistratu edoceri, illico solum vertit, et facultati parisiensi suam causam dereliquit: quae non aegre gallicanis, ut vocant, libertatibus sese accommodavit et theses obliterandas esse decrevit.“ Mich a s. Joseph. Bibl. crit. IV, 308; Feret I, 382.

[1]) Cf. Vermiglioli Scrittori perug. I, 257—264.

[2]) Cf. Argelati II, 923. Idem videtur cum eo, quem Markel in Spec. virtutis et scientiae O. Serv. b. M. V. p. 22 Andream cognominat.

magister. Lustravit plures ordinis provincias et synodo interfuit tridentinae. Apoplexia correptus obiit 20. Jul. 1552. »Praefectus fuit, ut verbo dicam[1]), numeris omnibus absolutus, quem universus ordo planxit planctu maximo.« Disseruit *de libertate operum et necessitate gratiae* adversus pseudophilosophos christianos, Lugduni 1538 in 4., addita est brevis deductio ad animae immortalitatem christiane et peripatetice ostendendam. Ceterum de hoc eodem argumento animae scil. immortalitate[2]) tunc temporis a philosophis duce Pomponatio in dubium vocata disputarunt ex eodem ordine Hieronymus de Fornariis, de Papia vulgo a patria nuncupatus, studiorum regens, congregationis lombardicae vicarius generalis, demum 1533 episcopus bellicastrensis († 1542), in tr. aureo *de immortalitate animae* et examine disp. inter Pomponatium et Nyphum (cf. supra p. 1281), Bononiae 1519 in 4. — Antonius Marrapha, a Martina, oppido patrio in Apulia, vulgo dictus, O. Pr. s. theologiae magister, studii generalis Neapoli regens et cathedrae metaphysices in academia neapolitana moderator, in opere *de anima,* quod dicitur in inscriptione »sine dubio novum et omnino divinum, omni doctrinae genere refertum, philosophis, theologis ac concionatoribus apprime necessarium,« Neapoli 1550. Distinguitur in 4 ll., in quibus agit de morte non timenda, de animaram productione et creatione, de animarum immortalitate. — Bartholomaeus Spina, Pisanus, plures rexit cathedras et magistri ordinis erat solicitudinis socius, tum terrae sanctae prior provincialis, magister s. palatii (1542), cujus consilio Paulus III. saepe utebatur et quem unum esse voluit ex quinque viris selectis[1]), qui de quaestionibus in synodo tridentina motis et de quibus patres sedem apostolicam consulebant, censuram ferrent († 1546). Multa reliquit opera: potiora prodierunt collecta Venetiis 1519—1535 t. 3 in f., inter quae: Propugnaculum Aristotelis *de immortalitate animae* contra Th. Cajetanum (in commentatione sua super ll. Aristotelis de anima); tutela veritatis *de immortalitate animae* contra P. Pomponatium . . . cum ejusdem l. de mortalitate animae fideliter toto inserto; *Flagellum* in tres ll. apologiae ejusdem Petretti (Pomponatii) de eadem materia immortalitatis animae (utrumque etiam s. l. 1518 in f.); Quaestio *de ordine sacro;* qq. 3 *de Deo* contra Cajetanum; *qq. 4 de personalitate;* tr. *de universali corruptione generis humani* seminaliter propagati, etiam seorsim Venetiis 1526; 1555 in 4; tr. *de conceptione*[2]) *b. Mariae V.,* cujus puritatem vehementius quam decuit negat, etiam Venetiis 1533; *q. de forma baptismi; de neutra intentione baptizandi; de necessitate baptismi parvulorum; de forma consecrationis sanguinis Christi; de strigibus et lamiis* seorsim Venetiis 1523; Romae 1576 cum *tribus apologiis* adversus Jo. Franc. Ponzinibium jurisperitum (Venetiis 1525); et alias, ut in Cl. Bourgeat *Malleo maleficarum,* Lugduni 1669 t. 4; *de necessitate confessionis* ante s. communionem, etiam Venetiis 1530, contra Cajetanum eam negantem; Declaratio *de potestate papae* seu Ecclesiae super conjugiis in gradibus prohibitis jure divino[3]), Bononiae 1531;

[1]) Ita Echard II, 125.

[2]) *De pulchritudine animi* disputavit adversus Epicuraeos et atheos sui temporis Joannes Neuville (Neovillanus) Parisiis 1556.

[1]) Cf. Pallavicino Hist. conc. trid. l. 8 c. 1.

[2]) Coepit novam ed. Tr. *de veritate conceptionis bb. V.* pro facienda relatione coram patribus conc. basileensis a. 1437 . . . compilati per Jo. de Turrecremata etc., Romae 1547., quam ed. Spina interim defuncto, curavit ipsius discipulus Alb. Duimius de Cataro (Gliricis) episcopus vegliensis (1549-1564).

[3]) Cf. Feret La fac. de Théol. de Paris, Ep. moderne I, 336.

Venetiis 1535; 1584. Respicit hic matrimonium Henrici VIII, quod invalidum declaraverat gravissimis verbis facultas theologica bononiensis atque nullam dispensationem pontificiam. Oppositum statuit auctor, quin facultatem nominet. Digessit quoque *indicem* locupletissimum rerum ac verborum memorabilium in Jo. Capreoli qq. super ll. 4 sententiarum, Venetiis 1517, qui deinde cum Capreoli opere passim prodiit; typis quoque dedit commentarium d. Thomae *in Evangelium Matthaei,* Venetiis 1527 in f.; commentarium card. Cajetani *in 2. 2. s. Thomae* cum splendido encomio gestorum ejusdem Cajetani, praesertim celebris disputationis ab eo in comitiis ordinis 1494 Ferrariae habitae cum Jo. Pico de Mirandula, 1517. Sed mirum mox (ab a. 1518) factus est eidem Cajetano maxime infensus, ut eum vivum mortuumque tractatibus impugnaverit et conviciis prosciderit indignis, quod Catharinum ipsum quantumlibet Cajetano infensum puduit. Ceterum et Catharinum insectatus est, ut eum non modo erroris, sed et haeresis insimularit[1]).

641. De *incarnatione* disseruerunt Joannes Doc (Doceus) OSB. ex abbate s. Dionysii parisiensis episcopus laudunensis († 1. Jul. 1560) in l. *de aeterna generatione Filii Dei et temporali nativitate,* Parisiis 1554 in 8. Ejus quoque sunt[2]): *Enarratio dominicae passionis,* ib. 1552 in 8; *de Domini resurrectione,* ib. 1567; *homiliae* ad populum, Antverpiae 1567; *in dominicas et festa anni,* Parisiis 1560; *quadragesimales,* 1555. — Antonius Gubertus, tolosanus polyhistor, cujus est *Apologeticon* testimonia continens de Christo et iis, quae illius adventu et crucis tempore in coelo et in terra mirabiliter facta sunt, Tolosae 1561. — Nicolaus Fèable (Fidelis) Tornacensis, canonicus et theologus parisiensis, († 1555 vel 1562), qui hos doctrinae suae fructus reliquit: *De humana restauratione* sive de incarnatione Domini, Antverpiae 1569 in 8; *de militia spirituali ll. 4,* Parisiis 1540 in 12; *de mundi structura* seu de sex dierum opificio ll. 7, Parisiis 1556 in 8, quibus continentur meditationes morales de creationis opere[1]). — *De Christi matre,* praesertim de ejus conceptione, praeter Ambr. Catharinum, Barth. Spina etc. egerunt Jaimus Rodericus in *Tr. de la Concepcion de N. Señora,* Barcinone 1561 in 8. et Ludovicus de Carvajal Baeticus, vir in seculo nobilis parentumque praedivitum heres unicus, quae omnia reliquit, ut fieret ord. Min. reg. obs. sodalis. Parisiis vacavit studiis theologicis, in quibus plurimum profecit, ut mitteretur theologus ad concilium tridentinum, ubi elegantem habuit orationem ad patres (apud Le Plat I, 124—34). Ejus sunt Declamatio expostulatoria *pro immaculata conceptione Dei Genitricis Mariae* et dilutio quindecim argumentorum, quae adversus praefatam declamationem quidam (secundum aliquos Bartholomaeus de Spina) Parisiis ei objecit, Parisiis 1541 in 8. Theologicarum sententiarum l. sive restitutae theologiae et a sophistica et a barbarie *specimen de Deo,* Coloniae 1545; Antverpiae 1548. Adversus Erasmum edidit *Apologiam monasticae religionis,* Salmanticae 1528; Antverpiae 1529 etc., respondentique adversario in *Responsione* adversus febricitantis cujusdam libellum (Antverpiae 1529 etc.) opposuit *Dulcurationem* amarulentiarum erasmicae responsionis, s. l. et a.; Parisiis 1530, prohibita (olim, nunc non amplius) ‚donec corrigatur.' — Balthasar Sorio O. Praed. Aragonus Valentiae natus Parisios missus eruditionis laude plurimum emicuit. In co-

[1]) Cf. Echard II, 126 ss.
[2]) Cf. Fabricius I, 458.

[1]) Biogr. nat. de Belg. VII, 1.

mitiis ordinis ibidem habitis studii generalis barcinonensis regens est datus. Congregationis disciplinae rigidioris in Aragonia electus est vicarius generalis (1500—12), atque Dertosae a. 25 rexit cathedram theologalem. Decessit centenario major, a. professionis 82. et amplius, spiritu vegetus et alacris semper, nec prius studendi finem faciens quam vivendi 27. Sept. 1557. Plurima reliquit scripta, e quibus prodiisse leguntur: Tr. tres *de b. Mariae V. genealogia,* cognatis et consanguineis; de triduo Christi in sepulcro; de triplici Magdalena adversus Jac. Fabrum Stapulensem; Conciones de b. Virgine sive *Mariale,* Dertusae 1538 in 4; *de sanctis* sive Sanctorale, ib. 1538 in 4; *Tr. contra septem blasphemias* cujusmodi sunt Christum esse filium naturalem s. Josephi, hunc sine peccato originali esso conceptum, et esse animo et corpore in eucharistia praesentem etc. ex ss. PP. auctoritate dictisque confectus, Valentiae 1511; Barcinone 1522 in 4. — Philippus Archintus Mediolanensis, a. 20 jam juris doctor, causarum patronum egit atque ita emicuit, ut orator mitteretur a. 1527 ad Carolum V., cui feliciter patriam reconciliavit, quamvis alii oratores ante ipsum missi fuissent inauditi dimissi. Ipse imperator eum a consiliis habere voluit misitque legatum ad Paulum III. (1535), qui eum permittente Caesare Urbis gubernatorem declaravit et episcopali infula Burgi s. Sepulcri donavit: unde 1549 ad ecclesiam Salutiarum transiit. Etiam in aliis difficilibus negotiis a pontifice adhibitus fuit et declaratus praeses conc. tridentini pestis causa Bononiam translati: quo in munere confirmatus est a Julio III., qui eum et legatum a latere Venetias misit. A Paulo IV. archiepiscopatum mediolanensem obtinuit, verum adire non potuit morbo correptus 21. Jun. 1558. Amicissimus fuit s. Ignatio, quem plurimum juvit ad superandas difficultates in instituenda firmandaque sua societate exortas[1]). Disseruit *de fide et sacramentis ll. 2,* Cracoviae 1545; Ingolstadii 1546; Augustae Taur. 1549 in 4. — *De Dei hominisque operibus,* Venetiis 1554, egit Vincentius Aquilanus O. Min. Conv. Bononiae gymnasii regens.

642. Sequitur jam aliud splendidissimum theologiae dogmaticae decus Andreas de Vega[2]) O. Min. reg. obs., Segoviensis, generis nobilitate illustris, virtute et religione illustrior, sed doctrina longe illustrissimus. Salmanticae studiis operam dederat ibidemque etiam sententias Durandi exposuit. Ordinem s. Francisci ingressus collegam habuit in cathedra Alphonsum de Castro. Non solum in theologia excelluit, sed et linguam graecam calluit et hebraicam. A Carolo V. missus est theologus ad concilium tridentinum, in quo cum Dominico Soto maxime inclaruit[3]). Ejus

---

[1]) Cf. Argelati I. p. 2 pag. 73.

[2]) Ab eo distingui debet alius Andreas de Vega sodalis tertii ord. claustr. s. Franc., qui factus est virtutibus et signis illustris migravitque ad Deum annos forte natus 110, cujus est carmen latine exaratum *Acetarium* variarum rerum materias continens, Olisipone 1571 in 4.

[3]) Quanti hos theologos Petavius faciat, liquet ex ejus verbis, quibus pro confirmanda sua sententia ad eos provocat de interpret. conc. tridentini c. 15: „Prae ceteris duo illi producendi sunt, qui omnium doctrina et auctoritate ex privatorum ordine principes fuisse perhibentur, ac magnum ad decidendam illam controversiam, quae de justificatione tum est commota, momentum attulisse. Fuit autem ... tam accurata, imo anxia et laboriosa de illo decreto inquisitio tum facta, ut centies de eo deliberatum sit et itum in consilium partim a patribus, partim a theologis. Horum e numero quod dicere coeperam, qui designati a me sunt, exstitere Dom. a Soto ... et A. Vega ... Hi cum in nonnullis, quae ad illud argumentum attinent et impune, ut fit in scholis, in utramque partem disputantur, a se mutuo dissiderent (quae altercatio primorum inter se theologorum deliberationi

sententiam secutum est concilium in sess. IV. in decreto de Scripturis canonicis, sed praesertim in sess. VI. doctrinam de justificatione valide tractavit, examinavit, publicis in congressibus discussit et tandem doctissimis commentariis refutatis haereticorum erroribus fortiter propugnavit. Opus autem est bipartitum: *De justificatione doctrina universa ll. 15 absolute tradita* et contra omnium errores juxta germanam sententiam orthodoxae veritatis et s. conc. trid. praeclare defensa. Duo tamen ll. postremi respondent l. Calvini: *Antidotum* in acta synodi trid., in quibus auctor doctissime agit de peccato mortali et veniali. Secundum opus, quod prius elaboraverat et jam seorsim prodierat, inscribitur: *De justificatione, gratia, fide, operibus et meritis* qq. 15 absolutum, Venetiis 1546 in 4; 1548; Compluti 1564, et post editiones parum emendatas utrumque Coloniae 1572, curante (quod insigne est praestantiae operis argumentum) b. Petro Canisio, 1585; Aschaffenburgi 1621. Magnis extollunt encomiis theologi hoc opus, ut Vasquez, Andr. Schott et aliis omissis Canisius, qui propterea ad illud recudendum fuit inductus, quod Vega „Tridenti doctissimos theologos et sapientissimos patres tum disserentes audivit, cum de justificatione multis est mensibus acerrime disputatum ipseque cum disputantibus aliis sua sensa studiosissime contulit. Ex cujus viri scriptis docti facile deprehendent, quam fuerit idem in eruenda confirmandaque veritate laboriosus, quam praeterea solers et exercitatus in quaestionibus obscurissimis atque gravissimis examinandis, quas ille quidem ad normam verbi Dei libenter revocare consuevit, sed ita ut simul exponat, quid et antiquiores et recentiores theologi de re proposita judicaverint.“ Alia ejusdem opera sunt[1]) *Commentaria* in aliquot concilii Decreta, Compluti 1564 (nisi sit idem opus cum priori); commentaria *in Psalmos*, ib. 1599. Obiit Salmanticae a. 1560. „Ascendit hic justificatus a Deo in domum aeternam,“ legimus in ejus epitaphio. — Alius hispanus Didacus de Alaba et Esquivel Victoriensis, episcopus asturicensis, translatus dein ad sedem abulensem, quacum praetorii granatensis praefecturam administravit, demum ad cordubensem († 17. Mart. 1562). Interfuit synodo tridentinae a sess. V. ad IX. Composuit opus bene doctum utilibus instructum consiliis *de conciliis universalibus* ac de his, quae ad religionis et reipublicae christianae reformationem instituenda videntur, Granatae 1582 in f., Matriti 1671 cum additionibus et illustrationibus Francisci Ruiz de Vergara et Alaba († 1672).

643. Ne *philosophos scholasticos* prorsus praetereamus, quosdam nominasse juvabit. In Aristotelem commentaria ediderunt Jacobus Clemens, Aragonus, artium magister Granatae, cujus est *Super praedicamenta* Aristotelis cum eorundem perutili et familiari textus explanatione et praecursoriis ad omnem logicam et philosophiam pernecessariis qq., in quibus plurima aperiuntur super doctrina Thomae, Scoti et Nominalium, Com-

praecipue moras attulisse dicitur) post decretum consensu omnium temperatum et editum, pro sua quisque sententia perseverarunt contendere ac duo anno eodem inter se pugnantes prodiere libri: alter D. a Soto *de natura et gratia*, alter A. Vegae *de justificatione*.“ Eorum in rem suam allatis testimoniis notat: se idcirco hos primos in hanc velut arenam produxisse „quod ut ex actis tridentinis didicimus, celeberrimum illum catholicae fidei doctrinaeque campum ex privatorum ordine potissimum tenuerunt, quamdiu de libero arbitrio et justificatione deliberatum est in illa synodo.“

[1]) Horum duorum operum mentionem non facit Sbaralea p. 37. Cf. de ipso Jo. a s. Antonio in bibl. franc. I, 70; Gaudentius Beitr. zur KG. des 16. und 17. Jahrh. p. 39 ss.; Nic. Antonius I, 88.

pluti 1544 in 4. — Gregorius de Arcis O. b. M. V. de Merc. *de Logica* sive in Aristotelis Organum, Compluti 1556 in 8. — Joannes Martinez Guixeño (latine redditum Siliceus), qui in magna egestate Hispali artem logicam didicit, dein benefactoris cujusdam subsidiis adjutus Valentiae, post Parisiis amplius in philosophia profecit: unde Salmanticam evocatus eam est professus et factus canonicus cauriensis, imo aliis posthabitis datus est Philippo II. praeceptor, a confessionibus et sacris. Meritis suis et principis gratia sublevatus est ad sedem carthaginensem (1545), dein archiepiscopalem toletanam et ad purpuram (1556), qua tamen frui ei non diu licuit[1]) morte interveniente 31. Maj. 1557. Verus erat pater pauperum. Ejus commentaria in Aristotelis *Periermenias, Priores, Posteriores, Topica et Elenchos* prodierunt Parisiis in f. — Aristotelem ita interpretatus est Joannes, Beverus a loco patrio appellatus, alioquin cognominatus Serjacops, Hanno, Lovanii philosophiae professor († 1563 a. aetatis 48), ut scholae philosophicae princeps ac seculi Aristoteles haberetur[2]). Ejus commentarii in ll. Aristotelis *de physica auscultatione* prodierunt Lovanii 1567 in f. — Florentius Volusenus (Wilson) Scotus, qui degebat in Gallia († 1546), disseruit *de animi tranquillitate*[3]). — Hieronymus Girellus O. Min. Conv. s. theologiae doctor et in gymnasio patavino professor, reliquit qq. *de primo cognito* et de cognitione singularis, Patavii 1553 in 4; tr. adversus q. M. Ant. Zimarrae *de speciebus intelligibilibus* ad mentem antiquorum, Averrois praesertim, Venetiis 1561 in 4. etc. — Praetermissis Augustino Mussaeo O. S. Aug. theologiae doctore († 1550) — Petro Fermoselo (Formoselo, Hermosilla) O. Min. Hispano (fl. 1555) — Petro de Espinosa artium magistro, salmanticensi professore, cujus *philosophia naturalis* Salmanticae in f. prodiit (fl. 1550) — Vitus Pizza O. Min. Conv. Siculus, disputavit *de divino et humano intellectu* in sententia peripateticorum, Patavii 1553. Ejus *sermones 20* in Ps. 50. lingua vulgari cum pia in fine cujuslibet sermonis meditatione ad Christum crucifixum prodierunt Messanae 1595; 1597. — Sebastianus Foxius Morzillus vulgo Fox Morzillo Hispalensis, doctus philosophus, jam adolescens ingenii studiique haud spernenda edidit specimina. In Belgio degebat, literis humanioribus praesertim deditus, unde a Philippo rege in patriam, ut Caroli principis studia moderaretur, revocatus, naufragio periisse fertur maxima literarum et literatorum jactura. Praeter alia[1]) disseruit *de naturae philosophia* seu de Platonis et Aristotelis consensione ll. 5, Lovanii 1554; Parisiis 1560; 1589; Lugduni B. 1622 in 8; *Compendium ethices philosophiae* ex Platone, Aristotele aliisque auctoribus collectum, Basileae 1554 in 8; *de regno et regis institutione ll. 3,* Antverpiae 1536 in 8; in *Platonis Timaeum* seu de universo commentarii, Basileae 1554 in f.; *in Phaedonem* sive de animarum immortalitate, Basileae 1556; in Platonis ll. 10 *de republica* commentarii; *de historiae institutione* dialogus, Antverpiae 1557; 1564 etc. — In Aristotelis opera commentaria ediderunt et Gervasius Wain († 1554) doctor sorbonnicus et rector universitatis parisiensis, necnon Joannes de Celaya Hispanus, pariter Sorbonnae doctor (1522), cujus commentaria prodierunt Parisiis 1518—23 t. 6 in f.

644. Jam transeamus ad inspiciendam strenuorum aciem *pugilum* pro

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hisp. n. I, 737.

[2]) Cf. Foppens I. 580.

[3]) Cf. Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Schottland I, 449 s.

[1]) Cf. Nic. Antonius Bibl. hi. n. II, 280.

Christi causa proque Ecclesia catholica, quorum ingens plane est numerus. Incipiamus ab iis, qui haereticorum catalogos texuerunt. Joannes Angelus Arcimboldus[1]) nobilis Mediolanensis, apostolicus protonotarius et referendarius et a Leone X. missus legatus in Germaniam aliasque regiones septemtrionales ad promulgandas indulgentias et in Sueciam pro componenda pace, episcopus novariensis (1525), dein a. 1550 a Julio III. translatus ad archiepiscopatum mediolanensem dictusque a Carolo V. s. imperii princeps († 6. Apr. 1555), collegit *Catalogum haereticorum,* Mediolani 1554, quem Eggs in Purpura docta l. 3 n. 44 tribuit Joanni de Arcimboldis, cardinali et archiepiscopo mediolanensi († 2. Oct. 1491) et impressum refert 1514. — Benedictus de Castro Sangri OSB. Casinensis scripsit *de haeresibus et haeresiarchis* alias rite et recte damnatis et reprobatis s. l. a. et n. typographi (Venetiis 1554); tr. *de censuris ecclesiasticis,* Venetiis 1542. — Praeprimis in hoc argumento versatus est Alphonsus de Castro O. Min. reg. obs. Zamorensis, vir apostolicae vitae, professor theologiae a. 30, concionator celeberrimus per universam Hispaniam a. 43, qui interfuit theologus concilio tridentino[2]). Decessit designatus archiepiscopus compostellanus 11. Febr. a. 1558. Compilavit ordine alphabetico *adversus omnes haereses* ll. 14, Parisiis 1534; 1543; Lugduni 1546; 1555 et alibi; ex tertia auctoris recognitione 1556; Antverpiae 1565; 1568; cum appendice Franc. Feuardentii (cf. Nomencl. I[2], 157) in 3 ll. distributo, quibus 40 haereses vel praetermissae vel novae refelluntur, et cum aliis ejusdem Alphonsi operibus Parisiis 1578 t. 2 etc., propter quod opus dictus est ‚potens haereticorum flagellum, haeresiomastix' etc. Alia ejusdem opera sunt: *De justa haereticorum punitione ll. 3,* Salmanticae 1547 in f.; Antverpiae 1568; *de potestate legis poenalis* ll. 2, Salmanticae 1550, Parisiis 1571; 1578, quorum 1. probat eos falsos esse, qui dicant, nullam legem poenalem obligare subditorum conscientiam ad culpam, praesertim letalem; in altero, eos similiter a vero errare, qui dicant legem poenalem nunquam sine declaratione aut facto judicis obligare ad poenam; *in Ps. 50.* homiliae 25, Salmanticae 1537 in 8; *in Ps. 31.* homiliae 24. ib. 1540; 1568 in 8; commentaria *in XII prophetas minores,* Majenciae 1617 (secundum Du Pin); *de validitate matrimonii Henrici* VIII. etc. Opera collecta gradatim prodierunt Parisiis 1571—78 t. 4.

645. Adversus *reformatores*[1]) sec. XVI., Lutheranos in primis, stetit Joannes Eckius, polemicorum theologorum coryphaeus, ‚catholicorum Achilles' a card. Pole dictus. Natus is est in oppido Eck Sueviae 13. Nov.

---

[1]) Alius ab eo est Antonellus Arcimboldus Mediolanensis, senator et ut videtur protonotarius apostolicus († 1558), qui aliquot patrum graecorum vertit opuscula, quae prodierunt Mediolani 1569 et 1573.

[2]) Cf. Joan. a s. Antonio bibl. franc. I, 40, Nicolaus Antonius Bi. hisp. n. I, 16; Gaudentius l. c. p. 39.

[1]) Petrus Costus collegit *Typum Messiae et Christi* ex veterum prophetarum praesensionibus contra Judaeorum perfidiam; accedit Targum Koheleth h. e. chaldaica paraphrasis Ecclesiastis latine versa, Lugduni 1554 in 4. — Nicolaus Clenardus (Cleynaerts) Diestemius linguarum graecae et hebraicae peritus et Lovanii professor, qui longa instituit itinera, ut et linguam addisceret arabicam. Hinc in Africam trajecit Fessamque venit (1540). Cum vero gentem illam christianae fidei niteretur imbuere rudimentis, omnibus spoliatus libris aegre vitam servavit atque in Hispaniam redire est coactus, ubi decessit a. 1542. Praeter grammaticas variarum linguarum reliquit *Epistolarum,* peregrinationum ac de rebus mahometicis ll. 2, quas edidit Jac. Latonus Lovanii 1550; 1551. Epistolae sunt admodum elegantes. Cf. Foppens p. 903.

1486, nomen familiae est Maier. A pascendo grege ad studia vocatus puer adhuc a. 12 academiam adiit heidelbergensem, postea tubinganam, in qua mirantibus omnibus a. aetatis vix inchoato 15. creatus est artium magister, et exinde coepit, raro exemplo, theologiae studium Coloniae (1501), dein Friburgi. Cum ipsius avunculus ei diutius sustentando par non esset, coactus est juniorum institutione discipulorum sibi promereri subsidia ad prosequenda studia. Factus 1506 theologiae baccalaureus praelectiones theologicas habere coepit a. sequenti, pontificia impetrata dispensatione sacros suscepit ordines a. 1508. Adepta laurea theologica (1510) accitus est Ingolstadium ad docendam theologiam, cujus cathedram exinde rexit a. 32 saepius fungens muneribus decani, rectoris, ab a. 1512 cancellarii, parochus insuper academicus est institutus. Sua auctoritate, doctrina, indefessa sollicitudine vere erat (cum Leonardo Eck) fidei catholicae turbidis illis temporibus columna per Bavariam, cujus duces eum maximi faciebant consilioque ejus regebantur et saepe utebantur opera. Iteratis Romam missus est vicibus ad promovendum bonum Ecclesiae. Ipse statim fortiterque restitit Lutheri innovationibus, cumque is proposuisset theses disputandas de indulgentiis, illico opposuit (1518) *Obeliscos* scil. annotationes ad illas, qui tamen nunquam seorsim prodierunt, sed cum asteriscis Lutheri, vel apud Walch XVIII. 796—858, et recentissime apud Köhler Luthers 95 Thesen samt s. Resolutionen, sowie den Gegenschriften etc., Leipzig 1903. Ab eo tempore acerrimum coepit bellum literarium ad mortem usque durans. Saepius cum ipso Luthero aliisque sectatorum primipilis publice disputavit[1]).

[1]) De celebri ejus disputatione cum Luthero a. 1519 Lipsiae habita cf. accuratissimam relationem, quam habes in Janssen Geschichte etc. II, ed. 18. p. 89 ss.; Hefele-Hergenroether IX § 924.

Romam a Leone X vocatus monuit de periculo, editamque a pontifice bullam, qua 41 articuli Lutheri damnabantur, per Germaniam promulgare jussus est, qua occasione multa incommoda, insectationes, calumnias, improperia sibi concivit. Verum nullis laboribus, molestiis, dicteriis deterritus se opposuit murum invictum pro domo Israel, verbis scriptisque, consilio et opera propugnans indefesse, intrepide eruditeque causam catholicam[1]), undique a sede apostolica, imperatore, episcopis et principibus in negotiis fidei et religionis consultus. Neque de sola Germania sollicitus in Helvetiam etiam excurrens pro fide catholica stetit et contra Zwinglium scripsit. Tot laboribus et studiis exhaustus decessit 10. Febr. 1543, vir eruditissimus, solide doctus, de Ecclesia catholica in Germania meritissimus[2]).

[1]) Ita in comitiis ratisbonensibus a. 1541 fortiter se illis fidei declarationibus et formulis opposuit theologorum catholicorum, qui concordiae amore minus prudenti et sagaci utebantur verbis ambiguis, elasticis, integram catholicam fidem non satis exprimentibus utens praeclaris illis verbis probi catholici: Da ist kein Mittel und da helfen keine Worte. Wer sich vereinigen will im Glauben mit der römischen Kirche, muß den Papst annehmen und die Konzilien und glauben, was die römische Kirche glaubt, alles Andere ist Wind, und wenn man hundert Jahre disputieren würde. Apud Janssen II, 449 ed. 2.

[2]) Cf. Th. Wiedemann Dr. Joh. Eck, Regensburg 1865; Meuser in Dieringer Zeitschr. f. Wissenschaft und Kunst 1846 t. 1—4; Schroedl KL. IV², 108 ss.; hist.-pol. Bl. 1891. II, 241 ss. Eck und das kirchl. Zinsverbot, auctore Schneid; Janssen-Pastor op. cit. passim, ubi VII¹², 491 de eo dicitur: Eck war außerordentlich vielseitig veranlagt. Er interessierte sich für Alles, für die schwierigsten Fragen der Scholastik, wie für die mystische Theologie, für speculative Probleme, wie für das positive Wissen der Zeit. Den neu erwachten humanistischen Studien brachte er lebhafte Begeisterung entgegen. Et p. 526 dicitur restaurator studiorum philosophicorum, cujus ll. manuales seu cursus Eccianus ultra seculi

646. Innumera reliquit opera, quorum ipse plura collecta edidit Ingolstadii 1530—35 pp. 5, quarum 1. et 2. complectitur scripta *de primatu, poenitentia, missa* etc.; p. 3. et 4. (quae videntur prae raritate non amplius reperiri) *disputationes* et *colloquia* quae cum adversariis habuit et opuscula eorum occasione edita, necnon et *locos communes;* 5. p. complectitur *sermones* latinos t. 4. Potiora tantum laudemus: *Chrysopassus* . . . praedestinationis materia, Augustae V. 1514 in f., l. rarus; *Commentaria* in varios Aristotelis ll., Augustae V. 1517—20; *de mystica theologia* d. Dionysii Areopagitae cum triplici versione Jo. Sarraceni, Ambrosii Camald. et Marsilii Ficini et vercellensi extractione, quibus adjecit commentarios pro theologia negativa, Augustae V. 1519; Dilingae 1610. Quam plures libelli, inter quos et rarissimi, prodierunt occasione disputationis lipsiacae cum Luthero. *De primatu Petri* adversus Luderum[1]) ll. 3, Ingolstadii 1520 in f.; Parisiis 1521; etiam in Roccaberti bibl. max. pontif. XIV, 38—225. *De poenitentia et confessione secreta* semper in Ecclesia Dei observata ll. 2, s. l. et a.; Romae 1524, l. rarus, et in collectione operum Eckii I, CXXXVII—CLXXV; asseritur Angliae regis l. *de sacramentis* a calumniis et impietatibus Luderi, Romae 1523 in 4; *de purgatorio ll. 3,* Romae 1523; *de satisfactione* et aliis poenitentiis, Romae 1523; *de initio poenitentiae* seu contritione, Romae 1523 in 4; *Enchiridion locorum communium* adversus Lutheranos, Landshuti 1525, oppositum locis Melanchtonis, estque collectio testimoniorum s. Scripturae, conciliorum et patrum de praecipuis (30-38) controversiis illius temporis ad dogmata fidei catholicae tuenda contra protestantes, opus sane utile et hinc etiam saepissime editum, quater a. 1525; Landshut 1526 et eodem a. adhuc quater; quadragies et sexies saltem ad 1576. Illud saepius retractavit, auxit, emendavit[1]). *De sacrificio missae* contra Lutheranos ll. 2, s. l. 1526; Coloniae 1526; *Vorlegung der Disputation zu Bern* mit Grund göttlicher geschrifft, s. l. 1528 in 4., de qua cf. Hefele-Hergenroether IX § 991. *Christenliche Auslegung der Evangelien* von der Zeit durch das gantz Jar nach gemainem verstand der Kirchen u. h. vätter von derselbigen angenommen, Ingolstadt 1530—33 pp. 4 in f.; 1553 ed. 3; 1584; *Art. 404* partim ad disputationes lipsicam, badensem et bernensem attinentes, partim vero ex scriptis pacem Ecclesiae perturbantium extractos coram . . . Carolo V. . . . ac proceribus imperii Jo. Eckius . . . offert se disputaturum, Ingolstadii 1530; *Repulsio articulorum Zwinglii,* s. l. 1530; Christenliche erhaltung der stell der geschrifft *für das Fegfeuer,* s. l. 1530 in 4; *de supremo dominio* et subditorum ac servorum subjectione ex jure divino, s. l. 1532, de quo argumento jam ad populum conciones habuerat. *Homiliarum* sive sermonum adversum quoscunque nostri temporis haereticos super Evangelia de tempore t. 4, quibus, rogantibus amicis, latine exhibet in communem utilitatem suas ad populum habitas homilias, s. l. 1534; 1537; Coloniae 1538; ad a. 1576 sedecies editum; *Homiliarius contra sectas* continet homilias de tempore, sanctis ac sacramentis 1536 t. 3 in f. Ejus conciones *in decem praecepta* germanice prodierunt Ingolstadii 1539. Vertit etiam s. Scripturam in linguam germanicam, quae versio pri-

dimidium erant usui scholaribus pro praelectionibus philosophicis in academia ingolstadiana. Cf. etiam I[18], 145.

[1]) De hoc nomine notat Cochlaeus Comment. c. 1 p. 1: „Quamvis vero a multis antiqua consuetudine dictus fuerit cognomine Luder: quo et ipse in literis suis usus est, maluit tamen postea dici Luther quam Luder: ex eo forsitan, quod Luder apud germanos parum honestum videtur esse vocabulum."

[1]) Cf. Laemmer die vortrid. kath. Theologie, introd. n. 15.

mum prodiit Ingolstadii 1537 (m. 90). Eam nonnisi aegre et invitus aggressus est jubente Bavariae duce et labore nimis festinato, hinc non tanti fit minusque arrisit etiam propter linguam admodum duram: quam nonnihil molivit Christianus Wolf canonicus augustanus in ed. a. 1550 ib.; 1558; 1611; 1619; Tobias Hentschel Tirolensis O. S. Fr. minister provincialis († 18. Sept. 1620) eam expressit ad vulgatam jam emendatam, Ingolstadii 1602; 1630 etc. *Super Aggaeo propheta* commentarius . . . ex ecclesiasticis patribus, ex Judaeorum rabinis, ex novatoribus quibusdam excerptus, Salingjaci 1538 in 8. *Ains Judenbuechlins verlegung:* darin ain Christ, ganzer Christenhait zu schmach, will es geschehe den Juden unrecht in Bezichtigung der Christenkinder mordt, Ingolstadt 1541 l. rarus, scriptus occasione occisionis crudelissimae infantis christiani, cujus credebantur Judaei rei. Post ejus mortem prodiit epistola *de ratione studiorum* suorum (scripta 1533), Ingolstadii 1543 cum ep. Erasmi Wolphii canonici augustani in academia ingolstadiana professoris philosophiae, universitatis rectoris et post Canisium vicecancellarii († 8. Jan. 1553) *de obitu Jo. Eckii* adversus calumniam Viti Theodorici ecclesiastae nornbergensis. Plura reliquit inedita, de quibus sicut et de 900 ejusdem epistolis cf. Feyerabend des ehemaligen Reichsstiftes Ottobeuren Jahrbücher III, 148 ss.

647. Eckio addantur ex *clero seculari* Joannes Freiberger (Freyberger) de Gessenhaussen in Bavaria inferiori canonicus frisinganus (1510) et concionator, pastor s. Petri in Vohburgk († 1541), cujus quoque sunt[1]): Avisamentum *de pluralitate beneficiorum*, s. l. et a. et n. typographi (f. Landshut 1520 m. 40); *Exhortator* ad collatores beneficiorum ecclesiasticorum, ut illa non filiis seculi, sed presbyteris idoneis, excercitatis conferant et pauperibus, s. l., a. et n. typographi (ib. 1520 m. 50). — Wolfgang Hermann (Kyriander) Oettinganus, cujus praeter alia sunt *Persecutiones Ecclesiae* usque ad nostra tempora, Ingolstadii 1541, etiam germanice etc. — Joannes Faber vel Fabri a. 1478 natus est in urbe Leutkirck in Allgovia[1]). Nomen familiae erat Heigerlin, sed Faber voluit appellari a patris arte. Studiis vacavit Tübingae et Friburgi, factusque est theologiae et juris doctor. Vicarius primum erat Lindaviae, dein parochus in patria sua, concionibusque et zelo ita innotuit, ut episcopus basileensis Christophorus de Uttenheim inter canonicos eum receperit et suum instituerit officialem. Anno 1517 Romam profectus factus est a Leone X. protonotarius apostolicus: post suum reditum Hugo episcopus constantiensis eum vicarium constituit generalem. Cum praecipuis viris eruditis, humanistas quos vocant, amicitiam iniit magni ab ipsis habitus. Nimiae indulgentiarum promulgationi initio se opposuit, sed mox advertens oppositionem apud multos verti in schisma et defectionem, novatoribus omnis generis Luthero, Zwinglio, Oecolampadio, Bullinger, anabaptistis, etiam Husitis et Picardis etc. strenue se opposuit colloquiis, concionibus plurimisque editis scriptis, ut Opus *adversus nova quaedam dogmata M. Lutheri,* Romae 1522; apud Roccaberti bibl. pont. XIV, 229—476; cujus alia ed. aucta et retractata est *Malleus* in haeresim lutheranam, Coloniae 1524; Romae 1569; *Antilogiarum* M. Lutheri l. unus Augustae 1530; *de fide et bonis operibus ll. 3*, Coloniae

[1]) Cf. Kobolt Baierisches Gelehrtenlex. p. 232; N. Paulus Katholik 1892. I, 551.

[1]) Non confundendus cum Jo. Faber de Heilbronn O. Pr., de quo infra p. 1431. Cf. Roth KL. IV, 1172 ss.; praeprimis Aschbach Geschichte der Wiener Universität III, 307—22.

1539; *de sacrificio missae* (opp. III, 2); *de edictis ac mandatis imperatorum, regum* etc. pro catholica et orthodoxa religione etc. (III, 4); *de potestate papae,* Romae 1698: *de praecipuis rebus orthodoxae religionis* etc. Turigii cum Zwinglio disputavit a. 1523; interfuit colloquio Badenae 1526 cum adversariis habito[1]); etiam comitiis imperii. Ita innotuit Ferdinando Austriae archiduci, qui eum a confessionibus et consiliis habere voluit et in gravissimis negotiis et legationibus adhibuit, praepositum budensem dixit, demum episcopum viennensem et administratorem ecclesiae neostadiensis. Dignitatem hanc Faber diu recusavit et nonnisi urgente Clemente VII. acceptavit (1530). Designatus quoque fuit a Carolo V. imp., qui cum aliis theologis confutationem concinnaret confessionis a protestantibus oblatae comitiis augustanis (1530). Magna promovit sollicitudine causam fidei catholicae pene collapsae in sua dioecesi: ipse singulis diebus dominicis et festis concionabatur, de formando clero erat sollicitus instituto convictu pro studiosis pauperibus, studia fovebat († 21. Maj. 1541). Vir erat pius, humanus, doctus, vitae integritate spectandus. Aliqua ejusdem operum prodierunt collecta, Coloniae 1537—41 t. 3 in f. fere homiletica; polemica collegit Cochlaeus[2]), Lipsiae 1537. Ejus *Praeparatoriam* futuri universalis concilii per Paulum III. habes apud Ehses Conc. trid. IV, 10—23 cum responsione pontificis ib. 23—26. Aliam illius ep. ib. 50—59.

648. Hujus in sede viennensi successor fuit Fridericus Grau, latine redditum Nausea n. c. 1480 in Waischenfeld ditionis bambergicae (Blancicampium), hinc Blancicampianus cognominatus. Norimbergae videtur fuisse discipulus Jo. Cochlaei; Lipsiae, Papiae et Patavii studiis operam dedit, ubi et magistrum egit poëticae et rhetoricae: a. 1523 juris doctor est creatus. Laurentius Campeggi cardinalis et legatus apostolicus in Germaniam eum assumpsit in secretarium, hinc certe partem habuit in elaboranda hujus cardinalis constitutione[1]) ad removendos abusus et ordinatione ad cleri vitam reformandam. Ob insignia in hac legatione merita dictus est comes palatii lateranensis et notarius apostolicae sedis (1524). Parochus electus francofordiensis (1525) prae turbis excitatis a novatoribus fugere coactus est Aschaffenburgum, inde transiit Moguntiam (25. Febr. 1526), ubi concionatorem in ecclesia cathedrali egit ad a. 1534. Qua occasione edidit egregias[2])

---

[1]) Collegam in hac disputatione habuit Jacobum Edlibach Tiguri n. 14. Apr. 1482 ibidemque canonicum, qui strenue verbo et scriptis se zwinglianae opposuit reformationi: qua praevalente transiit Zofingam (1523). Sed cum hujus ecclesiae supprimeretur capitulum secessit in civitatem Zurzach (1533), cujus capituli factus est praepositus († 19. Jan. 1546). In colloquio bernensi 6.—26. Jan. 1528 romani pontificis defendit claves. Cf. Schumann Allg. d. Bi. V, 647. De colloquio badensi cf. Hefele IX § 990; de bernensi § 991.

[2]) Ipsius forte etiam est egregia disputatio, quam Hugo de Hohenlandenberg episcopus constantiensis († 7. Jan. 1532) obtulit primum magistratui tigurino, dein in utilitatem suarum ovium vulgavit 1524 inscriptam: *Christenlich underrichtung* . . . Die Bildnussen und das Opffer der Mess betrefend, quae interprete G. Theander latine prodiit Ingolstadii 1546. Cf. N. Paulus Katholik 1893. II, 217. Ejus ep. a. 1536 *de necessitate celebrandi concilii* ad Joannem Moronum ep. mutinensem exstat in Le Plat Monumentorum conc. trid. amplissimae coll. II, 554 s. Fuse de eo agit Horawitz Sitzungsber. der k. Akad. der W. in Wien phil.-hist. KL. 1884 CVII, 83-220, et idem in allg. d. Bi. XIV, 435—441.

[1]) Apud Schannat-Hartzheim Conc. Germ. Coloniae 1765. VI, 196 ss.

[2]) Metzner op. infra cit. p. 103: Meister in der Exegese handhabt er die h. Schrift mit bewunderungswürdiger Bravour; klar und präcis stellt er die katholische Glaubens- und Pflichtlehre vor Augen und weiß mit dialektischer Gewandtheit allen Einwürfen siegreich zu begegnen.

homilias et conciones, quibus plurimos ad veram reduxit fidem: ita *quatuor centuriae evangelicae veritatis* (homiliarum) prodierunt Coloniae 1532; Moguntiae 1540 ed. jam 5; germanice 1535; duplex cursus concionum *de b. Maria V.,* 1530; *de missae sacrificio* 1527; *de symbolo* 1529; *de vera christiani hominis institutione;* conciones exegeticae seu enarratio *in Tobiam* Coloniae 1532; *contra anabaptistas* hom. 12 Spirae habitae; quibus adde *conciones* pragenses super eo quod Christus ait: *Omne regnum in se divisum desolabitur,* Coloniae 1538 in f. Interim post splendidum de theologia examen Senis doctor est creatus 9. Jan. 1534 et ad aulam Ferdinandi regis vocatus, ut ipsi esset a concionibus. Joannes Faber episcopus viennensis ipsum sibi in coadjutorem selegit a. 1538, cui etiam a. 1541 in hac sede successit. Jam omni satagebat sollicitudine tristissimam religionis catholicae in sua dioecesi conditionem, in qua ad 300 parochiae pastoribus carebant, restaurare. Interfuit variis per Germaniam de rebus fidei cum adversariis colloquiis; instante concilio Romam accitus est, ut consilia et operam conferret ad parandam materiam pro eodem, quem in finem ex celebrioribus theologis et canonistis collegit *rerum conciliarium ll. 5,* Lipsiae 1538; Praemonitorium Marcello Cervino Cardinali inscriptum *pro christiana religione conservanda* (p. 1543), ed. a Döllinger Beiträge etc. III, 152—166. *Catechismum catholicum* (merito laude dignum) ll. 6 comprehendit, Coloniae 1543 in f.; 1552. Secundum Ferdinandi ut videtur intentionem edidit *Super delendo futurae in Germania synodi loco catacrisis* Viennae 1545, in qua ingentem eruditionem geographicam, topographicam et historicam prodit atque tamquam locum concilio habendo oportunum proponit Ratisbonam vel Coloniam. Interfuit concilio, partemque habuit in discussionibus de eucharistia stetitque pro concedenda communione sub utraque specie. Febre consumptus decessit 6. Febr. 1552 hoc encomio celebratus in concilii actis: „Die sabbati 6. ejusdem mensis Febr. obiit Tridenti Fridericus Nausea ep. vien. orator regis Romanorum in concilio, vir optimae vitae et spectatissimorum morum ac scientiae omnis generis admirabilis: qui multa pro fide catholica contra haereticos hujus temporis scripsit[1]).“ Ejus diarium de concilii actis nondum prodiit. Alia ejusdem opera sunt *de J. Christi et novissima omnium mortuorum resurrectione,* opus eruditum et rarum, Viennae 1551 in 4; *Responsa* una cum eorundem declarationibus et moderaminibus s. sedis ap. ad aliquot inclitae germanicae nationis adversus illam gravamina (Campegii nomine), elaborata, Coloniae 1538 in f.; *Pastoralium inquisitionum elenchi tres,* Viennae 1547; *de clericis in Ecclesia ordinandis* in 5 ll. partitum isagogicon, Viennae 1548 in 8; 1551 in 4; *de antichristo ll. 3,* Viennae 1550 in 4; *de consummatione seculi,* Coloniae 1555 in 8; *Miscellaneorum ll. 2,* quorum prior est

---

Dabei verräth er eine ascetische Durchbildung, welche mit Ehrfurcht erfüllt. Zur Veranschaulichung stehen ihm Beispiele aus der Profan-, Kirchen- und Heiligengeschichte in Fülle zu Gebote. Auf sonstigen rhetorischen Schmuck verzichtet er in der Regel. Cf. Janssen-Pastor VII[12], 488. 582 etc.

[1]) Apud Theiner Zagabriae p. 652. Cf. plura apud Metzner Fr. Nausea aus Weissenfeld, Regensburg 1884, qui diligenter ejus scripta recenset, quorum catalogum ipse Nausea jam ediderat a. 1546; Weber KL. IX, 50—57; Mayer Fr. Nausea von Wien auf dem Konzil von Trient hist. Jahrb. 1887. 8, 1—28., in quibus utitur actis ejusdem Nauseae in conc. tridentino fideliter descriptis hactenus ineditis; Rotermund, Fortsetz. und Ergänz. zu Chr. G. Jöchers allgem. Gelehrtenlex. V, 415; Aschbach op. cit. pag. 322—28: Kawerau Realenc. XIII[3], 669—672; Zeissberg allg. d. Biogr. XXIII, 321—325.

pro horis canonicis, alter pro s. missa apologeticus, adjecta est homilia in commendationem missae, Moguntiae 1527; Coloniae 1531 in 4; *contra catholicae fidei adversarios,* Moguntiae 1524; *Postillae breves* in Evangelia ad eliminandas lutheranas, Lipsiae 1539; germanice 1566. Ex innumeris quas scripsit vel accepit *Epistolas* miscellanearum ll. X prodierunt Basileae 1551 in f.; subnexus est catalogus lucubrationum ejusdem ep. viennensis a. 1546 ab ipso concinnatus, sed non completus. Literas quasdam eum spectantes ed. Seb. Brunner in Studien u. Mittheil. aus dem Ben. u. Cist.-Orden 1883 II, 152—168. Ex ejus op. *Silvae synodales* ll. VIII edidit Wiedemann l. V. et VI. in öst. Vierteljahrschr. für k. Theol. t. IV.

649. Gerardus Lorichius Hadamariae ortus in Nassovia c. 1485 initio quidem abreptus defectione lutherana etsi sacerdos et parochus et ipse defecit atque matrimonium iniit. Visis tristibus defectionis illius fructibus rediit ad Ecclesiam matrem composuitque *institutionem* catholicam fidei orthodoxae et religionis sanae, Hadamarii 1536, non tamen ab erroribus immunem. Neque alii ejusdem libelli sanam sive doctrinam sive Ecclesiae catholicae praxim tuentur, reformatorum tamen usurpationes et innovationes damnat. Cum vidisset diem sacratissimum Parasceves a Lutheranis ludis et commessationibus profanari, ex patrum catholicorum sententiis accurate concinnavit *Monotessaron* passionis Christi J. cum expositione omnigenae orthodoxae doctrinae fecunda, qua tam veritas historica quam religionis sinceritas declaratur, Salingiaci (Solingen) 1538 in 8. Alia ejusdem opera sunt *Vallum religionis catholicae,* Coeln 1540; *Theses professionis catholicae* una cum abusionum, superstitionum, haereseon item et schismaton cuique catholico fugiendorum judicio ad exactam Ecclesiae reformationem pacemque conciliandam, Hadamarii 1541. V. Vicelii *Postillam* super Evangelia et epistolas de tempore et de sanctis latine reddidit, Coloniae 1545. 1553. 1557; dein et *conciones* quadragesimales, Parisiis 1565, ed. jam 4. *Epitome* h. e. compendium sive Breviarium textus et glossematon in omnes veteris instrumenti ll. Coloniae 1546; *Breviarium* . . . in omnes N. T. libros, Coloniae 1546, opus festinatum non magni momenti. Publicae luci dedit *Reformationis abusuum cleri formulam* per Ludovicum cognomento Pium, quam ipse repererat, Coloniae 1549. Ab hoc anno non amplius comparet: hinc circa hoc tempus decessisse videtur. Ejus opera in indicem quondam fuere relata, quamvis postea contra protestantes scripserit: sed haec scripta, ut jam monuimus, naevis non carent: modo tamen eorum prohibitio sublata fuit[1]). — Etiam Joannes Haner, Norimbergensis, initio protestantium innovationes sectatus est, sed resipiscens rediit ad Ecclesiam causamque Ecclesiae defendit praesertim opere plane insigni *Prophetia vetus ac nova* h. e. vera Scripturae interpretatio[2]). *De sincera cognitione Christi* deque recta in illum fide, 600 axiomatibus comprehensa, scriptum pariter egregium, Lipsiae 1534 invito auctore a Cochlaeo editum. Norimberga propterea ejectus Bambergam secessit et concionatoris munere in ecclesia

---

[1]) Cf. N. Paulus Katholik 1894, I, 503-528.

[2]) Cf. Streber KL. V², 1495, qui de hoc opere scribit: Die katholische Lehre von der Rechtfertigung und die daraus sich ergebenden Folgerungen wurden hier auf rein biblischer Grundlage in solch wissenschaftlicher Haltung und zugleich so leidenschaftsloser Ruhe entwickelt, daß die Schrift wohl zum Besten gehört was die Polemik jener Tage hervorbrachte. Witzel schrieb später: ‚Noch heute weide ich mich mit Entzücken an dem evangelischen Geiste, der in deinem Buche von der Prophetie spricht' (ep. k. 3); Räss die Convertiten I, 185—90; Reusch allg. d. Biogr. X, 511.

cathedrali est functus. Edidit theses *de poenitentia* adversus recens editas Wittenbergae disputationes, Lipsiae 1539. Obiisse videtur c. 1544. Quasdam ejusdem ep. habes apud Döllinger Beitr. zur Gesch. der sechs letzten Jahrh.. Wien 1882 III, 105—126. — Berthold Pirstinger Salisburgi n. 1465, episcopus chiemseensis (1508), huic sedi renunciavit a. 1525, atque otio, quo nunc fruebatur, usus est ad componendam *Teutsche Theologey* hortatu Matthaei Lang card. et archiepiscopi salisburgensis, ut illam opponeret protestantium innovationibus. Prodiit Monachii 1528 in f., centum in capita distributa. Est specimen theologiae dogmaticae, in quo rationem habet errorum tunc grassantium, quin tamen polemicum agat: stilus non est pro more aliorum theologorum illius temporis acer, sed nobilis et tanto argumento dignus. Illam latine vertit vulgavitque inscriptam: *Theologia germanica,* in qua continentur articuli de fide, evangelio, virtutibus et sacramentis, quorum materia jam nostra tempestate controverti solet, Augustae 1531; et nostra aetate cura Wolf. Reithmeier cum annotationibus, dictionario et auctoris vita[1]), Monachii 1852. Edidit praeterea *Teutsch Rational* über das Amt h. Mess; *Keligpuchel:* ob der kelig ausserhalb der mess ze raichen sey, Monachii 1535; ipsius quoque esse videtur *Onus Ecclesiae* temporibus hisce deplorandis apocalypseos suis aeque conveniens etc. In eo abusus tunc vigentes in Ecclesia magna cum libertate carpit: hinc non nullum rumorem hic liber excitavit[1]), eoque abusi sunt Ecclesiae hostes, sed immerito. Compilatum fuit a. 1519, typis excusum anno 1531 et s. l. 1620. Obiit auctor 1543. — Hieronymus Gebweiler (Gebwiler n. 1473, † 21. Jun. 1545), laicus quidem, sed insignis magister, rector primum scholae cathedralis, dein Hagenoae, cujus praeter alia[2]) est: *Beschirmung des lobs und eren der hochgelobten hymelischen künigin Maria,* aller Heiligen Gottes, auch der wol angesetzten Ordnungen der christlichen kirchen wider die frevelichen Heiligenschmeher, die da sprechen, Maria sei. nit ein Mutter Gottes, Maria sey ein fraw wie ein ander fraw und hab nicht für unsz arme sünder zu bitten, Argentorati 1523 in 4. — Matthias Kretz (Kraetz) n. in Hannstetten prope Augustam c. a. 1480 studiis operam dedit Viennae,

[1]) Windischmann in praef. ad hanc ed. inter alia scribit: Bertholds deutsche Theologie ist für unsere Zeit von bedeutendem Werte sowohl in sprachlicher als noch vielmehr in theologischer Beziehung. In ersterer Beziehung wird durch dieselbe die vorgefaßte Meinung widerlegt, Luther habe zuerst das Wort Gottes in wahrhaft deutsches Gewand gekleidet und zuerst in geistlichen Dingen kräftig deutsch gesprochen. In theologischer Beziehung aber ist B. ein merkwürdiger und authentischer Berichterstatter, darüber was im katholischen Deutschland vor dem Tridentinum gelehrt und gepredigt wurde, indem er oft bis ins Einzelne das katholische Dogma so darstellt, wie es später vom tridentinischen Kirchenrat formuliert worden ist. Cf. Mattes-Punkes KL. II, 472 ss. Ab hoc distingue aliud opus anonymum, asceticum, quod primum edidit Lutherus ex parte Wittenbergae 1516, deinde integrum 1518 sub inscriptione *Eyn Deutsch Theologia,* quae tamen libri argumento non congruit, cum sit quaedam ad perfectionem introductio. Exinde saepe fuit edita et in varias translata linguas. Optimam et emendatam editionem curavit F. Pfeiffer Stuttgart 1851; Gütersloh 1875 ed. 3. Inepte auctor praecursoribus reformationis accensetur; nonnullis quaedam ejusdem propositiones pantheismum olere videntur. Versio latina a Castalione sub nomine Jo. Theopholi adornata, Amstelodami 1558 et Lugduni 1580 (Theologia mystica) olim fuit prohibita. Cf. Mattes KL. XI², 1571—1574.

[1]) Cf. Rohr hist. Jahrb. XIX (1898), 52—55; H. Werner Die Flugschrift Onus Ecclesiae, Giessen 1901.

[2]) Cf. Schmidt Hist. littér. d'Alsace II, 159—73 et 407-12, ubi 20 ejusdem scripta recenset; inter quae aliquot patrum opuscula.

dein Tubingae, ubi et magistri gradum in literis humanioribus est consecutus et etiam aliquamdiu exercuit[1]). Altenstaig, suum quondam magistrum secutus est in magisterio in monasterio pollingano 1512—16. Postea theologiae studuit et a Jo. Eckio doctor creatus est a. 1519. Cum Aventinus instituisset sodalitatem literariam angelostadiensem, ipse mox electus est in ejus praesidem. Factus est regens Georgiani seminarii: sed mox eum reperimus concionatorem Eichstadii, et jam 1521 Augustae: ubi novatores rebelles nullum non moverunt lapidem, ut eum cathedra moverent adhibitis etiam inconditis in ecclesia clamoribus. Eam tamen tenuit ad 1531 strenue propugnans in suis concionibus fidei catholicae dogmata. A Guilelmo Bavariae duce Monachium fuit accitus ecclesiae principis decanus et concionator (1533). Fructum suarum concionum exhibuit in l. Brevis et plana *elucidatio sacratissimae missae,* s. l. 1535. In comitiis augustanis unus fuit illorum theologorum, quibus munus impositum est refutandi confessionem augustanam et etiam ad colloquium wormatiense (1540) missus fuit († 1543). — Leonardus Marstaller[2]) Norimbergensis n. 1488, professor ingolstadiensis (1519; † 1546) statuit centum conclusiones *de vera libertate christiana,* 1524; duae qq. *de sacrificio missae,* Ingolstadii 1543 etc.

650. Laboriosissimus[3]) forte post Eckium fidei catholicae apologeta fuit Joannes Dobneck, Cochlaeus dictus a loco patrio Wendelstein in Franconia, ubi natus est 10. Jan. 1479. Literis atque mathesi primum operam dedit Norimbergae et Coloniae, postmodum philosophiae et theologiae. Magister creatus rectorem scholae latinae egit Norimbergae et in scholarium commodum plures concinnavit libros manuales valde utiles, qui admodum vulgati fuere. In Italiam profectus doctoratum promeruit Ferrariae (1517); redux in Germaniam factus est decanus ad s. Mariam Francofurti. Genuinae reformationis desiderio Lutheri conatus initio quidem non reprobasse videtur, mox tamen illorum periculo et veneno perspecto non defuit partibus suis, sed arrepto doctrinae gladio adversus Lutherum ejusque innovationes intrepide surrexit. Rusticorum seditione coactus est Francofordia secedere et Coloniam confugere, ubi Eckium reperit atque scribendis libris incubuit. Interim factus est canonicus moguntinus (1526) et post Hier. Emser mortem (1529) Georgio Saxoniae duci fuit a secretis. In comitiis augustanis (1530) unus ex praecipuis theologis fuit in confutatione confessionis augustanae, contra cujus auctorem Phil. Melanchton vulgavit Lipsiae 1734 l. Carolo V. inscriptum[1]), cui titulus: *Philippicae* (4). Defuncto Saxoniae duce Georgio (1539), cum hujus frater Henricus innovationi patrocinaretur, Wratislaviam confugit: inde a Mauritio de Hutten episcopo eichstettensi accitus est, ut sibi esset a consilio, et canonicatu donatus. *Consilium* ejus super 28 art. augustensibus regi Romanorum exhibitum, habes apud Raynaldum ad a. 1540 n. 49, et Le Plat II, 657—70. Interfuit colloquio ratisbonensi a. 1546; ut vero opera a Conr. Braun (de quo infra) relicta typis dare posset, resignavit canonicatum et Moguntiam secessit, demum Wratislaviam, ubi 10. Jan. 1552 decessit. Innumera reliquit scripta (c. 202),

[1]) Cf. de eo accuratam biographiam in hist.-pol. Blättern 1894. II, 1-19; Streber KL. VII, 1053.

[2]) Cf. N. Paulus Katholik 1892. I, 555.

[3]) Spahn op. infra citando numerat 202 libros vel libellos quos edidit; annis 1528—1536 eorum 76 vulgavit. Cf. Katholik 1898 I, 453—69. De pluribus horum op. cf. Dupin XIV, 185—194.

[1]) Cf. Laemmer die vortrid. kath. Theol. introd. n. 24. 25. 29.

in quibus non tam dogmata catholica ex revelationis fontibus probare nititur, quam adversariorum errores impugnare stilo acri et sarcastico[1]). Nullis parcens sacrificiis, laboribus, curis pugnavit contra omnes fere protestantium coryphaeos, Lutherum, Melanchton, Zwingli, Calvinum, Bucer, C. Cordatum, Musculum, Osiander, Bullinger etc. Potiora opera forte sunt: *de gratia sacramentorum* ... adversus assertionem M. Lutheri, 1522, cui cum occurrisset Lutherus, opposuit noster Adversus cucullatum Minotaurum wittembergensem *de sacramentorum gratia* iterum; *de auctoritate Ecclesiae et Scripturae;* Epistolae augustales antiquae *de rebus fidei* generalibusque conciliis, 1526; *Lutherus septiceps* ubique sibi contrarius, Lipsiae 1528 latine et germanice; *de actis et scriptis Lutheri* ab a. 1517-1546 per modum diarii; *historiae Husitarum ll. XII*, Moguntiae 1549, opus pretiosum pro historia illius haeresis ob documenta, quae nunc non amplius exstant[2]); *XXI articuli anabaptistarum monasteriensium* adjuncta ostensione originis, ex qua defluxerunt, Antverpiae 1535 in 12; *Ob Sanct Peter zu Rom sei gewesen,* 1524 l. rarus; *Speculum antiquae devotionis* circa missam et omnem alium cultum Dei, Moguntiae 1549, quod composuit, ut catholicis ostenderet, quam leves instabilesque et degeneres sint illi, qui fidem Ecclesiae antiquam tam leviter quolibet novae doctrinae vento agitati deserunt. Exhibet vero in eo Amalarii l. de officio missae (scil. l. 3. de officiis ecclesiasticis); Walafr. Strabonis de rebus eccles.; s. Basilii liturgiam (imperfecte); vetustam expositionem missae; P. Damiani tr. de Dominus vobiscum; gemmam animae (scil. l. 1. cc. 72); Micrologum de observatione eccl.; Petri cluniacensis nucleum de sacrificio missae; vitam s. Bonifacii[1]).

651. Praetermissis aliis, quorum minor celebritas, nominasse saltem obiter sufficiet Joannem Bossinger juris doctorem Norimbergae (fl. 1549), qui ad Lutheranos defecerat, sed poenitens ad Ecclesiam rediit[2]) — Georgium Agricolam, qui versatus erat in philosophia, philologia, historia, medicina, disciplinisque naturalibus et praesertim inclaruit opere de re metallica ll. 12, Basileae 1556, atque initio Luthero in indulgentias declamanti gratulatus erat, sed cognita ex pessimis fructibus rebellionis illius malitia[3]) fortiter stetit medius inter sectarios pro fide catholica († 21. Nov. 1555) — Matthiam Cramer (Cremerius)

[1]) Ipse exhibet *Catalogum* eorum, quae contra novas sectas scripsit, Moguntiae 1548. Cf. Spahn Joh. Cochlaeus, Berlin 1898; Urbanus de Weldige-Cremer de Jo. Cochlaei vita et scriptis, Monasterii 1865; Otto J. Cochläus der Humanist, Breslau 1874; Seidl KL. III², 571; Falk Katholik 1889. I, 314-22, a quo dicitur: Der schlagfertigste, fleißigste, opferwilligste und wuchtigste Gegner Luthers; et idem ib. 1891. I, 452; Janssen VII¹², 296 ss.; 468 ss. Ipsius quoque est *Ein heimlich gesprech* von der Tragedia Jo. Hussen tzwischen D. M. Luther und seinen guten Freunden auf die weiss einer Comedien, s. l. 1538., quod alioquin tribuebatur Simoni Lemnio, qua de re cf. N. Paulus Katholik 1895. I, 571—74.

[2]) „Dignus omni laude, inquit Balbinus Boh. doctae II, 85, etsi ut erant tempora, barbariem latinitati permiscuerit et inquinatius aliquando scripserit."

[1]) Cf. Thalhofer Handb. der kath. Liturgik I², 104.

[2]) Cf. Streber KL. II, 1130.

[3]) Cf. Schlösser KL. 1², 356; Janssen-Pastor VII¹², 319—28, qui ejus merita in mineralogiam aliasque disciplinas plurimum extollit. — Alius ab eo est Stephanus Agricola, filius St. Agricolae (Castenpaur) quondam O. S. Aug., qui ad Lutheranos defecit († 1547). Ipse quoque adhaesit reformationis coryphaeis, sed iis postmodum factus est infensus, quod cum Major tueretur bonorum operum necessitatem. Demum rediit ad Ecclesiam cum uxore et filiis († 1562). Cf. KL. I 362.

aquisgranensem in universitate coloniensi decanum facultatis artium, theologiae doctorem et 1537 rectorem universitatis, gymnasii montani regentem († 1557), qui stilo ubique docto, erudito et in primis latino impugnavit[1]) Lutheri et Buceri errores, praesertim in christiana ac pia *de catholicae fidei regula* assertione cum dilucida perniciosorum praecipue hujus calamitosissimi seculi dogmatum confutatione, Coloniae 1556, quam jam antea germanice ediderat, ib. 1543 — Casparum Querhamer, qui quamvis laicus et iteratis vicibus hallensis syndicus et aliquamdiu in Lutherum propensus, ejus superbia offensus strenue pro re catholica stetit († 19. Mart. 1557) pluresque libellos utiles vulgavit ut *Eyne und under andern, die achte Ursache*, so Casparn Querhamer, eynen Leyen und Burger zu Halle bewogen, das ihm Luters lere nicht mehr durchaus wie Erstlich gefallenn, Lipsiae s. a. (1533). Epistolam quandam ipsius Cochlaeus latine vertit inscriptam: *Tabulam contradictionum Lutheri,* Dresden 1535 in 4 etc.: hinc et pro fide catholica contumelias est passus[2]). — Paulum Hirschbeck doctorem ingolstadiensem (1541) et concionatorem ratisbonensem[3]). — Henricum Loriti seu Glareanum, natum in oppido Mollis pagi Glarus, celebrem philologum, geographum, musicum et poetam a Maximiliano laurea donatum, condiscipulum Zwinglii et Vadiani, qui initio quidem magno ardore adhaesit protestantium innovationibus reformationis amore, sed videns horridam inductam deformationem ad meliora rediit sensa († 1563), ediditque praeter alia cum M. Rota *Boethii opera*[1]), Basileae 1546 — Joannem Gaudentium Anhuser s. theologiae in academia viennensi professorem, virum magni zeli († 1541 vel 1542), cujus librum fidelissimus ejus amicus Jo. Hoffmeister[2]) edidit inscriptum: Theses *de ss. missae sacrificio* perspicuae, quibus totius rei summa necnon sacrificiorum discrimina compendio continentur, Colmariae 1543.

652. Accuratiorem mentionem meret Michael Helding cognominatus Sidonius, insignis plane concionator. Natus est in oppido Sueviae Langenenslingen a. 1506 parentibus quidem pauperibus, sed conditionis honestae. Tubingae studiis operam dedit (1525) et magister artium creatus (1528) discessit venitque Moguntiam ad ludos literarum aperiendos. Scholae cathedralis factus est a. 1531 magister, defunctaque uxore ordinatus sacerdos, mox institutus ecclesiae cathedralis parochus (1533). Concionandi munere, quo magna diligentia et auditorum fructu functus est, ita emicuit, ut Albertus card. eum voluerit habere episcopum auxiliarem jam 1537. Dictus est episcopus Sidoniae, hinc ipse cognominatus Sidonius. Concionibus (127) exposuit *Proverbia Salomonis,* quae prodierunt demum Moguntiae 1571; aliis 84 exposuit veritates praecipuas fidei catholicae, quae sub titulo *Catechismus* prodierunt ib. 1551; 1553; 1557; 1561; 1570; 1585; latine factae a T. Bredenbach, Coloniae 1562; Lovanii 1567; 1577; Antverpiae 1593. Cum Julio Pflug unus e primis in Germania exercitiis spiritualibus excolendum se tradidit b. Petro Faber (1542). Ob eminentem pietatem et doctrinam ab

---

[1]) Cf. Harzheim p. 241; Streber KL. III², 1173.

[2]) Cf. ejus biographiam insignem a N. Paulus conscriptam in hist.-pol. Bl. 1893. II, 22—38.

[3]) Cf. Kobolt Baierisches Gelehrtenlex. Landshut 1795 p. 330. Ejus frater Joannes Chrysostomus OSB. abbas Scheyerensis († 1558) scripsit *contra abusum Scripturae divinae axiomata,* 1557 s. l. Cf. Paulus Katholik 1892. I, 553.

[1]) Schroedl KL. V. 610 ss.

[2]) Cf. N. Paulus der Augustinermönch Jo. Hoffmeister, Freiburg 1891 c. 4 p. 102.

universitate moguntina doctoris laurea fuit insignitus. Interfuit colloquio wormatiensi (1540) et nomine archiepiscopi sui concilio tridentino, solus ex Germaniae episcopis (1545): mox tamen ab ejus successore revocatus est, relicta epistola memoriali ad legatos praesides, qua reformationis seriae aperit necessitatem et urget[1]). Ab imperatore vocatus est ad imperii comitia Ratisbonae, dein Augustae 1547 habita, nec sine ejus (et Julii Pflug) consilio[2]) prodiit famosum edictum ‚Interim'. Dum Augustae degeret hortante card. Ottone conciones habuit in 1. ep. Joan., quae prodierunt Moguntiae 1566 in 4., in quibus etiam tractat doctrinae catholicae capita a novatoribus in controversiam vocata. Earum aliquot scil. de fide et bonis operibus, de invocatione SS. deque suffragiis pro fidelium defunctorum animabus ob suam praestantiam jam tunc vulgavit Jo. Fabri Dilingae 1551. Non minoris praestantiae fuere[3]) *Von der h. Messe* Fünfzehn Predigen, Ingolstadii 1548 editae hortante rege Ferdinando, qui illis interfuerat, ibid. additis 2 aliis hom. 1549; 1557; 1563; latine versae a Surio Coloniae 1549; 1562; Antverpiae 1593; nostra aetate Ratisbonae 1884 curante Hasak. Cum essent adeo solidae et pro tuenda catholica de missae sacrificio doctrina utiles, commoverunt vel protestantes, quorum plures calamum in eas strinxerunt. *Sacri canonis missae paraphrastica explicatio* cum declaratione caeremoniarum, Augustae V. s. a. (1548) Parisiis 1550; Antverpiae 1595. Visitavit ex archiepiscopi mandato parochias et monasteria dioeceseos magnamque partem habuit in conc. provinciali. Composuit praeterea fusiorem institutionem ad pietatem christianam secundum doctrinam catholicam seu *catechismum* additum constitutionibus conc. provincialis moguntini 1546, et brevem *institutionem,* Moguntiae 1549, saepius editam, germanice redditam a Jo. Chrysostomo[1]) abbate OSB. († 1561), quam Fl. Illyricus pro more injuriis viro literato indignis aggressus est, quare Helding defensionem ed. catechismi minoris Moguntiae 1552 adjecit. Prodiit cur. Moufang ib. 1881 inter Kath. Katechismen des 16. Jahrh. Ob sua merita a Carolo V., qui ejus consilium haud raro expetebat, praesentatus est pro episcopatu merseburgensi, cujus tristissima erat conditio, hinc a capitulo in episcopum electus 28. Maj. 1549. Munus difficillimum sollicitudine vere pastorali est aggressus atque in primis nisus est sano doctrinae pabulo oves sibi commissas pascere, quem in finem concionibus exposuit *Jonam* prophetam, Moguntiae 1558; sed parum profecit ob innovationes, quae jam nimis dioecesim illam invaserant, morumque corruptionem. Adfuit colloquio wormatiensi cum b. Canisio, qui in suo

---

[1]) Eam exhibet Druffel in Monum. trident. Monachii 1884 pag. 353.

[2]) Cf. Pastor Reunionsbestrebungen unter Karl V, Friburgi 1879 p. 360 ss. Ejus consilia nimio concordiae studio in articulis fidei de justificatione et missae sacrificio doctrinae catholicae puritatem temerarunt et ad protestantium errores accedunt.

[3]) Diese Predigten, die gleichmäßig durch ihren gediegenen Inhalt, wie durch eine edle volksthümliche Darstellung sich auszeichnen, gehören wohl zu dem Besten, was im 16. Jahrh. über das h. Meßopfer geschrieben worden. Ita N. Paulus Katholik 1894. II, 421, ubi accuratam biographiam nostri auctoris exhibet. Ejus orthodoxiam et morum integritatem ibid. p. 498 ss. tuetur contra adversariorum calumnias. En quale testimonium ei reddidit celeber card. augustanus Otto audita ejus morte in ep. ad Wicelium 17. Jan. 1562: „Grave omnino vulnus acceptum est in morte mersburgensium episcopi. Quid enim illo religiosius? quid sanctius? ut maximum paene suum ornamentum amiserit Germania nostra, illo sublato." Pogiani epist. III, 10. Cf. et Kawerau Realenc. VII, 610—613.

[1]) Ejus elogium lege apud Falk Bibelstudien in Mainz 1901 p. 110.

testamento praeclarum ei testimonium de zelo fidei catholicae tuendae reddit[1]). Novis honoribus eum cumulavit imperator, nam eum constituit a. 1558 praesidem imperialis camerae Spirae (1558), »quod judicium caes. majestatis in eligendo tali praesidente (catholici) satis laudare non possunt« teste Hosio ep. ad ipsum 19. Jan. 1561; et a. 1561 praesidem consilii imperialis Viennae: verum eodem a. in itinere ad conc. tridentinum obiit 30. Sept. 1561. Post ejus mortem prodierunt *conciones* in evangelia dominicarum et festorum Merseburgi habitae, Moguntiae 1565 pp. 4; 1568 pluribus concionibus aucta ed.; 1574; 1582 in 8.

653. Alius speciali mentione dignus est Joannes[2]) Gropper (Groepper) Susati (Soest) n. 24. Febr. 1503. Philosophica studia absolvit in gymnasio montano coloniensi, cujus postea munificus Maecenas fuit fundo dato, e quo salaria praeberentur duabus sacris lectionibus habendis in eo gymnasio. Doctrinae praestantia meruit doctoris juris civilis lauream (1525) et plura beneficia ecclesiastica, fuit enim praepositus xantensis et officialis, praepositus susatensis, canonicus coloniensis et scholasticus s. Gereonis. Theologiae vacavit privatim, sine magistro. Magna auctoritate fruebatur apud archiepiscopum Hermannum, quem in regenda et administranda dioecesi plurimum juvabat. Ejus praesertim opera concinnata fuit *Jurisdictionis ecclesiasticae* archiepiscopalis curiae coloniensis *reformatio*, adjectis aliquot tum veteribus jam restitutis et repurgatis, tum novis statutis et ordinationibus, omnibus jurisdictione spirituali uti volentibus apprime utilibus et necessariis, Coloniae 1529. Primo quidem in mitiorem inclinabat partem et inter eos, qui indulgentia potius reducere protestantes, quam eos confutare satagebant, est numerandus. Magna ex parte ei debentur decreta concilii provincialis coloniensis a. 1536, quod ei curam commisit componendi enchiridii, quod esset commentarii instar illorum decretorum. (Cf. de hoc concilio Hefele-Hergenroether IX, § 1031). Prodiit illud inscriptum *Institutio compendiaria doctrinae christianae* post canones conc. coloniensis, Coloniae 1538; postea sub titulo *Enchiridion*, Veronae 1541; Parisiis 1548; 1550. Arrisit illud pluribus etiam cardinalibus: a Clemente VIII. tamen relatum fuit in indicem ll. prohibitorum, quod duplicem statuens causam formalem justificationis, justitiam scil. inhaerentem et justitiam imputatam, ad Lutheri errorem accederet[1]): nunc vero ex illo est de-

[1]) Apud N. Paulus l. c. p. 490 annot., qui p. 495 s. eum confert cum Joanne Wild (de quo infra) concionatore pariter insigni ejusque amico, atque ita censet: Helding und Wild gehören unstreitig zu den besten deutschen Kanzelrednern des 16. Jahrh. Ihre Predigten zeichnen sich aus durch einen lichtvollen überzeugenden Vortrag und eine sehr fließende ebenso edle als einfache Ausdrucksweise. Beide Prediger bekunden eine wahre Meisterschaft in Handhabung der deutschen Sprache. In letzterer Hinsicht gehört den beiden Schwaben eine Ehrenstelle in der deutschen Literaturgeschichte, wie schon im 16. Jahrhundert bemerkt worden ist," scil. a Cornelio Loos in Illustrium Germaniae Scriptorum catalogo, Moguntiae 1581. Cf. etiam Hundhausen KL. VIII, 1493—98, qui copiosam de eo literaturam exhibet, conciones plurimum laudat, sed et notat: Heldings mehrfache theologische Mißgriffe finden in den wirren und schwierigen Zeitverhältnissen, in welchen er lebte und wirkte, ihre Erklärung und bis zu einem gewissen Grade ihre Entschuldigung. Propter difficultatem temporum ad nimiam propendebat indulgentiam.

[2]) Alius ab eo est Caspar Gropper, de quo disseremus t. seq.

[1]) Janssen-Pastor VII[12], 481: Es kann keinem Zweifel unterliegen, daß die Dogmatik Groppers's, im Allgemeinen katholisch gehalten, doch nicht frei von theologischen Irrthümern ist. Was sie besonders bedeutsam macht, ist die eigenthümlich vermittelnde, der protestantischen Auffassung in mehreren Punkten sehr nahe kommende Rechtfertigungslehre, welche hier vorgetragen wird. Gropper

letum. Postquam conc. tridentinum doctrina catholica clare exposita *unicam* statuit justificationis causam formalem, Gropperus sincere se subjecit illius definitioni. Ejus cum Bucero colloquia, etsi esset admodum indulgens et conciliationis amore et studio connivens, fructu caruerunt, Eckio in primis tuente causam catholicam. Interim archiepiscopus in Lutheranorum innovationem propendebat, Bucerum Bonnam evocavit, eique cum Melanchton negotium commisit elaborandi schema immutandi regiminis dioecesani. Verum periclitanti dioecesi adfuit Gropper scriptoque plane egregio aperuit consilia perfida in *Antidigmate* seu christianae et catholicae religionis propugnatione, Coloniae 1544, etiam germanice, omniaque deinde egit, ut Hermannus sede moveretur, quod demum a. 1546 factum est. In meritorum praemium donatus fuit a pontifice archidiaconatu et praepositura bonnensi. Cura vere pastorali sollicitus fuit de pascendis ovibus sibi commissis. Parochos idoneos selegit, hinc condidit *Formulam examinandi* designatos seu praesentatos ad ecclesias parochiales, Coloniae 1550; *Manuale* pro administratione sacramentorum et institutione populi in eorum usu, duplicem catechismum [1]); pro instituenda juventute vocavit jesuitas Bonnam, omnibusque ipse praeluxit integritate vitae, beneficentia in pauperes, virtutum splendore. Quare Surius eum „Patrem patriae“ salutat. Archiepiscopum Tridentum comitatus est a. 1551, ibique orationem habuit *de appellationum abusu* (Coloniae 1552). Cum ejus fama magis semper inclaresceret, Paulus IV. nihil cogitantem cardinalem creavit 20. Jan. 1556: nullis vero consiliis vel precibus, nulla instantia virorum gravium, imo et pontificis induci potuit ad tantam amplectendam dignitatem: necessitatibus tamen dioecesis excitus Romam se contulit, ubi 8. Mart. 1559 a. aetatis 57 obiit. Pontifex ipse orationem funebrem eloquentem et honorificam habuit, in qua non semel interposuit: „Nequaquam D. Gropperum amisimus, sed ad Deum praemisimus [1]).“ Praeter opera

---

trat durch die Aufstellung dieser Lehre in die Reihe jener Männer der Mitte, welche durch theilweises Nachgeben eine Wiedervereinigung der Protestirenden mit der Kirche erhofften und erstrebten. Ceterum de ipso ibid. dicit: Die Zeitgenossen rühmen ohne Ausnahme die herrlichen Tugenden und das tiefe Wissen dieses Mannes, der seine ganze Kraft daran setzte, die Sturmfluth der neuen Lehre einzudämmen, der wesentlich Antheil daran hatte, daß Köln seinen Ehrentitel „getreue Tochter der römischen Kirche“ bewahrte.

[1]) Katechismus minor prodiit auctus germanice *Hauptartikell Christlicher underrichtung zur gottseligkeit*, Coloniae 1547; major inscribitur: *Institutio* catholica elementa christianae pietatis succincta brevitate complectens, cui subjungitur *Isagoge* ad pleniorem cognitionem universae religionis catholicae omnibus ad ss. ordines et ecclesiastica ministeria provectis et provehendis apprime necessaria, Coloniae 1550, l. eruditus insigni praefatione praestructa, qua et haereticorum fraudes et vigilantiam catholicorum et modum evellendae haereseos ostendit.

[1]) Cf. de ipso J. J. Liessen J. Groppers Leben und Wirken; Brieger in Ersch und Gruber Encyclop. sect. 1 t. 92 s. v.; Streber KL. V², 1289; W. van Gulik der Scholastiker J. Gr. und s. Thätigkeit im Fürstentum Köln bis zum J. 1540. Münster 1902; Ennen d. Bio. IX, 734—780. Pretiosa documenta ad ejus vitam illustrandam exhibet Schwarz hist. Jahrb. 1886. VII, 392-423; 598-608, inter quae et ejus literas, quibus rationes proponit, quare cardinalis honorem recuset, et apologiam, quam moriens composuit, ut se tueretur adversus exceptiones Zachariae Delfini ep. pharensis, qui ipsi prop. 13 ex institutione catholica seu Catechismo majori excerptas tamquam malesanas objecit. Duplici praesertim exceptioni respondet quod scil. Jacobo tribuerit praesidium in conc. hierosolymitano et decretorum promulgationem contra Petri primatum, et de duplici justificationis causa formali. Alias quasdam ep. ejusdem ibid. reperies XVIII, (1897), 821 ss.

jam laudata composuit opus admodum eruditum ex patrum scriptis *Von warer, Wesentlicher und pleibender Gegenwertigkeit des Leybs und Bluts Christi* nach beschener Consecration, Coloniae 1548; 1556; latine versum a Surio, 1560; tr. luculentum *de disciplina Ecclesiae catholicae*, unde eruta est *Praxis poenitentialis* primitivae Ecclesiae per J. Bonam et J. Gropperum, Gandavi 1683: quae in l. ex Groppero sumpta sunt, ea cum libri praefatione Sala recudit in app. ad t. 1. opp. card. Bonae p. 477 ss.

654. Catalogo bene longo quosdam adhuc addemus, quorum pauca supersunt vestigia vel minores fuerunt partes in hac pugna acerrima. Valentinus Hartung alias Frid, hinc latine Paceus dictus, pastor quondam erat lutheranus Querfurti, Lützen, denique Lipsiae, ubi et professorem egit. Accuratiori studio veritatem coepit agnoscere atque ad Ecclesiam catholicam rediit. Cathedram obtinuit in academia dilingana. Edidit primus *b. . . . Ignatii . . .* archiepiscopi . . . Antiochiae *opuscula*, quae quidem extant omnia idque certe in originali, qua ab ipso primo perscripta sunt lingua graeca, Dilingae 1557. ed. rarissima. In praefatione erroribus lutheranismi fortiter renunciat[1]). Tristi fato per errorem scil. occisus a milite periit in itinere a. 1558. — Joannes Horak de Hasenberg praepositus litomiricensis († 1550), et ab a. 1543 institutor filiorum Ferdinandi regis[2]). — Joannes de Maltiz[1]) episcopus misniensis († 1549), cujus catechismus plurimum laudatur. — Nicolaus Apel (Appel) n. c. 1482, Reuchlini in lingua hebraica discipulus, doctor et professor (cum Eckio) s. Scripturae Ingolstadii, postea concionator moosburgensis († 1545), qui in causa contra M. Arsatium Seehofer ob ejus perversas opiniones mota et in solemni disputatione propterea instituta partem habuit. Interfuit etiam cum Eckio et Marstaller colloquio wormatiensi[2]). — Nicolaus Buchner OSB. in monasterio zwiefaltensi abbas[3]). — Franciscus Polygranus O. Min. ferventissimus verbi Dei praeco contra omnes fidei hostes, qui Germaniam infestabant, reliquit *in ep. Pauli* l. unum, Coloniae 1580. Ejus *assertiones* quorundam Ecclesiae dogmatum cum ab aliis tum a lutherana factione denuo in dubium revocatorum, ib. 1571 fuerunt quondam in Indice, donec corrigerentur. *Postillas* ejus in Evangelia . . . per singulos Dominicos dies P. I. et II. edidit Coloniae 1557 ejus sodalis Henricus Helmesius; sicut et P. III. in Evangelia prout per singulas a. totius Sanctorum ferias distributa sunt, ib. 1560; P. IV. Postillas Epistolarum omnium, quae dominicis diebus recitari solent, ib. 1562; germanice interprete C. Gennep ib. 1564. Obiisse dicitur a Gaudentio c. a. 1560. — Matthias Aquensis sive Aquisgranensis, gymnasii montani Coloniae professor[4]) *assertionem* edidit *religionis catholicae* contra Lutherum, Coloniae 1542, et contra Bucerum, ib. 1556. — Tiedemann Bartholomaeus Giese Dantiscus n. 1. Junii 1480, amicus familiaris et

[1]) Cf. eam germanice redditam apud Raess die Konvertiten I, 414—420.

[2]) Cf. Falk Katholik 1891. I, 457; Balbinus Boh. doctae II, 146. Adversus Lutheri nuptias salsissima epigrammata, ut et invectivam dehortatoriamque epistolam ad Catharinam dedit. Utrisque respondit Lutherus. Prodiit Lipsiae 1530 rarissimus ejus libellus: *Ludus ludentem luderum ludens*, quo Jo. Hasenberg bohemus in bacchanalibus Lipsiae omnes ludificantem ludionem omnibus ludendum exhibuit. Cf. Luksch KL. VII, 1706.

[1]) Cf. Falk ib. p. 458; Moufang Kath. Katechismen p. 135 et passim.

[2]) Cf. Floss KL. I, 1001.

[3]) Cf. N. Paulus Katholik 1892. I, 548, qui meminit et Joannis Casparis Rutland, cujus *loci communes theologici*, qui hodie in controversiam agitantur, Dilingae 1559 prodierunt.

[4]) Cf. Foppens II, 870.

fautor celebris Nicolai Copernici, episcopus culmensis (1538), dein (1548) warmiensis († 23. Oct. 1550), scripsit egregium *Antilogikon flosculorum lutheranorum*[1]), Cracoviae 1524, quibus occurrit thesibus Joannis Briesmann franciscani apostatae opinionibus lutheranis infectis. Libellum rarissimum recudit Hipler in Spicilegio Copernicano. — Petrus Hafner parochus (1557) Pfoeringae in Bavaria superiori. — Jacobus Horst canonicus ecclesiae ad s. Gereonem Coloniae non confundendus cum Jac. Merlo Horstio, de quo cf. Nomencl. I², 458, scripsit *catholicae communionis defensionem* adversus ep. Hamelmanni, Coloniae 1563, l. rarus, in quo satis singularia refert de modo, quo inducta fuerit Dortmundam innovatio lutherana[2]). — Dominicus Limpricius, qui floruit c. 1560 Olomucii. — Henricus Muelich Bavarus, concionator aulicus Viennae et designatus episcopus neostadiensis (Wiener-Neustadt 1548), qui tamen videtur mox decessisse. — Gerardus Roeteken ecclesiastes paderbornensis habuit in synodo Paderbornae celebrato orationem eruditissimam ex omnibus tum V. tum N. instrumenti Scripturis contextam, *de usu caeremoniarum* in Ecclesia, earum depravatione et quomodo ecclesiastica disciplina instaurari possit, Coloniae 1561; 1562 in 12. — Emmeranus Schweller Bavarus, capellanus Ferdinandi Caesaris, a quo designatus est (1549) parochus tirolensis prope Meranum, qui et plura Chlichtovei scripta germanice reddidit etc.

655. His ex clero seculari vel ex ipso laicorum ordine adjungi jam debet illustris virorum doctorum phalanx ex tot familiis religiosis, inter quos eminent sodales ordinum praedicatorum et Minorum. Et quidem ex *ordine Praedicatorum* inclaruit Joannes Mensing Magdeburgensis. In academia wittembergensi fuit „publice licentiatus vices decanatus gerente D. Andrea Carolostatensi a. 1517;“ inde transiit ad academiam francofordiensem, atque demum consecutus est lauream theologicam. Magdeburgi concionatorem egit a. 1522, sed praevalente defectione a fide avita coactus est loco cedere, hinc Dessaviam transiit munere fungens concionatoris aulici ibique strenue laboravit pro conservanda fide catholica pluresque edidit contra Lutherum libellos ad asserendam sacrificii praerogativam celebrationi eucharistiae, ut in ll. *Von dem Testament Christi* unseres Herren und Seligmachers, s. l. 1526 in 4; *Von dem opffer Christi yn der Messe,* s. l. 1526; cum iteratis replicis adversus Jo. Fritzhans quondam O. Min. et Eberh. Weidensee quondam praepositum halberstadtensem, s. l. 1526; *de Ecclesiae Christi sacerdotio ll. 2,* s. l. (Coloniae) 1532 ed. secunda recognita et aucta: Coloniae 1681. Alia ejusdem opera sunt: *Grundtliche unterrichte:* Was eyn frommer Christen von der h. Kirchen von der Vetern lere und h. schrift halten sol, aus götlichen Schrifften gezogen und beschweret, s. l. 1528 in 4; *Bescheidt* ob der Glaube alleyn on alle gute werke dem menschen genug sey zur seligkeyt, adv. Nic. Amsdorf, Lipsiae 1528 in 4, cum *responso* ad hujus acres invectivas. Post aliquot annos Francofurtum accitus est (1529) concionator et professor in ejusdem academia. Aliis iterum libris propugnavit fidem catholicam, ita in l. adversus Lutherum: *Von der Concomitantien* und ob J. Christus . . . ym Sacrament seyns waren heyligen leibs und bluts volkommen sey, s. l. et a. (Francofurti

[1]) Cf. Hipler Allg. d. Biogr. IX, 151-55, ubi de eo dicit: Das geistvolle Büchlein, eine bibliographische Rarität ersten Ranges . . . darf jedenfalls das Verdienst beanspruchen, unter allen gleichzeitigen Apologien des katholischen Dogma's, wenn nicht zuerst, so doch am entschiedensten und gründlichsten den Kernpunkt der lutherischen Rechtfertigungslehre erkannt und hervorgehoben zu haben.

[2]) Cf. de hoc et sequentibus N. Paulus Katholik 1893. II, 216.

1529) in 4; *Vormeldunge der unwahrheit Lutherscher clage*, die zu eyner beschönunge yres Ungehorsams: yre gewissen, Evangelium und Gottes wort . . . furwenden, mit antzeygunge, wie die weltliche Oberkeit yn sachen die religion belangen, eyn aufsehn haben soll, Francofurti 1532. Adversus confessionis augustanae apologiam a Melanchtone editam, qui theologos (inter quos fuerat et Mensing) ejus impugnatores gravissime carpserat, composuit[1]) doctam et solidam *Antapologiam* pp. 2, s. l. et a. (intra annos 1533—1535). Praefuit provinciae saxonicae minister provincialis (1534), ab Alberto cardinali et archiepiscopo moguntino electus est episcopus auxiliaris halberstadiensis (1539). Interfuit colloquio wormatiensi cum aliis theologis a. 1540, et anno sequenti ratisbonensi, in qua apoplexia tactus non diu postea decessisse videtur[2]).

656. Ejusdem ordinis fuere Petrus Rauch de Anspach Mensingi in munere concionandi tam Dessaviae quam Francofurti successor, qui praeter chronicam anhaltensem ineditam scripsit *Antithesim* des Lutherischen Bekenntniss odder Beicht, so sie tzu Angspurgk .. angegeben, Francofurti ad O. s. a. (1533), in quo merito protestantibus inconstantiam in sua confessione exprobrat. A Weigand episcopo bambergensi adlectus est episcopus auxiliaris (1546; † 2. Nov. 1555). — Tilmannus Smeling in Monte s. Michaelis (Segenberg) ortus prior coloniensis et haereticae pravitatis inquisitor[1]), cujus sunt *de septem sacramentis* liber unus Coloniae 1538; 1546 ed. recognita et locupletata; Parisiis 1550; 1590 contra Lutheri errores stilo scholastico satis compto et nitido conscriptus; *Enchiridion locorum communium* Jo. Eckii aliquot adauctum materiis, Coloniae 1532. Obiit 1557. — Ambrosius Pelargus (Storch) Niddae in Hassia c. a. 1493 natus, unus ex potioribus theologis sui ordinis in Germania[2]), Heidelbergae studiis operam dederat. Aliquamdiu Basileae concionatorem egit, ubi acrem habuit controversiam de sacrificio missae cum Oecolampadio[3]), cujus fructus fuere *Apologia* (solida et dilucida) *sacrificii eucharistiae* rationem exigente inclyto senatu basilieensi, Basileae 1528; Viennae 1528; atque l. de eodem argumento

[1]) Cf. Laemmer die vortridentinische kath. Theologie introd. n. 23.

[2]) Cf. N. Paulus in Katholik 1893. II, 21-36; 120-139; et in op. die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther, Freiburg 1903 p. 16-45, qui et excerpta ex ejus operibus exhibet; Streber KL. VIII², 1286, qui inter alia de eo scribit: Mensings reiches theologisches Wissen, das in seinen Schriften durch reinen Stil und glückliche Handhabung der deutschen Sprache unterstützt wurde, machte ihn zu einem bedeutenden Polemiker, dessen Wert freilich heute zu wenig gewürdiget ist. Janssen-Pastor VII, 465.

[1]) Cf. Paulus op. cit. 1553.

[2]) Nonnihil exaggeratum videtur encomium, quod ipsi tribuit Marx in Geschichte des Erzstiftes Trier, Trier 1858. IV, 440: Schwerlich kann ihm ein Ordensgenosse an die Seite gestellt werden, der in Gelehrsamkeit und Verdiensten sich mit ihm messen könnte.

[3]) Strenuum hac in controversia socium habuit Augustinum Marium de Usingen can. reg. s. Aug. ulmensem, theologiae doctorem viennensem (1520), concionatorem cathedralis ratisbonensem et episcopum auxiliarem frisinganum, qui plurimum laboravit, ut hanc ecclesiam immunem servaret ab infectione lutherana. Transiit inde Basileam (1526). De controversia, quam ibidem habuit cum Oecolampadio de sacrificio missae cf. hist.-pol. Bl. 1892. II, 4 ss. Praevalente vero adversariorum factione inde recessit et factus est episcopus auxiliaris wirceburgensis. Interfuit comitiis imperii Augustae habitis atque partem habuit in refutatione confessionis augustanae († 25. Nov. 1543). Disputavit *de praedestinatione*, 1542; *de veritate corporis et sanguinis Christi* in eucharistia tres insignis eruditionis libros vetustos edidit Friburgi 1530 in 8. Cf. Renninger die Weihbischöfe von Würzburg, Würzburg 1865; Janssen-Pastor VII¹², 450.

lingua germanica, ib. 1528; *Hyperaspismus* sive propugnatio apologiae, quo eucharistiae sacrificium ab oecolampadiana calumnia strenue asseritur, ib. 1529, l. solidus. sed stilo acri conscriptus. Verum non praevaluit ratio ad compescendas turbas religiosas Basileae excitatas, sed vicit turbulenta et rebellis factio: quare Pelargus Friburgum confugere coactus est. Ibi commoratus quadriennium composuit plura (7) opuscula bona et utilia, quae junctim prodierunt Coloniae 1534 in 8. Familiariter quoque conversatus est cum Erasmo, cujus conversationis testimonium est l. inscriptus: *Bellaria epistolarum*, Erasmi Rot. (14) et Ambr. Pelargi (21) vicissim missarum; adjectum est his Judicium A. Pelargi de declarationibus Erasmi ad censuras theologorum parisiensium, Coloniae 1539 in 8. Non propterea tamen omnia, quae Erasmus ediderat, probavit: nam reliquit *annotationes* in ea, quae Erasmus non orthodoxe scripsit. Friburgo, ubi doctoratus lauream promeruit, Treviros transiit (1533), academiamque suis praelectionibus et ecclesiae cathedralis suggestum concionibus illustravit. Interfuit cum aliis clarissimis theologis Eckio, Mensing etc. colloquio wormatiensi (1540): ibi interpretatus est illustravitque divinam et sacram *liturgiam* s. Joannis Chrysostomi; adjecta est doxologia graece simul et latine, quae et in missa et in precibus matutinis usui fuit veteribus; nicaenum item symbolum latine ab eo versum et brevioribus eruditisque annotationibus accuratum, Wormatii 1541. Interfuit etiam nomine archiepiscopi trevirensis concilio Tridentino (1546): ubi et magnam habuit orationem. Aderat et synodo provinciali trevirensi. Orationem, in qua libere abusus quosdam carpit, habes apud Hardouin IX, 2063 ss. Decessit[1] 5. Jul. 1561. — Joannes Stempel, qui se Pesselium cognominavit, Tilae (unde et Tilanus dictus) in Geldria natus, s. theologiae professor et studii conventus Coloniae regens[1], facultatis theologicae decanus (1542-45) fortiter se cum Gropper et Billik opposuit innovationibus archiepiscopi Wied: quo in negotio iteratis vicibus ad imperatorem fuit missus. Electus est a sodalibus in provinciae praepositum (1545). Opera quaedam doctorum a mendis vindicavit, ut collectionem sermonum inscriptam *Thesaurus novus*, Coloniae 1536 t. 2; 1543; *commentaria* Nic. Gorrani (cf. p. 416) in quatuor evangelia, ib. 1537; omnium operum d. Augustini *epitomen* primum quidem per Joannem Piscatorium (Fischer olim O. Praed., sed apostatam) compendiaria quadam via collectam (Augustae V. 1537), ab ipso recognitam et multorum adjectione locupletatam, Coloniae 1542: 1549. Opera, quae ipse composuerit, non videntur prodiisse. Aliquamdiu Viennae theologiam docuit decessitque 1558. — Bartholomaeus Kleindienst[2] Annabergensis in Misnia parentibus pauperibus et jam lutheranis n., Lipsiae studiis vacavit, familiari tamen conversatione cum Conr. Klingio O. Min. ad saniorem rediit mentem factusque est catholicus et ingressus ordinem s. Dominici (1553) suaque sollicitudine, orationibus et sacrificiis parentes una cum familia aliisque ad veram fidem revocavit. In academia dillingana doctoris lauream promeruit atque theologicam rexit cathedram. Electus est praeses studii generalis sui ordinis Fri-

[1]) Cf. N. Paulus hist.-pol. Blätter 1892. II, 1—14; 81—97; et die deutschen Dominikaner p. 190—212. Esser KL. IX, 1769; Pastor bonus 1897 p. 56 ss.; 322—28.

[1]) Cf. Paulus Katholik 1896 II, 475 ss.; die deutschen Dominikaner p. 153—55.

[2]) Cf. N. Paulus, qui fuse de ipso disserens hist.-pol. Bl. 1892. 109. 485—502, ex ejus l. praeclara fragmenta exhibet; iterum die deutschen Dominikaner p. 266—280.

burgi instituendi Romamque profectus in hoc negotio, in reditu morbum contraxit, cui succubuit Viennae 8. Oct. 1560. Prodiit typis tantum *Ein recht catholisch und evangelisch Ermannung* an seine lieben Teutschen. Dilingae 1560; 1569; Ingolstadii 1577, libellus solidus magna unctione conscriptus, quo concives revocaret ab erroribus temporis.

657. Insignis plane fidei catholicae apologeta, qui Ecclesiae magnam attulit utilitatem, fuit Joannes Fabri (Schmidt, Cussius secundum aliam versionem) Heilbronnii in ducatu Würtembergiae a. 1504 natus[1]). Adolescens a. 16 ingressus est ordinem s. Dominici 1520. Aliquamdiu Augustae ecclesiasten cathedralem egit antemeridianum, sed praevalente haeresi lutherana munere concionandi fuit prohibitus (1534). Coloniam secessit studiis operam daturus, ubi Richardi pampolitani eremitae (cf. supra p. 564) opuscula quaedam typis vulgavit. Variis jam in urbibus ob insigne concionandi talentum praedicationis munus fuit ei concreditum, ut in civitate Wimpfen, ubi tamen ob sectariorum insidias secure manere non poterat, Colmarii, quo vocatus fuit ad tuendam firmandamque causam catholicam (1540), Friburgi, Schlettstadii, atque iterum Augustae, quo revocatus fuit a card. Ottone Truchsess. Non solum verbis, sed et scriptis pro fide catholica stetit. Edidit enim lingua patria *catechismum,* Augustae s. a.; Dilingae 1558; 1563; et in Moufang Kath. Katechismen des 16. Jahrh. in deutscher Sprache Mainz 1881 p. 415—464; et *instructionem pro confessione,* Augustae s. a. et auctoris nomine; Dilingae 1551; 1563; *librum precatorium,* ib. 1573 etc.; *Auff die Frag* ob die hailig biblisch Schrift könne und mög zu schaden der Menschen gebraucht werden, dieweil sy allein zu gutem trost und hayl der Menschen verlassen, Augustae s. a. (1550); *contra anabaptistas,* Ingolstadii 1550 in 4; *Von Ankunfft und herkommen der römischen Bischöff* von Petro bis auf Julium III; und die Namen aller Cardinäl so jetzund a. D. MDL bey leben seind, Augustae s. a. (1550) in 4. Hunc l. et l. *de confessione* acerrime agressus est Flacius Illyricus vehementer negans sive Petrum fuisse Romae, sive confessionem divinae esse institutionis. Hinc probavit Fabri *Quod Petrus Romae fuerit* et ibidem primus episcopatum gesserit atque sub Nerone martyrium passus fuerit, cum prolixa praefatione Mamerani, Dilingae s. a. (1552); 1553. *Quod fides esse possit sine caritate* expositio pia et catholica, Augustae V. 1548; 1553; 1568; *enchiridion s. Bibliae* industrio ac fideli concionatori in popularibus declamationibus non solum utilis, sed et necessarius, Augustae 1549 in 12; Coloniae 1568; *Fructus quibus dignoscuntur haeretici,* eorum quoque nomina ex Philastrio, Epiphanio, Augustino, Eusebio etc., et quibus armis devincendi, Ingolstadii 1551 in 4; Viennae s. a. Ein sehr schöner Bericht und christenlicher Grundt *von Haltung des Conciliums so zu Triendt den 1. Mai 1551 angefangen,* Dilingae 1551 in 4. Ein sehr schön, *lustig Gesprech* eines Evang. Bruders mit eim alten Papisten von der newen Ev. Lehr, d. l. 1551. Anno 1552 sub praesidio b. Canisii laurea doctoratus fuit insignitus, qua ad nova certamina est animatus. *Der rechte Weg;* welchen Weg oder Strass der glaubig wandeln oder gehen soll, dass er komme zu der ewigen ruh und frieden, Dilingae 1553; 1554. 1556 etc., quem l. latine vertit Tilm. Bredenbach, Coloniae 1563. *Was die Evangelisch Mess sey,* Grundliche und Christenliche anzaigung auss

[1]) Non confundendus cum tot aliis, qui Faber cognominantur, ex quibus Joan. Fabri episcopus viennensis, de quo supra egimus p. 1402, saepe cum eo confunditur.

der h. Geschrifft unnd aus den alten h. Kirchenlerern, Dilingae 1555; in 4; 1556; 1557; 1558; 1569; 1599; latine versa a Surio Coloniae 1556; 1557; Viennae 1558; Antverpiae 1559; Parisiis 1558; 1564; 1567. Cum Fl. Illiricus hunc l. modo indigno impugnasset atque argumenta 23 opposuisset, Fabri illi fortiter occurrit *responso,* atque ad singula respondit argumenta, Dilingae 1568. *Johel der Prophet* christenlich und trewlich zu besserung der glaubig ausgelegt und geprediget, Dilingae 1557 in 4., latine versus a T. Bredenbach, Lovanii 1563; Parisiis 1578; Antverpiae 1582; 1589. *Instructio saltzburgensis* pro parochis et concionatoribus, quae absque auctoris nomine prodiit germanice Dillingae 1556. Post tot exantlatos labores et certamina fortiter gesta decessit insignis hic theologus[1]) 27. Febr. 1558 a. aetatis 54.

658. Ex ordine *s. Francisci* nominari merent Henricus Helmesius (Helm) Halberstadiensis et concionator celebratus in ecclesia cathedrali coloniensi, praepositus provinciae saxonicae O. Min. Observ. temporibus illis difficillimis, quibus quamplurimi ordinis conventus vel a fanatica rusticorum rebellione vel principum tyrannide suppressi fuere. Sollicitus fuit consilio, verbo et scriptis nutantem religionem variis in regionibus tueri[2]). Edidit inter alia *de verbo Dei ll. 3,* Coloniae 1560 in 4., l. rarus; *adversus captivitatem babylonicam* Lutheri, Parisiis 1553; 1657; *Homiliarum* in evangelia et omnes epistolas canonicas t. 5, quas ex meris divinae Scripturae sententiis miro artificio et eruditione concinnavit, Coloniae 1550; 1556; Enchiridion *de vera et perfecta impii justificatione,* Coloniae 1554. Decessisse dicitur a. 1560. — Joannes Winzler n. in oppido Horb ditionis württembergicae, Campoduni in Algoja apostolus, qui concionibus suis adversariorum errores insecutus est catholicosque in fide confirmavit, ut variis in locis, ubi concionatorem egit, a novatoribus expulsus fuerit, ita Norimbergae, Basileae, Ulmae etc. Guardianus erat Landshuti et Ingolstadii, praepositus provinciae; interfuit quoque colloquio wormatiensi († 1554). Ex ejus scriptis nihil videtur prodiisse[1]). — Conradus Cling (Klingius) Nordhusiae in Thuringia n. Erfordiae studuit atque a. 1520 doctoratus lauream est adeptus. Praevalentibus Erfordiae sectatoribus ipse factus est dux catholicorum, hinc praedicantium in se concitavit iras, praesertim Justi Menii, unde est orta concertatio literaria, si tamen ea hoc nomen meret, cum hujus scripta injuriis et improperiis regurgitent. Causam catholicorum Erfordiae fere desperatam plurimum juvit, concionatoris enim munere functus est a. 36, pluresque deceptorum ad Ecclesiam reduxit, nutantes in fide confirmavit, magnam saltem civitatis partem in religionis catholicae professione servavit († 1556). Plura ex scriptis post ejus mortem prodierunt cura Wicelii junioris: desideratur tamen lima, defuit enim editori doctrina necessaria ad illa expolienda et accuranda[2]). Inter ea sunt: *Loci communes theologici* pro Ecclesia catholica, Coloniae 1559; 1562 ex ipsius auctoris monumentis dupla accessione supra priorem ed. aucti; Parisiis 1567

[1]) Cf. Echard II, 161; Streber KL. IV, 1171; sed prae primis N. Paulus Katholik 1892. I, 17—36; 108—27 et 1893. II, 221; die deutschen Dominikaner p. 232—266.

[2]) Cf. Streber KL. V, 1752; Gaudentius I, 62, qui pag. 18 Henrici Hell (Helous) meminit, quem c. 1553 obiisse refert, et cui eadem tribuit opera, quae Helmesio.

[1]) Cf. Gaudentius p. 18; Paulus Katholik 1892. I, 561; praeprimis 1894. I, 40-57, ubi longiora fragmenta ex ejus scriptis exhibet.

[2]) Cf. N. Paulus Katholik 1894. I, 146-164; Gaudentium p. 15, secundum quem a. 1554 obiit; Streber KL. III², 552.

etc. Utitur in iis libenter scriptis Biel et Gersonis, quem sequitur in opinione de superioritate concilii supra rom. pontificem. *Catechismus catholicus* summam christianae institutionis IV ll. succinctim complectens, Coloniae 1562; 1570; *Summa doctrinae catholicae,* Coloniae 1562; 1570, utrumque opus non satis dedolatum; *de securitate conscientiae catholicorum* in rebus fidei et de periculo atque errore sectariorum hujus seculi ll. 2, in quorum priore exhibetur luculenta antithesis seu collatio praecipuorum inter catholicos et sectarios articulorum, circa quos dissident; in altero vero sanae et amplectendae doctrinae consilia ac theses continentur, Coloniae 1563; l. unus continens *confutationes mendaciorum* adversus l. Imperii vulgo *Interim* editorum, Coloniae 1563, in quo sicut et in aliis ejusdem scriptis doctrinae non sanae de justificatione favet: hinc ejus opera quondam fuere (nunc non amplius) prohibita ‚donec corrigantur;' et B. P. Canisius in ep. ad Guilelmum Bavariae ducem 8. Aug. 1581 inter auctores catholicos, qui alioquin laudantur, quorum tamen doctrina revera et integre non est catholica, cum Jo. Wicel, Jo. Fero, Jac. Schöpper, Georg. Cassandro etiam Klingium numerat. — His addantur Joannes Albrecht[1]) et Caspar Möckenlör guardianus in conventu Arnstaedensi[2]) etc.

659. Ex ordine *s. Augustini* mentione dignus est Conradus Treger (Dreger, Tregarius, Tornare, Tornarius) Friburgensis n. c. a. 1580, qui ad perficienda sua studia Parisios fuit missus (1509), ubi et lauream in theologia est consecutus. Redux in patriam electus est prior conventus friburgensis tam sanctimonia quam doctrinae praestantia commendatissimus (1514), postea factus est prior conventus argentoratensis (1517) et studii generalis magister regens, et a. sequenti electus Rheni et Sueviae provinciae praepositus, quam prudenter diuque rexit (1518—40) plurimum intentus, „ut cultus divinus legaliter, rotunde et distincte persolvatur diu noctuque." Difficillimis temporibus gessit magistratum: haud pauci enim sodalium innovationibus capti defecerunt ad lutheranos, et in ipsa urbe argentoratensi praevaluit protestantium factio. Hinc Treger „verus fidei catholicae zelator" emisit *Paradoxa centum* de Ecclesiae conciliorumque auctoritate, Argentorati 1522, publice propugnanda. Ipsum agressi sunt famosus Capito aliique praecones, quorum dicteriis plebs excitata in varia irruit monasteria, comprehendit plurimos sacerdotes et religiosos, inter quos et Treger, qui carcere retentus fuit aliis post octo dies a magistratu libertati restitutis. Post mensem vero et ipse dimissus fuit, sed prohibitus concionari, nam suppressus fuit cultus catholicus. Interfuit publicae disputationi inter catholicos et Zwinglianos Badenae (1526), dein Bernae 1528 habitae, ubi praesertim agendum erat adversus Zwingli, Oecolampadium, Bucer, Capito, Haller etc., qui frequentes convenerant, sed pro more irrito successu. Restitit quantum potuit innovationibus inter parietes domesticas, sed interitum plurium conventuum deplorare debuit, qui vel sponte sua sodalium defectione vel vi illata a magistratu politico sunt dissoluti. Ipsius tamen vigilantiae et zelo haud parum Friburgenses debent[1]) conservationem fidei avitae in sua ditione († 25. Nov. 1542).

[1]) De quo cf. N. Paulus Katholik 1892. I, 545. Ab eo distingui debet Joannes Albert Wimphensis professor in universitate ingolstadiensi a. 1564, de quo cf. ibidem.

[2]) Cf. Paulus Katholik 1893. II, 218.

[1]) Plura de ipso dabit Ed. Al. Haller in Monatrosen 1896 p. 280—86; 321—36; 390—97; N. Paulus Jo. Hofmeister p. 145 ss. Friburgi 1891; et Katholik 1899 I, 439—447; 511—535.

660. Prae primis vero inter sodales innotuit Joannes Hoffmeister[1]) n. in oppido modo regni würtembergici Oberndorf a. 1509 vel 1510. Felici ingenio praeditus a prima aetate operam literis dedit, et ut id commodius faceret, Augustinianorum ordinem puer adhuc est ingressus. Studiis vacavit Moguntiae (1526), ubi Nauseam audivit, quem praeceptorem suum perpetuo observandum appellat, dein et Friburgi 1528. Studiorum curriculo absoluto eum juvenem adhuc priorem Colmariae inter tristissimas sui conventus conditiones invenimus. Ipsius et Jo. Fabri (cf. p. 1431) concionibus egregiis et laboribus magna ex parte debetur, quod illa civitas restiterit innovationi fidelisque manserit avitae fidei. Coepit et scriptis fidem catholicam tueri, quorum primum fuit: *Dialogorum* (inter catholicum et Lutheranum) *ll. 2* (stilo pacato conscripti), quibus aliquot Ecclesiae catholicae dogmata Lutheranorum et verbis et sententiis roborantur, Friburgi B. 1538; Ingolstadii 1546 aucti et recogniti, quibus adjicitur: *Haereticorum malae artes* a ss. patribus exquisitissime descriptae (Romae 1554; Parisiis 1567), Venetiis 1554. *Verbum Dei carnem factum* h. e. J. Christum Servatorem N. Ecclesiae suae *unicum ac perpetuum esse sacrificium* assertio; item expositio precum ac caeremoniarum, quarum usus in quotidiano sacro, Moguntiae 1545; Antverpiae 1545; 1552; Romae 1554; Parisiis 1572; 1573, *Judicium de articulis confessionis fidei* (Lutheranorum) a. 1530 caes. Maj. Augustae exhibitis, quatenus scil. a catholicis admittendi sint aut rejiciendi, Moguntiae 1559, etiam germanice, Constantiae 1597 in 4. ed. Warmundo Ygl. Dum ita rem Dei agebat ad majores vocatus est labores. Nam Conradus Tregarius, de quo mox egimus, postquam strenue a. 20 praefuisset provinciae ordinis Rheni et Sueviae, morti proximus convocatis domus sodalibus illos per omnia sacra obtestatus est, ut Hoffmeister in provinciae praesidem eligerent. Quare unanimi consensu tristissimis illis temporibus in provincialem est electus (1543). Suis concionibus apostolicis plurimum inclaruit, hinc ad concionandum Wormatiam fuit accitus, dum ibi imperii comitia haberentur (1545), atque adeo placuit, ut vel Ferdinandus rex nullam pene concionem omitteret. Finitis comitiis rediit ad Colmarienses et inter tot negotia, »quibus tantum non enecor, revocavi, ut ipse scribit in dedicatione ad Ferdinandum regem, homiliarum opus sub manus meas, ut ea quae Wormatiae inceperam Christo fortunante perficerem. Atque ita non multo post praeter omnem opinionem ab invictissimo imperatore vocor ad colloquium theologicum Ratisbonam (1545).« Hic iterum magno coram auditorio fructu laeto concionatus est, et quidem quater per hebdomadam: concionibus vero fere semper aderat Ferdinandus rex. Colloquium pro more caruit fructu: voluit tamen imperator, ut Hoffmeister diutius moraretur Ratisbonae: hinc literas dedit ad magistratum colmariensem quasi veniam petens, quod illum non permitteret redire. A Ferdinando rege dictus est concionator aulicus, ab ordinis magistro generali Seripando designatus vicarius generalis ordinis per totam Germaniam (1546). Verum in

[1]) Cf. de eo egregium opus N. Paulus Der Augustinermönch J. H., ein Lebensbild aus der Reformationszeit, Freiburg im Br. 1891, qui diligenter ejus recenset opera et commercium epistolare cum Seripando magistro ordinis generali, cujus plures ex archivis exhibet epistolas pretiosas in append., ex quibus etiam Ossinger p. 145 ss. fragmenta adducit, unde liquet quanti factus fuerit a Seripando supremo ordinis praeposito plane dignissimo. Cf. etiam velut appendicem novam apologiam, quam idem N. Paulus inseruit hist.-pol. Bl. 1893. CXI, 589-650 adversus calumnias antiquas contra Hoffmeister famam iterum recoctas a Bossert. Cf. Bellesheim ib. 1892 CIX, 269—78; Keller KL. VI. 146 ss.

flore aetatis decessit laboribus curisque consumptus 21. Aug. 1547 a. natus nonnisi 38. Praeter opera jam citata haec adhuc sunt mentione digna: *In d. Pauli ad Philippenses ep.* enarrationes piae ac catholicae, Friburgi 1543; *Canones* sive claves aliquot ad interpretandum ss. bibliorum scripturas, Moguntiae 1544; 1545, etiam receptum in opus Sixti sen. *Ars interpretandi s. Scripturas absolutissima,* Coloniae 1577 in 8; In utrasque s. Pauli ap. ad Corinthios ep. *homiliae,* Coloniae 1545 in 4; *Articuli conciliati* inter purioris doctrinae novos ministros ab a. 1519-1546, quas gemmas ipse in aedificationem Ecclesiae et confusionem hostium Ecclesiae diligenter collegit ex Lutheranorum et Zwinglianorum scriptis, Ingolstadii 1546 in 8; *Loci communes rerum theologicarum,* quae hodie in controversia agitantur ad regulam et consensum verae catholicaeque Ecclesiae e ss. patrum sententiis confecti, Ingolstadii 1546; 1549; 1551; 1555; 1582; Antverpiae 1550; 1552; Parisiis 1564; 1575; 1585 etc.; homiliae *in Evangelia,* quae in dominicis et aliis festis diebus leguntur per totum annum t. 2, Ingolstadii 1547; 1548; 1549; 1551; 1555; 1561; 1572; Parisiis 1551; 1555; 1567; Antverpiae 1549; 1562; etiam germanice, quorum tamen haud paucas composuit vel saltem vertit ex ejus postilla Leonardus Haller episcopus auxiliaris eichstettensis, quae postilla etiam commendata fuit clero in synodo mühldorfiensi a. 1553, Ingolstadii 1548; 1549; 1550; 1554; 1562; 1575; 1601; Wesel 1847 t. 2; *Ein fruchtbar und klare Auslegung des schönen Buchs Tobie,* welches ein Spiegel der guten Sitten unnd waren christlichen Zuchte in disem gegenwertigen leben mag billich genennet werden, Moguntiae s. a. (1559); Commentaria *in Marcum et Lucam* evangelistas, Lovanii 1562; Parisiis 1563; Coloniae 1572; In XII priora cc. actuum apostolicorum *commentaria,* Coloniae 1567, quae multum laudantur. Omnia haec opera ostendunt Hoffmeister unum ex primariis apologetis fidei catholicae per Germaniam, in Scripturis egregie versatum, ecclesiasten verbo validum, indefessum, apostolicum, scriptorem vere solidum.

661. Inter *carmelitas* emicuit Eberhardus Billick[1]) n. in oppido Bilk prope Düsseldorpium, a familia alioquin Steinberger cognominatus vir prudens, humanus, morum gravitate et integritate cunctis venerandus, ordinis illustre decus. Erat coloniensis universitatis doctor, professor et decanus, Alemaniae inferioris provincialis (1542). Merito inter primarios viros apostolicos recensetur, qui urbem et universitatem coloniensem ab innovatione lutherana immunem servaverunt. Hermanno de Wied archiepiscopo coloniensi Lutheranis faventi fortiter restitit: nomine cleri et universitatis composuit stilo quidem acri pro more illius temporis *Judicium deputatorum* universitatis et secundarii cleri coloniensis de doctrina et vocatione M. Buceri ad Bonam 1543, in quo egregium se probat theologum polemicum. Hujus epitomen confecit Cochlaeus. Cum illud aggrederentur Melanchton, Bucerus, Oldendorp etc., scripsit *Judi-*

[1]) Alius a Jo. Billico, de quo supra egimus p. 1377, et a Theobaldo Billicano n. in oppido palatinatus Billigheim, qui etsi sacerdos ad Lutheranos defecit et unus ex primis fuit, qui matrimonium contraxerit. Verum gradatim suos agnovit errores rebellionisque illius religiosae pessimos fructus, hinc rediit ad Ecclesiam a. 1550: non tamen amplius exercuit ss. ordines, sed annuente Campeggi card. vitam degit laicam. Cf. Hefele KL. II, 835; Raess I, 59. Antea floruit Brocardus Billick dictus Lapicida O. Carm. coloniensis, theologiae multis annis professor et verbi divini praeco per Alemanniam clarissimus, cujus opera mscr. recenset Hartzheim p. 42. Obiit 1527.

cium universitatis et cleri Coloniensis adversus calumnias Ph. Melanchtonis, M. Buceri etc. 1545, et ejusdem *defensionem* cum diligenti explicatione materiarum controversarum, Coloniae 1545. Interfuit diversis comitiis imperii et colloquiis cum novatoribus, atque hortante Morone legato apostolico concinnavit *refutationem confessionis augustanae*. Archiepiscopum coloniensem Adolphum comitatus est ad concilium tridentinum (1551), ubi et insignem orationem habuit in festo circumcisionis D., editam Venetiis 1552; Coloniae 1557; in coll. conc. Labbei t. XIV; Paquot I, 216—238. Ab eodem electus est in episcopum auxiliarem, sed mox omnium luctu et moerore decessit 12. Jan. 1557. Scripsit praeterea[1]) *de ratione summovendi praesentis temporis dissidia*, Coloniae 1557; *de dissidiis Ecclesiae componendis*, ib. 1559; historiam concilii trid. (ineditam). — Nicolaus Ellenbog fuit OSB. Biberacensis, n. 18. Mart. 1481. Primo quidem mathesi et astronomiae Cracoviae, Montepessulis medicinae operam dederat. Verum in itinere hospitio utens cujusdam monasterii captus religiosorum moribus et pace mundo valedixit atque ingressus (1504) est ordinem s. Benedicti in monasterio Ottoburano, ubi munere magistri novitiorum et prioris est functus plurimum sollicitus de eodem reformando atque inducenda rigida vitae regularis observantia. Instituit gymnasium trilingue et typographiam et jam senex linguarum orientalium studio incubuit. Cum viris literatis commercium epistolare fovit, Reuchlinum maxime colebat, libros[2]) quoque stilo acri composuit polemicos de controversiis illius temporis necnon et asceticos († 6. Jul. 1543).

662. Jam theologos recenseamus polemicos, quibus et *aliae* gloriantur *nationes*. Inter *belgas*[1]) innotuit Albertus Pighius Campensis, Transisalanus, qui Lovanii studiis incubuit. et inter philosophiae et artium ingenuarum eruditos primas tulit. Coloniae doctoris lauream in theologia pro-

[1]) Cf. Postina Lebensbild des Karm. Eb. Billik, Freiburg 1901 (inter Ergänz. zu Janssens Gesch. II, 2. 3), cum plurimis ejusdem epistolis; Hartzheim p. 74 ss.: Pastor KL. II, 835; Janssen-Pastor VII[12], 451; Lauchert hist.-pol. Bl. CXXVII, 773-776.

[2]) Cf. Rausch KL. IV[2], 407; Geiger in Vierteljahrschr. für k. Theol. ed. Wiedemann 1870 et 1871.

[1]) His forte accenseri potest Nicolaus Mameranus (de Mame) Luxemburgensis poeta laureatus, qui propterea sine laurea prodire non solebat, miles intrepidus, necnon et historicus. Bonam vitae partem trivit in castris et Caroli V. aula. Dicitur a Mich. a s. Joseph in bibl. crit. III, 364 acerrimus haeresum impugnator, „sed in depingendis et exaggerandis ecclesiasticorum romanae Ecclesiae vitiis nimis vehemens et acerbus.“ Disseruit inter alia *de confessione* tutis sacerdotis auribus committenda, 1546; 1553. Edidit ipse diss. Joannis Fabri ab Hailbrun: *Quod Petrus Romae fuerit* et ibidem primus episcopatum gesserit atque sub Nerone martyrium passus fuerit, Dilingae s. a. praemissa praefatione ab editore scripta; iterum ib. 1553 praemissa ipsius prolixa ep. ejusdem argumenti; Antverpiae 1553. Alia ejusdem opera plerumque rara agunt de gestis bellicis vel domesticis Caroli V. imp. Cf. Roersch Biogr. nat. de Belg. XV, 685—691; prae primis Rübsam in hist. Jahrb. X (1889), 525–554. Dicitur obiisse 1560, sed saltem ad a. 1566 vixisse colligitur ex ejus scriptis. — De Joanne Taverneno legimus tantum eum disseruisse *de purgatorio animarum;* de veritate corporis et sanguinis Christi in eucharistia, Parisiis 1551. — Cornelius Duplicius (de Dobbele) Scepperus (de Schepper), laicus et negotiis politicis addictus, vir eruditus in mathesi et historia, callens Europae linguas, Carolo V. a negotiis et consiliis, in gravissimis legationibus ab ipso non sine fructu adhibitus (n. 1500; † 28. Mart. 1555), scripsit praeter alia Assertionum fidei sive *de significationibus superiorum planetarum ll. 6*, adversus astrologos futurum a. 1524 cataclysmum praedicentes, Antverpiae 1523; Coloniae 1547. Cf. J. J. de Smet Biogr. nat. de Belg. V, 709—18. Dicitur obiisse 1560, etsi alii eum diutius vixisse asserant.

meruit (1517). Vir multae ac variae lectionis scientiaeque omnifariae maximam sibi gloriam comparavit Romae, quo ab Hadriano VI. suo quondam magistro accitus est. In gravissimis frequenter negotiis legationes obiit Wormatiam, Ratisbonam aliasque in urbes. Mathesim, qua sicut et astronomia plurimum excelluit, Paulum III. docuit, a quo praepositura ad s. Joannem Ultrajecti 1535 donatus est († 26. Dec. 1542). Plurima reliquit opera, ut *de ratione paschalis celebrationis* deque restitutione ecclesiastici calendarii ad Leonem X., cum is theologorum lovaniensium super ea re sententiam postulasset, Parisiis 1520; cum aliis scriptis astronomicis, quibus praelusit calendarii emendationi. *Assertio hierarchiae ecclesiasticae* ad Paulum III. ll. 6, Coloniae 1538. in f.; ll. 3—5 in Roccaberti bibl. pont. II; opus ejus praecipuum et egregium, in quo primatus praerogativas ita extollit, ut vix inter theologos habeat parem [1]); *apologia indicti a Paulo III. concilii,* ib. 1534; *ratio componendorum dissidiorum* et sarciendae in religione concordiae, Coloniae 1542 in 4; *de libero hominis arbitrio et divina gratia ll. 10* adversus Calvinianos, Coloniae 1542; *Explicatio controversiarum praecipuarum,* quibus hodie potissimum exagitatur Christi fides et religio (de quibus tunc in comitiis Ratisbonae habitis tractatum fuit). His subjiciuntur q. de divortiatorum novis conjugiis et uxorum pluralitate sub lege evangelica, et diatriba de actis VI. et VII. synodi, Coloniae 1541 t. 2 in 1 v. in 4; *Apologia* contra Buceri calumnias, Moguntiae 1543 in 4., cui immortuus est [2]). In nonnullis tamen doctrinae capitibus, ut de peccato originali, justificatione et praedestinatione opiniones enunciat, quae dissonant a communi theologorum doctrina, hinc Bona de eo scribit „Caute legendus est, quod non semper solidam tradat doctrinam.“

663. Non minoris celebritatis fuit Jodocus Clichtovaeus Neoportuensis (Nieuport) Flander, qui Parisiis in card. Monachi collegio philosophiam sub Jo. Fabro Stabulensi (cf. p. 1301) didicit, dein et docuit. Altiora meditatus in navarreum collegium se recepit, ibique literarios adolescentes ad optimarum artium studia et virtutem informare coepit habitis ad magistros et scholasticos concionibus: interea vero et Sorbonnae socius (1499) et theologiae magister renunciatus est (1506). Fuit dein aliquot nobilium praeceptor, rediit tamen 1513 ad collegium navarreum et ab a. 1517 publicae Scripturarum interpretationi atque piorum librorum editioni incubuit [1]). Inde episcopum tornacensem, quem adhuc adolescentem in literis instituerat, secutus Tornaci parochum et pastorem egit ecclesiae s. Jacobi et ad plebem conciones habuit eruditas atque ferventes. Episcopum Carnutum translatum comitatus est ibidemque canonicatum obtinuit († 22. Sept. 1543). Porro laus ejus praecipua est, eum primum e parisiensium theologorum coetu contra Lutherum scripsisse magnamque habuisse partem, ut sub Antonio de Prato archiepiscopo parisiensi concilium senonense adversus novatores celebraretur. Laudatur vero a vitae integritate, zelo salutis publicae, divitiarum contemptu.

---

[1]) Cf. libri conspectum apud Dupin XIV, 166—169.

[2]) Cf. Foppens I, 42; Gams KL. IX², 2110; Feller VI, 583; Linsemann Tüb. Qtlschr. 1866 p. 571 ss.; Hefele-Hergenroether Conciliengesch. IX, 936 ss.

[1]) Hujus nepos fuit Hieronymus Clichtovaeus in academia parisiensi theologus non incelebris, cujus pro gradu doctorali respondentis prop. 4 de venditione beneficiorum, pensionum et bursarum facultas theologica censuravit 5. Dec. 1521. Cf. d'Argentrè Coll. jud. t. 1. p. 2. p. 401. Obiit pastor ac major custos ecclesiae d. Donatiani Brugis 8. Nov. 1555.

Innumera reliquit opera[1]), quorum potiora sunt: *Introductiones in dialecticam,* Parisiis 1534 in 8; et in alia Aristotelis opera; *de vera nobilitate,* ib. 1512; *de laude religionis monasticae,* ib. 1513; *de sacramento eucharistiae* contra Oecolampadium, Parisiis 1526 in 4; Coloniae 1527; *propugnaculum Ecclesiae* adversus Lutheranos, ib. 1526 in f.; Coloniae 1526; *compendium veritatum* contra Lutheranos ex actis conc. senonensis, Parisiis 1529 in f.; *Antilutherus,* in quo insunt dissolutiones quaedam contra Erasmum R. de uno aut tribus Dionysiis, ib. 1524 in f.; Coloniae 1525; *improbatio* quorundam articulorum Lutheri a veritate catholica dissidentium, Parisiis 1533 in 4; *de laudibus trium antiquorum patrum* (Joseph, David, Tobiae), ib. 1533 in 4; *de veneratione SS.,* ib. 1523 in 4; *Damasceni theologia ll. 4* explicata, Fabro interprete et adjecto Clichtovaei ad literam commentario elucidata, Parisiis 1512 in f.; *Elucidatorium ecclesiasticum* IV ll. exponens hymnos ... cantica ecclesiastica, antiphonas, responsoria etc. Parisiis 1516; 1548 ed. 4; 1556; Basileae 1517, opus admodum rarum (m. 50). „Quatuor ll. inquit Zaccaria[2]), laudatissimum hoc opus complectitur: 1. hymnos adjecta explanatione declarat: 2. nonnulla cantica ecclesiastica, antiphonas et responsoria una cum benedictionibus candelarum cerei paschalis et fontium; 3. ea quae ad missae pertinent officium, praesertim praefationes et s. canonem, et 4. prosas.“ *De puritate conceptionis b. Mariae V. ll. 2;* de ejus dolore in passione Filii; de ejus statione juxta crucem homiliae; de assumptione ipsius, Parisiis 1513 in 4; 1517, opus rarum; *de dignitate et excellentia annunciationis* et de gratia visitationis, ib. 1519; opusculum *de mystica numerorum significatione,* praesertim qui in ss. literis usitati habentur, ib. 1513; disceptatio *de Maria Magdalena* triduo Christi, et de tribus et de una Maria, ib. 1518 cum *defensione* 1519, qua respondet apologiae Marci Grandivallis et Jo. Fisheri roffensis ep. (p. 1270) illam improbare nitentium, ib. 1519. Tuetur sententiam sui magistri Jo. Fabri, tres fuisse Marias, quam controversiam facultas parisiensis sedandam censuit damnata hac sententia[1]) Fabri et Clichtovaei 1. Dec. 1521. Contra eum propterea scripsit et N. Beda, ut supra diximus p. 1299. *De necessitate peccati Adae* et felicitate culpae ejusdem apologetica diss., Parisiis 1519; *de praeceptis decalogi,* de oratione dominica, salutatione angelica; de sacramentis, Parisiis 1534; 1548 in 8; Coloniae 1550; 1572 etc. *De vita et moribus sacerdotum,* ib. 1519; 1520 et saepe alibi etiam; *de doctrina moriendi,* ib. 1520 etc.; *Conciones* ejus quasdam germanice vertit H. Schweller Ingolstadii 1547. Edidit *opera s. Cyrilli alex.* latine Parisiis 1508; 1520 et Basileae 1524, et quia ex commentario in s. Joannem perierant ll. intermedii 5—8 in 7, 25—12, 47 (quos demum Aubertus in ed. sua a. 1638 fere integros exhibere potuit), ipse eos pro ingenio supplevit s. Jo. Chrysostomum, Augustinum aliosque secutus. Quoniam vero hoc supplementum charactere typorum vel alia nota non satis distinguebatur a textu genuino, factum est, ut complures incauti pro Cyrillianis laudarent verba Clichtovaei[2]).

664. Hos excipiunt Allardus, a patria Amstelodamus dictus, na-

[1]) Cf. Streber KL. III, 551; Bibl. belg. IV, 172; sed prae primis J. Al. Clerval de Jodoci Clichtovei ... vita et operibus, Parisiis 1894; Bibliographie des oeuvres de J. Clithove, Extrait de la Biblioth. belgica, Gand 1888; Feret op. cit. II, 30—41.

[2]) Bibl. ritualis II, 165. Cf. Thalhofer Handb. der kath. Liturgik I², 94.

[1]) Cf. Fleury H. E. l. 127 § 80.

[2]) Cf. Fessler-Jungmann institutiones patrol. T. II § 194 p. 63 annot.

tura quidem surdaster, sed theologus multae lectionis et eruditionis, literis etiam politioribus ac polito stilo instructus, R. Tappero, Latomo, Erasmo aliisque viris eruditis familiaris. Obiit Lovanii a. 1544 (secundum alios 1541) hoc sibi scripto epitaphio: „Tota tegit tellus qui tellus tota vocatur," alludens ad vernaculum nomen Al-aert. Inter plura, quae scripsit[1]), huc ex. gr. spectant: *Descriptio haeretici,* Salingiaci 1539 in 8; *de eucharistiae sacramento,* Lovanii 1537 in 8; *Dissertationes tres* breves ac pernecessariae contra praecipuum fundamentum hujus temporis haereticorum: de peccato originali, de justificatione per Christum, de justorum operibus ac meritis, Antverpiae 1541 in 8 etc. — Jacobus Latomus[2]) vulgo Masson n. c. 1475 Combronii prope Ath in Hannonia, artium magister Parisiis, inde a Jo. Standonck e collegio Montis acuti Lovanium adductus c. a. 1500, ut primus esset suae domus Standonicae pro discipulis pauperibus rector. In hac academia doctor theologiae fuit renunciatus una cum Ruardo Tapper 14. Aug. 1519. Rexit theologicam cathedram, fuit haereticae pravitatis inquisitor vigilantissimus, rector universitatis a. 1537 et canonicus ad s. Petrum. Gravissime impugnavit cum aliis collegis articulos quosdam M. Lutheri in *op. Articulorum doctrinae fr. M. L.* per theologos lovanienses damnatorum *ratio* ex ss. literis et veteribus tractatoribus (opp. p. 1 ss.), Antverpiae 1521, unde vel ipse Lutherus in confutatione, Wittembergae 1521, eum est aggressus, cui Latomus mox respondit, quod responsum subjunctum est tr. *de primatu rom. pontificis,* in bibl. pontif. Roccaberti t. XIII; *de confessione secreta* adversus Oecolampadium (opp. p. 98 ss.); de Ecclesia, de ratione obligandi legis humanae, Antverpiae 1525 l. rarus; *de fide et operibus,* de monachorum institutis, votis et obligationibus; de matrimonio, de articulis in Ecclesia controversis, de sanctorum invocatione, de cultu imaginum, de reliquiis sanctorum, festis, missis etc. Ob suum tuendae fidei catholicae zelum Lutherani nec vivo, nec mortuo pepercerunt. *De trium linguarum et studii theologici ratione* dialogus contra Erasmum, Antverpiae 1519, in quo liberiorum opinionum licentiam carpit: hinc Erasmus illico ei occurrendum censuit in l. *Apologia refellens suspiciones,* ib. 1519., uterque l. eodem a. etiam Basileae. Jacobus Latomus ipsius nepos († 29. Jul. 1596) collegit ediditque avunculi († 29. Maj. 1544) opera, quae adversus horum temporum haereses eruditissime ac singulari judicio conscripsit, Lovanii 1550 in f. Gravis erat humanistarum adversarius. — Cornelius Crocus amstelodamensis sacerdos ac ludo literario in patria praefectus, praeclaris naturae et gratiae donis ornatus, cum Allardo, cujus erat familiaris, lutheranae factionis homines constanter oppugnabat. Praeter alia ad scholas spectantia scripsit[1]) *de vera Ecclesia,* Antverpiae 1536; disp. contra anabaptistas *de baptismo parvulorum,* Antverpiae 1535; *de fraudibus et imposturis haereticorum;* de fide et operibus, ib. 1581; junctim ib. 1612 in 12. A Joanne Lusitaniae rege ad conimbricensis academiae initia magnis honorum invitatus illecebris, ire noluit, ne patriae juventuti, quam

[1]) Cf. Foppens I, 38.

[2]) Alius a Bartholomaeo L. († 1570), Jacobo L. († 1596) et Joanne L. († 1600), de quibus egimus Nomencl. I², 12. Cf. de his etiam Roersch et F. Nève in Biogr. nat. de Belg. XI, 425 ss.; de nostro Dupin XIV, 169—172, qui conspectum ita absolvit: L. étoit un des plus habiles docteurs qu'il y eût de son temps dans la Faculté de Louvain. Il avoit beaucoup de bon sens et de lecture. Il écrivoit facilement en Latin, mais sans beaucoup de politesse . . . et il étoit fort prevenu en favour de la Scholastique.

[1]) Cf. Backer Biblioth. des Ecrvains de la Comp. de J. I, 1465 ss.

adversus haereticos in catholica instituebat fide, deesset. Tandem defuncta matre, quam vetulam aluerat, voti causa Romam pedibus contendit et ab ipso s. Ignatio inter primos Soc. Jesu sodales etsi quinquagenarius admitti meruit. Ast paulo post a. nempe 1550 brevi morbo consumptus, quam serus ad vineae dominicae labores accesserat, tam citus ad denarii mercedem pervenit[1]).

665. Alexander Candidus O. Carm., vulgo dictus Nicolaus Blanckardt Gandavensis, theologiae doctor et professor coloniensis, a Maria Belgii gubernatrice ad conc. tridentinum missus est, ubi insignes orationes habuit duas, unam *de sacerdotio* ac ejus cum regia potestate collatione, alteram in Gal. I, 9: *Si quis vobis evangelizaverit praeter quod accepistis* etc. († 31. Dec. 1555). Reliquit Judicium Jo. Calvini *de sanctorum reliquiis* collatum cum orthodoxa s. Ecclesiae catholicae patrum sententia; accedit or. de retributione justorum statim a morte, Coloniae 1551. Edi curavit *s. biblia* belgice sive flandrice pluribus locis emendatiora ac correctiora, Coloniae 1547, quae versio commendata fuit a theologis coloniensibus. — Joannes Bunderius (van den Bundere) O. Praed. pariter Gandavensis (n. 1481), fere semper lector et per dioecesim tornacensem inquisitor generalis, Lutheranorum Mennonistarumque oppugnator acerrimus († 8. Jun. 1557 a. aetatis 75), confecit *Compendium rerum theologicarum*, quae hodie in controversiam agitantur ad sensum et consensum verae catholicaeque Ecclesiae, Scripturae s. testimoniis ac ss. patrum sententiis, Antverpiae 1562; Parisiis 1574. 1577, quibus ed. adjecta est *collatio quatuor doctorum* Ambrosii, Hieronymi, Augustini et Gregorii super 30 articulis ab haereticis modernis disputatis auctore Nat. Taillepied O. Min. (de quo t. seq.). Prodierat hoc compendium inscriptione alia jam Parisiis 1540; alia ib. 1543; 1549; Venetiis 1548. 1552; Antverpiae 1555. *Scutum fidei orthodoxae* adversus quascunque haereses hujus aetatis fidem, sacramenta ritumque ecclesiasticum explodere contendentes, Gandavi 1556; Antverpiae 1569 editio ampliata; 1574; Lovanii 1574; *detectio nugarum Lutheri* cum declaratione veritatis catholicae et confutatione dogmatum lutheranorum, Lovanii 1551; *de vero Christi baptismo* contra Mennonem anabaptistarum principem, succincta quoque errorum ejusdem elisio, Lovanii 1553; Parisiis 1574. Concinnavit quoque indicem codd. mss. in bibliothecis Belgii vicinarumque provinciarum a. 1500. adhuc exstantium: qui periisse videtur post a. 1660. — Joannes Slotanus (Schlottanus, van der Slooten) O. Praed. ex Brabantiae oppido Geffen (hinc et Jo. Geffen dictus) missionum desiderio ardebat, sed ne illud impleret, infirma corporis valetudine hinc et voluntate superiorum prohibebatur. Nihil tamen propterea remissior fuit zelumque suum convertit in tuendam contra haereticos qua stilo potuit voceque et auctoritate fidem catholicam. Coloniae, ubi ordinem s. Dominici est amplexus, fuit prior et ss. literarum professor, facultatis theologicae decanus (1555—1557) et per Rheni tractum et dioecesim coloniensem generalis fidei censor et inquisitor († 9. Jul. 1560). Inter opera ejus mentione sunt digna[1]): *Disputationum* adversus haereticos l. unus, in quo sub propugnatione articulorum a Justo Velsio (medicinae professore lutherano) Coloniae propositorum omnes ferme hujus seculi controversiae discutiuntur, Coloniae 1558 in 8. *De retinenda fide orthodoxa* et catholica adversus hae-

[1]) Ita Imago primi sec. Soc. J. p. 872; Foppens I. 197.

[1]) Cf. N. Paulus die d. Dominikaner p. 156—162.

reses et sectas et praecipue lutheranam ll. 9; ejusdem *de verbi Dei virtute* et Ecclesiae insuperabili potentia ll. 5, ib. 1560; *de praecipuis incarnationis divinae nostraeque redemptionis mysteriis* homiliarum ll. 3, ib. 1537; *de octo beatitudinibus* serm. 14, ib. 1556; *de baptismo parvulorum,* de barbaris nationibus convertendis ad Christum etc., ib. 1559.

666. Hos omnes tamen doctrinae soliditate forte praecellit Ruardus Tapper Enchusanus, Batavus, qui Lovanii cum philosophicis tum theologicis studiis optime institutus magister artium, dein theologiae doctor est creatus 14. Aug. 1519. Collegium s. Spiritus theologicum praeses rexit, ecclesiam cathedralem leodiensem canonicus illustravit, scholam theologicam voce et stilo a. 39, Belgium inquisitor fidei adversus recentes haereses praemunivit novitatis omnis osor. Ipse etiam inter primos fuit, cui novae Baji opiniones novaque disputandi methodus minime arriserunt. Hunc Carolus V. et Philippus II. ob morum sanctitatem et doctrinae praestantiam[1]) carum habuerunt ejus utentes consilio. Vixit ille non suis commodis, sed Ecclesiae Christi, cujus nomine continuis se laboribus confecit, malorum odiis multisque periculis exposuit, seipsum denique curis et molestiis exhausit. Latere siquidem non potuit, quantumcunque dignitates refugerit. Mariae reginae mandato Tridentum se contulit, ubi concilium non modo exornavit, sed et strenue promovit. Sententiam et judicium super articulis *de sacramentis poenitentiae et extremae unctionis,* quod concorditer cum Jo. Leon. ab Hasselt, Fr. Sonnio et Jod. a Ravestein edidit et exhibuit, habes apud Le Plat IV, 279—301. Aliam ipsius resolutionem ad materiam *de satisfactione* habes ib. p. 311—21; *de sacrificio missae* p. 337—50. Tandem aetatis, pietatis ac sapientiae fastigium assecutus vere Christo atque Ecclesiae immortuus est 2. Mart. 1559 a. aetatis 71 pauperibus omnium bonorum suorum heredibus institutis. Reliquit *Explicationes* in articulos circa ecclesiastica dogmata hoc seculo controversa, Lovanii 1555-57 t. 2 in f. Tr. ejus de providentia Dei et praedestinatione propter characterum ruditatem ac literarum compendia legi a nemine, ideo nec edi potuit. *Orationes theologicae* una cum corollario de veris calamitatum Belgii causis atque remediis prodierunt Coloniae 1577; *opera omnia*, ib. 1582. — Denique[1]) memorandus est Hermas Lethmathius alias Hermannus Gaudanus, Sorbonae doctor primarius, decanus ad s. Mariam Ultrajecti, card. Guil. Enckevortii illius sedis episcopi vicarius generalis, vir singularis doctrinae, pietatis ac morum gravitatis, ab Erasmo etiam collaudatus, cum de eo scribat l. XVII. ep. 6: „Nihil conciliorum, nihil historiarum, nihil veterum theologorum non excussit, atque adeo habet in promptu; ingenium velox et rapidum, discendi aviditas inexplebilis, judicium praesens et expeditum“ († 6. Dec. 1555). Disputavit *de instauranda religione ll. IX.,* scil. de religione, de desertoribus, de vacillantibus, de exortu et illustri progressu Ecclesiae, de ecclesiastica varietate, de ecclesiastica juris administratione, de auctoritate Scripturarum, de ss. ritibus, Basileae 1544 in f.

[1]) Cf. Foppens II, 1084. In l. cui inscriptio Academia lovaniensis hoc praeter alia legitur elogium: „Hujus (Tapperi) commemorato nomine statim perfectae theologiae consummatio audientis animo oboritur“. Cf. aliorum encomia apud Liv. de Meyer Hist. controversiarum de auxiliis gratiae vind. l. 1 c. 11.

[1]) Joannes Morocourt Nervius O. Cart., qui Carthusiae valencenensi diu praefuit († 12. Oct. 1548), carmine lusit *Threnodium in Lutherum,* Antverpiae 1540, *vitasque ss. Brunonis* (ib. 1540) et *Hugonis* carmine prolixo descripsit.

667. E *gàllis* laudari merent Benedictus Vernierus, cujus est *Magnum et universale concilium Ecclesiae militantis* super veritate divini eucharistiae sacramenti, quod instar s. concilii nicaeni 318 patribus orthodoxis constat, Parisiis 1554, opus rarum. — Arnoldus de Supercasa monachus s. Severi, qui vulgavit l. inscriptum *Pistolet* portans ignem inexstinguibilem contra genevenses haereticos, Tolosae 1558. — Robertus Cenalis (Céneau), Parisiis n. 1483, Sorbonnae doctor, episcopus abrincensis († 1560), cujus sunt *Axioma catholicum* seu institutio christiana, qua asseritur et probatur praesentia Christi in eucharistia, Parisiis 1534, adversus Bucerum, qui eidem responso occurrit, sed et Cenalis non tacuit opposita *appendice* apologetica, ib. 1545; 1547: *de matrimonio mosaico*, in quo tuetur et hujus indissolubilitatem contra Erasmum, Parisiis 1544; adversus eundem est *pro tuendo sacro coelibatu*, ib. 1545; *Traductio larvae sycophanticae* petulantissimaeque impietatis calvinicae, Lugduni 1556 in 8., quo in op. agit de versione et interpretatione s. Scripturae, de eucharistia aliisque sacramentis; Opus quadripartitum *super compescenda haereticorum petulantia*, Parisiis 1557; contra eandem *praesentissima Antidota*, ib. 1558; *Gallica historia* t. 2, quorum prior ad anthropologiam gallici principatus, posterior ad soli chorographiam pertinet, ib. 1557; 1581 in f. Ea est scil. collectio copiosa diss. de nomine, origine, fatis Gallorum, Francorum, Burgundionum, cui tamen deest judicium criticum[1]). Alia sunt inedita. — Joannes Talpinus, qui gallice scripsit *Monitum* ad eos, qui ab haereticis decepti secesserunt a vera Christi Ecclesia; *examen et defensionem* s. romanae Ecclesiae; *consensum* totius Ecclesiae christianae de missae sacrificio etc., quae diversis annis Parisiis prodierunt (fl. 1563). — Martinus Pistor (Boulanger) O. Praed. fuit concionator facundus, cujus est *Prosopopeia*, »quam ideo symmachiam dicere voluimus, quod acerrimam effingat fidelium adversus trium infestissimorum fidei hostium epitheses concertationem. Fidei hostes tres Calvinus, Melanchton . . . et antithesium Christi et rom. pontificis concinnator,« Parisiis 1552; 1556 ed. duobus colloquiis adversus ceremoniarum divini cultus oppressores aucta. — Stephanus Paris OP. Aurelianensis, s. theologiae magister, provinciae Franciae praepositus annis undecim, archiepiscopi rotomagensis 1551, dein et episcopi carnutensis episcopus auxiliaris et generalis vicarius in spiritualibus († 1561), qui cum esset doctissimus et uberrimus verbi divini orator, grassanti calvinianae haeresi validum se murum opposuit. Haec ejus opera: *Christiani hominis institutio* adversus hujus temporis haereses et morum corruptiones 50 hom. quadragesimalibus distincta, Parisiis 1552 in 4; 1561 aucta 25 hom.; Expositio praeclara sacri hujus sermonis: *Verbum caro factum est* juxta trium evangelistarum et vetustiorum doctorum sententiam concionantibus per adventum valde accommoda et per lectiones 38 digesta, Parisiis 1555 in 8; Claire et facile exposition *de la div. épître de s. Paul aux Ephesiens*, ib. 1553 in 8; *Homélies* suivant les matières traitées es principales festes et solemnitez de l'année, ib. cum priori; ib. 1553. 1575 in 8. — Matthaeus Ory sodalis, Armoricus, inquisitor fuit adversus haereticam pravitatem generalis in regno Franciae (1534) ad mortem usque. Ad ipsum delatus fuit s. Ignatius falsis criminationibus, verum ipse tum »eruditione tum probitate conspicuus, accusatorum fraude comperta, Ignatium non absol-

[1]) Cf. Feret II, 42—51. Cognatus ejus esse videtur Clodvaldus Canalis etiam Sorbonnae doctor (1526), cujus supersunt *quaestiones philosophicae* in duos Aristotelis ll. de interpretatione, Parisiis 1515 cum geminis qq. Jo. Dullardi.

vit modo, sed etiam miris ornavit laudibus: ipsum exercitiorum librum, qui praecipue in suspicionem crimenque vocabatur, tantum affuit ut damnaret, ut sibi etiam ejus exemplum Ignatii permissu desumpserit[1]). Cum ex occasione Romam veniret, Ignatio laboranti deque fide moribusque postulato iterum gnaviter favit opemque tulit[2]). In comitiis suae congregationis Compendii a. 1542 communi voto electus est vicarius generalis. Hanc sapientissime triennium gubernavit domibusque aliquot auxit. Obiit fidei pugil egregius 12. Jun. 1557 a. aetatis 65. Scripsit *Alexipharmacum,* Parisiis 1544; Venetiis 1551 in 16; 1558., quo in l. tria potissimum discutit: 1. unde haereses in Ecclesia; 2. quinque verba Pauli contra haereses, scil. Gratia, justificatio, peccatum, libertas, lex; 3. quaerit quomodo ab haeresibus Ecclesia purgari debeat. — Petrus Carolus du Rosier reliquit Parisiis 1545 Tr. *sur la Trinité* contre les erreurs de Faret. — De Joanne de le Vacqueria (Vacquier) doctore (1546) et professore (1547—1551) sorbonnico cf. Feret op. cit. II, 74.

668. In *Italia* contra protestantium innovationes disputarunt praeter Ambrosium Catharinum (cf. p. 1378) Hieronymus Amideus de Luca[3]) O. Serv. b. M. V., qui supremos in ordine multis annis magistratus cum magna laude et summo regularis observantiae incremento gessit († 1543) — Antonius Puccius Florentinus a. 20 jam theologiae doctor, episcopus pistoriensis, mortis periculum vix evasit, dum Roma esset capta a militibus caesareis 1527. A Clemente VII. creatus est cardinalis 1531 († 1544). Post ejus mortem prodierunt *De corporis et sanguinis D. N. J. Christi sacrificio* ejusdem sacrorum verborum declaratione. — Peregrinus Nasellus O. S. Aug. theologiae magister (v. 1559), cujus plura laudantur scripta adversus Lutherum[1]) — Augustinus Moreschini O. S. Aug. Montalcinus qui fuit concionator facundus, in primariis civitatibus gymnasiorum ordinis moderator, prior mediolanensis[2]), atque etiam interfuit concilio tridentino († 1560). — Joannes Maria Verratus O. Carm. Ferrariensis, professor cathedraticus Bononiae et Ferrariae, linguarum graecae, hebraicae et chaldaicae peritus († 20. Jul. 1562, secundum Tiraboschi 1563), cujus *opera* prodierunt Venetiis 1571 t. 7. Horum primus complectitur disp. 14 adversus Lutheranos per divinae Scripturae theoremata eorum dogmatibus oppositа, novis additionibus locupletata: de justificatione, de nobilitate intellectus et voluntatis cum apologia et oratione in Lutheranos (Bononiae 1538; 1547); t. 2. agit de incarnatione Verbi, de consonantia quatuor evangelistarum cum his, quae acta sunt circa puerum Jesum ipsiusque gesta usque ad sermonem Domini in monte ll. 15 (Venetiis 1547; 1551 in 8); 3. complectitur commentaria in sermonem Domini in monte; enarrationes in totam legem evangelicam miraculis, signis et prodigiis approbatam a c. 5—10 Ev. s. Matthaei adversus falsa lutherana dogmata ll. 15 (Venetiis 1551 in 8); t. 4. de evangeliis ab adventu Domini usque ad resurrectionem dominicam; t. 5. continet commentaria ad omnia Evangelia a dominica resurrectione usque ad 1. dominicam adventus; t. 6. complectitur opuscula, ut de magna universalis Ecclesiae auctoritate, de justificatione, de gratia et libero arbitrio (Venetiis 1558); de duplici purgatorio in hoc seculo et in futuro; de suffragiis.

[1]) Maffei in vita s. Ignatii I, 20. Cf. Echard II, 162.
[2]) Maffei II, 8.
[3]) Cf. Markel Speculum virt. et scientiae O. Serv. b. M., V. p. 150.

[1]) Cf. Ossinger p. 619.
[2]) De ejus opusculis Neapoli excusis cf. Ossinger p. 612; Lanterius II, 242.

T. 7. denique continet praeter alia responsiones ad protestationes illorum, qui ad generale concilium tridentinum venire contemnunt. — Albinianus Tretius (Albigniani Trezzio) juris consultus, juris civilis et canonici Trini professor, disputavit *de pontificia dignitate,* thesauro Ecclesiae et confessione contra Lutheranos, Venetiis 1545 in 8; in tract. jur. univ. t. XIII p. 1 pag. 130; adjecit annotationes ad Guil. de Baysio commentaria in decretum Gratiani, Venetiis 1513; 1599; 1577; 1580; 1601 in f. — Petrus Aurelius Sanutus O. S. Aug. patricius venetus, theologiae magister et provinciae tarvisinae moderator, vir prudentia, doctrina et vitae sanctitate insignis († 26. Aug. 1553), recentem *Lutheranorum assertionum oppugnationem* vulgavit, Venetiis 1543; Parisiis 1549; 1550; et Alberti de Saxonia *logicam,* Venetiis 1522 in f.

669. Plurimum innotuit[1]) Caspar Contarenus (Contarini) clarissimo genere Venetiis 16. Oct. 1483 natus[2]). Patavii magistris usus est Ge. Valla Sabellico, M. Musura et Petro Pomponatio, adversus quem postmodum ll. 2 *de immortalitate animae* conscripsit, ut supra p. 1284 diximus. Emenso studiorum curriculo a republica veneta orator missus est 1521 ad Carolum V., quem per Angliam in Hispaniam euntem comitatus est. Eo munere tam praeclare functus est, ut in gravissimis status negotiis adhiberetur et praefectura decoraretur. Paulo post legatus ad Clementem VII. arce s. Angeli detentum (1527) missus est, ut eum libertati restitui curaret. Legatione romana aliquot annis optime perfunctus aliaque iterum ad imperatorem inter reipublicae senatores est cooptatus. Ob insignes ejusdem dotes a Paulo III. meritorum justo aestimatore et in seligendis cardinalibus felicissimo, etsi adhuc laicus horum albo est adscriptus 21. Maj. 1535 designatusque qui cum aliis viris egregiis[1]) consilia sua conferret ad Ecclesiae reformationem: quo in negotio libertate

---

[1]) Reumont Briefe heiliger und gottesfürchtiger Italiener, Friburgi 1874 p. 234: In der Geschichte der Reformbewegung des 16. Jahrh. gibt es keine ehrwürdigere und zugleich einnehmendere Gestalt als die des Card. G. Contarini, in welchem sich Wissen mit Frömmigkeit, staatsmännische Thätigkeit mit ernstem schriftstellerischen Wirken, Weltkenntnis mit Freude an Zurückgezogenheit, Festigkeit religiöser Grundsätze mit Milde und Versöhnlichkeit in religiösen Streitfragen vereinigten.

[2]) Illustrissima est Contarenorum familia, cujus plures magnam adepti sunt nominis famam. Ita praeter nostrum Ambrosius C. Venetorum erat legatus ad Persiae regem Usuncassanum (1473—77) iterque suum persicum literis consignavit (inter Script. reg. pers. Francofurti 1601 p. 487—512). — Aloysius (Ludovicus) O. Crucif. avunculi sui Casparis, de quo egimus, edidit Parisiis 1571 opera, et Romae vulgavit 1569 *Descrizione dell'Antichità, Sito, Chiese* etc. *di Roma.* — Cosmas C. erat canonista Patavii 1460. — Franciscus C. erat historiographus († 1476), cujus opus praecipuum est de rebus, quibus ipse interfuit gestis in Etruria 1453 ab Alphonso rege neapolitano, a Venetis et Senensibus ll. III. — De Jo. Baptista M. C. O. Praed. (fl. 1654) agimus t. II², 1454. — Hieronymus C. praeter totius orbis descriptionem, Venetiis 1605, publici juris fecit opus, quod vocatur aureum, in Thomam A. *de ente et essentia,* ib. 1606. — Joannes Baptista C. Patricius physicorum perscrutationi erat addictus. Ejus *de Deo* et quae ex Deo effluxere ll. III, prodierunt Venetiis 1594; *quaestiones peripateticae* de rebus naturalibus ad mentem Aristotelis examinatae, ib. 1617. — Julius C. erat episcopus bellunensis et cardinalis († 1575). — Alii hujus nominis fuere magistratus politici vel belli duces. Cf. Fabricius bibl. lat. I, 392 s.

[1]) Hi alii viri insignes fuere Caraffa, Sadolet, Pole, Fregoso, Aleander, Giberti, Thomas Badia. De singulis suis locis egimus excepto hoc ultimo, qui scriptis non innotuit. Fuit origine Mutinensis, professione dominicanus, munere magister s. palatii, merito a Paulo III. creatus (1542) cardinalis. Eum idem pontifex miserat 1540 cum aliis delegatis ad colloquium wormatiense († 1547).

apostolica mentem suam aperiebat nullo respectu humano ductus, ut Pallavicino eum diceret „sacri collegii Catonem.“ Ita praeter *Consilium delectorum cardinalium* et aliorum praelatorum de emendanda Ecclesia, in quo componendo haud infimas habuit partes, duas tradidit pontifici epistolas de reformatione curiae scil. *de potestate pontificis* in usu clavium, et *in compositionibus,* apud Le Plat coll. mon. conc. trid. II, 605 ss. Missus est a Paulo III. ad comitia ratisbonensia et famosum colloquium (1541), quod sperato fructu caruit, etsi Contarenus omni uteretur indulgentia, ut vel in suspicionem venerit de favore Lutheranis impenso, sed plane immerito. Ex nimio tamen reconciliationis studio ortum videtur, eum Pighii et Gropperi opinioni de justificatione Lutheranorum erroribus nonnihil affini adhaesisse in suo de hoc argumento scripto (opp. III, 588-96, Parisiis 1571). Romam reversus ita se ab omni suspicione purgavit seque integra fide negotia sibi demandata administrasse tam luculentis comprobavit argumentis, ut pontifex eum ad maxime honorificam legationem bononiensem promoveret, verum brevi post decessit 24. Aug. 1542, tanti factus a viris eruditis sui aevi, ut Sadoletus ep. famil. III p. 401 scriberet: „Is occidit vir, quo nec meliorem, nec integriorem, neque omni laude et virtute praestantiorem nec nostra, nec superior tulerit aetas.“ Opera ejus collecta prodierunt Parisiis 1571, Venetiis 1589, inter quae praeter philosophica, politica vel jam laudata mentione digna sunt: *De sacramentis* christianae legis et catholicae Ecclesiae ll. 4; *de officio episcopi ll. 2* praeceptis utilissimis referti; Scholia *in ep. d. Pauli et Jacobi, in* quibus sensum literalem bene explicat; *Summa* (utilis) *conciliorum* magis illustrium; *Confutatio* articulorum seu qq. Lutheri; *de potestate pontificis,* quam juris esse divini ostendit; *de libero arbitrio; de praedestinatione;* tr. *de justificatione,* approbatus a Sorbonna, etsi ejus doctrina merito minus arriserit theologis catholicis [1]); in ed. veneta hic tr. ante conc. tridentinum scriptus, secundum hujus definitiones a Marco Medices inquisitore generali reformatus seu expurgatus prodiit. Pretiosae sunt pro historia illius temporis ejus *epistolae* et *relationes.* Eas diligenter et accurate exhibuerunt Dittrich Regesten und Briefe des Card. G. Contarin, Braunsberg 1881; coll. hist. Jahrb. IV (1883), 154—158; Pastor, ib. I (1880), 321—392; 473—501; W. Friedensburg der Briefwechsel G. Contarinis mit Erc. Gonzaga nebst einem Briefe G. P. Carafas, ubi ep. 44 horum cardinalium exhibentur, in Quellen und Forsch. aus ital. Archiven und Biblioth. II (1899), 161—222; V. Schultze Zeitschr. f. Kirchengesch. III, 150—184; Brieger ib. VI, 574—606. Ejus scripta latini idiomatis puritate sermonisque elegantia atque etiam rationum soliditate excellunt. Eum fuisse virum vere religiosum vel inde patet, quod libellum exercitiorum s. Ignatii propria sibi descripserit manu [2]).

670. Ex *hispanis* [3]) praeter Dominicum Soto et Melch. Canum, de qui-

---

[1]) Cf. de Contarini sententia controversia literaria apud Weizsaecker-Brieger Realenc. IV³, 280, ubi aliam copiosam de eo reperies literaturam.

[2]) Cf. de ipso Eggs II, 503—9; Ludov. Beccadelli († 1572), qui cardinali fuit a secretis, et Joan. della Casa in suis vitis apud Quirini ep. Reg. Poli, Brixiae 1748. III, 97 ss.; Venetiis 1827; Pastor KL. III, 1038 ss. et praesertim Dittrich G. Contarini, Braunsberg 1885 coll. Pastor hist. Jahrb. 1887 p. 107—115. et 271-83; Kerker Tüb. Qtlschr. 1859 p. 36 ss.; Tiraboschi VII p. 1 l. 2 c. 1 n. 10 s.; Laemmer op. cit. n. 38; Cum grano salis legendus W. Braun Kard. G. Contarini oder der Reformkatholizismus unserer Tage im Licht der Gesch., Leipzig 1903.

[3]) Joannes Jubinus (Jubi) O. Min. Majoricensis carmine latino saphico scripsit *de sacramento eucharistiae* et ejus sacrificio adversus haereticos hujus nostri

bus supra jam egimus p. 1160, contra reformatores disputarunt Alphonsus Ruiz de Virues (Virvesius) OSB. Ulmetanus, s. theologiae magister, Caroli V. imp. ecclesiastes, quem etiam comitatus est in Germaniam, demum episcopus canariensis († 1545), cujus prodierunt *philippicae disputationes XX* adversus lutherana dogmata per Phil. Melanchtonem defensa, nuper Augustae ac deinde Ratisbonae habitae Antverpiae 1541: Coloniae 1545; 1561, quibus accedit *de matrimonio regis Angliae tr.* — Alphonsus de Herrera O. Praed., qui Parisiis excultus etiam selectus est ad legendas ibidem sententias. „Vir arcana et mystica divinarum Scripturarum interpretatione altus atque sublimis, fidei propagator acerrimus, dicendi artifex et orator facundus, catholicae religionis contra haereses propugnator invictus," dicitur ab Eisengrein ad a. 1550. Carolo V. erat a. concionibus († c. 1558). Disputavit *de valore bonorum operum* adversus Lutheranos, Parisiis 1540 in 8. — Ejus sodalis Joannes de Ludeña Matritensis, doctor parisinus et sententiarum lector, procurator episcopi seguntini in concilio tridentino, disputavit *de coelibatu sacerdotum* ad duos articulos propositos de matrimonio, Patavii 1563; Lovanii 1567 in 4. — Petrus Joannes Olivarius (Oliver), qui praecipue in Gallia morabatur, scripsit *Dilucidam et claram confirmationem* praesentiae corporis et sanguinis Christi in sacramento altaris adversus eos, qui auctoritatem Ecclesiae, decreta patrum, conciliorum generalium ac ss. doctorum expositionem rejiciunt, Coloniae 1553 in 8 et praeter alia[1]) *de prophetia et spiritu prophetico,* Basileae 1543 in 4. — Praetermisso Emmanuele de Almada Lusitano, episcopo angrensi in Terzera insula, cui sedi tamen renunciavit[1]) (1567), laudandus occurrit Petrus Soto clarissimum Hispaniae sec. XVI. sidus ac fidei catholicae firmissimum adversus haereses propugnaculum. Natus est Cordubae nobili stemmate. Ordinem s. Dominici ingressus (1518) vir evasit brevi scholasticis concertationibus, sacra doctrina, patrum et conciliorum assidua lectione, morum ad haec integritate et innocentia conspicuus, unde a Carolo V. delectus est ab arcanis et sacris confessionibus et consiliarius. Ab eo in Germaniam ductus visa religionis ruina indoluit missionemque ab aula impetravit, quo se pro domo Dei adversus irrumpentes haereses murum opponeret. Hinc cardinali augustano se obtulit, qui in academia dilingana ss. literas interpretaretur. Operam etiam suam contulit ad concinnandum catechismum pro dioecesi (1548). Cum Philippus II. sibi desponsasset Mariam Angliae reginam, quae collapsam religionem catholicam restaurare meditabatur, secum duxit Petrum cum Barth. Carranza et Joan. de Villagarcia ejusdem ord. collegis, qui universitates oxoniensem et cantabrigiensem a fermento haereseos expurgarent sanaque illustrarent doctrina. Haud diu stetit illa Angliae felicitas: defuncta Maria 15. Nov. 1558 illi exsulandum fuit cum collegis. Restaurata synodo tridentina missus est Petrus a Pio IV. theologus pontificius: ibi vero sincero synodi luctu et desiderio, nam magna erat ejus apud omnes auctoritas, morte abreptus est 20. Apr. 1563. Haec potiora ejusdem opera[2]): *Institutiones christianae,* Augusta V. 1548 in 4; Antverpiae 1551; *Methodus confessionis* s. doctrinae pietatisque christianae epitome, Dillingae 1553; *Doctrinae catholicae compendium* in usum plebis christianae recte instituendae,

temporis, Barcinone 1570 in 12. Fuit episcopus auxiliaris barcinonensis et interfuit concilio tridentino a. 1551.

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. n. II, 206.

[1]) Cf. Nic. Antonius ib. I, 340.

[2]) Cf. Echard II, 183, Weinhart KL. XI, 531.

Dilingae 1560; *Assertio catholicae fidei* circa articulos confessionis nomine ill. ducis Würtembergensis per legatos concilio tridentino oblatos, Antverpiae 1552; 1557 in 4; Coloniae 1555: quam cum Brentius impugnasset, *defensionem* scripsit Antverpiae 1557; 1593; *de institutione sacerdotum*, qui sub episcopis curam animarum gerunt seu *Manuale clericorum*, Dilingae 1558 in 4; Lovanii 1566; Lugduni 1567; 1586; Venetiis 1567; Coloniae 1579 etc. Otto cardinalis augustanus auctoris laude praemissa mandavit professoribus dilinganis, ut hunc tr. a principio usque ad finem in scholis praelegerent et explicarent. Alia etiam composuit in utilitatem populi per modum catecheticae institutionis vel catechismi. Duae ejus ep. ad Ruardum Tapper *de concordia gratiae et liberi arbitrii*, in quibus tuetur gratiam ex se efficacem, leguntur in Reginaldi opere de mente s. conc. tridentini circa gratiam seipsa efficacem (cf. Nomencl. II², 46).

671. In *Anglia*, terra illa hoc tempore feraci martyrum, pro fide steterunt catholica Joannes Gynneth in musica insigniter versatus, qui se opposuit Lutheri et Zwinglii erroribus Angliam jam jam invadentidus. Obiisse videtur[1]) c. a. 1557. — Guilelmus Peryn O. Pr., sub Henrico VIII. a. prope 20 profugus, sub Maria regina rediit († 22. Aug. 1558), cujus laudantur *Tre Godlye and notable Sermons* of the most honourable and Blessed Sacrament, London 1546; 1548. — Cuthbert Tunstall plurimis auctus beneficiis, bis regius legatus ad tractanda status negotia factus est episcopus londinensis, dein durhamensis. Episcopatu privatus restitutus est sub Maria regina, sed sub Elisabetha iterum sede dejectus decessit in carcere 18. Nov. 1555 a. aetatis 85. Praeter alia, etiam polemica[1]), disseruit *de veritate corporis et sanguinis Domini* in eucharistia ll. 2, Lutetiae 1554; *contra impios blasphematores Dei praedestinationis*, Antverpiae 1555. — Joannes Black O. Praed. Scotus, qui colloquium habuit[2]) cum ministris haereticis a. 1561 Edinburgi irrito pro more successu, fidem catholicam strenue voce stiloque propugnavit, mox et martyr fuso sanguine confirmavit († 7. Jan. 1562). — Alius Scotus Quintinus Kennedy OSB. nobilibus parentibus prognatus, abbas crossraguelensis, fortis fuit fidei catholicae apologeta tristissimae defectionis tempore. Scripsit[3]) inter alia Ane compendious Tractive conform to the Scripturs of Almighty God. *Ressoun and authority* declaring the nerrest and onlie way to etablische the conscience of ane Christian man in all matteris quhilks ar in debate concernyng Faith and Religioun, 1558. — Richardus Smith Worcestriae in Anglia 1500 n. theologiae doctor erat et professor in oxoniensi academia multis jam annis, sed sub Eduardo VI. ob fidei catholicae professionem loco motus est eique suffectus famosus Petrus Martyr apostata. Hinc in Belgium migravit (1549) atque Lovanii obtinuit cathedram theologicam. Cum vero non multo post obiisset Eduardus et sub Maria regina religio catholica in Anglia restauraretur, regressus est in patriam, factus reginae confessarius aliis auctus beneficiis et muneribus, etiam dignitate vicecancellarii oxoniensis (1555). Qua defuncta recrudescente in catholicos persecutione, iterum exsulare est coactus. Altera ergo vice Belgium adiit,

[1]) Cf. Gillow A. Literary and biographical History . . . of the English Catholics III, 70; quem cf. etiam de Henrico Pendleton Manchestrensi (1557) V, 256.

[1]) Cf. Gillon V, 556.

[2]) Cf. Bellesheim Gesch d. kath. Kirche in Schottland II, 20; Echard II, 182.

[3]) Cf. hujus operis epitomen aliaque auctoris nostri opera apud Bellesheim op. cit. I, 402 ss.

et a Philippo II. factus est ad s. Petrum Duaci praepositus et theologiae professor in academia ab eodem Duaci instituta fuitque ejusdem rector et cancellarius († 9. Jul. 1563). Omnem suum laborem et industriam eo direxit, ut haereses confutaret, fidem catholicam propugnaret: unde partim latine partim anglice scripsit contra praecipuos sui temporis haereticos. Ejus opera sunt admodum rara. Haec autem sunt potiora: *De missae sacrificio* succincta quaedam enarratio ac brevis repulsio praecipuorum argumentorum, quae Ph. Melanchton, Jo. Calvinus et alii sectarii objecerunt adversus illud et Purgatorium, Lovanii 1562; *Defensio compendiaria et orthodoxa sacri, externi et visibilis J. Chr. sacerdotii,* cui addita est sacratorum catholicae Ecclesiae altarium propugnatio etc., ib. 1562; *Confutatio* eorum, quae Ph. Melanchton objecit contra missae sacrificium propitiatorium. Cui accessit et repulsio calumniarum Jo. Calvini, Musculi et Jo. Ivelli contra missam etc., ib. 1562; *De infantium baptismo* contra J. Calvinum, ac de operibus supererogationis et merito mortis Christi, ib. 1562; Assertio and *defence of the sacrament of the altar,* Londini 1546, partim latine, partim anglice, ut suis popularibus prodesset. *Brief treatise* setting forth divers truthy necessary to te held by Christian people and kept also, which are not expressed in the Scripture, but left of the Church by the apostles tradition, ib. 1547; diatriba *de hominis justificatione* contra Petrum Martyrem; contra eundem sunt Confutatio quorundam articulorum *de votis monasticis,* Lovanii 1550, et *defensio sacri episcoporum et sacerdotum coelibatus,* Parisiis 1550. *A buckler* of the catholik faith of Christ's. Church, Londini 1552; *de libero hominis arbitrio* adversus J. Calvinum, Lovanii 1553, et alia quaedam pariter polemica.

672. Prae primis vero nominandus occurrit Reginaldus Polus (Pole, Pool) nobilissimae prosapiae filius natus a. 1500. Puerulus in coenobio patrum carthusianorum Londini primum literis et bonis moribus institutus, puer duodennis Oxonii studiis operam dedit. Humaniorum literarum amore incensus amplissimis stipendiis a rege auctus Parisios, deinde Patavium (1519—26) migravit, ubi ei magna cum Petro Bembo, Sadoleto, Caspare Contareno, Matthaeo Giberti, Priulo, qui ei ad extremum usque spiritum fidelissime adhaesit, aliisque viris illustribus familiaritas. Visitata Roma in patriam rediit (1527), ubi Henricus VIII. omnia tentavit, ut eum redderet mollem ad consentiendum in suum cum Anna Bolena connubium oblato etiam archiepiscopatu eboracensi, sed frustra. Omnes insidias vir optimus prudenter declinavit Angliamque deseruit iterumque Patavium secessit (1532), ubi literis vixit, et a. 1535 Venetiis Isaiam prophetam est interpretatus. Interim Henricus se a Catharina uxore legitima separaverat adhaesitque Annae, imo et caput ecclesiae anglicanae proclamari fecerat: cujus rei nuncium per velocissimum cursorem Polo significavit literis ad eum humanissime scriptis flagitans propositisque amplissimis promissis, ut et ipse actis consentiret. Restitit nobilissimus vir iramque regis non timens declaravit „nolle se cum gravata crimine conscientia in consilium impiorum abire, nec cum salutis dispendio lubricam regis gratiam mercari". Hinc composuit *pro ecclesiasticae unitatis defensione ll. 4,* Romae (1538), ed. rara (m. 150); Argentorati 1555; Ingolstadii 1587, ed. rara; quibus quintum etiam adjunxit l. ad Eduardum VI. Henrici filium, qui prioribus praefationis est loco, opus plane insigne. Hujus op. apologiam

[1]) Cf. Foppens II, 1070; Bi. univ. XLII, 474; praesertim vero Leuridan in Revue de Sciences ecclés. LXXXIX (1904), p. 481—503.

scripsit[1]) ad Carolum V. (inter ep. Poli ed. Quirini I, 66—171). A Paulo III. Romam est evocatus, ut cum aliis praestantissimis viris ratio aliqua iniretur de restauranda disciplina ecclesiastica admodum collapsa. Horum nomine delineavit *Consilium delectorum cardinalium* de Ecclesiae emendanda. Ab eodem pontifice licet renitens et invitus 20. Dec. cardinalis fuit creatus: quo nuncio accepto Henricus in furorem actus est cruentissimamque persecutionem in ejus consanguineos commovit, Poli fratribus aut internecioni datis aut in fugam actis: matrem vero honestissimam piissimamque feminam nulla cognationis, aetatis (90. annum jam attigerat), sexus ratione habita publico in foro capite plecti jussit: hinc a Leone XIII. beatorum numero fuit adscripta 9. Dec. 1886. Publica etiam praeconis voce 50000 aureos ei promisit, qui necem cardinali inferret, quare hic non semel vitae incurrit periculum. Convocato concilio tridentino ipse a Paulo III. cum cardinalibus del Monte et Cervini ut illi praeesset destinatus est. Post hujus pontificis mortem tanta fuit cardinalium in ipsum conspiratio, ut duo tantum illi suffragia ad electionem in pontificem deessent, suaque resistentia effecit, ut alius ejus loco (Julius III.) eligeretur. Defunctis Henrico VIII. ejusque successore Eduardo VI. Maria Catharinae filia thronum adepta est (1553), quae de restauranda religione catholica in Anglia admodum fuit sollicita. Quem in finem Polus est missus legatus apostolicus cum amplissimis facultatibus dictusque archiepiscopus cantuariensis (1555). Quae in hoc negotio gesserit consulto praetermittimus, cum ad nos non spectent. Decessit tantus vir ingenii et judicii praestantia, morum suavitate, innocentia vitae, eruditione defensaeque religionis merito spectatissimus mox a morte Mariae reginae eadem die 17. Nov. 1558, ingenti ecclesiae anglicanae damno[1]). Potiora ejusdem opera stilo tersissimo conscripta (praeter illud, quod supra laudavimus) sunt: *De summo pontifice* Christi in terris vicario ejusque officio et potestate, Lovanii 1569 (cum praecedenti et aliis, m. 50); apud Roccaberti XVIII, 144—190; *de concilio l.*, de baptismo Constantini M.; Reformatio Angliae ex decretis ejusdem, Venetiis 1562; Romae 1562, Dilingae 1562; apud le Plat III, 296—377; cum op. *pro primatu romanae Ecclesiae*, Argentinae 1555 in f.; *A treatise of Justification*, ex ejus scriptis concinnatus, Lovanii 1569; oratio *de pace*, Romae 1555, et quaedam alia. *Epistolas* collegit ediditque celeberrimus card. Querini Brixiae 1744—57 t. 5 in 4., quorum ultimus est rarissimus (m. 175). Ipsius quoque sunt Literae pontificiae (Pauli III. a. 1542) *de modo concionandi*.

673. In *edendis, illustrandis vertendisque patrum operibus* occupati fuere plures ex iis, qui literis delectabantur humanioribus. Ita praeter V. Hartung Paceum (de quo cf. supra p. 1423) Joannes Matthaeus Giberti Panormi n. 1495 classicis literis egregie imbutus, Julio de Medici cardinali a secretis, imo Leoni X. a consiliis, nam etsi juvenis summa pollebat auctoritate apud

[1]) Hunc ex cod. ms. deprompsit Schelhorn Hist. eccl. amoenit. I, 191—276: sed quia insertus est, ut inquit Michael a s. Jos. Biblioth. crit. IV, 24 farragini conviciorum et errorum, ipse eum recudit ib. pag. 24—47. Reperitur et in ed. Quirinii IV, 306—53.

[1]) Cf. Zimmermann C. Pole Leben und seine Schriften, Regensburg 1893; Lee C. Pole archbishop of Canterbury London 1887; Bellesheim KL. X, 125—131; Gillow V, 336—41; Kerker Reginald Pole, ein Lebensbild, Friburgi 1874; Beccadelli Vita del Card. Reg. Polo, latine reddita a Dudithio, Venetiis 1563; London 1690, etiam in ed. cit. epistolarum Poli t. 1. Thomas Phillips Anglus († 1774), de quo plura infra: The history of the life of R. Pole, Oxford 1764-67; 1767 ed. 2. t. 2, quae haud paucorum incurrit contradictionem.

principes et civitates. In domum ipsius conveniebant viri literati praestantissimi, quos in academiam colligebat. In curia licet magnos adeptus honores vitam duxit vere religiosam et membrum erat admodum operosum cum s. Cajetano et Jo. Petro Caraffa sodalitii divini amoris ad restaurandum fovendumque spiritum sincere christianum in fidelium animis instituti. Apud Hadrianum VI., multo magis apud Clementem VII., cujus erat datarius, praecipuus consiliarius et minister, valuit gratia. Instante duce veneto, etsi jam alias recusasset infulas, dictus est episcopus veronensis (1524), et a Clemente VII. selectus cum aliis viris gravibus, qui schema reformationis Ecclesiae concinnarent. Capta Roma a militibus caesareis multa est perpessus, datus a pontifice obses pro propria securitate obtinenda et vix vitae evasit periculum. In gravissimis negotiis semper adhibitus oblitus non est sui gregis, de quo reformando plurimum erat sollicitus. Mores cleri promovere studuit editis statutis etiam rigidis, abusus plurimos sustulit omnibus victis difficultatibus. Synodum dioecesanam iteratasque cum suis parochis habuit collationes, libros pro clero et populo utiles et practicos vulgari curavit, omnibus praeluxit apostolicae vitae exemplo. His studiis et conatibus demum dioecesis immutavit formam et speciem, ut exemplaris instar esse posset aliis dioecesibus. *Constitutiones* hunc in finem editae prodierunt Veronae 1548, 1589; Venetiis 1565. Ita ipse initiavit desideratissimam Ecclesiae reformationem, quam jam diu viri suspirabant omnes pii et vere catholici, et quam conc. tridentinum decretis suis amplius promovit: in quibus subinde videtur prae oculis habuisse statuta saluberrima apostolici nostri episcopi. Ipsum sibi imitandum proposuit s. Carolus Borromaeus lectis diligenter ipsius scriptis et decretis et appensa in proprio cubiculo ejus imagine cum iconibus s. Ambrosii et b. Jo. Fisher M. Neque ob tantos labores apostolicos destitit praesul vigilantissimus a studiis, imo ea quo poterat modo fovebat, promovebat, animabat. In propria domo erexerat typographiam ad vulgandos libros utiles, inter quos opera patrum, quae propriis expensis recudere fecit, ut *commentaria* s. Jo. Chrysostomi in ep. s. Pauli adhuc inedita 1529 t. 3; s. Jo. Damasceni *de fide orthodoxa ll. 4,* 1531; *commentaria* Oecumenii in acta ap. et in omnes ep. Pauli aliasque ep. catholicas, necnon Arethae *in Apocalypsin,* 1532, quae ed. magni suo tempore aestimabantur. Auctor fuit aliis, ut verterent in latinum opera PP. graecorum ut Phil. Saulio, qui vertit Euthymii Zigabeni *interpretationem psalmorum,* 1530; Bernardo Donato, cujus est versio *demonstrationis evangelicae* Eusebii caes., 1536; Ad. Fumani[1]), qui transtulit latine *opera* s. Basilii, Lugduni 1540 etc. Decessit tantus vir luctu universae Italiae 30. Dec. 1543. Ejus opera collecta prodierunt cura Petri et Hier. Ballerini Veronae 1733 cum ejus vita et diss. de restituta ante trid. synodum per J. M. Giberti ep. ver. ecclesiastica disciplina[2]). Scripsit quoque *epistolas* pretiosas, quarum aliquae variis in collectionibus exhibentur, ut inter Epistolas italicas XIII virorum illustrium collectas a Porcachi, Venetiis 1565, multas tamen ipse Giberti ante mortem igni tradidit. Ipso hortante juxta ejus principia scripsit Tullius Crispoldi *Instituzione de' sacerdoti,* 1568. Hujus

---

[1]) Huic commisit etiam correctionem commentariorum s. Jo. Chrysostomi. Is interfuit Conc. tridentino tamquam secretarius. Obiit senex plenus dierum a. 1586.

[2]) Cf. praeterea Franc. Zini Boni pastoris exemplum ac specimen singulare, Venetiis 1573; Dittrich Beitr. zur Gesch. der kath. Reformation im ersten Drittel des 16. Jahrh. in hist. Jahrb. 1886 p. 1—51; et KL. V, 583—93; Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 1. n. 15.

auctoris sunt etiam Commentaria *in Acta apostolorum,* Firmi 1590.

674. Augustinus Sostheneus Fregosus[1]) O. S. Aug. Genuensis opusculorum s. Augustini t. 3 typis vulgavit Venetiis 1545 in 8; 1547. — Joannes Ricutius Vellinus ab urbe patria communiter Camers appellatus, celebratus humanista, O. M. Conv. „varia doctrina praeditus, Musarum antistes, et historiae diligens scrutator, ex studio paduano (ubi philosophiam cum magna laude est professus) Viennam concessit et primus doctoris subtilis Jo. Duns Scoti dogmata subtilissima plenis velis viennensi gymnasio invexit. Quod non ita est intelligendum, ac si ante ipsum Scoti nomen vel doctrina non insonuerit Viennae, sed quod ipse majori forte diligentia illius foverit studium. Literas graecas adeo calluit, ut cum viris graecis commercium epistolare lingua foverit graeca. Octies decanum egit facultatis theologicae, apud quam magna erat ejus auctoritas. Lutheranis innovationibus se mox opposuit, hinc adversus Paulum Speratum, qui primus Viennae illis in suis concionibus patrocinabatur, scripsit theologicae facultatis universalis studii viennensis doctorum *in Paulum apostolum* sed suae farinae hominibus ἀνὰ τὴν πρόσθεσιν ἐτίμονον *Speratum retaliatio,* Viennae 1524. Post aliquot annos in patriam rediit, ubi senex 98 a. decessit a. 30. Sept. 1546. Suae curae debemus editiones auctorum veterum classicorum[1]), quas eruditis locupletavit commentariis et annotationibus: huc solum spectant *Claudiani opera* accuratissime recognita, Viennae 1510 in 4., quae ed. complectitur etiam antea inedita. Ejus annotationes in Canticum cant., in Evangelium Joannis, in Apocalypsin, in ep. ad romanos asservatae in bibliotheca caes. viennensi non prodierunt. — Vitus Amerbach (Amerpach) Bavarus n. 1503, Wittembergae studiis dedit operam ibidemque philosophiam est professus. Adhaesit quidem Lutheri innovationibus; studio tamen patrum harum falsitatem agnovit. Hinc relicta academia rediit cum uxore et filiis ad Ecclesiam. Factus est Ingolstadii philosophiae et rhetoricae professor († 13. Sept. 1557). Inter humanistas inclaruit atque plura veterum opera[2]) edidit, inter quae aliquot opus-

[1]) Alius ab eo est Fridericus Fregosus (Fulgosus) Genuensis, a Julio II. ad archiepiscopatum promotus salernitanum (1507), quem tamen diu adire non potuit: hinc engubinam administrandam accepit (1508) ecclesiam. Fratrem Octavianum reipublicae genuensis gubernatorem in ea administranda intrepidus militiae dux juvit. Coactus turbis bellicis in Galliam confugit, a Francisco rege optime exceptus et s. Benigni abbatia Divione sita auctus, ibidem, cum linguarum graecae et hebraicae peritia clarus esset, ss. literarum studio pietatisque exercitiis totum se mancipavit. Inde rediit ad ecclesiam eugubinam, quam virtutum exemplis maxime illustravit. A Paulo III. inter cardinales fuit electus 12. Dec. 1539, quem honorem nonnisi minis apostolicis compulsus acceptavit, sed mox dimisit morte abreptus 22. Jul. 1541., a Sadoleto oratione funebri quam maxime commendatus. Peritissimus erat eo tempore linguae hebraicae. Reliquit *Pio e christianissimo tr. della oratione,* il quale dimostra come si debba orare; qui tamen cum prodierit cum opusculis Della giustificatione, della fede e delle opere; Prefatione alla lettera di s. Paolo ai Romani, quae sunt versiones scriptorum Lutheri, quondam prohibitus legebatur in Indice trid. Ejus *epistolae* reperiuntur inter ep. Sadoleti, Cortesii, Bembo etc. Cf. Tiraboschi VII. p. 2 l. 3 c. 2 n. 4 ss.; Eggs Purp. doctae l. IV. § 55.

[1]) Cf Aschbach Geschichte der Wiener Univers. II, 172—185, qui accurate ejusmodi editiones, quibus Camers nominis celebritatem debet, recenset.

[1]) Cf. Floss KL. I², 705—11; Räss Die Convertiten I, 233-235; opera apud Adelung I, 722 s. Idem praestitit Beatus Bildius vulgo ab oppido patrio genitoris Rheinau Rhenanus appellatus, n. c. 1485 Schlettstadii. Studiis operam dederat Parisiis, Argentorati, Basileae totusque incubuit literis humanioribus, unde inter humanistas inclaruit († 18. Maj.

cula Epiphanii et Chrysostomi. His adjecit historiam *de sacerdotio J. Christi* ex Suida, quae quondam prohibebantur in Indice tridentino, sicut et ejus *Antiparadoxa* et Poemata Pythagorae et Phocilidis cum duplici interpretatione.

675. Ambrosius Ferrari OSB. Mediolanensis, abbas monasterii genuensis s. Benigni, Origenis *commentaria in Joannem* ex graeco in latinum sermonem convertit, Venetiis 1552; Rothomagi 1668 (scil. in ed. Huetiana): sed ex t. 32 vertit tantum 9, cum plures ex illis perierint[1]). — Henricus Vermolanus (Vermeulen) a Gravia patrio Geldriae oppido vulgo Gravius[2]) appellatus, O. Praed. ss. literas diu est interpretatus ceu magister theologiae et in priorem coenobii noviomagensis electus († 22. Oct. 1552). Edidit *s. Cypriani E. et M. opera* cum brevibus annotationibus suis ad erasmianas additis, Coloniae 1544; *S. P. Joannis Damasceni . . . universa . . . opera* . . . e tenebris et situ eruta, partim cum graecis exemplaribus mature collata, Coloniae 1546 in f., *d. Paulini* ep. nolani quotquot exstant *opera,* Coloniae 1560; *Scholia et annotationes* in 102 priores s. Hieronymi epistolas, quarum primam decadem edidit Jo. Antonianus O. Praed., Antverpiae 1568 in 8. Easdem annotationes et castigationes edidit Andreas Schottus S. J., Parisiis 1609; Coloniae 1618, quas eruditas dicit summaeque accurationis. Recensuit ss. Clementis, Didymi et Eucherii opera, qui tamen labores non prodierunt; Joanni Costerio[1]) in edendis s. Ambrosii operibus, Basileae 1555, strenuam navavit operam. Animum quoque adjecerat operibus Gregorii nysseni restituendis et castigationes in N. T. paraverat. *De ritibus antiquis* baptismi et confessionis et praefationibus (valde antiquis) CCXL, Coloniae 1530. — Ludovicus Miraeus Gallus edidit *opera* s. Hilarii, quam editionem Constantius multum laudat, sed ea est rarissima. — Martinus Lipsius can. reg. S. Aug. bruxellensis (n. 1492; † 23. Mart. 1555) avunculus celeberrimi Justi Lipsii, amicus et admirator Erasmi[2]), edidit ejusdem *d. Hilarii Pictavorum ep. lucubrationes* olim per Des. Erasmum R. emendatas, nunc denuo vigilantissime et ad plura exemplaria collatas et recognitas, Basi-

---

1547]. Edidit quam plurima veterum opera. Laudantur etiam ejus *rerum germanicarum ll. 5* ab eruditione, a judicii sagacitate, narrationis nitore. Dicitur clam adhaesisse protestantium innovationibus easque approbasse, modum tamen, quo illas tuerentur, damnasse; visa vero horrenda morum corruptione per illas diffusa pedem retraxisse atque viam veluti mediam iniisse. Er nahm, inquit Janssen-Pastor VII, 250, ubi copiosam de eo reperies literaturam, von nun an bis zu seinem Tode eine Mittelstellung zwischen dem alten und neuen Kirchenthum ein. Magis tamen catholicis est accensendus quam novatoribus. Illustravit annotationibus suis opera quaedam in primis Tertulliani. Cf. Dupin XIV, 176. Horawictz et Car. Hartfelder ediderunt Briefwechsel des B. Rh., Lipsiae 1886 coll. Dr. Jos. Schmid hist. Jahrb. XI (1890), 730—742.

[1]) Cf. Huetius in Origenianis p. 1. l. 3 p. 453; Argelati I. p. 2 pg. 597.

[2]) Praeter hunc tres alii comparent hoc nomine insigniti. Primus fuit H. de Gravia O. Praed. coenobii insulensis alumnus, Coloniae interpres s. Scripturae et magister sententiarum et alibi († 7. Apr. 1506); H. de Gravia magister lovaniensis (1504); et H. Gravius de quo agemus t. seq. Cf. Echard II, 140 ss.

[1]) Joannes de Coster can. reg. s. Aug. in valle s. Martini, cujus et prior fuit, ob morum innocentiam Columba cognominatus († 9. Mart. 1559), edidit praeterea *Vincentii lir. commonitorium,* Lovanii 1568; *Sermones Guerrici* ab. igniacensis. Lovanii 1551; Antverpiae 1576 in 12. Cf. Aug. Van der Meersch Biogr. nat. de Belg. V. 23.

[2]) Cf. Horawitz Erasmus von R. und M. Lipsius, ein Beitrag zur Gelehrtengesch. Belgiens im Sitzungsberichte der k. Akad. der Wissensch. in Wien 1882. 100, 665-799, in quo exhibet 89 ep. Lipsii vel ad ipsum, inter quas 19 Erasmi.

leae 1550; *homilias Chromatii,* atque suam operam contulit ad editionem operum s. Augustini[1]), quam curarunt theologi lovanienses, qui ejus castigationibus etiam sunt usi. — Joachim Perion OSB. theologiae doctor (1542), hujus professor, impense erat intentus in epuranda et expolienda lingua latina, qua uterentur eruditi in suis operibus; hinc etiam concinnavit *Topicorum locorum ll. 2,* Parisiis 1499 ad eliman-dos libros scholae lingua barbara conscriptos. In iis inquirit in sedes argumentorum eorumque adversus haereticos ostendit usum. Composuit opera ascetica et hagiologica[2]), ut *de vitis et rebus gestis apostolorum,* Parisiis 1551; Basileae 1552; *de patriarchis,* Parisiis 1555; posthumum prodiit l. *de vitis* rebusque gestis prophetarum ac ss. mulierum V. T., Parisiis 1565; *de vita D. N. J. Christi*; et *de Mariae V.* vita, Parisiis 1553; Coloniae 1569. Cum Petrus Ram professor regius auctoribus veteribus, Aristoteli in primis, bellum indiceret statuta ad propugnandum thesi: „Quaecunque ab Aristotele dicta sunt, falsa et commentitia sunt," et eos e scholis eliminare satageret, academia parisiensis decreto publico professori nostro demandavit, ut in Aristotelis favorem calamum stringeret, quod ipse duplici oratione praestitit, Parisiis 1543. Platonem et Aristotelem latino sermone a se donatos Ciceronis ore loquentes induxit. Vertit ipse et aliquot patrum opera, ita Dionysii *opera* praemissa ejusdem vita cum incerti auctoris scholiis in l. de ecclesiastica hierarchia, Parisiis 1556 inf.; 1566; Coloniae 1557 cum Ignatii et Polycarpi ep.; s. Clementis *epitomen* sive compendium de rebus gestis, peregrinationibus et praedicationibus, Parisiis 1555; Coloniae 1569; s. Justini *opera,* ib. 1554; ejus annotationibus usus est Grabe in sua ed. Oxonii 1700; Origenis t. 9 (ex 39) *in s. Joannis Ev.,* ib. 1555; s. Jo. Damasceni *l. de haeresibus* Basileae 1548; opuscula aliquot s. Joannis Chrys., ib. 1556. Quamvis autem in vertendo stili elegantiam et puritatem assectetur, laudem fidi interpretis non promeruit: constans enim est virorum eruditorum pene omnium sententia plus elegantiae atque latinitatis quam veritatis in suis versionibus reperiri. In op. *de optimo genere interpretandi* in Aristotelis X ll. Ethicorum latini commentarii, Parisiis 1540; Basileae 1542, regulas proponit pro interpretatione minus aptas. Plura alia opera reliquit philosophica, grammatica, ad auctores classicos spectantia, quae praetermittimus.

[1]) Julii Bandini O. S. Aug. pedemontani, theologiae professoris et regentis studiorum in conventu patavino († 1557) prodiit *Tumulus s. P. Augustini* ... diss. historico-canonica illustratus, Ticini 1698.

[2]) Cf. Ziegelbauer Hist. rei lit. OSB. III, 348; Kienle KL. IX², 1812; Feret II, 318—328.

II. Disciplinae ad ss. literas spectantes.

676. Plurimi hac epocha de ss. literis solliciti fuere, tot forte, quot nobis cursu quatuor seculorum non occurrerunt. Ex his aliqui disciplinas et quaestiones attigerunt isagogicas. Plura introductionis argumenta tractat Petrus Antonius Beuter Valentiae Edetanorum natus, theologiae doctor et professor, Pauli III. concionator apostolicus, in *annotationibus X ad s. Scripturam,* Valentiae 1547 in 8. In his agit de ll. canonicis s. Scripturae; quomodo Ecclesia aliquos susceperit, quos non susceperit synagoga; de eorum ordine, auctoribus; de libris deperditis, de multiplici s. Scripturae sensu, de clavibus X

s. Scripturae, de translatoribus s. Scripturae; an Vulgata editio sit d. Hieronymi. Ausus est etiam tentare historiam Hispaniae universalem, speciatim vero regni Valentiae, lingua patria, sed minus feliciter ex defectu artis criticae[1]). *De recta sacrificii oblatione* et caeremoniis ad missam, Lugduni 1542 in 8. — Joannes Maria de Tolosanis O. Praed. Etruscus, fidelissimorum Savonarolae proselytarum unus, antiquitatis indagator et perscrutator accuratus, disputavit *de purissima veritate divinae Scripturae* adversus errores humanos, quo in l. ut videtur inedito continentur inquisitiones ac resolutiones V. et N. T. *De correctione calendarii* pro vera celebratione paschatis et de computatione annorum Domini: quae duo opuscula dicuntur[2]) ad conc. tridentinum ab auctore missa et cum similis generis tr. Jo. Lucidi Samothei, cui titulus: *de emendatione temporum* impressa Venetiis 1546 in 4. — Albertus Nowopolski (Novicampianus) institutor principis Jo. Sigismundi Zapolya filii regis Hungariae († 1558), auctor est operum: *Scopus biblicus V. et N. T.* cum adnotationibus summam doctrinae christianae complectentibus, Cracoviae 1553 et alibi; Lugduni 1572 cum l. *de corruptissimis hujus seculi moribus* variisque atque turbulentis in religione christianae doctrinis (ib. 1557), opus rarum (m. 40); *assertio* quorundam, caritatem non esse majorem atque praestantiorem hac in vita... Scripturis ss. ac. testimoniis orthodoxorum confutata, Cracoviae 1555; *de potestate gemina,* qua regitur mundus, ecclesiastica et regia, tum quae illarum officia sint oratio, Cracoviae 1559. Commentarius in Ev. Joannis et ep. canonicas non prodiit[3]). — Franciscus Ruiz OSB., de Valladolid ss. literarum totiusque rei biblicae scientia fuit clarus, cui exoticarum linguarum cognitio haud mediocre adjunxit ornamentum: hinc a Sixto senensi bibl. s. l. 4., Ant. Posserino in appar. l. aliisque laudatur. Collegit *Regulas 333* intelligendi ss. Scripturas ex mente ss. patrum tum graecorum tum latinorum, quas brevibus explanationibus illustravit, Lugduni 1546; Parisiis 1547; Coloniae cum Sixto sen. 1588; Constantiae 1598. — Ambrosius Quistellus vel de Pistallis (Pisteolis) O. S. Aug. patavinus, ordinis procurator et vicarius generalis († 8. Jul. 1549), commentatus est magistrum sententiarum, lectiones ad populum habuit in omnes s. Pauli epistolas et opus concinnavit adversus philosophos, eos scil. qui asserunt, divinam Scripturam nequaquam posse percipi nisi ab his, qui bonam vitae partem in Aristotelis et aliorum philosophorum lectione contriverint, Venetiis 1536 in 8; 1537. Disseruit quoque *de modo praedicandi Evangelium* et Christum crucifixum, Venetiis 1537; 1544 in 8. — Andreas Placus (Plack) O. Min. Moguntinus, discipulus Nic. Herborn, commissarius familiae quae dicitur ultramontana[1]), compilavit utile *Lexicon biblicum* sacrae philosophiae candidatis elaboratum cum opportuna obscuriorum interim locorum explicatione (ultra 6000) Coloniae 1536; 1543 ed. 2; Basileae 1559; *institutiones grammaticales hebraeae* una cum Jona propheta ejusque versione latina, Viennae 1552 in 8; difficiliorum et graecarum et hebraicarum omniumque peregrinarum dictionum in Geneseos l.

[1]) Cf. Nic. Antonius bibl. hisp. n. II, 170.

[2]) Cf. Echard II, 124.

[3]) Cf. Zschokke die theol. Studien und Anstalten der kath. Kirche in Österreich, Wien 1894 § 15 p. 290.

[1]) Hunc auctorem Le Long p. 908 et Rotermund Fortsetzung und Ergänzung zu Jöchers Gelehrtenlex. VI, 340 calvinistam dicunt; Nomenclatores vero franciscani suis (excepto Wadding) adnumerant, nulla facta apostasiae mentione: et merito quidem cum haec sit plane conficta. Cf. Falk Pastor bonus XI, 126-130; Bibelstudien ... in Mainz, 1901, p. 175-81.

interpretationem, Basileae 1559. — Nicolaus Scutellius O. S. Aug. vir graecis et hebraicis literis eruditus, magistro generali a secretis et a Seripando visitator generalis in Germaniam missus (28. Apr. 1542), disseruit de Masora sive critica hebraeorum sacra, et primus Jamblichum philosophum *de mysteriis aegyptiorum* et pythagorica secta in latinum sermonem traduxit, Romae 1556.

677. S. Scripturam vel plures ejusdem libros *commentariis* aut *scholiis* alii illustrarunt[1]). Isidorus Clarius (Claris) proprie Thaddaeus Cucchi OSB. congr. casinensis, natus est Clarii (Chiari), quod est oppidum agri brixiani, modicis humilibusque parentibus a. 1495. Ob ejus merita tum in scientiis nobilioribus tum in morum insigni sanctimonia evectus est in abbatem monasterii s. Jacobi de Pontita in dioecesi bergomensi, dein s. Mariae Cesenae et ut abbas interfuit conc. tridentino. A Paulo III. creatus episcopus fulginensis gregem suum pavit verbo et exemplo, fulgens praesertim mira in pauperes caritate, quibus reditus fere omnes sat pingues effundebat neglectis cognatis, sententiam illam nobilem subinde inculcans, non affinibus ditandis sed pauperibus alendis ecclesiasticos census sibi fuisse concreditos. Celebravit quatuor synodos et sapientissimis reformavit dioecesim institutis, studia fovit erecta in aedibus suis academia; concionabatur frequenter, ut gregem praeservaret a novatorum erroribus. Acutissima correptus febre patientissime placideque obdormivit et post assiduam populi deosculationem, ut legimus in eis sepulcrali inscriptione, maximis cum lacrymis ejusdem sepultus est 28. Maj. 1555. Haec potiora ejusdem opera[1]): *Vulgata editio N. ac V. T.*, quorum alterum ad hebraicam, alterum ad graecam veritatem emendatum est diligentissime, ut nova editio non facile desideretur et vetus tamen hic agnoscatur, adjectis ex eruditis scriptoribus scholiis ita, ut est, locupletibus, ut pro commentariis sint: multis enim certe locorum millibus praesertim difficilioribus lucem afferunt, Venetiis 1542. Displicuerunt praefatio et prolegomena, quibus praecisis permissa fuit hac inscriptione: *Biblia sacrosancta V. ac N. T.* . . . . ex secunda auctoris recognitione deputatorum conc. tridentini servata censura. Venetiis 1557 (m. 50); 1564 (m. 40). Prologus quidem displicuit, quia ibi auctor incauto lectori fucum facit, et magnificis promissis spem ejus ludit: promittit enim editionem nostram latinam, qua totus christianus orbis utitur ac semper, ut ipsemet facile conjectat, usurus est, et quam squalidam et innumeris pene erroribus (quorum ipse ad octo millia emendasse jactat) scatentem declarat, optime fere et ornatam et emendatam exhibere, cum constet pessime utrumque aut nullo modo praestitisse. Prolegomena vero displicuere, quia ex turbidis haereticorum fontibus partim derivata vel non satis accurata sunt. Quare in IV. reg. Indicis praecipimur, non aliter uti permissa Isidori versione, nisi tamquam nullam adversus textum Vulgatae fidem faciente. In plerisque vero locis, notat Rich. Simon[2]),

[1]) Cf. Ziegelbauer hist. rei lit. OSB. p. III. c. 3. § 36; Nicéron Mém. XXXIV, 107 s.; Kobler KL. III², 409; Armellini bibl. bened. casin. II, 49 ss.; Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 1. n. 30.

[2]) Hist. crit. du V. T. III, 15; Hist. crit. du N. T. c. 11; disquis. crit. de variis bibl. ed. c. 22. Cf. etiam Michael a s. Jos. bibliogr. crit. III. 145. En quomodo graviter de hoc opere judicet Melch. Canus de locis theol. II, 13: „Isidorus Clarius ferendus non est, cujus emendatio nihil aliud est, quam interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in

[2]) Inter eos referri debent, quos jam supra laudavimus Ger. Lorich p. 1407; Joannes Viguier p. 1378; Alph. de Castro p. 1395; Jo. M. Verratus in N. T. p. 1456, Dom. de Soto p. 1372; And. de Vega p. 1390.

quae castigat in latino interprete, ineptum se ac linguae hebraicae imperitum ostendit: lectiones minus acceptas in textum recipit, sensibus ut plurimum suis tamquam originalibus adhaeret: graecum exemplar in iis locis, in quibus minus quam Vulgata accuratum creditur, tamquam prototypon exhibet: quae ipsi aspera visa sunt et barbara hac una ratione explodit: quae graeco contextui non satis congruere existimat, ea suo modo interpretatur. Neque veterum versionum rationem habet, neque satis bonis codicibus utitur. Exprobratur ipsi quoque, scholia in V. T. ad verbum ex annotationibus Seb. Münster auctoris protestantis fere exscripsisse: ea tamen Critici sacri in suam collectionem receperunt. *In cantica canticorum* scholia ex arcanis Hebraeorum eruta, Venetiis 1544; *in Evangelium Lucae* orationes 54, Venetiis 1565; *in sermonem Domini in monte habitum* secundum Matthaeum or. 69 ad populum, Venetiis 1566; 1567 in 4; *super Missus est* et super canticum Magnificat, orationes de b. Maria V., Venetiis 1565; in c. 15. ep. 1. ad Corinthios ll. 3, qui tamen prodiisse non videntur; ad eos, qui a communi Ecclesia discesserunt, *adhortatio ad concordiam,* Mediolani 1540; Mutinae 1705, accurante doctissimo Bacchinio (cf. II², 1182), qui auro gemmisque pretiosiorem hanc vocat lucubrationem; *orationes quatuor* habita in conc. tridentino, 1. de justificatione hominis; 2. de imputatione justitiae et certitudine gratiae; 3. et 4. de gloria, Venetiis 1548 in 4; *orationum extraordinariarum t. 2,* in quibus utriusque T. insigniores quique loci erudita facundia scite ac luculenter illustrantur, Venetiis 1567—77; *epistolae* sermone nitidissimo conscriptae a Bened. Bacchinio editae, Mutinae 1705. Operum plurium editionem curavit post ejus mortem Benedictus Guidi sodalis.

678. Franciscus Vatablus (Watebled, Gastebled) Gallus professor erat regius linguae hebraicae a Francisco I. accitus, studii linguae hebraicae per Galliam restaurator. Ex hujus praelectionibus in s. Scripturam, quas vel Judaei frequentabant, Robertus Stephanus celeber typographus (qui tamen misere defecit ad Calvinianos), collegit *scholia* adjecitque versioni s. Scripturae a Leone de Juda adornatae Parisiis 1545, sed erroribus infecta: hinc reprobata fuere a theologica facultate parisiensi et ab ipso Vatablo, et nonnisi correcta in ed. 1584 Salmanticae permissa ab inquisitione hispana[1]). Ea alioquin aestimantur[2]), quia sunt clara, concisa, literalia et critica. Iterum prodierunt 1729 t. 2 in f. In criticis sacris reperiuntur intermixta erroneis prout habentur in ed. a. 1545, indiscriminatim sub Vatabli nomine. Obiit 16. Mart. 1547. — Ab eo sejungendus non est Joannes Gagnaeus parisiensis academiae rector et ecclesiae cancellarius († 1549). Nam ille illustraverat V. T., hic N. T. Plerumque autem sequitur accurate textum graecum, atque graecos patres magis quam latinos adhibet; in actibus vero ap. et

operis fronte veterem editionem correctam; postea vero quam pollicitatione hac depellit invidiam novitatis, multa inserit, adjicit quaedam, nonnulla mutat; ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quam aut veteris interpretis errorem aut veterum codicum depravationem. Quam bellum erat potius novam editionem confiteri quam veterem emendatam: ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur.“ Huetius tamen in l. de claris interpretibus nititur Clarium tueri contra hanc censuram.

[1]) Earum censuram (forte cum aliis) adornasse dicitur Alphonsus Manrique (aliis Martinez) O. Praed. (fl. 1559), juxta quam repurgata prodierunt in ed. s. Scripturae Salmanticae adornata 1584. Cf. Echard II. 167; Dupin XIV, 175.

[2]) Cf. Feller 8, 311; R. Simon Hist. crit. du V. T. III, 15; Haneberg Gesch. der bibl. Offenb. ed. 4. p. 849 Regensburg 1876; Kaulen KL. XII², 777.

epistolis catholicis Oecumenium fere ducem habet. Soli sensui literali inhaeret eumque paucis verbis, sed clare indicat. Quare ipse scholia sua »brevia quidem, si paginas spectas, ceterum prolixis commentariis non minus succulenta«, non immerito dixit[1]). Ejus brevissima et facillima *in omnes ep. Pauli* scholia cum scholiis ... in septem ep. catholicas et Apocalypsim prodierunt ib. 1543; 1629 etc.; *in Evangelia* et *actus* post ejus mortem, Parisiis 1552. In iis libenter Cajetanum plus aequo carpit et Ambr. Catharinum laudat, nimisque commendat l. Alb. Pighii de justificatione operum ac fidei tractatum. Minoris utilitatis est ejus poëtica versio *Psalmorum*, Parisiis 1547. Typis quoque dedit veterum quorundam opera, ut Primasii commentaria *in ep. s. Pauli* ad Romanos et ad Hebraeos, Lugduni 1537; Aviti et Marii Victoris *carmina* Lugduni 1536; Apollonii Collatii Excidii hierosolymitani ll. IV, Parisiis 1540.

679. Jam ad eos veniamus, qui *libros singulares* illustrarunt. Augustinus Steuchus natus est Eugubii a. 1469, in baptismo Guido nominatus, quod nomen mutavit, quando ingressus est congregationem can. reg. s. Augustini (1513). Finito magno ardore studiorum curriculo praefectus est ditissimae ordinis bibliothecae Venetiis, postea rexit canoniam rhegiensem et (1533) prioris munere fungebatur in canonia eugubina s. Secundi. A Paulo III. dictus est episcopus cisamensis in insula cretensi (1538) et bibliothecae vaticanae praefectus († 1549). Vir erat admodum eruditus, studii indefessi, linguarum graecae et hebraicae peritus. Prodierunt ejus opera collecta Parisiis 1578; Venetiis 1591 t. 3 in f. cura Ambr. Morandi (Amorandi) abbatis generalis congr. can. reg. s. Augustini († 1608) cum auctoris vita (non satis accurata); ib. 1601, quorum potiora sunt: V. T. ad hebraicam veritatem recognitio sive *in Pentateuchum annotationes*, Venetiis 1529 in 4. ed. rara; Lugduni 1531 in 8. Parisiis 1578 t. 2. In iis nititur vulgatam tueri versionem atque ostendere eam esse textui magis conformem hebraico versione alexandrina. Eas a judicio critico laudat R. Simon, quamvis notet, Steuchium minus aequum censorem alexandrinae fuisse versionis[1]). *Cosmopoeia* vel de mundano opificio expositio (valde accurata) trium priorum cc. Geneseos, Lugduni 1535, in qua ex scriptorum profanorum testimoniis admodum erudite mosaicam illustrat narrationem. Ea fuit impugnata ab Ambrosio Catharino, primum prohibita »donec corrigatur;« correcta in ed. veneta: hinc in Indice olim legebatur: »Nisi fuerit ex emendatis et impressis Venetiis a. 1591:« quae tamen modo desunt. *In l. Job* enarrationes, Venetiis 1567; 1601; *in Ps. quadraginta priores:* adjectae sunt explanationes aliquot nobilium psalmorum, quorum argumentum est de rege Messia, de creatione mundi, generis humani, spe coelesti, scil. in ps. 44. 67. 72. 90. 102. 103. 109. 138, Lugduni 1548. Ob psalmorum 18 et 138 expositionem (Lugduni 1533) controversia orta est literaria cum Erasmo, hinc eorum literae de hoc argumento editioni fuere subjectae. *Quaestio* an vulgata editio sit d. Hieronymi; Libri tres in Lutheranos *de christiana religione tuenda* Bononiae 1530, cujus l. 2. inseruit Rocaberti suae bibl. pont. IV. 653—68; *de perenni philosophia ll. 10*, quo in opere magno

[1]) Cornely Introd. in V. T. ll. ss. diss. 3 c. 4 § 14. Ea etiam laudat R. Simon Histoire crit. des princ. comment. c. 40, p. 579—89, de eoque inter alia scribit: Ce Commentateur fait paroître dans tout son ouvrage sur le N. T. qu'il entendoit la matière qu'il traite, et qu'il étoit même habile dans la Critique etc. Cf. Dupin XIV, 182; Feret II, 188—91.

[1]) Hist. crit. du V. T. III, 12; Dupin XII, 183. Cf. Canus II. 13.

eruditionis apparatu et stilo eloquenti nititur ostendere philosophos gentiles mysteria jam praesagisse religionis revelatae. Contra Laurentium Vallam conatus est Constantini donationem tueri. Utrique huic operi deest lima critica[1]). *De mundi exitio* etc. — Prolixiores sunt curae in Pentateuchum Hieronymi Oleastri, da Azambusa lingua patria dicti, O. Praed. Lusitani, qui linguarum sacrarum, hebraicae in primis, fuit peritus. A Joanne III. missus est ad concilium tridentinum (1545), in quo magni ob suam factus est eruditionem. Suspenso concilio rediit in patriam sacrorum librorum interpretationi totus deditus, a qua ne avocaretur, infulam sibi oblatam recusavit. Factus est tamen prior coenobii olisiponensis et fidei censor et a. 1560 assumptus prior provincialis, quo in munere obeundo mortem invenit 1563. Haec ejus opera: Commentaria *in Moysis Pentateuchum* juxta S. Pagnini Lucensis interpretationem, quibus hebraica veritas exactissime explicatur et quae ad morum compositionem aptari possunt, ex ipsius literae penetralibus seorsum annectuntur, Olisipone 1556—58 pp. 4; Antverpiae 1569 (in aliquibus exemplaribus 1568); Lugduni 1586: praecedunt canones ad ss. literarum lectionem ac lucidiorem cognitionem perutiles; et *Hebraismi* ordine literarum digesti, etiam seorsim Lugduni 1566; 1588; *in Isaiam prophetam* cura Petri Calvi O. Praed. Lutetiae 1622; 1656 in f. De utroque scribit Cornely: „Sensum literalem diligenter investigat, vocabulorum etymologias et significationes attente scrutatur, patrum autem explicationes fere negligit.“ Rich. Simon[2]) laudat quidem, varias eum hebraici textus versiones ad singulas attulisse voces, invicem contulisse convenientioremque elegisse, etsi non ubique feliciter, inquit, et ad verum hebraici textus sensum, sectans opiniones sat singulares. Commentarii in ll. Regum, Psalmos, Hieremiam et prophetas minores praelo ut dicuntur parati, non prodierunt[1]).

680. Joannes Wild seu Ferus appellatus „revera unicum Germaniae ac singulare ornamentum“ ex Suevia ortus est 24. Jun. 1495. Ordinem s. Franc. reg. obs. ingressus est a. 1515 et absoluto studiorum curriculo, de quo nil relatum legitur, Moguntiam mittitur concionator a. 1528, et exinde ad mortem usque concionibus suis illustravit suggestum. „Cum esset natura facundus, eloquentiae facultatem nativi idiomatis expolitione mire exornabat, adeo ut superius germanici nominis idioma splendorem suum huic non minima ex parte debeat[2]).“ Quapropter dignus erat Heldingi episcopi auxiliaris collega[3]), quem nimiis occupationibus detentum saepe supplebat: unde moguntinorum in fide constantia ipsi etiam debetur. Reprehendit quidem abusus, qui curiam irrepserant romanam, fuit tamen fidelis Ecclesiae catholicae filius: unde inepte propter liberiorem quandam dicendi rationem a protestantibus inter defectionis fautores numeratur[4]). Irruentibus gallis excitatis et invitatis a protestantibus, miseris istis patriae

[1]) Cf. plura de eo apud Tiraboschi VII. p. 1. l. 2 c. 1. n. 38; Hoberg KL. XI, 783.

[2]) Hist. crit. des comment. p. 473; Hist. crit. du V. T. III, 12.

[1]) Cf. Echard II, 182; Hoberg KL. IX², 802.

[2]) Ita Corn. Loos in ill. Germaniae script. catalogo Moguntiae 1581.

[3]) Cf. quae supra pag. 1419 annot. de utroque scripsimus.

[4]) Koehler in diss. historica: de Jo. Fero . . . teste veritatis evangelicae disputabunt in academia altorfina praeses M. Elias Gottlieb Dieterich ulmensis et respondens Jo. Hoefler, Altorf 1723. Contra hanc praesertim opinionem scripsit N. Paulus accuratissimam diss. Joh. Wild, ein Mainzer Domprediger des 16. Jahrh., Köln 1893 inter Schriften der Görresges. 1893 III, ubi data opera ejus orthodoxiam tuetur. Cf. etiam Janssen-Pastor VII¹², 454 ss. 577.

proditoribus, dein Alberto de Brandenburg cum suis satellitibus Moguntiam, ipse intrepidus stetit et in ingenti animorum consternatione ob hostium crudelitatem, solusque, fugientibus omnibus clericis tam secularibus quam regularibus, remansit in miserorum solatium et tutelam. Hostem suo accessu mitigavit atque ecclesiam cathedralem incendio jam destinatam ab interitu servavit. Auditores ejus et familiares instabant, ut sermones suos typis vulgaret, ipso vero moram faciente et tergiversante, non exspectato ejus consensu eos typis tradebant, qua de re conqueritur in dedicatione, ubi inter alia de suo in Joannem commentario testatur: »Interim libellus ille meus, ne a me quidem relectus, praelo subjiciebatur excudendus . . . Non ignorabam me prioribus illis annis, cum novitius adhuc concionator essem, nec eo tum judicio praeditus, ut omnia et singula ad vivam exactamque ecclesiasticae doctrinae regulam expendere possem, obvia quaeque ex quibuscumque etiam auctoribus, quicquid ad dilatandas atque amplificandas conciones facere videbatur, his annotationibus infarsisse, quorum tamen, ut inter relegendum percepi, pleraque vel emendassem vel resecassem, si per otium licuisset . . . Ob quam causam et diu veritus sum, nomen meum adscribere et revera nunquam adscribi passus fuissem, si etc.« Ita victus coepit sua vulgare opera magno numero, quorum 34 Paulus l. c. recenset (p. 68—75), quae multis adeo arriserunt, ut Sixtus Senensis de eo in sua bibl. sancta referat: »Scripsit latino et culto sermone pias et eruditas juxta catholicam doctrinam lucubrationes . . . Ab omnibus fere concionatoribus studiose leguntur.« Et revera melioribus accensendus est concionatoribus sec. XVI. Ex his potiora tantum nominabimus: In s. J. Christi D. N. Evangelium *secundum Joannem*[1]) . . . *enarrationes* pro concione explicatae a. 1536; accessit ejusdem d. Joannis *ep. prima,* Moguntiae 1550; 1552; 1559; Parisiis 1553; 1569; 1577; Lovanii 1562; Lugduni 1553; 1557; 1559; 1563; Antverpiae 1562; Compluti 1562; 1569; 1578; Romae 1577; *Jonas propheta*... explicatus, Moguntiae 1550; 1556; 1557; Lugduni 1554; 1556; 1567; Antverpiae 1557; *in Ecclesiasten Salomonis annotationes* . . . pro concione enarratae, Moguntiae 1550; Lugduni 1553; 1557; Coloniae 1556; *Das 1. Büchlein Esdre* . . . gepredigt, Moguntiae 1551; 1564; *Postill* . . . *über die Evangelien* (scil. dominicarum et festorum), Moguntiae 1552—1555 t. 4, etiam latine versae a Joanne a Via, ib. 1554—1558 et saepius alibi; vel in epitomen a Petro Ulner contractae *Kurze Postill*, Moguntiae 1560; 1562; 1563; 1564; 1566; 1569; 1571; 1579; 1589; Coloniae 1571; 1572 t. 4; adjectae sunt a. 1561—64 appendices ad partes hiemalem et autumnalem, hinc curavit Ph. Agricola totius postillae novam editionem, Moguntiae 1568 pp. 4; *conciones* ejus in dominicas et dies festos prodierunt recentiori quoque aetate cur. Jocham Ratisbonae 1841 t. 2; aliquae etiam in Brischar die kath. Kanzelredner Deutschl. Schaffhausen 1867. I. 243-382. *Historia s. dominicae passionis* ex quatuor evangelistis concinnata, Moguntiae 1555 in 8; Lugduni 1555; 1557; etc.; *Jobi historia* . . . Predigweiss ausgelegt, Moguntiae 1558; latine versa a Tilmann Bredenbach, Coloniae 1571; Exegesis *in ep. ad Romanos,* Moguntiae 1558; Parisiis 1559; Venetiis 1566; Lugduni 1569; Compluti 1578; in s. J. Christi *Evangelium secundum Matthaeum* commentariorum ll. 5, Moguntiae 1559 t. 2; Parisiis, Lugduni, Antverpiae 1559; Parisiis, Venetiis, Antverpiae 1560; Compluti

[1]) De hoc commentario sicut et de commentario in Matthaeum cf. R. Simon Hist. crit. des principaux Commentateurs du N. T. c. 38.

1562; Parisiis 1564; Antverpiae 1570; Romae 1577; Lugduni 1604; 1609; 1610; *in Threnos Jeremiae* conciones XVII, Moguntiae 1561; Lugduni 1562; 1567; Coloniae 1571; enarrationes *in acta apostolorum,* Coloniae 1567; Parisiis et Venetiis 1568; *Catholische Auslegung des 2. B. Esdres,* das man Nehemia nennet und auch des büchlins Esther, Moguntiae 1569; annotationes *in Exodum, Numeros, Deuteronomium, l. Josue, l. Judicum,* Coloniae 1571. Cum vero Ferus olim apud se constituerit nunquam aliquid suarum lucubrationum typis evulgare, cum plura ipso inscio vel jam mortuo, quin ipse ea relegerit vel limaverit, et satis festinanter typis fuerint tradita, mirum esse non debet, si haud pauca contineant, quae minus accurata et haereticis faventia rigidorum censorum reprehensionem incurrerint; hinc theologi Sorbonae graviter judicarunt de ejus commentario in Matthaeum „quod scateret plurimis erroribus ac haeresibus[1]);" Dominicus Soto vero ediderit *annotationes* in Jo. Feri commentarios super Ev. Joannis, Salmanticae 1554, in quo carpit[2]) locos 67; et b. Petrus Canisius in ep. ad Guilelmum Bavariae ducem 8. Aug. 1581 Ferum inter eos auctores recenseat, quorum scripta revera et integre non sunt catholica. Hinc relata fuerunt aliqua ejusdem in indices librorum prohibitorum particulares[3]), imo in indice romano a Clemente VIII. ed. legimus: „Opera omnia donec corrigantur ... excipiuntur tamen Commentaria in s. Matthaeum, commentaria in Ev. Joannis et in Joannis ep. primam ed. romanae et examen ordinandorum impressum post a. 1577." Haec tamen in ed. recentissima fuere omissa. Ejus *Examen ordinandorum* ad quaestiones s. ordinum candidatis in dioecesi moguntinensi proponi consuetas aptae et piae responsiones catholicam veritatem succincta brevitate indicantes, Moguntiae 1544 prodiit, deinde ad a. 1615 ultra vicies[1]). Laboribus obrutus et attritus decessit 8. Sept. 1554. Raro exemplo non est usus in suis scriptis stilo acerbo: noluit enim stili acrimonia provocare adversarios.

681. Jacobus Ziegler Landaviensis, Bavarus, bene scripsit *contra haeresim Waldensium ll. V,* Lipsiae 1512, sed deinde defecit ad protestantes: quia vero horum intolerantiam liberius reprehendit, agente Bucero Argentorato expulsus est. Hinc aperti fuere ipsi oculi, agnovit errores rediitque ad Ecclesiam matrem. Anno 1541 eum reperimus theologiae professorem Viennae et a. 1543 facultatis theologicae decanum. Turcarum metu Passaviam se contulit, ubi et decessit 1549. Reliquit *Terrae s.,* Syriae, Arabiae, Aegypti et Schondiae *descriptionem,* Basileae 1531; Argentorati 1539, quae olim magni fiebat; commentarios *in Genesim et Exodum,* Basileae 1548, sane non satis orthodoxos[2]). *In historiam Judith* elucubratio et chronographica

[1]) Apud d'Argentré Coll. judic. II, 228.

[2]) Michael Medina Feri sodalis acrem scripsit *apologiam* J. Feri, in qua 67 loci commentariorum in Joannem, quae antea D. Soto lutherana traduxerat, ex s. Scriptura sanctorumque doctrina restituuntur, Compluti 1558. Uterque tamen videtur aequi mensuram excedere, ille in accusando, Medina in vindicando.

[3]) Cf. Reusch Index I, 561.

[1]) Cf. Falk Bibelstudien ... in Mainz p. 185 ss.; 196 ss., qui eum optimis accenset sui aevi concionatoribus etiam ratione linguae germanicae. De Fero multum meruit Philippus Agricola concionator cathedralis et decanus ad s. Petrum Moguntiae († 16. Mart. 1572), qui illius opera typis dedit, et Christianus Hipparius theologiae professor et pastor moguntinus († 1564), qui aliqua germanice reddidit. Cf. de utroque ib. 201 ss.

[2]) Cf. N. Paulus Katholik 1895. I, 213. Aschbach Gesch. der Wiener Univ. III, 303, ubi alia ejusdem scripta reperies fere inedita. Ejus historia Clementis VII. spiritu hostili adversus primatum conscripta vulgata fuit a Schelhorn in Amoenit. H. E. II, 287—380.

censura; *de solemni festo Paschae* ad veteres collatio; *super arbitrio humano* exempla et Scripturae; ex ep. ad Corinthios II. locus *de raptu Pauli* in tertium coelum, quae collecta prodierunt, Basileae 1548. Ejus opera quondam relegata fuerant in 1. cl. Indicis ll. prohibitorum. — Antonius Honcala ecclesiae abulensis canonicus, doctor theologus et vir piissimus, a s. Theresia magni factus, quem ad graviora studia celeber Antonius nebrissensis excitavit, composuit commentaria *in Genesim*[1]), Compluti 1555 in f.; *Pentaplon christianae pietatis* ll. 5, Compluti 1546; i. e. 1. Antitheton de virtutum ac vitiorum gradibus; 2. Stauricon sive de arcanis dominicae crucis sacramentis; 3. Apothias h. e. interitus seu de miraculis per signum crucis editis; 4. Epinicium, quod expugnatae Tuneti urbis victoriam enarrat; 5. Eulogicon, qui est de spiritualibus dictionibus. *Opuscula XVII* de rebus theologicis, inter quae de quibusdam s. Scripturae locis, de virtute religionis, de justitia, de matrimonio, de fide, de baptismo, de bona et mala concupiscentia, de conscientia, de ratione consequendi peccatorum remissionem; de poenitentia et ratione dolendi pro peccatis etc., Compluti 1551; Salmanticae 1553 in f. — Caspar Barreiros (latine Varrerius) Lusitanus, Vicensis, canonicus primum in patria, dein in ecclesia metropolitana eboracensi, Romam missus est ab infante Henrico purpura donato, ut Paulo III. gratias referret pro tanto honore. Qua occasione in cognitionem venit familiaritemque cum cardinalibus Bembo et in primis Sadoleto, qui eum omni officiorum genere honoravit. A Le Long dicitur cardinalis et defunctus a. 1560, quod non videtur verum; secundum Nic. Antonium (I, 520) et Sbaralea p. 266 ingressus est ordinem Min. sub nomine Francisci a Matre Dei factusque theologiae moralis lector atque vixit adhuc a. 1563. Obiisse legitur 6. Aug. 1574. Composuit Commentarium *de Ophira regione* commemorata 3. Reg. cc. 9. 10. 12. et 2. Paralip. 9, Conimbricae 1561 in 8; Antverpiae 1600; Roterodami 1616; Hardervici 1617 et inter Criticos sacros t. V. *Censuras* sobre 4 ll. intitulados en Marco Portio Catam de originibus, em Beroso Chaldeo, em Manethon Egyptio et em O. Fabio Pictor Romano, quae Lupi fratris ipsius diligentia in vulgus prodierunt. Latinam fecit illam censuram, quae Berosum Chaldaeum examinat, Romae 1565 in 4., quam cum non vidisset Schottus, novam adornavit atque in bibliothecam hispanam suam conjecit.

682. In enarrandis *psalmis*[1]) plures versati sunt. Ita Marcus Antonius Flaminius[2]), humanista et poeta celeber, qui aliquamdiu propendebat in novatorum errores, sed familiari conversatione cum Reg. Polo resipuit et catholice est mortuus a. 1550 in flore

[1]) *Postillas* in Genesim (et in ll. 1. et 2. Regum) reliquit Jo. Chrysostomus de Bagnuolo O. Praed. Siculus, theologiae doctor et magister Neapoli, Romae et Perusii, cujus quoque dicuntur esse commentaria in summam s. Thomae. Cf. Echard II, 131. Floruit c. a. 1547.

[1]) Joannis Pici carthusiensis prioris divinionesis († 1545) *paraphrases et annotationes* in psalmos (probabiliter poenitentiales, qui paraphrastice enarrati prodierunt Divione 1542) prohibitae quondam fuerunt. Cf. Reusch I, 401. Ejus quoque est in Cantica canticorum *expositio* de Christo et b. V., Parisiis 1524. — Joannis Volon praepositi generalis O. Carth. († 1553) commentarius non prodiit. — Opus in psalterium graecum sodalis ipsius Livini van der Maude Gandensis (n. c. 1475; † 19. Mart. 1556) asservatum in bibliotheca dresdensi pariter non prodiit. Prodierunt D. J. Chrysostomi sermo *de providentia et fato* s. a. et l. (c. 1527); et Tr. in parabolam Servatoris nostri *de filio minore nato Luc. XV.* ad resipiscentiam omnes invitans, Lovanii 1542 in 8.

[2]) Alius a Flaminio Nobilio († 1590), de quo egimus I², 97. Cf. de nostro Schrödl KL. IV², 1541.

aetatis. Pruritu fere ridiculo affectabat in omnibus linguae latinae puritatem. In omnes psalmos dedit brevem *explanationem* cum paraphrasi et notis, Basileae 1540; 1558; 1561; Venetiis 1545; 1564; Antverpiae 1547; 1558; Parisiis 1546; 1547; 1551: Lugduni 1552; 1576 etc. *Paraphrasis* (poëtica) in 32 Psalmos, Venetiis 1538 in 4; plurima carmina, germanice etiam edita nostro seculo a Schlüter in op. *M. A. Flaminius und seiner Freunde weltliche und geistliche Gedichte*, Mainz 1847. — Joannis a Pastura OSB. in monasterio gemblacensi prioris *expositio psalterii davidici et hymnorum* prodiit Lovanii 1560 in 8. — Felix a Prato ex famoso rabbino factus est (1596) sodalis O. S. Aug., theologiae lector, qui multis annis Romae Hebraeorum concionator exstitit, e quibus plures ad fidem convertit: hinc passim Hebraeorum flagellum audiebat. Auctoritate pontificia creatus est theologiae doctor (1523). Romae prope centenarius vitam finivit 5. Nov. 1559, secundum alios 1558 vel 1557. Edidit *Psalterium ex hebraeo* diligentissime ad verbum fere translatum, Venetiis 1515 (m. 30); Hagenoae 1522 in 4. adjectis annotationibus; Basileae 1524; 1526; Lugduni 1530. Ipsi quoque debetur *Biblia hebraea* cum Masora et Targum seu paraphrasi chaldaica Onkelosi in Pentateuchum, hierosolymitana in eundem, Jonathanis filii Uzielis in prophetas etc.; item cum commentariis rabbinorum, quam sumptibus suis et solertia laudabili collatis pluribus exemplaribus vulgavit celeberrimus typographus Daniel Bombergus de literis hebraicis quam maxime meritus omnique laude dignus († 1549), Venetiis 1518 t. 4 in f.; 1521; 1528; 1533; 1534; cum variis lectionibus variantibus, Venetiis 1518 in 4; 1521; 1525; 1533. — Placidus Bechigni O. Praed., a patria Parmensis dictus, theologiae magister et haereticae pravitatis censor († 1558), scripsit sacram et recentem *Psalmorum omnium Davidis interpretationem* „eruditione, teste Sixto senensi[1]), elegantia et brevitate insignem,“ „stilo simplici, at dilucida latinitate exaratam,“ juxta Echard II, 177, cum expositione etiam decem canticorum, Venetiis 1559 in 4. editio elegans, Basileae 1569 in 4. — Joannes Baptista Folengo[2]) Mantuae nobili stirpe progenitus n. 1490, ordinem s. Ben. est ingressus a. 1506. Prior fuit in monasterio mantuano, dein abbas s. Mariae in marca trevisana; aliquamdiu etiam in abbatia casinensi degit († 5. Oct. 1559). Composuit commentaria *in omnes Psalmos*, Basileae 1549; 1557; *in 1. ep. Joannis*, Venetiis 1546; *in Jacobi unam*, Petri duas et Joannis ep. priorem, Lugduni 1555, propter quae pessime audiit et a nonnemine apostatis seu protestantibus fuit adnumeratus[3]). Sed immerito, nam Paulus IV. rigidissimus heterodoxiae inquisitor eum ordinis visitatorem in Hispaniam misit; neque desunt viri sane docti, qui ejus labores laudibus prosequantur. Fatendum tamen est ejus commentaria in ep. apostolorum quondam fuisse prohibita, in psalmos nutu ac voluntate Gregorii XIII. epurgata atque ita approbante magistro s. Palatii fuisse edita Romae 1585, atque iterum Coloniae 1594. In hujus ed. purgatae praefatione dicitur haec commentaria fuisse Basileae edita atque „odio et livore haereticorum hominum adeo foedata, adeo veneno conspersa,

---

[1]) Bibl. s. II, 585. Cf. Affò Memorie degli Scritt. parmig. IV, 45.

[2]) Ejus frater pariter OSB. Hieronymus in baptismo, in religione Theophilus dictus, innotuit poematibus sane indecentibus, et quod fuerit, si non primus auctor, saltem studiosus fautor poësis maccaronicae. Defecit misere ab ordine a. 1515, rediit tamen iterum ad eundem 1526; obiit vero 9. Dec. 1544. Cf. Tiraboschi p. 3. l. 3. c. 4. n. 52.

[3]) Ita a Gerdesio in Specimine It. reformatae p. 253 ss. Cf. Reusch I, 571; Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 1 n. 49.

ut nihil aeque mortiferum, nihil aeque perniciosum legi posse videretur.« — Ludovicus Berus (Baer, Ber) in literis humanioribus admodum excultus, in divinis bene versatus, doctor parisiensis, in universitate basileensi erat theologiae professor et a. 1520 rector ejusque academiae decus et ornamentum. Initio quidem reformationis genuinae desiderio novatorum studiis adhaesit, mox tamen venenum agnovit et pro avita stetit fide. In facultate theologica Oecolompadii et Pelicani conatibus se opposuit. Praepositus erat capituli ad s. Petrum et ep. cancellarius. Praefuit colloquio cum novatoribus Badenae habito a. 1526. Praevalentibus novatorum turbis cum Erasmo, cujus erat familiaris, Glareano aliisque collegis et canonicis Friburgum secessit, ubi etiam professoris munere est functus († 14. Apr. 1554). Inter ejus scripta Basileae 1551 edita reperiuntur: *Psalmorum expositio; de christiana ad mortem praeparatione l.; quaestio* an tempore pestis fugere liceat[1]). Magni eum fecit Erasmus, cum de eo scribat ep. VII, 1: »Berus extra aleam est ingeniorum, posteaquam Parisiis omnibus calculis primas tenuit (op. III, 267 ed. Bas. 1540; cf. et ep. XIX, 102 ib. 682).«

683. Matthias Bredenbach[2]) natus c. 1490 in oppidulo Kierspe ducatus montensis (Berg), Coloniae studiis operam dedit factusque est 1524 magister in artibus et philosophia. Embricae docuit annis 5, dein a. 25 rexit gymnasium successor Petri Homphaei senioris, tryglottos dictus ob linguae latinae, graecae, hebraicae non vulgarem peritiam († 1559 a. aetatis 70). Ejus merita in puerorum institutione et circa literas humaniores hic praetermittimus[1]). Polemicum theologum egit in l. *De dissidiis,* quae nostra hac tempestate tanto cum terrore jactant Ecclesiae navem, a quo, quibus rationibus sint excitata et qua ratione videantur componi posse sententia M. Bredenbach, Coloniae 1557, quae pupugit adversarios: hinc contra eum scripserunt Andreas Smidelin libellum scurrilem, et Henricus Pileus mindensis: quibus Bredenbach occurrit nova ed. ejusdem a., in qua cum reprehensus fuisset, quod Lutherum schismatis auctorem fecerit, rationes adducit gravissimas ad meritissimam tuendam accusationem; et l. inscripto *Hyperaspistes* pro suo de componendis in religione dissidiis libello adversus calumnias H. Pilei mindani, cui labori immortuus est. Prodiit cura filii Coloniae 1560; et l. *Antihyperaspistes* adversus Jac. Andreae, ib. 1568. Epistolae XII *de negotio religionis,* Coloniae 1567. Huc spectant: *In LXIX Psalmos* seu hymnos prophetae Davidis priores et in s. J. Chr. Evangelium *secundum Matthaeum* erudita, catholica et pia commentaria secundam hebraicam veritatem et veterum orthodoxorum patrum monumenta summo studio (et stilo amoeno) elaborata, Coloniae 1560 in f. curantibus filiis Tilmanno et Theodorico, qui collegerunt ea ex patris praelectionibus, quas habuit in discipulorum utilitatem. Ea omnino commendantur ab optimo spiritu, quo animantur, sanisquae principiis, quae sequitur, ab eruditione non hausta ex auctoribus profanis, qui non sunt idonei duces ad illustrandas divinas literas, sed ex ss. patribus optimisque interpretibus catholicis, in quorum lectione diligenter erat versatus auctor noster. Rationem habet in explicandis psalmis textus hebraici, et etiam controversiarum de fide temporis

[1]) Cf. Fiala KL. II², 492.

[2]) Distingui debet a filio suo Tilmanno B., de quo egimus I², 70.

[1]) Egit de his R. Heinrichs Der niederrheinische Humanist und Schulmann M. Bredenbach und sein Urtheil über die Reformation, Francofurti 1890; Janssen-Pastor VII¹², 90.

illius; graviter invehitur in Lutherum ejusque sectatores, sed et carpit abusus, qui irrepserunt in clerum[1]). Epistolae XII *de negotio religionis,* Coloniae 1567.

684. *Proverbia Salomonis* cum glossis edidit versu et prosa Franciscus de Castillo O. Min. reg. obs. hispanus Conchae 1558 in 12. — In eadem egregium commentarium reliquit Rudolphus Baynus linguae hebraicae in universitate parisiensi professor postea sub Maria Angliae regina conventrensis episcopus († 1560), Parisiis 1550, qui reperitur et inter criticos sacros et in Migne cursu completo s. Scripturae. — Gerardus Moringus, (Morinck, Mornick) Bommelanus, Gelder, pastor lectorque in abbatia ad s. Trudonem in ditione leodiensi († 1556), commentarium *in Ecclesiasten* composuit partim paraphrastice, partim fusiore explanatione, ab allegoriis abstinens, literali sensui potissimum inhaerens, Antverpiae 1538 in 8. Collegit *Vitam s. Augustini* ex ipsis potissimum s. doctoris monumentis, ib. 1533 in 8; 1644 cum Sanderi notis; *vitam s. Trudonis,* ss. Liberii et Eucherii, Lovanii 1540; *vitam Hadriani VI. P. M.*, Lovanii 1536; Ultrajecti 1827 inter analecta historica de Hadriano VI. auctore Casp. Burmanno; oratio panegyrica *de paupertate ecclesiastica,* Lovanii 1528; or. *in laudem temperantiae*, Antverpiae 1530. — *Cantica canticorum* praeter Jo. Picum (cf. p. 1492a.) exposuerunt Petrus Nannius (Nanningh) Alcmariae apud Batavos 1500 n. collegii trilinguis Lovanii professor, canonicus atrebatensis († 31. Jul. 1557), cujus plurima exstant ad literas humaniores spectantia[1]), et *Paraphrasis* et *scholia in Cantica canticorum,* Lovanii 1554 in 4; scholia *in Sapientiam,* Basileae 1552 in 4; quae a Colomesio multum laudantur (in quibus tamen aliqua expurganda notavit Index hispanus); *Psalmi aliquot* paraphrasi poëtica illustrati, Antverpiae 1572 in 8. Latomianis inserti; scripta aliquot patrum graecorum latine redditaetc. — Cyprianus de la Huerga O. Ci. in academia complutensi celeber ss. literarum interpres, linguarum orientalium quoque peritus († 1560), cujus posthuma prodierunt Commentaria *in l. b. Job* et *in Cantica canticorum* Salomonis, Compluti 1582; *in prophetam Nahum,* Lugduni 1561 in 8; *in Psalmos 38 et 129,* Compluti 1555; plura tamen manserunt inedita, ut Isagoge in totam s. Scripturam, de opificio mundi ll. 3, commentaria in plures Psalmos, in Isaiam ll. 4, in Ev. Matthaei et Joannis, in aliquot ep. Pauli, in Apocalypsim, de ratione musicae et instrumentorum usu apud veteres Hebraeos[2]) etc. Partem quoque habuit in editione polyglotta s. Scripturae, quae prodiit sub auspiciis card. Ximenez. — Angelus Maria Torsanus O. Serv. b. M. V. Ariminensis explicavit *Proverbia V. ac N. T.*, Venetiis 1563. — Franciscus Zichemius (Zichenus) O. Min. Brabantinus praeter alia reliquit enarrationem *in prophetam Jeremiam,* Coloniae 1559 in 8. — De Alph. Castro, qui commentariis illustravit prophetas minores cf. p. 1395.

685. Jam ad N. T. accedamus[3]) *Novum T. Vulgatae editionis* correctum

[1]) Cf. R. Heinrichs Der Humanist M. Bredenbach als Exeget in Katholik 1893. II, 329—45; 445—69; 519—538, qui prolatis praeclaris speciminibus ex ejus commentariis concludit p. 537: M. Bredenbach der „Gymnasiarch" von Emmerich, nimmt, so müssen wir ... urtheilen, unter den bedeutenden Männern, die im Zeitalter der „Reformation" durch Wort und Schrift mannhaft den alten Glauben in liebevoller Anhänglichkeit an die katholische Kirche vertheidigten, einen hervorragenden Platz ein. Cf. etiam Hartzheim p. 239; Kessel KL. II², 1218.

[1]) Cf. Foppens II, 994.
[2]) Cf. Nic. Antonius I, 259.
[3]) De Jo. M. Verrati operibus in N. T. jam supra p. 1456 egimus.

et restitutum typis vulgavit Venetiis 1538 Gregorius Cortesius. Natus is est a. 1483 ex nobilissima Cortesiorum familia et Joannes Andreas in baptismo appellatus. Bononiae atque Patavii a. quinque juri civili operam navavit, sed et literas humaniores excoluit, unde sive graece sive latine scriberet, mire elegans erat. Hinc Joannes card. Medicaeus eum sibi ab epistolis et negotiis domesticis esse voluit, et pontifex electus sub nomine Leonis X., causarum auditorem sibi delegit. Non diu susceptam provinciam administravit: cum enim oneris litigiorum ac laborum esset plena, ipse vero ad ss. literarum studium vitamque in quiete transigendam divino instinctu pertraheretur, ea ultra se abdicavit factusque est monachus OSB. in abbatia s. Benedicti Polirone prope Mutinam: et exinde vixit totus suae sanctificationi, reformationi disciplinae in sua congregatione et promovendis studiis. Familiaritatem iniit cum viris Italiam et clerum vere illustrantibus, cujusmodi fuere Contarini, Polus, Sadoletus, Fregosus, Giberti etc. Missus est cum aliquot sodalibus ad Ierinense monasterium congregationi casinensi aggregatum, ubi totum se literis abdidit honestissimoque fruebatur otio. Non tamen se potuit hominum illustrium subducere oculis, qui ad eum invisendum et cum eo colloquendum eam in insulam se contulerunt. Ob virtutis splendorem electus est abbas et ut abbas varia monasteria ea prudentia et discretione gubernavit, ut dulcis et sapientis abbatis elogio ornaretur: et licet fugeret dignitates solitudinis amantissimus, constitutus est visitator generalis universae congregationis casinensis. A Paulo III. Romam accersitus est, ut una cum aliis viris doctis et integerrimis, quae ad Dei gloriam et Ecclesiae reformationem magis conducere viderentur, sibi proponeret et optimis consiliis adesset in arduis illis Ecclesiae anfractibus. Agente Ant. Carafa card., qui postmodum fuit pontifex sub nomine Pauli IV., constitutus fuit visitator apostolicus per totam Italiam, et destinatus qui cum Thoma Campeggi nuncio apostolico aliisque theologis in Germaniam pergeret, ut rebus fidei consuleret et colloquio wormatiensi interesset (1540). Verum hoc iter suscepisse non videtur. Ex commendatione Contarini et Sadoleti cardinalium, qui eum ob prudentiam, ingenium, pietatem summi aestimarunt, creatus est a Paulo III. 31. Maj. 1542 cardinalis et dictus episcopus urbinas: simul adjunctus est congregationi praeparatoriae pro futuro concilio. Nihil candoris et studii in dignitate remisit: cum doctissimis viris per totam fere Europam familiaritatem et frequens per epistolas colloquium habuit († 21. Sept., juxta alios Oct., 1548). Alii ejus studiorum fructus sunt: Tr. adversus (Ulricum Venenum) negantem *Petrum ap. Romae fuisse*, Venetiis 1537, ed. mendosa; Romae 1770 opera Costanzi, de quo Dupin, nihil elegantius, inquit[1]), et venustius hac scriptione legi posse „erat enim sapiens, moderatus, aequus omnibusque praerogativis, quae honestum virum optimumque scriptorem decent, perquam ornatus.“ *Epistolarum* familiarium latinarum l. unus, Venetiis 1537, quae quam plurimum laudantur ab elegantia, nitore, candore, humanitate et judicio. Vertit quoque patrum opera, reliquit tr. theologicos de controversiis illius temporis, de peccato originali, de theologica institutione, commentaria in 4 ll. sententiarum; tr. philosophicos, tr. de viris illustribus ordinis monastici, etiam hymnos. Plura quidem ex his operibus, quod dolendum, deperdita sunt, alia manserunt inedita, aliqua collecta prodierunt Patavii 1774 t. 2.

[1]) Bibl. nouv. XIV, 187. Cf. Ziegelbauer hist. rei lit. OSB. III, 339—44; Dittrich KL. III, 1135; Eggs l. IV. n. 60; Joan. Aug. Gradenigo in ejus Vita praeclare scripta; Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 1. n. 165.

— Nicolaus Tacitus Zegers Diestensis, juxta alios Bruxellensis O. Min. in Belgio decus illustre, latine et graece exacte doctus studio ss. literarum se totum consecravit. Celebri Titelman, cujus dignus erat discipulus, successit in cathedra Lovanii penes sodales 1539-48 († 25. Aug. 1559). Ejus est *Novum J. Christi T.* juxta veterem Ecclesiae editionem ex probatissimis eisdemque vetustissimis tum scriptoribus tum exemplaribus priscae suae fidei atque integritati restitutum brevibus illustratum adnotatiunculis, Lovanii 1559 t. 2 in 16. ed. rarissima. *Scholia* in omnes N. T. ll. jam antea prodierant Coloniae 1558 in 8, et quia sunt brevia, concinna, utilia, quae produnt sagax, sed et sobrium judicium criticum, recepta sunt inter Criticos sacros. Scholiis in ep. s. Pauli praemisit praefationem *de phrasibus paulino sermoni familiaribus. Epanorthotes:* Castigationes in N. T., in quibus depravata restituuntur, adjecta resecantur et sublata reponuntur, Coloniae 1555: quo in op. usus est codicibus pluribus et vetustis, sobria sagacitate, sed textui graeco quasi nimis depravato saepe diffidit, pseudodecretalibus rom. pontificum tamquam genuinis utitur[1]). *Inventarium* in T. N. vulgo concordantias vocant, juxta tropos, phrases, sententias et clausulas distinctum, Antverpiae 1558 in 12; 1566; 1607.

686. *Harmoniam evangeliorum* nonnulli concinnarunt. Antonius Broickwy (Bruich, Brockwaij) de Koenigstein O.M.Noviomagensis, saepius guardianus († 1541), concionator egregius, auctor fuit op. *Monotessaron breve* ex quatuor evangeliis, quod variis in locis prodiit Coloniae 1539; 1542; 1550; Parisiis 1551; *in quatuor evangelia* ennarrationum t. 2 (Coloniae) 1539, qui commentarium exhibent in concordiam evangelicam; 1550; Parisiis 1543; 1548; 1551; *Postillae* in epistolas et evangelia dominicalia et festivitates totius anni, Parisiis 1540; 1550; Coloniae 1558 t. 2; commentarius *in ep. ad romanos* Parisiis 1543; Lovanii 1556; *Concordantiae breviores* omnium materiarum ex ss. biblorum libris, Coloniae 1537; Parisiis 1549; 1590 in 8. etc. — Didacus de Villalobus Hispanus edidit *concordiam evangelistarum* seu s. J. Christi evangelium secundum quatuor cum annotationibus minime vulgaribus, Pinciae 1555 in 8. — Petrus de Irorusqui O. Praed. Navarraeus, quem ferunt assidua ss. librorum lectione et studio sub annos seniles visum perdidisse, *seriem totius evangelii J. Christi* ex quatuor evangelistis concinnavit, Stellae Navarrorum 1557 in f.; in c. XI. s. Pauli ap. ep. ad Corinthios primae *de eucharistica communione*, Caesaraugustae in 4. Tribuuntur ipsi et commentaria in Pentateuchum et in ep. s. Pauli. — Beauport theologus gallus concinnavit (gallice) *Monotessaron Evangeliorum*, Parisiis 1552; 1560 in 8.

687. Callixtus de Furneriis can. reg. lateranensis, Placentinus, concionator, italice exposuit *Evangelium s. Joannis*, Placentiae 1553; Venetiis 1574. Disseruisse quoque dicitur de locis Palaestinae, quae divinae literae continent addita geographica tabella; et condidisse opus chronologicum, in quo supputationem temporum ac dierum collegit, quibus D. Jesus peregrinatus est in mundo, annotans annos ac dies, in quibus acta sunt singula, quae gessit. — *In primordiale Ev. d. Joannis* commentarium in 30 prop. deductum, Parisiis 1511; 1514, composuit Carolus Bovillus (de Bouelles); ex samarobrina Veromanduorum metropoli (Saucourt in Picardia) nobilibus parentibus ortus c. 1470. Sagacissimi erat

[1]) Cf. R. Simon Hist. crit. du N. T. c. 12 op. II, 150 ss. Hist. cr. des princ. comment. c. 39 p. 573 s.; Dirks Hist. lit. p. 81 ss.

ingenii, Fabri Stapulensis discipulus, qui ardore discendi magnum instituit iter literarium per Italiam, Hispaniam et Germaniam, ubique viros doctos invisens, inter quos et celebrem Trithemium. Noviodunensis canonicus erat et theologiae professor († 1553). Abditum studiisque deditam videtur duxisse vitam, nam de ejus fatis nihil fere scitur ipseque nonnisi per opera eaque plurima innotuit, quae eum philosophum[1]) probant christianum, sed singularium subinde opinionum secundum principia et genium Nic. Cusani (cf. p. 894) patronum. Ea praeprimis sunt philosophica, mathematica, aliqua et theologica. Speciminis gratia sint: Liber *de intellectu angelico et humano* et utriusque speculari natura et illustratione a Deo, ita ut hominis intellectus sit sensu posterior et lunam, angelicus prior sensu et solem referat: et intellectus sit unitas memoriae, memoria vero unitas intellectus, Parisiis et Ambianis 1510 cum aliis ejusdem operibus, ut l. *de Nihilo* (etiam cum aliis Groningae 1661); *de sapiente,* ubi et de immortalitate animae deque corporis instauratione disserit, et de ss. Trinitate, quam refert aliquo modo omnis cognitio; *epistolae* (20) Bovilli et aliorum ad ipsum, in quarum 12. narrat Nicolaum de Saxo (von der Flüe), quem inviserat, a. 22 sine omni cibo ac potu vixisse (m. 100 propter incisiones pretiosas). Parisiis dein 1511 et 1514 prodierunt praeter opus primo l. laudatum *Vita Raym. Lulli* et aliae ep. 43. *Supputatio septem aetatum mundi* sive Chronicon breve, Samarobrinae 1520; *dialogi* (4) de animi immortalitate, de resurrectione, de mundi excidio, Parisiis 1551. in 4; *quaestiones in utrumque Testamentum,* ib. 1513 in f. *Quaestionum theologicarum ll. 7* centenis singuli quaestionibus, Parisiis 1513. In 1. agit de Deo; in 2. de creatione angelorum; 3. de creatione materiae et universi; 4. de voluptatis paradiso et exsilio protoplastorum; 5. de diluvio, regnis mundi et humanae mentis notionibus atque habitibus; 6. de V. T. ab Abrahamo usque ad Christum et de hebraeorum statu; in 7. de Verbi incarnatione, Christi in terris conversatione et utriusque T. concordia. His subjiciuntur dialogi duo *de ss. Trinitate* Christiani cum Judaeo et l. *de divinis praedicamentis. De raptu Pauli,* 1531 in 8. ed. auctior cum diss. *de prophetica visione;* 1589 additis *de voto, de libero arbitrio* et *de differentia orationis,* quae tria jam prodierant 1529 in 8., opuscula rara. *Theologicarum conclusionum ll. 10,* Parisiis 1504; 1513; 1515 in f.; *Dominica oratio* ter trinis ecclesiasticae hierarchiae ordinibus particulatim attributa et facili explanata commentario, Parisiis 1511 in 4. etc. — Joannes Antonius Delphinus a Casale O. Min. Conv. theologiae magister, in ordine per omnes gradus demum ad vicariatum generalem ascendit, in quo mira mansuetudine et lenitate usus omnium sibi reverentiam conciliavit et amorem. Lectionis et scriptionis avidissimus nullam pati poterat temporis jacturam. Sub mediam noctem post brevem somnum ad studendum surgebat, unde condiscipuli jocose mediam noctem eum appellitabant. A Pio IV. ad concilium tridentinum vocatus obiit a. 1560 Bononiae crudeli febri oppressus incredibili omnium moerore. Haec potiora ejusdam opera: Commentaria *in Ev. s. Joannis,* Romae 1587 in 4. opera et additionibus aucta card. Const. Sarnani; *in ep. ad Hebraeos*[1]), ib. 1587 in 4;

[1]) Cf. Dippel Versuch einer systemat. Darstellung der Philosophie des C. Bovillus, Würzburg 1865; KL. II², 1172; Fabricius I, 310 ss.

[1]) In hanc scripsit etiam Hieronymus Tarvisanus (Trevisanus, Trivigianus) O. Praed. Venetus, celeber tota Italia concionator, episcopus veronensis 1561, qui tamen dum interesset concilio tridentino, 10. Sept. ejusdem a. defunc-

de potestate ecclesiastica, Venetiis 1549; 1552; Coloniae 1580, opus mole non magnum, sed perspicuitate rationum haud exiguum, quo universum fere negotium de Ecclesia contra haereticos propugnat; *de cultu Dei et sanctorum,* Bononiae 1549 in 8; *de matrimonio et coelibatu,* Camerini 1554 in f.; *de divina providentia ll. 3,* Romae 1588 in 4; ep. (diffusa) *de tractandis in conc. oecumenico,* Romae 1561; 1588. Reliquit etiam opera philosophica. — Georgius Macropedius, proprie Lanckveldius O. fratrum S. Hier. in communi viventium natalibus clarus, vitae sanctimonia, animi moderatione et eruditione clarior, linguas hebraicam et chaldaicam callebat. Praefuit scholae ultrajectinae († 1558) et praeter alia ad scholas inferiores spectantia scripsit scholia brevia *in Evangelia et epistolas* per annum, Antverpiae 1567 in 8.

688. Cum protestantes abuterentur epistolis[1]) s. Pauli ad suos errores tuendos, haud pauci catholici interpretes in illis illustrandis sunt versati. Ita Adamus Sasbout (Sasboldus) O. S. Franc. Delphis apud Batavos patricia familia n. 21. Dec. 1516. Literas sacras a Ruardo Tapper et Jo. Leonaerts Hasselio hausit. Graece et hebraice erat eruditus, scientia sacra conspicuus, quem ferunt in cellam suam pro bibliotheca praeter breviarium ac biblia sacra cum scriptis suis alios non admisisse libros. Obiit in aetatis flore et sanctitatis odore 21. Mart. 1553. Haec ejusdem opera: In omnes d. Pauli et quorundam aliorum ap. epistolas *explicatio,* Antverpiae 1561; Commentarius *in Isaiam* praemisso tr. (bono) *de Scripturarum sensibus,* Lovanii 1558, quae eum insignem theologum et interpretem fuisse probant, hinc et Corn. a Lapide eum admodum commendat; *conciones tres* super Scripturam Levitici, Lovanii 1552; *Opus homiliarium,* Lovanii 1556; *opera omnia* prodierunt[1]) Coloniae 1568; 1575 ed. aucta. Gaudentius ei tribuit quoque commentarium *in Magistrum sententiarum,* Antverpiae 1563. — Claudius Guillaud Bellojocensis, doctor parisiensis (1532) canonicus ecclesiastes augustodunensis et praepositus († 1561), edidit *collationes* in omnes d. Pauli ep. Lugduni 1542 et *in canonicas ap. septem ep.* juxta eruditorum interpretum sententiam factas, Parisiis 1543; 1544, juxta Sixtum senensem doctas, breves, elegantes[2]). Eae non arriserunt theologis parisiensibus, qui tamen mitius cum auctore egerunt ob ejus animi docilitatem et in impugnandis haereticis merita (1545): quare aliquas jussus est assertiones male sonantes retractare easque emendare: hinc prodiit Parisiis 1550 ed. 3. de consilio et auctoritate

---

tus est. Commentarius a Sixto senensi ob eruditionem et judicii sagacitatem laudatus non prodiit.

[1]) Praelectiones in has sicut conciones et ascetica etc. manuscripta reliquit Dionysius Faucherius OSB. prior lerinensis, Arelatensis, qui spiritus religiosi reformationi assidue insudavit († 1562). Cf. de eo Ziegelbauer hist. rei lit. OSB. t. III. c. 3 § 38.

[1]) Cf. Dirks Hist. littér. et bibliogr. des FF. Min. de l'Obs. en Belgique p. 87; Zeiler KL. X, 1726; Gaudentius Beiträge zur KG. des 16. und 17. Jahrh. p. 68 s. Ceterum a nonnullis Sasboldi commentaria tribuuntur Jo. Lenaerts van der Eycken de Hasselt (Hasselio), ex cujus praelectionibus illas Sasboldus derivaverit, aliis tamen reclamantibus. In medio stabit veritas. Profecit sane ex sapientia magistri diligens discipulus, sed quod excerpta tantum dederit nihil de suo addens vix est credibile. Hasselius a Carolo V. missus est ad concilium tridentinum, ubi et decessit 5. Jan. 1552. Scripsit *de facto Nectarii* patr. CP. super abrogatione confessionis, Antverpiae 1564 in ed. conc. tridentini, Lovanii 1567; in Labbe coll. conc., apud le Plat IV, 321—34 etc.

[2]) Cf. Reusch Index I, 156. Modeste ipse auctor rationem reddidit quare noluerit commentarios proprie dictos scribere. „Non sic insanii, scribit in ep. ad suum

theologorum facultatis correcta. Collationes in *Matthaeum*, Parisiis 1556; 1562 in f.; Enarrationes *in Ev. Joannis*, Parisiis 1550; Lugduni 1555. Non solum Sixtus senensis, sed et Rich. Simon labores hujus exegetae commendat. — Richardus O. Min. Cenomanus doctor parisiensis edidit Petri Lombardi commentarios *in totum Psalterium* nova diligentia contextos, Parisiis 1541 in f., et *Antidotum* contra Erasmi censuram in regulam d. Augustini, in ed. opp. s. Augustini cur. Hug. a Porta 1541 t. 1. Ejus ep. ad Marcellum Cervinum *de differentiis inter graecum et latinum N. T. textum* habes apud le Plat IV, 104—110. — Commentaria Nicolai Grandis O. Min. *in epistolas ad Romanos*, prodierunt Parisiis 1537 in f., et *in Hebraeos* 1546 in 8; *Apologia pro unica Magdalena* ejusdemque apologiae tutamen et anchora, ib. 1518 in 4., de qua controversia cf. supra p. 1300 s. *Prologus* in Magistrum sententiarum et collatio diversarum translationum Psalterii et apologia ecclesiasticae editionis, ubicunque lectio vulgata ab hebraica veritate aut alias variare videbatur, intertexta per commentaria Petri Lombardi in Psalterium, Parisiis 1541 in f. — Philibertus Haresche O. S. Aug. prior coenobii parisiensis, inquisitor per Galliarum regnum († 21. Aug. 1545), vulgavit commentaria brevia et dilucida *in ep. d. Pauli ad Romanos*, in quibus post exactam expositionem apostolicae mentis, definitiones quoque vocum difficiliorum et diversarum significationum acceptiones, item auctoritates V. T. sive LXX interpretum sive hebraicae veritatis, quas interdum sequitur apostolus, eam lucidissimis annotationibus explicavit, Parisiis 1536 in 8. — Marinus Grimani Venetus, literatorum Maecenas, vir doctrina et eloquentia clarus ex patriarcha aquilejensi a Clemente VII. renunciatus est cardinalis et a Paulo III inter cardinales pro rebus concilii delectus († 28. Sept. 1546). Reliquit commentaria in ep. Pauli *ad Romanos* et *ad Galatas*, Venetiis 1542.

689. Celeberrimus et nominatissimus theologus, purpuratorum decus et Italiae nobilissimum ornamentum hac aetate erat Hieronymus Seripandus. Natus est vir praestantissimus nobilibus parentibus Trojae in Apulia 6. Maj. 1493: hinc in baptismo Trojanus nominatus. Aegidii viterbiensis (cf. p. 1215) concionibus commotus peradolescens a. 12 augustiniano ordini nomen dedit (1507). Philosophiae et theologiae cultui studium adjunxit linguarum graecae et hebraicae. Ad excolendum magis ingenium plane insigne Romam accitus est ab ordinis magistro, qui eum ordinis secretarium designavit a. 1514. Anno 1519 in comitiis generalibus regens bononiensis et paulo post auctoritate pontificia theologiae magister est declaratus. Anno 1523 vicarius generalis congregationis Carbonariae ad s. Joannem eligitur, cui muneri per biennium magna cum prudentia et profectu disciplinae satisfecit. In nobilioribus Italiae civitatibus concionatus est tanta eloquentiae fama, ut et Carolus V. imp. eum libenter et frequenter audire voluerit. In capitulo generali 1539 Neapoli habito electus est in magistrum generalem ordinis, in qua dignitate a. 12 magna justitia, caritate, zelo, pace et exemplari vita praefuit. Concilio tridentino interfuit, ubi cum aliis deputatus est ad colligendos abusus, qui circa Scripturam s. irrepserant, et ad eorum remedia excogitanda formandumque contra eos decretum. Circa peccatum originale et peccatoris justificationem singularis erat

episcopum Jac. Hurault, ut tam arduum tamque mysticum opus commentariis illustrandum susceperim. Quin hactenus doctorum interpretum lectione contentus ... has in Paulum notulas congessi.“ Cf. R. Simon Hist. crit. des princ. Comment. c. 39 p. 575 s.

sententiae. A Paulo III. missus est legatus ad Caesarem et regem Galliae. Propter sua merita celebres ei infulae destinabantur tam a pontifice quam ab imperatore, quas tamen modestissime recusavit, imo etiam a generalatu absolvi humilibus petiit literis in comitiis generalibus a. 1551 Bononiae habitis. Absolutus quietem quaesivit in coenobio s. Mariae de Consolatione Pausilyppi, sed non diu invenit, nam a concivibus rogatus legationem obiit ad Carolum V. in Belgio commorantem (1553), qui eum ad archiepiscopatum salernitanum nominavit. Nulli pepercit labori et vigilantiae, ut gregi sibi commisso prodesset. A Pio IV. creatus est 26. Febr. 1561 cardinalis et designatus legatus secundus ad conc. tridentinum et post mortem card. Gonzagae[1]) hujus loco primus: verum non diu praefuit, nam maligna febri correptus 17. Mart. 1563 placidissime obdormivit in Domino a. aetatis 71. Plura reliquit opera magna conscripta elegantia, solitus enim erat Ciceronem semper in sinu gestare. Inter ea sunt commentaria in omnes d. Pauli ep. et septem canonicas, ex quibus prodierunt commentarii *in ep. ad Galatas*, Antverpiae 1567; Venetiis 1569; *in ep. ad Romanos* (et Galatas), quibus et haereses doctissime refelluntur et apostoli sensus pura elegantia asseritur cura Fel. Milensis, qui et Seripandi vitam adjecit, Neapoli 1601; Prediche *sopra il Simbolo degli Apostoli*, Venetiis 1567; Romae 1585; *de arte orandi*, Lugduni 1670 in 12. Longe plura manserunt inedita, inter quae multa de controversiis cum protestantibus[1]). Memoriae ad concilium tridentinum spectantes, scil. *actionum series* a 19. Maj. 1545—4. Febr. 1546 recentiori aetate prodiit apud Döllinger[2]) in Samml. von Urk. zur Gesch. des Conc. von Trient, Nördlingen 1876 I, 1—38; et Gen. Calenzio Documenti inediti . . . sul conc. di Trento, Romae 1874 p. 151—254.

690. Jacobus Sadoletus Mutinensis n. 12. Jul. 1477 patre Jo. Sadoleto juris consulto celebri, in literis classicis et veterum philosophia egregie erat excultus. Romam veniens paterne exceptus est ab Oliverio Caraffa cardinali optimique praesulis contubernio usus. Frid. Fregosi salernitani antistitis aliorumque virorum literis et virtutum splendore illustrium, Bembo in primis, iniit familiaritatem. A Leone X. studiorum classicorum largissimo fautore cum Bembo[3]) in secretarium est

[1]) Hercules Gonzaga Mantuanus (n. 1505) generis splendore clarus juvenis adhuc factus est episcopus patriae urbis, et paulo post a Clemente VII. purpura donatus. Tantam dignitatem doctrina, prudentia, singulari in rebus gerendis dexteritate virtutibusque illustravit. Hinc in gravissimis adhibitus fuit negotiis et legationibus. A Pio IV. missus est praeses ad concilium tridentinum, quo in munere obiit piissime Tridenti 2. Mart. 1563 magno omnium dolore illustriumque virorum encomiis celebratus. Reliquit *epistolas* elegantes et graves, necnon insignem l. *Vitae christianae institutio*. Cf. Eggs l. V. n. 27.

[1]) Cf. Ossinger p. 836—46; Lanterius II, 289—94; Keller KL. XI, 194. De ejus commercio epistolari cum Hoffmeister cf. N. Paulus: der Augustinermönch J. Hoffmeister p. 395 ss. Friburgi 1891; Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 1. n. 24 s.

[2]) Apud eundem reperies p. 2. op. cit. pag. 1—50 *Sommario del Concilio Tridentino* fatto sotto la s. Memoria di Pio IV. raccolto dal Sig. Filippo Musotti, che vi intervienne con il card. Seripando, uno dei Legati. Hoc defuncto transiit hic nobilis Bononiensis in familiam cardinalis de Lotharingia. — Mox post Seripandum decessit Franciscus de Navarra episcopus pacensis (Badajoz) 4. Dec. 1546—1556), dein archiepiscopus valentinus (1556 — 14. Apr. 1563), qui reliquit commentariolum de rebus in concilio gestis altera ejusdem synodi epocha, edendum, ut speramus, a Seb. Merkle in conc. trid.

[3]) Petrus Bembo patricius venetus n. 20. Maj. 1470 in literis classicis egregie institutus, harum literarum studio et cultu clarissimus, a stili et latini sermonis elegantia et nitore celebratissimus

receptus. A captandis beneficiis et dignitatibus animo generoso abstinuit, hinc etiam munera vel amplissima ei oblata constanter recusavit, ac nonnisi invitus et reluctans dictus est a Leone X. episcopus carpentoractensis in ditione avenionensi, quam Ecclesiam cum praesens non posset regere, absens per idoneos rexit vicarios. Defuncto Leone statim rebus romanis relictis gregem suum adiit, ut ei sollicitudine vere pastorali prodesset. Creato post brevem Hadriani VI. pontificatum Clemente VII., mox ab ipso Romam est accersitus: quo cum venisset in intima versatus est familiaritate pontificis, qui ejus consilio in administranda Ecclesia est usus. Post triennium ad suam rediit ecclesiam, cui ut omni quo poterat modo prodesset, componendis etiam libris horas a muneribus pastoralibus liberas impendit, inter quos nominari merent l. *de pueris recte ac liberaliter instituendis,* Venetiis 1533; Parisiis 1533. 1534; Lugduni 1535 etc., germanice versus Friburgi 1904, in Bibl. der k. Pädagogik t. XV, liber plane aureus; *de exstructione Ecclesiae catholicae,* quod tamen opus non absolvit et cujus l. 1. tantum prodiit in Mai Spicilegii II, 101 ss., Romae 1839; commentarius stilo nitido compositus *in ep. ad Romanos* in forma dialogi ll. 3, Venetiis et Lugduni 1535; 1536; 1537; Moguntiae 1607 (cum commentario *in Ps. 50.* et *93.* aliisque ejus operibus), Mutinae 1771; et inter opera omnia t. IV. Is non arrisit theologis Sorbonnae, qui illum propterea 1534 non approbarunt; Romae quoque magister s. Palatii eum ut semipelagianum notavit atque prohibuit. Vehementer indoluit cardinalis missaque commentarii apologia et intercedente card. Contarini correctus fuit permissus, Romae 1536. Exprobratur ei, ipsum non semel Christum, quatenus homo est, dicere filium Dei adoptivum, et in quaestionibus de gratia non uti phrasibus et locutionibus Augustini, quem alioquin supra omnes ss. patres summopere venerari consueverit, sed potius imitari, sentire ac loqui cum priscis Ecclesiae graecae doctoribus, Chrysostomo praesertim[1]). Etiam Cornely de ejus commentariis scribit, eos ob linguae latinae puritatem laudem majorem, quam ob doctrinae sanitatem et explicationis profunditatem me-

---

suo tempore erat non solum per Italiam sed et apud exteras nationes. A Leone X, cui erat a secretis, pinguibus beneficiis fuit auctus, sed quamvis clericus vitam minime laudabilem gessit. Defuncto Leone X. Patavium secessit, ubi in dulci literarum otio ab omni cura negotiorumque strepitu solutus annos tredecim transegit, fruens eruditissimorum virorum conversatione, quos liberalissime undique accurentes sua excipiebat domo, cum en a Paulo III., qui lectissimos etiam in literis viros in collegium cardinalium cooptare statuerat, et ipse purpura fuit decoratus, frustra pluribus reclamantibus ob vitam priorem morum licentia foedatam. Literarum amore tantum deprecatus est honorem, promotioni diu reluctatus: demum pontifici urgenti cessit (1539), et exinde vere in eo sensu bono adimpletum est adagium illud „Honores mutant mores," nam tanto honori condignam exinde duxit vitam. Factus est sacerdos et dictus primus episcopus eugubinus, dein bergomas. Cultus est quam maxime Romae a cardinalibus primariis ut Contareno, Sadoleto, Cortesio, Morono, Polo etc. († 18. Jan. 1547 a. aetatis 77). Ejus opera quae ad literas humaniores spectant, prodierunt collecta Basileae 1567; Venetiis 1729 t. 4 in f., inter quae laudant *historiam venetam* ll. 12 digestam (ab a. 1480—1513) argumenti amplitudine et stili nitore spectabilem (Venetiis 1551); chronologiae tamen rationem non habet, nec abundat notitiis, quia archivia ei adire non licuit. *Epistolarum Leonis X. nomine scriptarum ll. XVI,* quae classico quidem stilo sunt conscriptae, sed phrasibus ex mythologia derivatis foedatae; *Lettere volgari* Romae 1538 in 8. etc. Laudatur ut poeseos italicae restaurator et magister linguae patriae. Cf. Eggs l. IV n. 53 p. 565—73; Brück KL. II, 296 ss.; Mazzuchelli II. 2, 733 ss.; Tiraboschi VII. p. 2, l. 3. c. 1. n. 50 s.

[1]) Cf. Reusch Index I, 401.

reri[1]). Tamen non desunt qui nostri auctoris doctrinam ab omni semipelagianismi labe et lutheranismi umbra liberam aptamque censeant ad praedamnandum jansenismum[2]). Interim a Clemente VII. nuncius apostolicus ad Helvetos destinatur et eo defuncto (1534) a Paulo III. Romam revocatus designatus est qui cum aliis viris scientia, prudentia, integritate gravissimis consilia conferret pro reformanda Ecclesiae disciplina, et mox cum aliis viris praestantissimis purpura ornatus est 20. Dec. 1536. Indoluit modestissimus praesul de tam honorifica promotione, quae sibi abstulerit otium, quietem, libertatem, alia vero quaedam reddiderit nequaquam cum illa felicitate prioris vitae, suo quidem judicio, comparanda. Exinde totus in Ecclesiae universalis bonum vixit, sententiam suam ea qua decuit libertate atque constantia semper dixit. In gravissimis negotiationibus fuit a pontifice adhibitus, legatus ad Galliae regem missus, qua in legatione mirae abstinentiae a conquirendis muneribus et commodis suis dedit specimina († 18. Oct. 1547). Plura alia reliquit opera etiam de controversiis illius temporis, quorum aliquot (16) collecta prodierunt Veronae 1737—38 t. 4 in 4. *Epistolae* elegantissimae et cultissimae prodierunt ll. XVI, Coloniae 1564; 1590; Romae 1759—1767, cui ed. praemittitur vita scripta ab Ant. Fiordibello[3]) mutinensi, Sadoleti familiari, annotationibus Alex. Costanzi illustrata; alia ed. Rondini Mutinae 1872. Expositionem in duo Joannis loca *de Nicodemo et de Magdalena* Clementi VII. inscriptam edidit Mai in Spicilegii rom. II, 178—231; et p. 101—179 *de christiana republica.* Aliquorum offensionem incurrit, quod nimis honorifice ad quosdam scripserit Lutheranos. Verum egregie se tuetur humanissimus praesul: „In quo ego, inquit, si consilio lapsus sum, studio certe et pietate erga Deum non sum lapsus; quid enim aliud quaesivi, quam dum honorifice et comiter ad illos scribo, ut ipsi quoque ad parem moderationem et quandam etiam benevolentiam mei inflecterent se atque adducerentur“ etc. Pari ratione reprehensus fuit a quodam, cum Oecolampadio non solum humanius sed humilius etiam quam dignitas pateretur scripsisse: verum respondit ipse: „Ego apud homines gravitatem conservo, in causa Dei depono; si quidem et David ante arcam Dei pietatis memor fuit, non dignitatis[1]).“ De juvenili ejus opere *de laudibus philosophiae* (inter op. III, 128—244) ita scribit Bembo l. 5 ep. 21: „Equidem ab illis Augusti temporibus, quae profecto maxime omnium summis et praestantibus ingeniis claruerunt, nullum legi scriptum, ut mihi quidem videtur, appositius, splendidius, nullum melius, nullum ciceroniano mori stilo, facundiae denique vicinius“. Aliud opus juvenile est *Philosophicae consolationes* et meditationes in adversis (ib. 30—66). *Orationes* et *homiliae.*

691. Clemens Araneus Ragusinus, eximius theologus O. Praed.,

[1]) L. cit. pag. 668; R. Simon Hist. crit. des princ. comment. c. 38 etiam censet Sadoletum magis oratorem agere in suis commentariis quam theologum; Tiraboschi VII. p, 1. l. 2. c. 1 n. 12 s.; Dupin XIV, 177—80.

[2]) Cf. Michael a s. Jos. Bibliogr. crit. IV, 90 ss.

[3]) Post Sadoleti mortem Fiordibello card. Polo erat a secretis, quem et in Angliam est comitatus. Hoc cardinale defuncto rediit in Italiam factusque est episcopus Iavellensis (1558). Post triennium Romam rediit eratque Pio IV. et s. Pio V. a secretis literis latinis († 1574). Scripsit etiam l. *de auctoritate Ecclesiae,* qui subjicitur operibus Sadoleti in ed. veronensi.

[1]) Cf, Eggs Purp. docta l. IV. n. 46; Fiordibello in vita praemissa ed. operum; Gams KL. X, 1524; Cancellieri Vita del C. Sadoleto; Romae 1828; Péricaud Fragments biogr. sur J. Sadolet, Lyon 1849.

typis vulgavit *expositionem* cum resolutionibus occurrentium dubiorum, etiam Lutheranorum errores validissime confutantium secundum subjectam materiam super ep. Pauli ad Romanos, Venetiis 1547 in 4; *Sermones* (quadragesimales, de Verbo incarnato 24, de materiis particularibus 86), Venetiis 1541 in 4; Brixiae 1546. — Quibus adde[1]) Jo. Vigu erium, de quo egimus p. 1378; Ambr. Catharinum p. 1381. — Homilias *in 1. ep. ad Corinthios* Venetiis vulgasse scribitur Nicolaus a Cruce O. Praed. Venetus, ecclesiastes a facundia et vehementia, qua corda demulcebat aut percellebat, celebratus. — Paduanus Barletta sive Grassus sive de Grassis O. Min. Conv. (alius ab eo, cujus supra p. 961 a. fecimus mentionem) Apulus gymnasii regens Venetiis et concionator celebratus, collegit ex Augustino et aliorum patrum operibus *Consilium* (concilium) *Pauli* per modum dialogi, in quo per compendium locorum omnium in omnibus ep. paulinis apparenter pugnantium apostolum optime cum Evangelio convenire ostendit, Venetiis 1545. *Enchiridion scholasticum* contradictionum quodlibetalium doctoris subtilis, Venetiis 1544 in 12; 1583 cum aliis ejusdem operibus; *de ecclesiastica republica,* Mutinae 1542; Venetiis 1543. — *Apocalypsi* lucem affundere nisus est Claudius de Monte Martyrum (Montmartre) O. Carm. theologiae doctor et lector, vicarius generalis congregationis albiensis et 1544 prior parisiensis, cujus sunt in Apocalypsin *enarrationes,* Parisiis 1549 in 16.

692. Haud pauci solliciti fuere de adornandis s. Scripturae *versionibus.* Quorundam passim jam fecimus mentionem. Santes (Sanctes, Xantes) Pagnini O. Praed. peritissimus suo aevo linguae hebraicae et literaturae rabbinicae ordinisque illustre decus, natus est Lucae c. a. 1470. Aetatis a. 16 spretis humanarum rerum deliciis Dominicanorum subiit ordinem habuitque Hier. Savonarolam magistrum. Felices in literis praesertim orientalibus fecit progressus, ut oculos Jo. de Medici cardinalis liberalissimi fautoris eruditorum in se attraxerit, qui eum post suam in pontificem electionem sub nomine Leonis X. Romam accivit professorem linguarum orientalium in schola ad has tradendas a se erecta. Post Leonis X. mortem (1521) comitatus est pontificium legatum Avenionensem, substitit dein ad mortem usque Lugduni magni in aestimatione habitus tum ob vitae sanctitatem, tum ob profundissimam cum pari modestia et facundia literarum divinarum eruditionem, tum ob praeclara merita in civitatem, quam fervidis suis concionibus ab innovationibus et erroribus Calvinianorum praeservavit et contra eos praemunivit. Hinc senatus et civitas lugdunensis eum inter cives adoptavit, et mortuum (24. Aug. 1541) ut parentem suum prosecuta est. Haec potiora ejusdem opera: *V. et N. T. nova translatio.* Laudatur hoc opus 30 a. ab eruditis et merito quidem praesertim ob fidelitatem, quae tamen subinde nimis minutiarum rabbinicarum est aemula, nimis curiosa, nimis grammatica, unde redditur inconcinna et obscura[1]). „Collatis inter se multis iisdemque probatissimis hebraeorum exemplaribus, quanta maxime valuit diligentia et fide, omne V. T. ex hebraica

[1]) Ceterum de pluribus exegetis praecedentium seculorum cf. Denifle in recentissimo opere: Luther und Luthertum 1², Bd. 2. Abth. Quellenbelege, die abendländ. Schriftausleger bis Luther etc., Mainz 1905.

[1]) Richardus Simon Hist. crit. du V. T. II, 20 durius de ea judicat, tamen non absque fundamento scribit: P. a trop négligé les anciens interprètes de l'Ecriture, pour s'attacher aux sentiments des rabbins . . . Bien loin d'exprimer son Original dans la même pureté qu'il est écrit, il le défigure et le dépouille de tous ses ornements.

veritate latinitati donavit et hebraicorum nominum multitudinem, quam priores interpretes in latinas voces inflexerant, hebraicae linguae prolatione restituit . . . Quae omnia tam solerti cura exsecutus est, ut ejus editionem peritissimi hebraeorum rabbini omnibus quae nunc exstant translationibus praeferant, multis eam laudibus attollentes[1]).« Prodiit Lugduni 1528 in f. (m. 175). Post auctoris mortem triplex illius habetur recognitio: alia Mich. Villanovani (Servede, Serveti, qui a fide catholica defecit), cum emendationibus, ut dicitur, ipsius Pagnini, Lugduni 1542, quae propter auctorem et scholia (impia) adjecta prohibita fuit; aliam curavit Rob. Stephanus, qui textum V. T. correxit secundum annotationes Fr. Vatabli, et in N. T. substituit versionem Bezae, Parisiis 1557; 1577 et saepius. Tertia recognitio est Ariae Montani, Antverpiae 1572, quae recepta fuit in biblia polyglotta et saepius recusa fuit, ut 1588; 1591; 1609; 1613; 1657; 1707 etc. Eam tamen graviter carpit R. Simon (cf. Nomencl. I², 76 a.). *Thesaurus linguae sanctae* seu Lexicon hebraicum, Lugduni 1529, in quo omnes opes ac divitias linguae sanctae in usum eorum, qui ad hebraicam ss. literarum peritiam aspirant, affluenti copia congregavit, quod vere nomen thesauri meret; prodiit contractior et emendatior p. 1. cura R. Stephani, Parisiis 1548; et ex Pagnini schedis p. 2., quae exhibet phrases hebraicas V. T. ex commentariis hebraeorum aliisque doctissimorum virorum scriptis, ib. 1558; editio aucta et recognita Jo. Merceri et Ant. Cevallerii, Lugduni 1577; Genevae 1614, quondam prohibita fuit. Prodiit et ejusdem *epitome*, Antverpiae 1572; 1616. *Isagoges* seu introductionis ad ss. literas l. unicus, Lugduni 1528; *Isagoge ad mysticos s. Scripturae sensus ll. 18*, cum priori Lugduni 1536 in f.; seorsim Coloniae 1543. In priori op. ex antiquis patribus multas regulas collegit ad exponendas obscuras phrases, figuratas locutiones et mysticos s. Scripturae sensus; in altero universam pene s. Scripturam mystice exponit: in quo minus tamen probandum est, ea, quae non spectant ad fidem et mores, mystice exponi, historica foliorum tantum instar et corticis haberi. *Hebraicarum institutionum ll. 4* ex R. Kimchi priore parte fere transcripti, Lugduni 1526; 1549 ed. elegans; harum institutionum *abbreviatio*, Lugduni 1528; Parisiis 1546; 1556; *Enchiridion* expositionis vocabulorum multorum ll. hebraicorum etc., Romae 1523 in f.; *Catena argentea* in Pentateuchum, Lugduni 1536 t. 6 in f.; *in totum Psalterium* hebraeorum, graecorum et latinorum continens t. 3 (videtur inedita); *Isagoge graeca* scil. ad linguam graecam capessendam 7 ll., quibus et Lexicon annexum etc., Avenione 1526 in 4. Alia manserunt inedita[1]).

693. Zacharias de Florentia O. Praed. edidit *il N. T. tradotto in lingua Toscana*, Venetiis 1536 in 8; 1542; 1566; quae tamen versio non magni aestimatur. — Ejus sodalis Sanctes Marmochinus Etruscus, theologiae magister et academiae florentinae a. 1543 decanus, linguam hebraicam variis in locis docuit († c. 1545). Erat insignis mathematicus, antiquarius, historicus. Ejus est *La Bibia* nuovamente tradotta dall'Hebraica verità in lingua Thoscana . . . colle chroniche de'tempi della scrittura, coll'autorità de gli historiografi gen-

[1]) Ita Sixtus sen. bibl. s. Coloniae 1626 p. 375. Varias editiones cf. in Le Long Bibl. s. ed. Masch II. 3 p. 485; editiones N. T., cujus versio non tanti aestimatur et non multum innotuit, ib. pag. 619.

[1]) Cf. Echard II, 144 ss.; Tournon Hist. des hommes ill. de l'ordre de s. Dominique, Parisiis 1745 t. IV; Guil. Pagnini ejus consanguinei *Vita* nostri auctoris lingua etrusca, Romae 1653 in 8; Kaulen KL. IX², 1270.

tili, con alcune espositioni e puncti pertinenti al testo; co nomi Hebrei posti in margine, come si harebbono a pronunciare: co sommarii a ogni capitolo, con tre ordini di tavole e molte altre cose ultilissime e degne di memoria . . . aggiuntovi il terzo l. de'Machabei non più tradotto in volgare, Venetiis 1538; et 1546 (m. 100). Ea versio nimis festinato confecta videtur nimisque nititur versione Antonii Bruccioli. Multa alia sane curiosa promiserat, sed an compleverit, valde est dubium[1]). — Alexander (in baptismo dictus Nicolaus) Blanckart (Candidus) O. Carm. Gandensis, theologiae doctor et professor coloniensis, nomine et religione vere erat candidus, haeresum oppugnator valdidissimus[2]). A Maria regina Belgii moderatrice missus fuit ad conc. tridentinum, in quo duas insignes habuit orationes atque pro traditionibus ad stuporem omnium dixit († 1555). Edidit *s. Biblia* ex latino vulgatae editionis *in linguam Germaniae inferioris versa,* Coloniae 1548. *Judicium J. Calvini* de sanctorum reliquiis collatum cum orthodoxorum s. Ecclesiae catholicae patrum sententia; item Oratio *de retributione justorum* statim a morte, Coloniae 1551 in 8. — Nicolaus de Winghe Lovaniensis († 1552) collaborantibus Petro de Cort et Godevaert (Godefridus) Styroede O. Praed.[3]) brabantino idiomate edidit s. Scripturam juxta Vulgatam, Lovanii 1548 et saepius postea; secundum correctam Vulgatam versionem eam retractarunt aliqui professores lovanienses, et ita emendata prodiit Antverpiae 1599, et deinde saepissime; *De dignitate et profunditate s. Scripturae* et quomodo ea legenda, ib. 1593. — Joannes Silvester, Erdely vel Erdoessy cognominatus, Transilvanus sub Melanchtone quidem Wittenbergae a. 1534 philosophiae et philologiae studuit, quin ad protestantes defecerit, ut nonnulli opinantur. In Hungariam redux Szigethi grammaticam docuit et Viennam accitus linguam hebraicam. Vertit N. T. ratione habita praesertim Vugatae, hungarice, Szigethi 1541; Viennae 1574. Alius ejusdem l. est *Querela fidei*[1]), 1551. — Joannes Albrecht Widmanstetter (Widmestadius, hinc Widmanstadt, Widmanstadius) celeber orientalista n. est Nellingae oppido ditionis ulmensis c. 1506. More illius temporis aliud adscivit nomen voluitque Lucretius vocari. Juventutem in Italia transegit alacriter intentus addiscendis linguis graecae, hebraicae, arabicae et syriacae. Praelectiones habuit in variis Italiae academiis de artibus liberalibus. A secretis erat Nic. de Schoenberg archiepiscopo capuano et cardinali, postea ipsi Clementi VII. Coram hoc et pluribus cardinalibus cum magna pontificis approbatione disseruit in hortis vaticanis de systemate copernicano (1533). Etiam Paulo III. fuit a secretis, et in variis negotiis ab aliis principibus adhibitus. Postquam in Germaniam rediit, reperimus eum diplomaticis implicitum negotiis, demum in obsequio Ferdinandi regis, qui eum constituit cancellarium Austriae orientalis (1552) et conservatorem, protectorem seu superintendentem universitatis ad restauranda in ea juxta spiritum catholicum studia misere collapsa. Impensis regiis curavit editionem N. T. *syriace*, Viennae 1556 t. 2, in qua tamen desunt historia adulterae Jo. 8, 1—11; testi-

[1]) Cf. Echard II, 124.

[2]) Cf. Hartzheim p. 14; Streber KL. II², 899.

[3]) Fuit hic patria Diestensis, s. theologiae magister et regens scholarum. Eloquens erat ecclesiastes adeo, ut prae auditorum frequentia in plateis ipsi esset concionandum; munere etiam fungebatur inquisitoris per tractum lovaniensem. Habuit simultates cum Erasmo († 16. Nov. 1549).

[1]) Cf. Dankó Jo. Sylv. Pannonius' Leben, Schriften und Bekenntniß 1871; KL. VI, 1767.

monium de tribus testibus 1 Jo. 5, 7; ep. b. Petri II; Joannis II. et III; ep. Judae et Apocalypsis, quia deerant duobus vetustissimis codd., quos secutus est; praecedit ep. eruditissima Ferdinando I. dicata, ed. prorsus splendida, primum opus literis syriacis in partibus occidentalibus impressum[1]). *Syriacae linguae prima elementa,* Viennae 1556; *Sacrarum caeremoniarum* sive rituum ecclesiasticorum s. romanae Ecclesiae ll. 3; *Mohammedis theologia* dialogo explicata cum notis contra Mohammedis dogmata et ejusdem vita, contra Lutheranos (1543); *catalogum archiepiscoporum salisburgensium* in Cosmographia Seb. Münster 1550 p. p. 638—41. Ratisbonam secessit et defuncta uxore renunciavit omnibus muneribus et dignitatibus sacrosque suscepit ordines. Decessit canonicus ratisbonensis mense Martio 1557; secundum Aschbach[2]) vitam protraxit ad a. 1575. — Novum concordantiae specimen dedit Henricus Regius O. Min. guardianus sverinensis et clarissimus adversus novatores ecclesiastes († c. 1555), in op. *Biblia alphabetica* in hanc Enchiridii formulam ea ratione redacta, ut sub qualibet litera N. ac V. instrumenti auctoritates etiam a monosyllabis et partibus indeclinabilibus initium sumentes, candidus lector prima fronte reperiat, additis nihilominus capitum locorumque citationibus, Coloniae 1535 in 4. — Franciscus Arola O. Min. theologiae doctor concinnavit *concordantias bibliorum,* quae Lugduni 1551. prodierunt.

694. Multorum opera in s. Scripturam manserunt *inedita,* quorum aliquos nominasse sufficiet. Julianus Ristorius O. Carm. n. 25. Jun. 1492 in Hetruria († 7. Dec. 1556) astronomus erat et diu mathesis professor, qui scripsit etiam in magistrum sententiarum. — Martinus Accursius de Vastalla (Vastella) ejusdem ord. Senensis, in academia patria erat a. 30 professor († 1. Nov. 1563). — Petrus Alexander Atrebatensis O. Carm. (fl. c. 1554), commentariis illustravit ep. ad Romanos et ad Corinthios atque disseruit de matrimonio, de praescientia, de praedestinatione, de purgatorio etc. — Joannes Augustinus de Bassiano (Bassaninus) O. S. Aug. vicentinus, theologiae magister, prior in variis ordinis conventibus († 10. Jan. 1557), catechismum etiam concinnavit pro urbe neapolitana. — Alphonsus Gudiel O. S. A. Hispanus, in universitate oscensi primariam rexit cathedram et in academia ossunensi s. Scripturam est interpretatus (fl. 1559). Hujus commentaria in s. Scripturam eruditissima dicuntur. — Ferdinandus de Barco O. Carm. Abulensis Carolo V. a concionibus, episcopus Salonae (1521; † 1548). — Joannes Barettus Anglus, doctor cantabrigiensis, fidei catholicae tenacissimus (fl. 1556), et Joannes Bonessel Gallus († 1545), qui etiam magistrum sententiarum exposuit, uterque O. Carm. — Henricus Mauroy O. Min. Gallus, concionator facundus[1]), cujus commentaria in ep. Pauli ad Hebraeos non prodierunt, sed *apologia pro Judaeis christianis* et iis, qui ex reliquiis patriarcharum pie et sancte de Christo Jesu et fide catholica sentiunt, in archiepiscopum toletanum et asseclas

---

[1]) Eam ed. accurate describit Denis in Merkwürdigkeiten der Garellischen Bibliothek p. 285—291.

[2]) Gesch. der Univers. Wien III, 299. Cf. Riezler Allg. deutsche Biogr. XLII, 357—61.

[1]) In quadam concione quartum velut invexit baptismum, fidem scil. parentum, quae in casu necessitatis supplere possit baptismum aquae, quam doctrinam Sorbonna a. 1542 reprobavit, ut „temerariam, scandalosam, haereticam", et Mauroy adactus est suam retractare opinionem. Cf. Feret La fac. de Théol. de Paris, Epoque mod. I, 369 s.

ejus, istos a suis ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis excludentes, Parisiis 1552; 1553; 1563. — Joannes Guiencourt Gallus, clarus ecclesiastes, quem Henricus Delphinus postea rex Galliae II. sibi in conscientiae moderatorem selegit († 24. Jun. 1553), et Hieronymus Quirinus patriarcha venetus (1524; † 13. Dec. 1554), uterque O. Praed. etc.

III. Historia ecclesiastica.

695. Conradus Brunus (Braun) »vir, judice Possevino, aeterna memoria dignus,« primus fuit, qui se opponeret famosis centuriatoribus magdeburgensibus[1]). Natus est Conradus Kirchheimii ad Necarum a. 1491. Obtenta laurea in theologia et utroque jure in academia tubingana cathedram juris rexit (1521) atque rectorem ibidem egit 1523—24. Relicta a. 1526 schola episcopo adhaesit wirceburgensi Conrado de Thungen, cui fuit a consilio, dein et ejus cancellarius: inde transiit Spiram assessor judicii camerae imperialis (1533) a circulo Franconiae electus. Propter singularem illius tum in agendo tum in judicando excellentiam in praefectum seu regentem cancellariae promotus est. Interfuit colloquio wormatiensi (1540), in quo Ecclesiae causam egregie egit teste Morone nuncio apostolico, et non semel imperii comitiis. Ne contra conscientiam et justitiam cogeretur sententiam pro protestantibus ferre, qui sibi jam nimium usurpaverant et a Caesare minis et excitatis turbis extorserant, muneri suo renunciavit (1542). Ob insignem tamen juris peritiam postmodum ab imperatore cum Conrado Visch a. 1548 electus est ad novam concinnandam judicii camerae imperialis constitutionem et ordinationem, quae placuit et approbata fuit. Jam sacros susceperat ordines factusque est canonicus frisingensis (1546). Post alias occupationes et munera assumptus est in cancellarium ab Ottone Truchsess cardinali augustano. Forte ob nimiam in studendo contentionem oculorum lumen amisit (1561): quod ei tamen feliciter peritus medicus a. sequenti restituit. Cum eo tempore Flacius Illyricus cum aliis suas vulgaret centurias, Brunus rogatus a cardinali de suo circa hoc opus judicio prolixam elaboravit censuram, quae ob suam praestantiam post ejus mortem typis fuit tradita hac inscriptione: Adversus novam historiam ecclesiasticam, quam Matthias Illyricus et ejus collegae Magdeburgi per centurias nuper ediderunt, ne quisquam illis malae fidei historicis novis fidat, *admonitio catholica,* Dilingae 1565 (praemissa est ejus vita): cui opposuit Flacius *Refutationem invectivae Bruni,* Basileae 1566. Senex a Ferdinando imp. Oenipontum fuit vocatus in negotiis pro concilio tridentino. Fortiter et prudenter cum b. Canisio causam egit Ecclesiae catholicae neque sine fructu, verum in reditu laboribus exhaustus Monachii animam reddidit Creatori suo 20. Jun. 1563 a. aetatis 72. Alia egregia scripta composuit[1]) adversus protestantes, ut dialogos (germanice), in quibus protestantium usurpationes et agendi modum contra catholicos illustrat; *de legationibus ll. 5;*

[1]) Cf. de centuriatorum consilio et opere Jos. Niemöller Zeitschr. f. k. Theol. XII (1888), 75-115. — Quaestionem praeviam ad historiam ecclesiasticam tractavit Philippus Fantoni O. Cam. scil. *de ratione reducendi anni* ad legitimam formam et numerum et aliis ad eandem rem pertinentibus, Florentiae 1560 in 8.

[1]) Plura de ipso dabit N. Paulus hist. Jahrb. 1893. XIV, 517—549.

de caeremoniis ll. 6; de imaginibus l. unus, Moguntiae 1548 junctim; *de haereticis et schismaticis* in genere ll. 6, Moguntiae 1548, et in tract. juris univ. XI p. 2 p. 271 ss.; *de calumniis ll. 3*, 1549; *de universali concilio ll. 9*, 1584; *de seditionibus ll. 6*, Moguntiae 1550, in quo op. maxime extollit romani pontificis primatum et potestatem tam spiritualem quam et temporalem, utrumque gladium ita tamen, ut etsi par sit jus et potestas, diversum sit exercitium; »siquidem spiritualem habet secundum usum et exsecutionem, materialem vero secundum nutum et imperium.« *De auctoritate et potestate Ecclesiae*, Dilingae 1559, ex quo fragmenta, quae Ottoni card. admodum placuere, germanice reddita prodiere Dilingae 1559. — Sleidano opposuit in Gallia Simon Fontaine O. Min. Senonensis *Histoire de nostre temps* touchant l'estat de la religion chrestienne ll. XVII (1517—1546), Antverpiae 1558, opus rarum posthumum. Ejus quoque est *in l. Ruth explicatio*, Paris 1560; *Parasceve* ad rhetoricam, ib. 1578. Obiisse videtur c. 1557.

696. Christianus Massaeus (Masseeuw) Belga e Warnestono sive Waestena oriundus 13. Maj. 1469 congr. s. Hieronymi primum Gandavi, dein Cameraci juventutem optimis disciplinis et moribus imbuit, quo in munere adeo diligens et constans fuit, ut inde Cameracensis cognominaretur, nam ab a. 1509 ad mortem illi incubuit (25. Sept. 1546). Hortante Trithemio aggressus est opus grande scil. *Chronicorum multiplicis historiae utriusque T. ll. 20*, Antverpiae 1540, cui adjecit calendaria quatuor: Aegyptium, hebraicum, macedonicum, romanum, opus ab eruditis collaudatum [1]). — Maternus Berler (fl. 1555) rector ecclesiae gueberwilerensis germanice stilo implexo et duro scripsit *Chronik* (668—1517) in Code histor. et diplom. de la ville de Strasbourg I. 2, 1—130. — Alphonsus Venero O. Praed. Burgensis (n. 16. Maj. 1488; † 24. Jun. 1545) antiquis praesertim se dedit excutiendis historiis atque chronicis, ex quibus delibavit et compilavit *Enchiridion o* Manuel de los tiempos, ed. 1. in Hispania 1526 vel 1527; 1540 ed. 2. ab auctore emendata et producta ad h. a.; Salmanticae 1545; Antverpiae 1551 in 8; 1554; Toleti 1569 auctum ab alio ad h. a.; 1587 continuatum ad a. 1582; Compluti 1640 iterum continuatum. *Las vidas* de s. Lesmes y s. Casilda y de otros Santos de la diocesi de Burgos, Burgis 1563. — Historiam sui temporis ab a. 1494—1544 ll. 45 complexus est Paulus Jovius [1]), Comensis n. 19. Apr. 1483. A fratre suo Benedicto egregie fuit in variis disciplinis institutus, quod ipse gratus agnoscit. Patavii discipulus erat Pomponatii. Lauream in medicina adeptus primum erat magni nominis medicus. Ab Hadriano VI. dictus est canonicus comensis, a Clemente VII. episcopus nucerinus, cui tamen sedi renunciavit († 11. Dec. 1552). Prodiit opus Florentiae 1550. 1552 t. 2 in f., Parisiis 1558—60. Perierunt tamen in direptione Urbis ll. 5-11, et ll. 19-24 non scripsit propter materiam minus gratam. Narrat facta satis belle, ordine concinno, perspicuo »sed suo quodam dicendi genere grandi ac fuso et bene sonanti, a quo tamen saepe abest castitas . . . orationis [2]). »Quidam, inquit Mich. a s. Joseph [3]), in Jovii historiis integriorem fidem et calamum minus

[1]) Cf. Roersch Biogr. nat. de Belg. XIII, 933 ss.; Foppens I, 173.

[1]) Ejus frater Benedictus scripsit *Historiae* patriae sive *Noviocomensis ll. 2*, in Graevii thes. antiq. t. IV.

[2]) Palearius l. 1. ep. 17.

[3]) Bibliogr. crit. III, 418; Feller V, 33; Schroedl KL. VI 1904; Tiraboschi VII. p. 2. l. 3. c. 1 n. 37 s.; praeprimis vero Giov. Batt. Giovio Elogio di Mons. P. Giovio lo Storico, Modena 1778.

affectibus indulgentem desiderant. Nec desunt, qui minime dubitent inter venales historicos Jovium numerare. Scripsit certe non omnibus placitura et quae plerisque videntur non vera, vel quamvis vera, minime revelanda.“ Reliquit et alia opera, quae collecta prodierunt Basilieae 1678 t. 6 in 3 v., inter quae *Elogia clarorum virorum* in omni statu vivorum, inter quos et Leonis X. et Hadriani VI; *de legatione Basilii magni* principis Moscoviae ad Clementem VII., in qua situs regionis, religio gentis, mores et causae legationis referuntur, Romae 1525 (m. 75). — *Annales* (utiles et fideles) historiarum sui temporis ab a. 1502—1548 collegit Kilianus Leib (Leyb) can. reg. s. Aug. Natus is est Ochsenfurti in Franconia 23. Febr. 1471 et absoluto philosophiae studio ingressus canoniam rebdorfensem jam a. 1486, cujus dein electus est prior (1503). Impense studuit s. Scripturae, patrum operibus atque etiam linguis orientalibus, unde in quaestionibus biblicis magna erat ejus auctoritas apud Eckium et Cochlaeum. Magna prudentia et disciplinae zelo rexit canoniam, fortiter se opposuit novitati lutheranae invadenti dioecesim eistettensem, concionibus suis praemunivit ab erroribus fideles. Partem habuit in refutatione confessionis augustanae, interfuit 1546 colloquio ratisbonensi († 16. Jul. 1553; secundum alios 17. Jul. 1550). Priorem annalium partem (1502—23) vulgavit Aretin in Beiträge zur Geschichte und Literatur, München 1806. VII, 535 ss.; alteram p. ab a. 1524—48 Döllinger Beitr. zur polit. kirchl. und Culturgeschichte der sechs letzten Jahrh. II, 445—611. Edidit quoque opera adversus novatores: *De s. Scripturae dissonis translationibus*, s. l. 1542; Resolutio *q. de s. Paulo ap.* an conjugatus fuerit, Ingolstadii 1545; *de coelibatu atque castimonia*, 1547; *Gründtliche anzaygung and bericht*, auss was Ursachen, deren fürnemlich siben sind, so mancherlay und vilfaltige Ketzereyen . . . erwachsen seind, Ingolstadii 1557. Quibus adde pretiosas *epistolas* ad Willib. Pirkheimer[1]).

697. Huc etiam referri potest Hieronymus Aleandro (Aleander, a Leandris) in oppido Motta prope Tarvisium 13. Febr. 1480 natus. Miro ingenio tenacissimaque memoria erat praeditus atque tanto ardore incubuit studiis, ut annos natus vix quindecim auctores publice interpretari coeperit accurrentibus undique tam laicis quam ecclesiasticis ad audiendum magistrum adeo juvenem. Profecit in astrologia, medicina, musica, philosophia et theologia, linguis graeca, chaldaea etiam et hebraica et in omni literatura classica. Juvenis a. 19 disputationem publicam subiit Venetiis *de angelis* magno omnium plausu, moxque publico stipendio conductus fuit qui Venetiis tusculanas Ciceronis quaestiones coram lectissimis auditoribus exponeret. Ibidem familiariter conversatus est cum Erasmo, quocum eodem utebatur cubiculo mensaque eadem. Parisios a. 1508 profectus literarum humaniorum et linguae graecae (coram auditoribus 2000) professorem egit. Rector universitatis electus est primus post duo secula ex Italia, eique praefuit biennio, interim et sacris fuit initiatus. Anno 1514. Erh. de la Mark episcopus leodiensis eum suum secretarium et cancellarium constituit et canonicatu in aede cathedrali et duplici praepositura s. Petri et s. Joannis donavit eumque Romam misit pro obtinenda cardinalatus dignitate: quo negotio feliciter peracto a Leone X. in

[1]) Apud J. Heumann Docum. lit. varii argumenti, Altdorfii 1758 p. 266—74. Cf. de auctore nostro Streber KL. VII, 1643; Suttner Bibl. eichstettensis dioec., Eichstett 1866; Straus Viri scriptis, conditione ac pietate insignes, quos Eichstadium vel genuit vel aluit, Eichstadii 1794 p. 261—278; Wegele A. d. Bi. XIX, 753.

Urbe retentus est et mox bibliothecae vaticanae praefectus. Exinde saepe in gravissimis negotiis et legationibus [1]) adhibitus fuit, ter in Germaniam missus, ubi digne fortiterque protestantium innovationibus obstitit, quorum propterea odia et calumnias incurrit. Legatus ad Franciscum I. Galliae regem cum hoc a Carolo V. captus est, erga pretium vero dimissus. A Clemente VII. dictus est a. 1524. archiepiscopus brundusinus et oritanus, et tunc primum ordinatus est sacerdos; a Paulo III. creatus cardinalis (1538) et cum Simonetta et Campeggio destinatus praeses concilii Vicentiam indicti, quod tunc tamen cogi non potuit. Redux ex tertia legatione in Germaniam, dum egregium opus conderet de concilio habendo in 4 ll. divisum, lenta correptus febri vita excessit [2]) 1. Febr. 1542 aetatis 62. Opus quidem non prodiit, tridentinae tamen synodo plurimum profuisse ferunt. Munerum contemptor erat inclitus, in egenos et doctos viros liberalis, stupendae eruditionis vir et singularissimae memoriae, qua semel lecta tenacissime retinebat. Ejus propterea hic meminimus, quod ejus epistolae et relationes, quas tamquam legatus apostolicus Romam misit, pretiosae sint magnique aestimentur pro historia turbarum religiosarum illius temporis. Eae jam nostra aetate typis vulgari coeperunt, ut a Laemmer (non integre) in Monum. vatic., Friburgi 1861; Mai Spicilegio rom. II, 231—240; duplex ejusdem consilium super re lutherana apud Döllinger Beiträge zur . . . Gesch. der letzten 6 Jahrh. III, 243—248; in Abhandl. der Münchener Akademie, hist. Kl. XI, 57 ss.; a Kalkoff Die Depeschen des Nuntius Aleander vom Wormser Reichstag 1521 übersetzt und erläutert, Halle 1886; 1897 ed 2; et jam antea Balan in Monum. Reform. luth., Ratisbonae 1884 p. 1 ss.; Friedensburg. Legation Aleanders 1538-1539, Gotha, 1893 t. 2 etc.

698. Hieronymus Veralli (Verallo) ex sorore nepos celebris card. Jacobazzi, episcopus Brictionorii (Bertinoro) 8. Aug. 1540, mox (4. Oct. 1541) Casertam translatus et 1544 Rossanum, nuncius primum fuit Pauli III. ad senatum venetum. Venetiis s. Ignatium apud ipsum accusatum innocentem pronunciavit et ejus sociorumque vota acceptavit. Dein missus fuit ad Ferdinandum I. regem, et ad Carolum V. A Paulo III. creatus est cardinalis (1549) missusque legatus a latere in Galliam a Julio III. Obiit [1]) a. 1555. Ejus *acta* edidit W. Friedensburg in op. Nuntia-

---

[1]) Aleandri in legationibus aliquando auditor, subinde et socius fuit Fabius Mignanelli patria Senensis (n. 1496), juris doctor et advocatus consistorialis, qui defuncta uxore post obita bene varia munera factus est episcopus Luceriae (1540), inde translatus (1553) Grossetum, a Julio III. creatus cardinalis (1551; † 10. Aug. 1557). Interfuit concilio tridentino, cui dicavit duo scripta scil. de peccato originali et de justificatione. Acta legationis suae passim reperiuntur in op. Freidensburg mox citando t. I. II. VIII. Plurima adhuc latent (c. 100), mox edenda, in cod., qui Senis asservatur. — Inter acta Veralli ab eodem edito reperiuntur quaedam, quae sunt Hieronymi Dandini, Paulo III a secretis et legati ad Ferdinandum regem, episcopi Casertae et Cardinalis († 1559).

[2]) Cf. Liruti Notizie de Letter. del Friuli I, 456 etc.; Tiraboschi VII. p. 1. l. 2. c. 1 n. 5; Hefele KL. I, 470; Tüb. Qtlschr. 1841 pag. 648 ss.; Th. Brieger Realenc. I, 328—332, qui sedulo indicat auctores, apud quos scripta Aleandri edita reperiuntur; H. Omont Journal autobiogr. du Card. J. A., Paris 1895; praesertim J. Paquier J. Aléander de sa naissance à la fin de son sejour à Briades (1480—1529), Paris 1900, opus, quo multae de eo fabellae dissipantur, de quo cf. Civiltà Catt. 1900 XII. 702—714. Hefele-Hergenroether IX § 930. — Ab eo distingui debet ejus ex fratre pronepos Hieronymus Aleander junior dictus, de quo egimus Nomencl. I², 341.

[1]) Cf. Moroni Dizionario di erud. eccl. XCIII, 224—226.

tur des Verallo 1545—1546, Gotha 1893. — Magni quoque momenti pro historia reformationis illiusque temporis sunt epistolae Garciae de Loaysae ad Carolum V. a. 1530 — 1532, quas Heine germanice versas edidit Berolini 1848. Porro Garcias natione erat Hispanus, natus Talaverae, professione O. Praed. tam insignibus ornatus dotibus, ut in magistrum XXXIX totius ordinis eligeretur (1518). A Carolo V. ad summas promotus est dignitates. Obiit archiepiscopus hispalensis et s. inquisitionis praeses 1546. — Alius nuncius apostolicus fuit Petrus van der Vorst (Vorstius) Antverpiae natus, qui Lovanii juri operam dedit, ubi et Hadrianum VI. habuit magistrum. Factus est Romae Rotae auditor et 1534 episcopus aquensis (in Sabaudia). A Paulo III missus est ad Germaniae principes, ut bullam convocationis concilii oecumenici ubique promulgaret. Interfuit aliquot concilii Tridentini sessionibus, sed obiit jam c. 1549. *Diarium* ejus edidit de Ram in op. Nonciature de P. van der Vorst, in Nouveaux Mém. de l' Acad. r. de Bruxelles XII (1839), et in Compte rendu des séances de la commiss. r. d' histoire sér. III t. VI Bruxelles 1864 p. 325 ss., et p. 241 ss. exhibet ejus *literas* et instructiones acceptas, quibus usus est et Pallavicino in sua hist. conc. trid. l. 4. — Franciscus Sfondrati Cremonensis, pater Gregorii XIV, talentis suis viam sibi paravit ad suprema munera. Mortua uxore statum amplexus est clericalem. Mox factus est episcopus sarnensis, dein amalfitanus, demum cremonensis et cardinalis a Paulo III, a quo etiam non semel missus est legatus in Germaniam. Decessit 31. Jul. 1550 relictis relationibus de sua legatione. — De Sebastiano Pighino prius auditore Rotae, dein episcopo aliphanensi (1546), ferentino (1548), archiepiscopo sipontino (1550), demum cardinali (in pectore 20. Nov. 1551, promulgato 20. Maj. 1552), concilii tridentini praeside († 1. Dec. 1553) cf. Cardella Memorie stor. de' card IV (Romae 1793), 320; Pieper Die päpstl. Legaten u. Nuntien, Münster 1897 p. 7 ss.

699. Jacobus Merlin Lemovicensis, Sorbonnae doctor, canonicus et poenitentiarius parisiensis, propter nimium zelum calumnias expertus in carcerem fuit conjectus, dein et in exsilium pulsus a Francisco I. rege. Placata regis ira post biennium permissus est Parisios redire (1530). Pastor fuit admodum sollicitus et diligens ad ecclesiam s. Magdalenae († 26. Sept. 1541). Primus fuit, qui collegerit *acta conciliorum,* quae collectio prodiit Parisiis 1524—25 pp. 2 in 1 v.; 1535; Coloniae 1530; 1538; ed. sane incompleta, inaccurata, judicio critico destituta [1]), complectens multa spuria, integram quoque collectionem decretalium Pseudo-Isidori: sed quia prima, meritoria. Curavit etiam editionem operum aliorum, ut Richardi a s. Victore, Petri Blessensis, Durandi a s. Porciano et Origenis praemissa apologia, qua Originem ab objectis erroribus vindicare nititur, Parisiis 1511. Hanc apologiam aggressus est N. Beda in *Dialogo contra apologiam*, Parisiis 1525, sed ut videtur frustra, cum facultas censuram non protulerit. — Merlinum secutus est Petrus Crabbe O. Min. Mechliniensis n. 1470 vel 1471, qui lustratis magna diligentia fere quingentis bibliothecis edidit *concilia omnia* tam generalia quam particularia ab apostolorum temporibus in hunc usque diem a ss. patribus celebrata et quorum acta literis mandata ex vetustissimis diversarum regionum bibliothecis haberi potuere, Coloniae 1538 t. 2 in f., ed. jam plenior; 1551 ed. altera aucta t. 3., quam dein Laurentius Surius (cf. Nomenclator I², 36) iterum

[1]) Cf. Salmon Traité de l'étude des Concils etc., Parisiis 1726 p. 288 s.; 724; Feller VI, 34.

auxit t. 4., Coloniae 1567[1]). Obiit vir diligentissimus 30. Aug. 1554 a. aetatis 83. — Merito his adjungitur Franciscus Joverius Valentinus, parisiensis doctor, qui collegit *sanctiones ecclesiasticas* tam synodicas quam pontificias in 3 classes distributas, quarum 1. universales synodos, 2. particulares, 3. pontificia decreta (a Nicolao I.) complectitur (in epitome), Parisiis 1555.) — Laurentius Pratanus (Després) Nervius, canonicus coepit *historiam* rerum in synodo tridentina gestarum ad Ottonem Truchsessium card. et episcopum augustanum, quae consideratione digna est. Interfuit nimirum synodo qua theologus cum Franc. Sonnio et Car. de Croy narratque gesta octo sessionum a 13. Dec. 1545 ad 11. Mart. 1547. Edidit illam demum Le Plat in Monumentorum ad historiam conc. tridentini potissimum illustrandum spectantium ampl. coll. VII. p. 2 p. 1—39. — De iisdem fere sessionibus relationem literis consignavit alter Belga Joannes de Curtenbosch gandavensis n. 1494 († c. 1550), qui studiorum causa varias peragravit Europae regiones seque etiam Tridentum contulit. Reperitur ea in ampl. coll. Martene et Durandi VIII, 1022—1218. — Augustinus Trivultius illustri prosapia Mediolani n. a puero virtutem secutus ob egregiam indolem brevi ad summos conscendit honores; a Leone X. creatus est cardinalis († 1548). Coeperat gravi et eleganti stilo historiam rom. pontificum et cardinalium, quam morte praeventus typis mandare non potuit: ea tamen usi sunt Ciaconius et Panvinius. Plurimae etiam exstant virorum eruditorum ad eum literae.

700. De *ecclesiis particularibus* egerunt: Joannes Magni (suevice Stor) Lincopensis, Gothus, Hadriani VI., quem Lovanii docentem audiverat, nuncius a. 1522 in Suecia. Postea factus est archiepiscopus upsalensis (1535). Multis chartis et monumentis secum asportatis Romam petiit Gustavum I. regem religionem catholicam abrogantem non ferens, obiitque exsul Romae 22. Mart. 1544. Composuit *historiam ecclesiae metropolitanae upsalensis,* quam frater ejus Olaus et comes in exsilio Romae edidit 1577 subjunctis quibusdam auctoris epistolis; edidit quoque ejus *historiam gothorum sveonumque* a Magogo et primis originibus usque ad sua tempora ll. 24, Romae 1554 cum iconibus, et sine illis Basileae 1558; 1567 in 8; Argentorati 1607. Hinc Olaus designatus est in successorem fratris sui (1544), verum ei sedem upsalensem occupare nunquam licuit († 1. Aug. 1558). Scripsit[1]) *tabulam terrarum septentrionalium* et rerum mirabilium in eis et oceano vicino, cum variis animalium figuris, Venetiis 1539; italice *Opera breve* la quale demonstra et dichiara overo da il modo facile di intendere la charta over delle terre frigidissime di settentrione, Venetiis 1559, opus rarissimum (m. 500); Historia *de gentibus septentrionalibus* eorumque diversis statibus et moribus ll. XXII. Romae 1555 cum figuris in f.; Basileae 1567 (m. 80). Hujus *epitomen* confecit Cornelius Scribonius Grapheus Flander, Antverpiae 1558; 1562 etc. — Polydorus Vergilius Urbinas Bononiae literas didicit et docuit. Ab Alexandro VI. missus est in Angliam, ut questorem seu collectorem oboli s. Petri ageret. Ab Henrico VII. constitutus archidiaconus wellensis in Anglia haesit, donec in senium aetate vergente Urbinum est reversus (1550; † 1555). Scripsit historiae anglicae ll. XXIV, Basileae 1534; 1570 in f. Collegerat quoque omnium episcoporum, quos annis pene mille Anglia habuit,

[1]) Cf. Salmon ibid. p. 291 ss.; 728-40.

[1]) Cf. de utroque Fabricius V, 6 s.; Archivio storico ital. 1891. VII, 117—28.

catalogum, qui tamen nunquam prodiit. Dialogorum *de patientia et ejus fructu ll. 3; de vita perfecta, de veritate et mendacio; de prodigiis ll. 3* (Basileae 1531), simul juncta Basileae 1545 in 8; *d. Chrysostomi comparatio* regii potentatus, divitiarum ac praestantiae ad monachum in verissima Christi philosophia aquiescentem, Basileae 1533; *de inventoribus rerum ll. 3,* Venetiis 1499; adjecit postmodum Basileae 1521 alios 5 ll., in quibus agit de principio religionis christianae, christianae Ecclesiae, monasticae vitae etc. In his acriter carpit multa in Ecclesia et circa ordines religiosos tamquam abusus, ut quidam suspicati sint opus ab haereticis fuisse depravatum: hinc prohibitum [1]) „nisi fuerit ex impressis ab a. 1576 juxta ed. Romae factam jussu Gregorii XIII:" quae modo non amplius leguntur. — Hector Boëthius (Boëtis) Deidodanus, Scotus, Parisiis amicus coluit Erasmum, atque inde 1497 ad ornandam academiam aberdoniensem in Scotia recens conditam a Guil. Elphistono episcopo aberdoniensi permultos annos magna cum laude eloquentiae et ingenii illi praefuit († 1550). Scripsit *historiam episcoporum* aberdonensium et murthlacensium, Parisiis 1522 in 4; Edinburgi 1825 in 4. sub inscriptione *Vitae* etc. *Historiae Scotorum* a prima gentis origine ll. 19 cum continuatione Jo. Ferrerii ad a. 1488; Parisiis 1526, quae ed. complectitur tantum ll. 17; Parisiis 1574; 1575; 1577; Edinburgi 1592, Ea non magni est pretii et sat fabulosa [2]).

701. Joannes Leo Placentius (Plaisant) O. Pr. Brabantinus Trudonifani (St. Trond) natus († c. 1548) collegit *Catalogum antistitum tungarorum* (scil. tungrensium), trajectensium ac leodiensium: et *rerum domi bellique gestarum compendium,* Antverpiae 1529 in 8.; Amstelodami 1633, de quo tamen Vossius de script. hist. lat. l. 3 c. 10 scribit: „Multa in hoc auctore fabulosa, sed in primis culpari meretur, quod nullam temporum rationem habeat, sed ea passim confundat" etc. — Joannes de Brusthem O. Min. Conv. († post a. 1544; secundum Dirks forte 28. Oct. 1549) collegit *res gestas episcoporum leodiensium* et ducum Brabantiae a temporibus s. Materni ad a. 1505 (potius ad a. 1554), ex quo op. grandi solum, quae spectant ad Erhardum de la Mark, prodierunt in Bulletin de l'Institut archéologique liégeois t. VIII; ex eodem pariter derivatus videtur *Catalogus et acta episcoporum leodiensium,* principum tungrensium, ducum quoque brabantinorum, quem typis dedit Reiffenberg in append. chronicorum Philippi Mousquès I, 562—602. Alii vero scriptores laboribus Brusthemii usi sunt [1]). — Jacobus Meyer Flander n. 17. Jan. 1491, Parisiis philosophiae ac theologiae operam dedit. Brugis ludum aperuit literarium magno auditorum confluxu et fructu. Vergente jam in senium aetate relictaque docendi provincia, blancobergensem ecclesiam pastor administravit († 5. Febr. 1552). Erga patriam bene affectus scripsit accurate et fideliter *flandricarum rerum t. X* de origine, antiquitate, nobilitate ac genealogia comitum Flandriae, Brugis 1531 in 4; Antverpiae 1531; *Chronicon Flandriae,* Norimbergae 1538 in 4; quod dein auctum ad tempora Maximiliani Caesaris et totum ex integro retractatum ab interitu vindicavit ejus nepos Anton Meyer editis Commentariorum sive *annalium flandricorum ll.*

[1]) Cf. Reusch I, 154; Fabricius VI, 308.
[2]) Cf. Fabricius III, 182; Potthast p. 162; Bellesheim Gesch. der kath. Kirche in Schottland 1, 118; 322; 449. Ejus frater in jure pontificio doctor et eloquentiae laude clarus in eadem academia erat professor.

[1]) Cf. Dirks p. 66; Alph. le Roy Biogr. nat. 10, 366.

XVII, Antverpiae 1561; Francofurti 1580 Scriptorum rer. belg. t. I. Notat tamen Michael a s. Joseph [1]), historias hujus auctoris »caute omnino esse legendas, cum manifeste soleat optima quaeque in pravum sensum detorquere, sitque opus ejus malignis quibusdam accusationibus seu interpretationibus pene refertum. Gallos praesertim ubique fere insectatur . . . Erasmi amicitia et familiaritate usus est, ab eoque forte didicerit genus quoddam malignioris criticae, qua de superiorum, deque ipsorum ss. pontificum actionibus pejora quaeque suspicatur.«

702. Laurentius Fries (Friese, Friess) n. Mergentheimii 1491, Lipsiae, Viennae et Wittenbergae studuit, beneque excultus Wirceburgum venit, ubi magna auctoritate fruebatur apud episcopos, qui praecipuis eum muneribus honorarunt, fuit enim archivarius, secretarius, cancellarius atque in praecipuis negotiis et legationibus ad imperatorem adhibitus († 5. Dec. 1550). Composuit lingua mascula Chronik sive *Historie von den Bischöfen von Würzburg* ad a. 1495, apud Ludewig Geschichtschreiber von dem Bischoffthum Würzburg, 1713 p. 377—866 secundum textum admodum mendosum. Recentiori aetate coepit prodire nova editio plane emendata. Opus ab eruditis aestimatur: maxime vero laudatur ut archivarius [2]). — Matthaeus de Pappenheim stirpis biberacensis n. 1. Jul. 1458, doctor parisiensis utriusque juris, praepositus s. Gertrudis et canonicus augustanus († 1541), studiis historicis se dedit, quorum fructus tamen nonnisi post ejus prodierunt mortem. Aliis praetermissis huc spectant *Australis chronica* (852—1326); ex chronica augustensi antiqua *excerptum* (admodum jejunum et exile ab a. 973—1104); alia pars *chronicae monasterii ss. Udalrici et Afrae* (1152—1265); chronicae elwangensis monasterii *excerptum* (1095—1477), quae quatuor scripta recepta sunt inter Freheri scriptores germ. rer. ed. Struve I, 430 ss.; *de antiquitate et initio civitatis episcopatusque augustensis*; catalogi episcoporum, praepositorum, canonicorum augustensium [1]) etc. — Inter opera historica Hadriani Barlandi Zelandi, Lovanii (1526) rhetoricae professoris († 1542) Coloniae 1603 ed. reperiuntur *de episcopis utrajectinis* (Lugduni 1584); *Chronologia* brevis ac historia ab o. c. ad a. 1532; *de literatis urbis Romae principibus.*

703. *Historiam Bohemiae* scripsit Joannes Dubravius de Skala (postea in equestrem ordinem cum omni parentela coaptatus et a Dubrawa dictus) domo Pisnensis, magnum patriae suae decus et ornamentum [2]), cui ad aulas principum iter straverunt ingenii sagacitas, stili cultus et puritas, consiliorum promptitudo, morum probitas, solertia in rebus agendis, quas dotes in negotiis gravissimis et legationibus comprobavit. Electus est in episcopum olomucensem a. 1541 († 1553). Pro-

[1]) Bibliogr. crit. II, 559. Praetermittimus Richardum a Wasserbourg Lotharingium, canonicum in cathedrali carnotensi, decanum in virodunensi ac demum archidiaconum († 1550), in cujus op. *Les Antiquitez de la Gaule Belgique* etc., Parisiis 1549 t. 2 in f. plura habentur de episcopis virodunensibus. Continentur in eo opere somnia fabulaeque multae, nam Belgas a Trojanis derivat primumque eorum ducem Salvium Brabionem Julii Caesaris e sorore abnepotem statuit etc.

[2]) Wegele allg. d. Biogr. VIII, 83; Reuss L. Fries der Geschichtschreiber Ostfrankens, eine literar.-geschichtliche Denkschrift, Würzburg 1853.

[1]) Cf. Fabricius V. 50; Vogt allg. d. Biogr. XXV, 161; Veith bibl. aug. II, 85 s.

[2]) Hujus forte vel pater vel cognatus fuit Rodericus Dubravius, qui edidisse dicitur a Balbino in Bohemia docta II. 197 a. 1552 doctissimas annotationes *in ep. d. Pauli ad Galatas.*

diit ejus historia primum occultissime a. 1550 Prostannae; Basileae 1557 cura duorum medicorum Jordani et Crato annotationibus additis; editionem absolutam adornavit Marq. Freherus Hanoviae 1602; et Francofurti una cum historia Sylvii 1687. Stilus est supra illam qua vixit aetatem illimis et elegans, sed sine omni temporum nota, cujus nullam habuit curam, tempora confundere et permiscere solitus[1]). — *Annales Bohemiae* ingenti labore conscripti aeternam laudem Wenceslao Hagecio (Hágek sive Hájek a Liboczan), qui catholicam religionem si quis alius sec. XVI. propugnavit, pepererunt. Bohemice prodieruut[2]), Pragae 1541; 1819 in 4., sed hujus ed. exemplaria fere omnia incendio periere; latine versi a Victorino a s. Cruce et quibusdam notis illustrati, plurimis animadversionibus, diplomatibus etc. aucti a Gelasio Dobner a s. Catharina, Pragae 1761—83 t. 6 in 4; germanice interprete J. Sandel, Pragae 1596 in f.; Norimbergae 1697 in f.; Lipsiae 1718. De Hagecio Balbinus statuit (l. c. II, 56): „Nullum prae Hagecio hactenus habuit patria virum historiae scientiorem.“ Eum dein ob nonnullos naevos excusat et ab exceptionibus tuetur. Porro Hagecius insignis ecclesiastes et „vir indefessae diligentiae edidit quamplures libros tam a se quam ab aliis scriptos, usus ad extremum valetudine perincommoda et lecto diu affixus; ante vero per annos multos (fuit) decanus carlsteinensis, tum concionatur ad. s. Thomam in minore Praga, tandem boleslaviensis praepositus, denique valedixit laboribus et honoribus et quietam ad s. Annam vitam instituit († 15. Mart. 1553).“ Ita Balbinus l. c., qui ib. p. 71 scriptores recenset, quibus se usum Hagecius profitetur.

[1]) Cf. Balbinus Boh. doctae p. 2 pag. 59 ss., Pragae 1778.

[2]) Cf. Potthast p. 567.

704. De *ordinum historia*[1]) scripserunt Georgius Innes O. SS. Trin. Red. Capt. natione Scotus, qui tres majoris Britanniae provincias ante schisma Henrici VIII. florentissimas vicarius generalis rexerat, cujus l. *de fundatione ord. ss. Trinit.* Antverpiae prodiisse dicitur[2]), forte 1547; et Franciscus Barba ejusdem ord., cujus l. *De la Institution o fundacion de la orden de la ss. Trinitad de la redencion de cautivos* prodiit Beatiae 1557 in 8. — Joannes de Cruce (de la Cruz) O. Praed. cum Ludovico granatensi aliisque in Lusitaniam missus est ad illius regni coenobia instauranda. Hinc maximam vitae partem ibi egit juvenibus educandis primum praefectus, dein variis in conventibus prior, ob gravitatem, religionem, prudentiam intus et extra omnibus acceptus et venerandus. Compilavit ex antiquis historiis *Cronica de la orden de Predicadores* de su principio y successo hasta nuestra edad, cujus tamen tantum t. 1. prodiisse videtur Olisipone 1567 in f. (m. 85); complectitur ea ll. 7 vitas s. Dominici, ejus successorum in magisterio, s. Petri M. et ceterorum ordinis martyrum, s. Antonini aliorumque antistitum, s. Thomae A. aliorumque doctorum, s. Vincentii aliorumque illustrium verbi divini praeconum; s. Catharinae sen. V.

[1]) Wolfgang Mayer Bavarus (n. 18. Oct. 1469) O. Cist. dignissimus alderspacensis monasterii abbas (2. Jun. 1514; † 14. Oct. 1544), diligenter collegit *Annales* sive chronicon domus alderspacensis ab initio sec. XII ad a. 1542, necnon Pontificum et archipraesulum laureacensis et pataviensis ecclesiarum catalogum ab incerto auctore editum nonnihil castigavit atque abbreviavit. Haec tamen manserunt inedita, sicut et duo adversus Lutheri errores scripta, necnon et carmina: erat enim teste Casp. Busch „insignis versificator:“ prodiit tantum carmen de vita et passione Christi inscriptum Christi fasciculus florido heroyci poematis charactere digestus Landshut 1515. Cf. de eo accurate disserentem N. Paulus in hist. Jahrb. XV (1894), 575—588.

[2]) Michael a s. Jos. II, 330.

et sororum ex ordine beatarum. *La historia de la Iglesia*, que Ilamen ecclesiastica y tripartita, Olisipone 1541; Conimbricae 1554 in f., quae est versio historiae, quam Cassiodorus ex Socrate, Sozomeno et Theodoreto latine fecit; *Dialogo* sopra la necessitad, obligacion y provecho de la oracion vocal y de las obras virtuosas y sacras ceremonias, quae usan los christianos etc., Salmanticae 1555. — Stephanus Ususmaris (Usodimare) O. Praed. Genuensis, concionator insignis, Januae censor fidei, a Franc. Romaeo supremo ordinis magistro huius procurator generalis fuit institutus. Romaeo defuncto a. 1552, in successorum unanimi electorum voto est evectus († 3. Mart. 1557). Collegit *Privilegia* per complures ss. pontifices O. Praed. concessa et communicata, Romae 1555 in 4; ad calcem subnectitur catalogus 1. magistrorum ordinis, 2. cardinalium, 3. antistitum, 4. martyrum, 5. beatorum, 6. doctorum. — Robertus Steward OSB. ultimus prior eliensis nobili Stuartorum genere ortus continuavit *historiam eliensem* ab a. 1486—1555, quae prostat in Wharton Angliae sacrae I, 678 ss. — *Annales neresheimenses*, qui incipiunt ab a. 1049, continuavit ab a. 1411-1540 Joannes Schweickhofer illius momasterii OSB. abbas. Reperiuntur in M. G. X. 27—32 ed. O. Abel. Ab aliis continuati fuere ad a. 1721; continuationem ad 1572 habes ib. p. 32 ss.

705. Ex *hagiologis*[1]) speciminis gratia nominare licet Martinum de Lilio O. Min. reg. obs. Hispanum, cui tribuitur opus magnum praenotatum *Flos sanctorum*, Hispali 1544 hispanice; correctum et auctum, ib. 1569; *De la Oracion mental* y exercicios espirituales pp. 2, quorum tamen pars altera auctorem habet Ludov. de Riaño; Matriti 1611 in 8. — Opus ejusdem inscriptionis *Flos sanctorum* La Vida de N. S. J. Christo, de su ss. Madre y de los otros Santos segun el orden de sus fiestas, Caesaraugustae 1521 (alias 1522) vulgavit Petrus de la Vega O. S. Hier. Hispanus; auctum 1541 in f.; Hispali 1568; emendatum et locupletatum a Gundisalvo Aemiliano Medinae Campi 1578 in f. et Hispali 1580; *Chronico* de la vida, milagros y muerte de s. Geronimo, Compluti 1539: Caesaraugustae 1546 in f. Edidisse quoque dicitur *Chronicon fratrum ord. d. Hieronymi ll. 3.* — Joannes Maldonatus quondam vicarius generalis in episcopatu burgensi vitas sanctorum narrat brevi elegantique stilo 1530; ed. correctior 1548; Burgis 1573. Propter eas dicitur a Baronio in notis ad 19. Jul. sui martyrologii „vir dissertissimus praeclarissimorumque monumentorum auctor.“ — Dominicus Baltanas (Valtanas) Mexia O. Praed. Baeticus (n. 22. Jul. 1488; † 1560) disciplinae regulari et studio literarum impense addictus[1]), praeter alia composuit: *Vita Christi* seu *flos sanctorum.* Historia general de la vida y hechos de J. Christo y de sus santos con annotationes, Hispali; *Epitome* y sumario de la vida y excellencias de trece patriarcas del T. V. y de N. muy esclarecidas santas, Hispali 1555 in 4; *justification del hombre* per la gracia, Hispali 1550 sine auctoris nomine; *Dottrina christiana,* en que se debe cadauno creer, huir, temer, obrar, desear etc., ib. 1555; *Confessario,* tr. de excommuniones, usura, matrimonio y votos, ib. 1554 in 4. suppresso auctoris nomine; *Enchiri-*

[1]) Antonius (non Joannes) Gentius (Geens, nequaquam Gheuty) canonicus regularis in valle Rubea, monialium confessor et multis annis rector, prior etiam cysoniensis († 21. Febr. 1543), variis e bibliothecis locisque Vitas seu historias sanctorum universae Ecclesiae congessit, sua manu descripsit, et per ordinem mensium distribuit. Supersunt adhuc tria volumina, unum (2.) complectens sanctorum Martii et Aprilis vitas periit. Collectio tamen haec mansit inedita. Cf. Anal. boll. VI (1887), 31—34.

[1]) Cf. Echard II, 170.

dion de estados, ib. 1555 in 8; *Concordancias* de muchos passos difficiles de la divina historia, 1556 in 8; *Apologia* sobre certas materias morales, en que a y opinion, ib. 1556 in 8; La vida y hecho admirables *del real profeta David* y las excellencias del psalterio sobre las otras escrituras, ib. 1557 in 8. etc. — *Vitam Ludgeri* mimigardevordensis ecclesiae, quae est Monasteriensium Westphaliae, protoepiscopi Saxonumque et Frisonum apostoli († 809), edidit Joannes Cincinius de Lippia (i. e. Kruyshaer † 1555), Coloniae 1515 in 4., l. rarus [1]), cujus epitomen habes in Diekamp *Die Vitae s. Liudgeri*, Münster 1881 p. 256—267. — Prae primis vero nominandus est Aloysius Lippomano origine Venetus n. 1500. Vir erat plane excultus in literis classicis, historia et s. theologia et pietate vere insignis, factusque est episcopus veronensis (1548), dein bergomensis (1553), et adhibitus in variis legationibus, imo et inter praesides concilii tridentini sedit († 15. Aug. 1559). Haec ejus opera [2]): Catena *in Genesim* ex auctoribus plus minus sexaginta iisque partim graecis, partim latinis connexa, Parisiis 1546; *in Exodum* 1550; cum priori Lugduni 1657; *in 10 priores psalmos* et in aliquot alios, Romae 1585; *Confirmazione e stabilimento di tutti li dogmi cattolici* con la subversione di tutti i fondamenti, motivi e ragioni degli moderni eretici, Venetiis 1553; *Esposizione* sopra il Simbolo apostolico, il Padre nostro e sopra i due precetti di caritá ib. 1554; *Historiae de vitis sanctorum* cum scholiis, Venetiis et Romae 1551—1560 t. 8, quorum ultimum vulgavit ejus nepos Hieronymus, opus haustum ex fontibus melioribus, quam ii fuerint, quibus usi sunt ejus in hoc labore praedecessores: hinc collaudatum ab eruditis, etiam a Bollandistis. Illi innititur opus geminum Surii (cf. Nomencl. I², 37).

706. Ad *historiam literariam* referri potest Leander Alberti O. Praed. bononiensis n. 1479 in literis humanioribus jam puer egregie excultus. Annos n. 14 ingressus est ordinem s. Dominici, studiorumque curriculo absoluto, illis totum vivere decrevit. Verum a Franc. Silvester ordinis magistro generali inde avocatus est, qui eum socium et laborum participem habere voluit: quo defuncto museum suum bononiense repetiit, a quo deinceps non videtur avulsus († c. 1552). Haec patiora ejusdem opera: *De viris illustribus O. Praed. ll. 6*, Bononiae 1517, opus inquit Echard (II, 138) accuratum et puriori elegantiorique latinitate nitens [1]); *Historie di Bologna* Deca 1. e l. 1. della Deca secunda sin all' a. 1253, Bononiae 1541. 1543 in 4; alia ad a. 1278 edidit Lucius Cacciane-mici sodalis ib. 1588. et 1590 in 4., reliqua manserunt inedita; *Descrittione di tutta Italia,* ib. 1550 ed. elegans, Venetiis 1551; 1568; 1581 ed. auctae, quo in op. erudito agit etiam de viris claris, qui eam illustrarint. Sed cum nimis fideret fabulis Annii viterbiensis (p. 1136) sodalis, cum notitiis pretiosis, quae haud facile alibi reperientur, recepit non pauca fide indigna. *Vita della b. Colomba da Rieti* del terzo habito della penitenza, Bononiae 1521; latine in Act. SS. 20. Maj. p. 398 etc. — Georgius Lily, Anglus, historicus et geographus, stili latini elegantia insignis, qui, ut videtur, in cardinalis Pole comitatu rediit in Angliam, a quo et canonicatum obtinuit in ecclesia cantuariensi († c. a. 1559), collegit viro-

[1]) Cf. Nordhoff Denkwürdigkeiten aus dem münsterischen Humanismus 1874 p. 16 ss.; Potthast p. 1430.

[2]) Cf. Streber KL. VII, 2084; Tiraboschi VII. 1. l. 2. c. 1 n. 55.

[1]) Cf. Mazzuchelli I, 1, 306. — Cuidam Rudolfo Offualter O. Min. tribuitur liber seu catalogus *de scriptoribus O. Min.* excusus 1559 in 4., nihil tamen certi de auctore vel de ejus l. expiscari potuimus.

rum aliquot in Britannia, qui nostro seculo eruditione et doctrina clari memorabilesque fuerunt, elogia, in *Descriptione Britanniae, Scotiae, Hiberniae et Orchadum,* Venetiis 1548 in 4; *Anglorum regum chronices epitome* ad a. 1547. Francofurti 1565; continuata, ib. 1614. — Thomas Diplovatazio (Diplovatacci), Corcyrensis, infans adhuc in Italiam venit atque in jure sub egregiis magistris fuit optime excultus. Advocatum fiscalem egit Pisauri ibidemque post alia obita munera defunctus est 29. Maji 1541 (juxta alios a. 1534). Collegit opus *de praestantia doctorum,* in quo recensentur fata juris consultorum celebrium. Diu credebatur periisse, casu repertum fuit a Passerti. Inde traxit Sarti notitias, quas vulgavit in opere suo de claris archigymnasii bononiensis professoribus, Bononiae 1769-92; 1888-1896 t. 2 et Fantuzzi in suo opere Scrittori bolognesi. Eae notitiae sunt pretiosae, etsi non ab omni errore immunes[1]).

707. Ad *archaeologiam* referri possunt *Collectanea antiquitatum* in urbe atque agro moguntino repertarum, inscriptiones scil. veteres (44), quas collegit Joannes Huttich de Strinz in Nassovia, artium et philosophiae magister, vicarius ecclesiae Cathedralis Moguntiae, post varia obita munera Canonicus argentinensis ad s. Thomam et rex chori ecclesiae cathedralis († 5. Mart. 1544). Eas edidit, sed non satis accurate et fideliter, Moguntiae 1520; 1528, et inter inscriptiones Petri Apiani, Ingolstadii 1534. Ipsi quoque, qui erat vir doctus et antiquitatis mire studiosus[1]), deletur saltem magna ex parte *Novus orbis regionum et insularum veteribus incognitarum* una cum tabula cosmographica et aliquot aliis consimilis argumenti libellis, Basileae 1532, quod opus sub nomine Simonis Grynaei saepe prodiit atque sexdecim complectitur veterum itineraria. Edidit et imperatorum romanorum libellum una cum imaginibus ad vivam effigiem expressis (derivatis ex op. Sadoleti *Illustrium imagines,* Romae 1517), Argentorati 1525: 1526; 1533; 1552 ed. 6. Ejus op. quondam erant in Ind. trid. 1. cl., sed nunc non amplius. Praeiverat Joanni in studio colligendi antiquitates Theodoricus Gresemund insignis humanista, ob dictionis latinae elegantiam celebratus, vicarius generalis moguntinus (1506) et scholasticus († 1512), cujus tamen labores typographi socordia periisse dicuntur. Stetit carmine pro imaculata Virginis conceptione. Innotuit autem singulari suo dialogo Podalirii Germani cum Catone Certomio *de furore germanico* diebus genialibus Carnisprivii, Moguntiae 1495. Cf. F. Falk KL. V, 1197.

[1]) Cf. plura de eo in Katholik 1888 II, 418—432 auctore F. F(alk).

[1]) Cf. Oliveri Memorie di T. Diplovataccio, Pesaro 1771 in 4; Fabricius VI. 544; Sarti op. cit. II, 1 ss.; Tiraboschi VII. p. 2. i. 2. c. 1. n. 35.

IV. Theologia practica.

708. Ex *romanis pontificibus* hujus periodi primus est Paulus III. Antea dictus est Alexander Farnese n. 1468, quem juvenem Alexander VI. creavit cardinalem (1493). Artes et literas humaniores impense fovebat, prudentia et dexteritate in gerendis negotiis polebat, moribus erat cultissimus, de convocando concilio oecumenico ad reparanda tot protestantium innovationibus et turbis orta damna atque ad reformandam disciplinam ecclesiasticam erat solicitus[1]): hinc mox altera con-

[1]) Cf. Ehses Kirchl. Reformarbeiten

clavis die miro consensu et omnium gratulatione defuncto Clemente VII. electus est in pontificem (12. Oct. 1534). Quod jam diu cogitaverat in bonum Ecclesiae, nisus est et exsequi, quantum per temporum iniquitatem et turbas politicas licuit: quem in finem viros quam maxime idoneos operis adjutores selegit atque cardinales creavit, quo in selectu fuit si quis unquam pontifex felicissimus. Horum quam plurimos invenies in opere nostro hac periodo impense laudatos. Horum opera prodiit *Consilium* delectorum cardinalium et aliorum praelatorum de emendanda ecclesia[1]) a. 1537 ipsi oblatum et Romae 1538 impressum. Ter indixit concilium oecumenicum, sed frustra insurgentibus semper novis difficultatibus: quibus demum sopitis illud inchoatum fuit 31. Dec. 1545: sed quot angustiae illud semper presserunt, quas fusius hic enarrae non est nostrum. Post sessiones septem jam transferri Bononiam, imo prorogari debuit. Interim Paulus III. curis et calamitatibus confectus obiit magno populi romani luctu 10. Nov. 1549. Ipse plures ordines religiosos approbavit, episcopatus in America instituit, pro Indorum libertate fortiter stetit, librorum pravorum censuram certis regulis innixam induxit, scientiarum studium cultumque artium fovit[2]). Bullas et literas ejus, quae respiciunt conc. tridentinum diligenter collectas et accurate editas habes in Conc. trid. t. IV. editore Ehses. — Paulum III. excepit 7. Febr. 1550 cardinalis Joannes Maria del Monte Romae 1487 natus, qui dici voluit Julius III. In gravibus negotiis et muneribus adhibitus fuit, et a Paulo III. designatus qui cum duobus aliis cardinalibus concilio tridentino praeesset, in quo moderando industrium se gessit, non tamen Caesaris eique adhaerentium partis gratiam invenit: hinc tot morae et difficultates cum ageretur de eo eligendo in pontificem. Concilium prorogatum iterum convocavit, sed ob temporum iniquitatem absolvere non potuit. Sex habitis sessionibus, quarum duae tantum ediderunt decreta dogmatica, illud iterum debuit suspendi et prorogari, ipseque pontifex moerore morbisque attritus decessit 23. Mart. 1555. De Germania meruit fundatione collegii germanici, cujus institutio s. Ignatio adeo fuit cordi[1]).— Post Julii III. mortem electus est 9. Apr. 1555 Marcellus Cervini degli Spannochi, qui natus erat Monte Politiano 6. Maj. 1501, cardinalis a. 1539 creatus est a Paulo III. Interfuit legatus apostolicus concilio tridentino multumque de eo meruit. Ob agendi prudentiam, morum candorem reformationisque Ecclesiae zelum boni omnes ei electo, qui dici voluit Marcellus II., adgratulabantur, sed jam post paucos dies 1. Maj. 1555 morte vivis est ereptus[2]). — Marcelli II. successor fuit Paulus IV., antea dictus Joannes Petrus Caraffa n. 1476, episcopus theatinus (1507) et archiepiscopus brundisinus. Resignatis dignitatibus (1524) fundavit cum s. Cajetano ordinem, qui dictus est Theatinorum. A Paulo III. creatus est cardinalis (1536) et episcopus ostiensis. Semper zelavit disciplinae ecclesiasticae reformationem, quam

---

unter Papst Paul III. vor dem Trientner Konzil in röm. Qtlschr. XV (1901) 153—175.

[1]) Aliud ejusmodi consilium edidit Döllinger in Beiträge III, 208—236, quod est card. Caraffae, qui postea fuit pontifex Paulus IV.

[2]) Cf. Imago optimi pontificis expressa in gestis Pauli III, Brixiae 1745; Raynaldus Annal. a. 1534—1549; Hefele-Hergenroether Conciliengesch. IX, 865—950; Wurm KL. IX, 1635—1639.

[1]) Cf. Raynaldus ad a. 1550—1555; Bullarium magnum ed. taur. VI, 301 ss.; Pieper KL. VI, 2002—2005, et Die päpstl. Nuntien und Legaten I, 121—183. Plurimas ejusdem epistolas, quae spectant concilium tridentinum habes apud Le Plat t. IV. passim.

[2]) Cf. P. Polydorus de vita, gestis et moribus Marcelli II. P., Romae 1744.

in suam induxit dioecesim, promovit ordine a se instituto, consilio et opera, quantum potuit sub Paulo III. Mirantibus omnibus cardinalium rigidissimus non obstante contradictione factionis caesareae electus est fere octogenarius 23. Mart. 1555 in pontificem. Serio coepit consilium de reformatione quaquaversus promovenda. Dolendum tamen est, eum sibi sua agendi ratione politica tot suscitasse difficultates, ut concilium suspensum nunquam potuerit convocare et continuare. Decessit 18. Aug. 1559 frustrata spe, quam boni in ejus reposuerant zelum[1]).

709. Post tot decretalistas tantae famae, eruditionis, auctoritatis, quos priora secula magna protulerunt copia, mirum esse non debet, si eorum numerus et celebritas priori saltem hujus seculi parte decreverint. Paucos revera hac reperimus periodo[2]). Praecipuus forte hujus temporis est Augustinus Bero (Berojus, Berous) Bononiensis n. 1474, laicus quidem, sed doctor utriusque juris tantaeque eruditionis, ut habita ingenti cum plausu disputatione mox cathedram obtinuerit (1504), quam dein magna doctrinae fama rexit a. 50. Inter discipulos habuit Jo. Ang. de Medici et Hugonem Boncompagni, qui postmodum fuere romani pontifices sub nomine Pii IV. et Gregorii XIII. Magni factus est etiam a Julio II. et III., undique fuit a principibus consultus et etiam in civitate magna fruebatur auctoritate. Hinc titulo, quo celebres juris consulti libenter nimisque liberaliter honorari solebant, et ipse insigniebatur dictus „Monarcha legum". Obiit 13. Sept. 1554. Reliquit *Quaestiones,* Bononiae 1550; Venetiis 1574; Commentaria *super decretales,* Lugduni 1550—52 t. 3 in f.; *Consilia,* Bononiae 1567 t. 3 in f., quorum 1. complectitur ea, quae ad jus pontificium et ad contractus sive dispositiones inter vivos pertinent; 2. quae ad voluntates ultimas, successiones et legitimationes; 3. quae ad jurisdictiones, judicia et crimina; Venetiis 1577 t. 4 in 4; Augustae V. 1601, 1602 in f. Panziroli censet eum fuisse magis laboriosum quam subtilem[1]). — Laurentius Pino bononiensis juris canonici professor, junior dictus, ut distingueretur ab alio seniore († 1397), de quo egimus p. 707, scripsit *supra V ll. Decretalium,* Venetiis 1579; *Consilia* notis illustrata ib. 1579 in f. Decessit[2]) 18. Aug. 1542. — Marcus Antonius Marescotti bononiensis parochus et d. Petronii canonicus et primicerius, juris utriusque doctor, protonotarius apostolicus et auditor Rotae, a Paulo III. destinatus nuncius ad Carolum V. († 22. Febr. 1543), vulgavit *repetitiones* super VI. Decretalium, Bononiae 1506. Collegit quoque *decisiones s. Rotae,* quae in aliis collectionibus prodierunt[3]). — Celeberrimus quidem est Andreas Alciati in pago Alzate prope Comum n. 8. Maj. 1492, non tamen a jure canonico, in quo non multum laboravit. Ticini, postea Avenione jus civile docuit; a. 1528 Bituricis magna discipulorum affluentia, atque temporis lapsu aliis in academiis. A Paulo III. ad ecclesiasticos honores saepe invitatus fuit: sed cum profitendi munus

---

[1]) Cf. Caraccioli de vita Pauli IV., Coloniae 1612; Bromato Storia di Paolo IV., Ravennae 1748—1753 t. 2; Wurm KL. IX, 1639—1643.

[2]) Chr. Phreislebius reliquit *Paratitla* seu annotationes ad juris utriusque titulos, Lugduni 1544; sed nihil de hoc auctore deque ipso opere alicubi reperimus.

[1]) Cf. Fantuzzi II. 96—103; Schulte II, 355; Daller KL. 2, 455.

[2]) Cf. Fantuzzi VII, 30.

[3]) Cf. Fantuzzi V, 257. Ejusmodi *decisiones* collegit quoque Joannes Mohedanus in salmantina academia juris civilis professor, romanae Rotae judex, episcopus ravellensis in regno neapolitano († 1549), Bononiae 1578 Ant. Augustini cura; Romae 1589 in 4 cum additionibus Pauli Bonfilii, ib. 1604 in 4.

nollet deserere solo protonotariatus honore fuit contentus († 12. Jan. 1550). Innumera reliquit[1]) scripta. Ad nos spectant tantum *commentaria* in aliquot juris canonici rubricas et capitula, Spirae 1598 in 4; *Judiciarii processus compendium* atque alteo utriusque juris praxis, Coloniae 1536. Ejus contra vitam monasticam ad collegam olim suum, qui transierat ad Franciscanos, Bern. Mattium *epistola*. Accedunt alia quaedam ut et vetera aliquot testamenta sec. XIII et initio sequentis scripta. Primus omnium in lucem protulit adjectis passim notis Ant. Matthaeus, prohibita fuit decr. 23. Mart. 1700. Ejus celebritatem in jure inde repetit Doujat[2]), quod »primus post Guil. Budaeum aut eodem tempore cum Budaeo, jurisprudentiam barbaro docendi genere ante involutam humaniorum literarum tum graecarum tum latinarum lumine illustrare atque ad veros fontes revocatam, pristino nitori restituere coeperit: habitus inter juris interpretes doctissimus, inter doctissimos juris consultissimus.«

710. *Compendium juris pontificii et caesarei* concinnavit Joannes Sandecius Polonus, Pultociae 1540. — Petrus Dueñas Salmanticensis Salmanticae jurisprudentiam de loco superiori docere coepit a. 1547, atque ex instructissima quam possidebat bibliotheca dedit in lucem *regulas juris utriusque* cum ampliationibus et limitationibus, Salmanticae 1554 in f.; Lugduni 1557; Venetiis 1593 in 8, opus utile pro praxi[1]). — *Communes conclusiones* in 7 ll. distributas exhibet Antonius Gabrieli advocatorum consistorialium decanus († 1555), Venetiis 1570; 1574 in f.; Francofurti 1576; 1597; 1616 in f. — *Practicam cancellariae apostolicae*, cum stilo et formis in romana curia usitatis exposuit Hieronymus Paulus Barcinus (Barchin) vicecorrector literarum apostolicarum, Lugduni 1549 in 8; Venetiis 1572; cum Petri Rebuffi elucidationibus, Lugduni 1577; 1599; 1620 in 4; Parisiis 1664 in f. pluribus additionibus locupletatam. — *In regulas cancellariae apostolicae* (sed tantum XIII) commentaria optimo ordine et copioso stilo, ratione habita etiam praxis, scripsit Ludovicus Gomez, Parisiis 1545, qua in ed. praemittuntur regulae Innocentii VII., Julii II., Clementis VII. et Pauli III., quae in aliis ed. omittuntur; Lugduni 1557; Venetiis 1575 in 4. cum annotationibus Jo. Millaei, et saepius alibi. Porro Lud. Gomez natione erat Hispanus, patria Oriolensis juris consultus cognomento ‚subtilis,' quod ei summum et valde sagax ingenium peperit[2]). In patavino gym-

[1]) Cf. Mazzucchelli Scrit. Ital. I. p. I. pag. 354; Argelati I. p. 2. pag. 22 ss.; Schulte III, 448, a quo dicitur Begründer der wissenschafftlichen Jurisprudenz der Neuzeit.

[2]) Praenot. canon l. 5 c. 8 pag. 428, Venetiis 1762. Cf. Tiraboschi, qui cum magno encomio de eo loquitur VII. p. 2. l. 2. c. 4 n. 7 s. Ibidem n. 1. inter alia notat: Un ammasso disordinato di citazioni, una inutile ripetizione del detto già mille volte, un frequente abuso di scolastiche speculazioni erano l'ordinario corredo de'loro (juris consultorum praecedentium) volumi; e a ciò aggiugnevasi uno stilo barbaro ed intralciato, che le cose per lor medesime oscure rendeva oscurissime. Il grande Alciati fu il primo a rischiarar quelle tenebre colla fiacola della Critica e della erudizione, e a dar l'esempio a'Leggisti di scrivere con ordine e con precisione. Ma ad imitar l'Alciati richiedevasi un acuto e penetrante ingegno ed un indefesso studio della seria e della piacevole Letteratura, e pochi eran perciò, che potessero, pochissimi, che volessero imitarlo. Quindi assai scarso numero di seguaci egli ebbe, e la Giurisprudenza, la qual pareva che dovesse sotto gli auspici di quel granduomo risorgere dal suo antico squalore, ricadde tosto nell'usata barbarie etc.

[1]) Cf. Nic. Antonius II, 189; Schulte III, 730.

[2]) Nic. Antonius II, 35 ss.

nasio ab a. 1522 Justiniani institutiones, deinde jus canonicum est interpretatus, usque dum a Clemente VII. Romam accitus romanae Rotae meruit cooptari. Sacram quoque poenitentiariam rexit dictusque est 1534 episcopus sarnensis, Romae tamen videtur haesisse in judicum collegio († 1553). Collegit *Rotae decisiones ll. 2,* Parisiis 1546; Venetiis 1624; 1633 cum aliis Jo. B. Coccini; *de literis gratiae* pro animarum curam gerentibus, Lugduni 1573; Romae 1587; commentaria *in nonnullos l. VI. decretalium titulos,* Romae 1539 in 4. (m. 120); *tr. reservationum papalium ac legatorum,* Romae 1539 in 4. — Joannes Bernardus Diaz de Lugo Hispalensis, decretorum doctor, vicarium aliquamdiu egit salmantini antistitis simulque jus de loco superiore interpretabatur. Indea Joanne card. Tavera archiepiscopo toletano avocatus vice ipsius ecclesiasticarum causarum in curia archiepiscopali arbitrium habuit. Ob vitae integritatem et tractandarum rerum peritiam a Carolo V. admissus est inter indici senatus patres et post a. 13 annuente Paulo III. calagurritanae ecclesiae praepositus est. Hinc interfuit concilii tridentini sessionibus a 5. ad 16. a. 1552. Magna erat ejus auctoritas apud clarissimos juris consultos, ut Covarrubiam, Mart. Navarrum etc. et ob morum candorem splendoremque virtutum apud multos antistites († 1556). Haec potiora ejusdem opera: *Regulae juris* (800) cum suis ampliationibus et restrictionibus, Compluti 1554; 1569; Lugduni 1554 cum *Practica criminali canonica,* in qua omnia fere flagitia, quae ab clericis committi possunt cum eorum poenis describuntur, Ingolstadii 1577; Venetiis 1581. Utrumque opus scholiis doctissimis locupletius reddidit Ignatius Lopez Salcedo decretorum doctor et professor primarius Compluti, Venetiis 1614. Joannes etiam Helvetius annotationibus auxit Practicam, Antverpiae 1568. *Andidotum desperationis* ac christianae spei robur ex variis s. Scripturae et sanctorum locis excerptum, Salmanticae 1553 in 8. Plura edidit lingua patria ad praxim et pietatem spectantia, ut *Aviso para todos los Curas de Animas,* Compluti 1539; 1545; 1551 et alibi, in quo parochos de eorum officiis instruit; cui additum est Aviso muy provechoso *para todos los religiosos y Predicadores; Instruction de Prelados*[1]), Compluti 1530 in 8. — Petrus Plaza de Moraza Hispanus, Salmanticae docuit jus canonicum edidit*que epitomen delictorum causarum criminalium* ex jure pontificio, regio et Caesareo, cujus tantum l. 1. ex tribus quos promiserat, prodiit Salmanticae 1558 in f.; Lugduni 1560; Venetiis 1573 in 8.

711. Plures alii sunt, qui egerint de argumentis specialibus, quos nominasse sufficiet. Ita Paulus Borgasio Feltrensis n. 1466, juris doctor, episcopus nicosiensis in Cypri insula, vicarius patriarchae aquilejensis († 1541), disseruit *de irregularitatibus et impedimentis ordinum,* officiorum et beneficiorum ac de censuris ecclesiasticis et dispensationibus super eis, Venetiis 1574 in f. — Claudius Martinus Bayard Lotharingus juris utriusque doctor, cardinali Lotharingiae a consiliis, scripsit *de perpetuis et generalibus vicariis* dialogum, Parisiis 1542; tr. *de legato cardinali a latere misso,* per quem videre licet quae sint legato de jure concessa et quae sedi apostolicae specialiter reservata, ib. 1542; *allusio* in cardinalatus originem et officium, ib. 1542. — Remigius de Goñi Navarrus juris utriusque doctor et ecclesiae pampelonensis canonicus disseruit *de immunitate ecclesiarum* personisque ad eas confugientibus, Tolosae 1550 in f.; Barcinone 1574 in 8;

---

[1]) Cf. Nic. Antonius I, 660; Morgott KL. VIII, 281.

Casalemajori 1582; *de caritativo subsidio* tr., in quo de omni genere munerum tum laicos tum clericos afficiente amplissime agitur, Lugduni 1550 in 8. — Henricus Botteo (de Bottis) Italus, parochus († 1544), reliquit tr. plenum *de synodo episcopali* et de statutis episcopi synodalibus, Lugduni 1529; Venetiis 1584 et in tract. jur. univ. XIII. p. 2., quo haud raro utitur Benedictus XIV. in suo op. de synodo dioecesana. — Caesar Lambertini archiepiscopus tranensis, inde 1509 translatus ad sedem insulensem in Calabria (resign. 1545), diligenter et practice egit *de jure patronatus*, Venetiis 1572 in f.; Lugduni 1580 cum geminis operibus Rocchi de Curte, Pauli de Cittadinis, Jo. Nic. Delphinatis t. 3 in f.; Francofurti 1581; Venetiis 1584; 1607 in f. etc. — Arnaldus (Hermandus) Albertini Majoricensis, fidei inquisitor, episcopus pactensis in Sicilia, absente Ferdinando Gonzaga prorege vices gerens necnon totius Siciliae generalis rerum fidei judex († 7. Oct. 1544), composuit repetitionem novam sive commentaria rubricae et cap. 1. *de haereticis ll. 6*, Valentiae 1534 in f.; Venetiis 1587; *q. de secreto* quando debeat et non debeat revelari, Valentiae 1528; *de agnoscendis assertionibus* catholicis et haereticis, Panormi 1553 in f.; Romae 1572 in 4; inter tr. jur. univ. IX. p. 2 pag. 520, fragmentum scil. op. majoris naufragio perditi, quod anonymus ex nonnullis chartarum foliis, quae servata sunt, formavit. — Petrus Paulus Parisio Consentinus n. 1473, „ob celebrem jurisprudentiae famam in nobilissimis Italiae cathedris (Patavii et Bononiae) spectatam a Paulo III. P. M. Bononia Romam accitus apostolicae primum camerae auditor creatus, mox in amplissimum ordinem (cardinalium) adscriptus (1539) signandisque gratiae libellis praepositus, sacri tandem concilii trid. legatus ac praeses electus, ut vivens aetati suae christianaeque reipublicae praesenti consilio ac virtute, ita post mortem praeclarissimis editis ingenii atque doctrinae monumentis plurimum posteritati profuit.“ Ita inscriptio sepulcralis. Obiit 11. Maj. 1545 ante celebratum concilium a. aetatis 72. Reliquit repetitiones *in decretales*, scil. in quaedam capitula et titulos l. 2, et *consilia*, Venetiis 1570; Francofurti 1590 t. 4 in f.

712. Joannes Nicolaus Gimont *Enchiridio* universam sacerdotiorum (beneficiorum) materiam complectitur, Lugduni 1550 in 4. — Plenius hanc materiam tractavit Petrus Rebuf (Rebuffe, Rebuffi) apud Montem Pessulanum in Occitania a. 1487 natus. Variis in academiis docuit, demum (1534) Parisiis jus et praxim canonicam magna cum laude. Paulus III. eum oblato munere judicis Rotae Romam invitavit, maluit tamen ipse in patria docendo prodesse. Sexagenarius (1547) sacros suscepit ordines († 2. Nov. 1557). Vir erat vere doctus, admodum modestus et religiosus. Potiora ejusdem opera, quae collecta prodierunt Lugduni 1586 t. 5, sunt: *Praxis beneficiorum* Venetiis 1554; 1560; Lugduni 1553; 1579; 1586; 1599 in f. (cum bulla Coenae Domini, additionibus ad regulas cancellariae apostolicae etc.); Romae 1595; Coloniae 1610 in 4; *tr. nominationum*, Parisiis 1538 in 4; 1551; Lugduni 1576; *de pacificis possessoribus*, Parisiis 1538; 1551; Lugduni 1576; *tr. concordatorum*, quae inter Leonem X. et sedem ap. . . . . regem Francorum et regnum sunt edita, cum ejusdem prolixa glossa, Parisiis 1538; Lugduni 1576; 1599 in f.; Coloniae 1610 in 4; *repetitiones* in varia capita et titulos Decreti et decretalium; tr. *congruae portionis beneficiorum*, Coloniae 1572; inter tr. un. jur. XV. p. 2.; *de decimis*, ib. et Coloniae 1572; Antverpiae 1615; *in quibus casibus judices seculares pos-*

sint cognoscere de personis ecclesiasticis[1]) etc. — De beneficiis plene, clare, erudite egit et Franciscus Duarene (Duarein) Briocensis, professor juris bituricensis, doctrina et moribus clarus, omni antiquitatum genere imbutus († 1559), *de sacris Ecclesiae ministeriis ac beneficiis ll. 8,* Lutetiae 1551 in 4; 1564; inter tr. jur. un. XV. p. 2; ed. Schilter s. l. 1708; 1720: adjecta est pro libertate ecclesiae gallicanae adversus romanam aulam defensio (acerrima) parisiensis curiae Ludovico Galliarum regi quondam oblata, quae tamen prohibita est, opus vero „donec corrigatur“ prohibetur, nimis enim atris coloribus abusus quosdam carpit et reprehendit. — *De sublimi archipraesulum statu et conditione* deque singulari in suffraganeos jurisdictione et metropoliticae sedis praerogativa disputavit Arnoul Ruzé (Ruzaeus), Blessensis, canonicus carnotensis (1505) et aurelianensis, juris professor, cancellarius universitatis aurelianensis († 1550). Ejus quoque est tractatus *juris regaliae*[2]), Parisiis 1534; 1542; 1551 in 4 cum supplemento Philippi Probi; inter tr. jur. un. t. XII. — Philippus Nigri cognomento de Campo, in Morinis natus, j. u. doctor, ord. equitum velleris aurei cancellarius, primusque antverpiensium episcopus nominatus, sed praemature defunctus 4. Jan. 1562, disseruit *de exemptione canonica*, quem tr. Car. de l'Espinoy consiliarius senatus Flandriae in lucem protulit, annotationes et additiones adjecit, Gandavi 1578; Antverpiae 1593 in f.

713. Plurimi sunt, qui in argumentis theologiae moralis vel pastoralis versati sint, quos fere nominasse sufficiet, cum theologos celebriores, qui ejusmodi argumenta solide tractarint, inter scholae theologos jam recensuerimus. Jacobus Melphithensis, qui a reg. obs. ad Capuccinos transiit, vir erat sanctitate vitae, doctrinae eruditione, in rebus fidei pertractandis ac in ss. Scripturis explicandis admodum praestans. Innumeros in praecipuis Italiae civitatibus ad poenitentiam reduxit: sed praecipue in populo epidauriensi, qui eum sibi episcopum a Paulo IV. enixis precibus postulavit. Senio venerando confectus laboribusque attritus Messapiae, in quam civitatem a prorege provinciae hydruntinae ob praedicatae veritatis testimonium fuerat relegatus, placidissime in Christo quievit a. 1561: eaque fuit apud populos illos ejus sanctimoniae fama et gratitudo, ut eadem in civitate illi publice erecta fuerit statua. Haec potiora ejusdem opera: *I divini precetti* dall'Angelo a Mose divinamente dati e per il Verbo incarnato apertamente dichiarati e dalla Chiesa cattolica confermati, Venetiis 1570; 1575 in 16. recognitum et correctum; Neapoli 1597; *de praeceptis Ecclesiae,* de immaculata V. Mariae conceptione, conciones etc. quae collecta prodierunt Venetiis 1535; 1575 et 1578. — *De primo et magno caritatis praecepto*[1]) disseruit Petrus Bravo artium ac theologiae magister, ecclesiae cathedralis s. Dominici calciatensis canonicus, Compluti 1533. — Cornelius Blockius (Blocchius) Hagaecomitanus, can. reg. Ultrajecti prior (1532; † 1553) scripsit tr. *de simonia*

[1]) Cf. Schulte 3. 554; Zeck KL. X, 846; Feller VII, 213, qui de ejus operibus ita censet: Tous ces ouvrages sont en latin, fort savants et sagement écrits, dans les bons principes de jurisprudence et de morale chrétienne.

[1]) De hoc disseruit etiam Aegidius Lemaistre advocatus generalis parlamenti parisiensis († 5. Dec. 1562) in tr. jur. univ. t. XII., sicut etiam *Des appelations comme d'abus,* Parisiis 1653; 1675; 1680. Cf. Schulte III, 555, quem passim de aliis, quos hic nominamus, conferre licet.

[1]) Albertus comes de Guttenstein († 1550) aureum tr. *de caritate erga Deum et proximum* Pragae 1547 edidit. Cf. de eo Balbinum Bohemiae doctae II, 101.

religiosorum, Ultrajecti 1553 cum constitutionibus capituli windeshemensis et sermone de proprietatibus religiosorum. — Joannes Comatius O. Praed. Gandavensis (fl. 1545) statuit *assertiones theologicas* declarantes, quatenus pollicitationibus physicis aut astrologicis fidere liceat, Gandavi 1545 in 12: adjectae sunt Fr. La Rue insulensis doctoris medici de gemmis apocalypsis explicationes (Tiguri 1547; Lugduni 1588).

714. Joannem Medina Compluti a. 1490 natum aequales maximis prosequuntur encomiis, ut Dom. Soto, Mart. Azpilcueta, Alph. Garcias Matamoros, qui illum Franc. de Victoria aequiparat, »non ingenio solum, quo plurimum viguit, sed doctrina et subtilitate quadam disserendi et reliquis etiam animae ornamentis, quae permulta in hoc singulari et summo viro fuerunt[1]).« In tr. *de restitutione et contractibus* agit de rerum dominio atque earum restitutione et de aliquibus contractibus, de usura, de cambiis, de censibus, quod opus prodiit Salamanticae 1550 cum altero: *De poenitentia ejusque partibus* commentarium (in IV. dist. 14) scil. de poenitentia cordis, confessione, satisfactione, jejunio, eleemosyna, oratione (Salmanticae 1550); Ingolstadii 1581. cur. Adalb. Hunger theologiae professore, ed. emendata et elegans t. 2 in f.; Brixiae 1589; 1606; Coloniae 1607. Cum scripserit ante conc. tridentinum, mirum esse non debet, si opiniones reperiantur, quas non amplius defendere licet, ut peccata venialia non esse materiam confessionis; confessionem peccati gravis ante communionem etiam habita confessarii copia non esse necessariam etc. Obiit nimia studendi contentione consumptus 1546. — *Doctrinal de Confessores* en casos de restitucion concinnavit Joannes Arias del Castillo, Compluti 1552 in 4. — De *usura* scripserunt Christophorus de Villalon in Trattado *de cambios* y reprobracion de usuras, Hispali 1542; Cordubae 1546 in 4. — Ludovicus Complutensis O. Min. reg. obs. in tr. *de los prestamos,* que pasan entre mercadores y tratantes, de los logros, cambios, ventas adelantadas y ventas al fiado, Toleti 1543; 1546 in 4. et Sixtus Medices O. Praed. Venetus n. c. 1501, philosophiae Venetiis professor et diu s. Thomae cathedram in academia patavina regens, coenobio et provinciae venetae praepositus († 29 Nov. 1561) in l. *de foenore Judaeorum* ll. 3, Venetiis 1555 in 4.

715. De *matrimonio* disseruerunt Joannes Zumarraga O. Min. Cantaber, ob eximiam morum puritatem a Carolo V. primus archiepiscopus mexicanus designatus, vere Indorum pater dilectusque Deo et hominibus. Multas aedificavit ecclesias, erexit scholas et hospitalia. Scripsit plures libellos pro instructione religiosa Indorum. Vixit pauperrime omnibus suis inter egenos distributis. Ingens suis laboribus respondit messis († 12. Jun. 1548 a. aetatis 80). Liber *de sacramento matrimonii* ipsi tribuitur et editus perhibetur. — Joannes Tucholiensis (de Cervo, Cervus) n. 1500, professor cracoviensis (1529; † 1557) in *Epitome pontificii ac caesarei juris* de cognationibus, nuptiis, jure dotium etc., tum ex pandectis, tum ex decretalibus et Sexto, Cracoviae 1534. — Gregorius Szamotulski[1]) professor cracoviensis et archidiaconus posnaniensis († 1551) in *Enchiridio impedimentorum,* quae juxta canonicas institutiones in

[1]) De acad. et doctis viris Hisp., Compluti 1553. Cf. Nic. Antonium I, 740; Morgott KL. VIII², 1162; Ebrle Katholik 1885. I, 512 ss.

[1]) Cf. de utroque professore Schulte III, 768. Szamotulski edidit etiam Lecturam super tit. *de regulis juris,* Cracoviae 1524; 1537; et *processum juris* Joan. Andreae, pro tyrunculis, ib. 1524; 1531; 1537.

matrimonio contingunt, Cracoviae 1529. *Processus juris brevior* Jo. Andreae pro tirunculis resolutus cum practica exemplari in regno Poloniae solita revisus et auctus, Cracoviae 1537 (m. 45). — Petrus Paulus de Coporella O. Conv. Potentinus ex studiorum regente factus controniensis episcopus (1552; † 1556), in q. *de matrimonio* ad mentem doctoris subtilis, Neapoli 1542 in 4. Ejus quoque est *Operum infidelium* fideliumque in peccato manentium diligens elucidatio, Neapoli 1542 in 4. — Hadrianus Pulvaeus parlamenti advocatus in op. *de nuptiis sine parentum consensu* non contrahendis, l. singularis, in quo edictum Henrici Valesii Francorum regis ad eandem rem pertinens explicatur, Parisiis 1557; 1579, ed aucta et emendata in ll. 2 divisa[1]).

716. *Casus conscientiae* seu practicos collegit Bartholomaeus Fumus O. Praed. Italus, ecclesiastes et inquisitor fidei Placentiae († 1545), cujus est *Summa casuum conscientiae Aurea armilla* dicta Venetiis 1550 in 4; 1567; 1574; 1578; Antverpiae 1576 ed. ut in titulo dicitur emendatissima et ingenti doctorum virorum sedulitate supra omnes omnium ed. pristino suo nitori reddita, succincte admodum omnia illa comprehendens, quae ex jure canonico apud theologos aliasque summas curam animarum spectantia fuse tractantur; ib. 1591; Lugduni 1594. In ea statuit auctor: „In operandis, ubi sunt opiniones, semper tutior pars est eligenda, ne quis se exponat periculo ambiguitatis et consequenter peccandi, quod est illicitum.“ Addit tamen hoc esse intelligendum „quando est cum formidine alterius partis.“ — Ad sacramenti poenitentiae administrationem poenitentiumque curam insuper spectant opera Joannis de Dueñas[1]) O. Min. reg. obs. Hispani, concionatoris insignis, *Espejo de consolacion de tristes pp. 6*, Hispali 1543 t. 2 in 8; Barcinone 1580; 1589; Medinae Campi 1591 in f.; Parisiis 1582 latine; 1583 gallice, opus multum laudatum a viris doctis: *Remedio de peccatores* por otro nombre, Confessonario, Pinciae 1545; Toleti 1546; *Espejo del Pecador* y Tesoro dei Alma, Pinciae 1553. — *Manuale confessorum et poenitentium* Antonii Curara O. Min. Lusitani, non semel prodiit; recognitum, reformatum et auctum studio celebris Mart. de Azpilcueta, Toleti 1554; MethymnaeCampi 1554; Antverpiae 1555; Salmanticae 1556; 1572, etiam in alias linguas versum. — Bartholomaeus Cucala theologiae magister auctor est *Baculi clericalis* sive de disponenda ejus conscientia, qui eucharistiam sumpturus est, Caesaraugustae 1548; 1552 hispanice in 4. etc. — Plures tractatus hunc in finem hispanice scripsit Martinus de Frias, theologiae in salmantina schola diu professor et salmantini praesulis vicarius et dioeceseos visitator, qui prodierunt Salmanticae 1528; 1550 in 4. — Thomae de Strozzis O. Praed. Florentino, qui card. Th. Cajetani commentaria in Proverbia, Ecclesiasten et Isaiae tria priora cc. Romae 1542 in f. edenda curavit, tribuitur *Confessionale*, quod prodiisse dicitur. — Augustinus de Esbarroya O. Praed. genere nobilis, eruditione longe clarior cum tribus fratribus ordini nomen dedit († 10. Aug. 1554). Theologiae erat Hispali lector, simul et insignis ecclesiastes. Scripsit *El Purificador de la Conciencia*, Hispali 1550; *Reglas* para conocer qual sea peccado mortal o no, ib.; *expositiones* in summulas Petri Hispani, Hispali 1533 in f.; *Institutiones dialecticae* juxta tres vias Thomistarum, Scotistarum et Nominalium, Hispali 1533—35 pp. 2 in

[1]) Cf. Schulte III, 560.

[1]) Alius a Petro de Dueñas, de quo supra egimus p. 1552.

f. — Bernardus de Nieva O. Praed., qui summam s. Thomae ita memoriter tenebat, ut si deperdita fuisset, eam unus integram ne syllaba quidem omissa restituere potuisset, scripsit *Sumario manual* de informacion de la christiana conciencia, Methymnae a Campo 1556 in 4. — Didacus de Zuñiga O. S. Hier. auctor est operis inscripti: *Instruccion* y refugio del animo y conciencia escrupulosa y temerosa de Dios, Salmantiae 1552 in 8. — Joannes Lopez de Segura sacerdos burgensis scripsit *Confessionario* para conocernos y tomar aviso contra vicios, 1555 in 4.

717. Claudius le Jay S. J. n. c. 1504 in oppido Aise prope Genevam unus ex primis decem s. Ignatii sociis, theologiae doctor, ingentia sibi collegit merita pro tuenda conservandaque fide catholica in Germania Wormatiae, Ratisbonae, Ingolstadii, Augustae comitiorum occasione et in primis Viennae († 6. Aug. 1552). Composuit *Speculum praesulis* ex verbis s. Scripturae, canonum et doctorum, quod primus edidit Gretser Monachii 1615, et inter ejus op. XVII, 141—58; cui subjicitur commentariolus *de officio episcopi* et qualis esse debet, qui judice Gretser, etiam ipsius esse videtur. Inchoavit etiam theologiae summam, quam morte praereptus absolvere non potuit, typis alioquin Ferdinandi I. voluntate edendam[1]). Hunc enim miserat s. Ignatius cum sodalibus rogatu Caesaris ad academiam et religionem Viennae misere collapsam restaurandam. Coeperat primus e societate Jesu in illa academia docere explicando raro auditorum concursu epistolam s. Pauli ad Romanos (1551), sed magno omnium dolore jam a. sequenti morte fuit ereptus cathedrae. — Joannes Quintinus heduus sive augustodunensis presbyter regularis hierosolymitanae militiae, Melita redux, ubi in magni equitum magistri Lilladami Rhodo pulsi familia ei ceterisque ordinis proceribus carus aliquamdiu egerat, a. 1536 ordinarius juris in academia parisiensi professor lectus est († 9. Apr. 1561). Plura reliquit opera[1]). inter quae: *Speculum sacerdotii* seu apostoli describentis episcoporum, presbyterorum et diaconorum mores, excerptum ex Gratiani Decr. p. 1. dist. 25—50, Parisiis 1559 in 4; *Synodus gangrensis,* seculi praesentis errores multasque multorum superstitiones et impietates condemnans, ib. 1560 in 4. cum commentario ex Gratiani dist. 30; *canones apostolorum* cum scholiis Jo. Zonarae latine vertit, ib. 1558 in 4; *haereticorum catalogus et historia,* ex Gratiano, ib. 1560; *christianae civitatis aristocratia,* pontificii et regii imperii descriptio brevis, ib. 1531 in 4; inter tract. juris univ. t. XVI; *Exegesis* concilii cujusdam generalis in uno beneficiorum multitudinem vetantis, 1539 in 4., l. rarus. — Missionariis utilissima consilia et monita tradit s. Franciscus Xaverius S. J., unus ex primis et praecipuis s. Ignatii sodalibus, Indiarum et Japoniae apostolus († 2. Dec. juxta alios 27. Nov., 1552), in suis epistolis unctione plenis et zelum spirantibus, quas ex hispano

[1]) Sommervogel Bibliothèque de la Comp. de Jésus IV, 765; Aschbach Geschichte der Wiener Universität III, 197 ss.: Duhr Zeitschr. für k. Theol. 1897 p. 599 ss., ubi etiam quaedam reperies de Roberto Wauchop, natione Scoto, qui Parisiis studiis vacaverat et diu Romae degerat. Hunc propter insignem doctrinam et fidei zelum Paulus III. archiepiscopum armacanum dixit (quam sedem nunquam adire potuit) et cum legatis in Germaniam misit. In concilio tridentino magna fruebatur auctoritate († 10. Nov. 1551). Cf. plura de hoc doctore coeco, ut ob infirmitatem oculorum solebat vocari, apud Bellesheim Gesch. der k. Kirche in Irl. II, 69 ss. Quasdam ejusdem literas edidit Laemmer Mon. vat. p. 203. s.

[1]) Cf. Doujat praenot. canonic. l. 5. c. 8 pag. 429; Schulte III, 556.

in latinum convertit Horatius Tursellinus, Romae 1596 ll. 4 in 12, et aliis ed. omissis[1]) magna accuratione et diligentia inter *Monumenta Xaveriana* ex autographis vel ex antiquioribus exemplis collecta, prodierunt Matriti 1899—1900. — Joannes Serrano O. Mi. Hispanus reliquit *Informacion para la Viudas Christianas,* Medinae 1554 in 8.

718. Joannes Philonius Dugo sacerdos bavarus († 1553) scripsit ll. *christianarum institutionum,* in quibus ad mores Christo et homine christiano dignos pacemque et unitatem Ecclesiae eleganter, erudite, modeste vocantur summi et infimi, Augustae 1538. Graviter sed subinde exaggerate carpit abusus in Ecclesia, quin propterea faveat erroribus protestantium[2]); *Tilianus* vel de scientia bene moriendi liber; item Xenocratis philosophi platonici l. *de contemnenda morte* eodem Philonio interprete; additum est ejusdem auctoris breve scriptum *de regimine sanitatis,* Basileae 1553. — Wolfgangus Seidl (Sedelius) O. S. Ben. n. 1491, ingressus est monasterium tegernseense, concionatorem egit Monachii et in aliis civitatibus. Missus ab Alberto duce ad concilium tridentinum, ubi aliquamdiu commoratus est († 11. Jan. 1562). Multa reliquit opera[1]), e quibus aliqua prodierunt, ut *Curae pastoralis ratio brevis et dilucida* pro eorum tentamine, qui sacris initiari cupiunt, ad scholas ecclesiasticas destinata, Ingolstadii 1555; 1557; Antverpiae 1557; *Isagoge studii theologici* docens, qua ratione divinorum eloquiorum studiosus tam in s. Scriptura quam in orthodoxis atque catholicis patribus versari debeat; accedit *modus studendi* in theologia ex s. Bonaventura, Ingolstadii 1551 in 4; *de templo Salomonis mystico* tr. insignis per homilias, Moguntiae 1548; *Trostbüchlein* ob der Abgestorben Seelen, so bei Christo sein, aigentlich einander erkennen, auch noch Unser der hier Lebenden gedenken, wahrnehmen und Wolfahrt ihres Gepür nach fürdern, Ingolstadt 1551 in 4; *Geistlicher Layenspiegel,* darinn [illegible]n an on gross und weitschwaiffiges Nachlesen sehen und erkennen kann, ob die jetzt geführten Lehren aus dem Geist Gottes seyn oder nit, Dillingae 1559 in 4; *Zwölf Lebensregeln* in l. Adam Walasser *Reformbüchlein* für geistliche und weltliche Menschen, Tegernsee 1578 p. 68—80. — Adamus Kuchenmeister a Gamburg »ob maturam prudentiam vitaeque singularem gravitatem ... ad scholastici ac paulo post propter excellentem rerum et spectatam industriam ad decani metrop. praeminentiam evectus ... catholicae religionis indefessus assertor (in epit.)« fuit († 1553). Scripsit *elenchum quaestionum* ss. ordinum candidatis apud Moguntiam promovendorum[2]), Moguntiae 1543; 1544 etc. — Praecepta s. eloquentiae tradit Alphonsus Zorilla oratoris caesarei ad conc. tridentinum secretarius in l. *de sacris concionibus recte formandis,* Romae 1543. —

[1]) Cf. Sommervogel Biblioth. VIII, 1326—36: P. L. Jos. M. Cros, qui post edita documenta nova de s. Francisco publicae luci dedit: S. Fr. de Xavier. Sa vie et ses lettres, Paris 1902 t. 2 in 8., quae est fere autobiographia dextere ex literis s. Francisci contexta. — Sancti mortem et sepulturam descripsit Melchior Nuñez (Nunnius, Nonius) Barreto SJ. missionarius in Indiis orientalibus (1571) inter epistolas japonicas, Lovanii 1570 p. 86—102. Aliae quoque reliquae sunt ejusdem ex missionibus epistolae, quas recenset Sommervogel 1841.

[2]) Als entschiedener Katholik kann indeß dieser Autor nicht gelten; er ist viel eher als Mittelparteiler zu bezeichnen. N. Paulus Katholik 1895. I, 209. Secundum Reusch Index I, 359 sectator est Erasmi; ipse in indice ll. prohibitorum olim notabatur, nunc non amplius.

[1]) Cf. Paulus hist.-pol. Bl. 1894. 113, 165—185; Lindner Familia s. Quirini in Tegernsee p. 96—112.

[2]) Cf. Falk Bibelstudien ... in Mainz p. 181 ss.

Andreas Flores O. Praed., Hispanus, Caroli V. imp. jussu concinnavit brevem familiaremque rerum fidei catholicae instructionem sive catechismum, quem archiepiscopus toletanus in tota sua dioecesi adhibendum sub censuris praescripsit, qui inde in toto Hispaniarum regno acceptus omnium in manus et ora pervolavit hoc titulo: *De la doctrina Christiana*, Toleti 1552 in 8. — Ewaldi Vincii novesiensis *Primordia christianae religionis* seu catechismus[1]) prodiit Coloniae 1551; 1553. — Lambertus de Balven ultimus abbas monasterii Riddagshusani O. Cist. (1553), prius Lutheri asseela dein adversarius, sub quo monasterium ter devastatum fuit et demum deletum, concinnavit *Catechismum*, de quo cf. allg. d. Biogr. II, 35 s.

719. In *sacra liturgia* illustranda et vindicanda praeter tot apologetas fidei catholicae, praesertim de missae sacrificio adversus hujus seculi novatores disserentes, plures alii diligenter sunt versati. Guilelmus Bernardi O. Min. Belga disputavit *de ss. litterarum communicatione* earumque sensus germanitate, ac de catholicae Ecclesiae veritate christiana quaedam axiomata, de sepulturis et exsequiis quid sentiendum et observandum, Parisiis 1547 in 8., opusculum rarum. — Petrus Ciruelo Aragonius, parisiensis doctor, insignis theologus, philosophus atque mathematicus, homo erat indefessi in studiis laboris librisque perpetuo adhaerens, cujus permulta scripta edita passim inter philosophiae studiosos circumferuntur ejusque diligentiam et eruditionem non vulgarem indicant. Eum Ximenes card. praefecit cathedrae s. Thomae complutensi, eumque etiam inter praeceptores Philippi II. fuisse ferunt. Canonicus erat theologus ecclesiae salmantinae. Praetermissis ejus operibus philosophicis scil. commentariis in Aristotelem, Petrum Hispanum, Boëthium etc., mathematicis et astrologicis, medicis etc. huc spectat *Expositio libri Missalis* sive officiorum ecclesiasticorum commentarii ll. 3, Compluti 1528 in f. De ejus scopo ita scribit Nic. Antonius (II, 186): „Biblica testimonia in ll. ecclesiasticis intemeratoque Missae officio jam deducta secundum proprium sensum literalem, quem ab horum officiorum antiquis editoribus significare posita sunt, eum saepe a literali biblico diversum, atque item moralem non minus ab his auctoribus intimatum cunctaque sacrae hujus rei mysteria interpretatur arcana. Et quidem l. 1. declarat ea omnia, quae in septem horis canonicis et missae prima parte, quam vocant catechumenorum continentur; 2. vero . . . missale officium, quod per totum annum varie celebratur, juxta duplicem sensum exponit; 3. qui circa secretum missae canonem versari debuit, ne codex nimium turgesceret, praetermissus fuit ab auctore in aliud tempus, nec editus unquam, ut existimo, cujus locum brevia ista subierunt opuscula: De arte praedicandi: de arte memorativa: de vera luna sabbathi et correctione Kalendarii.“ *Paradoxae quaestiones X*, Salmanticae 1538 in 4., quo in op. quaerit inter alia de loco paradisi terrestris; de tertia lege Spiritus s. circa finem mundi; de multiplicatione sensus literalis; de cabbala et magia judaeorum in enarranda divina Biblia etc. Hispanice praeter alia edidit: *Contemplaciones muy devotas* sobre los mysterios de la Pasion de N. S. J. Christo, con un Tratado de la vita solitaria contemplativa, Compluti 1543 in 4; *Arte de bien conf sar* asi para el Confesor como para el Penitente, Compluti 1524; Hispali 1544 in 8. etc. — Vascus Diaz Tanco alias Clavedan el Estanco Fraxinalensis praeter alia composuit[1]) *Jardin del Alma Chri-*

[1]) De quo cf. aliqua Katholik 1895. I, 187 auctore N. Paulus.

[1]) Cf. Nic. Antonius II, 322.

stiana, donde se tratan las significaciones de la Missa y de las horas canonicas y de las nueve ordenes ecclesiasticas, Pinciae 1552 in 4. — Lucas Gauricus Geophonensis (Gifani), vir apprime doctus, episcopus civitatensis a Paulo III. creatus († 1558 a. aetatis 83), jussu Julii II., Leonis X., Clementis VII. et Pauli III. concinnavit *Kalendarium ecclesiasticum novum* ex sacris literis probatisque veterum patrum synodis, in quo agitur de vera paschatis et festorum mobilium celebratione, Venetiis 1552 in 4. — Alberici Olivae Commentarj *sopra li riti della chiesa di Neapoli* prodierunt Venetiis 1542. — *De jubilaeo et indulgentiis* disseruit Joannes Baptista Paulianus, Romae 1550 in 8. — Floriani Trefler[1]) declamationes theol. *de praecipuis ecclesiae cath. feriis* atque religionis christianae capitibus prodierunt Parisiis 1543.

720. In *ascesi* praetermittere non licet s. Ignatium institutorem Soc. Jesu. Natus is est in Cantabriae arce Loyola 24—25 Dec. 1491. Militiae primum addictus ex vulnere in urbe pampelonensi fortiter propugnata lecto affixus in alium virum, in Christi militem et heroem conversus est (1521). Studia a grammatica exorsus adepta Parisiis doctoratus laurea magna animi energia absolvit et adjunctis sibi ex illa academia variarum nationum sociis, qui omnes artium magisteriis et theologiae gradibus insignes erant, prima ordinis fundamenta jecit: cujus incrementa et fata, sicut et s. institutoris gesta ulteriora fusius prosequi necessarium non erit, cum sint satis nota. Decessit sanctus Ignatius 31. Jul. 1556. Merito hic referendus est propter ejus libellum aureum *Exercicios Spirituales,* Romae 1548 latine ed. prima (m. 150); 1615 in 16., mole quidem exiguum, meditationibus succosis, monitis et consiliis ad consummatam assequendam vitae spiritualis sanctitatem et perfectionem refertum, sedis apostolicae judicio et omnium utilitate comprobatum. Dici nequit quot conversionibus eo libello praebuerit occasionem a vita peccatis dedita ad sinceram poenitentiam, a tepore ad fervorem, a vita mundana ad religiosam, apostolicam, heroicam. Novas aperuit vias vel saltem monstravit inculcavitque praxes atque methodum fructuose meditandi, fortiter vincendi tollendique a se omnes affectiones inordinatas, ad securius quaerendam et inveniendam voluntatem divinam in vitae propriae dispositione ad salutem animae: unde quasi nova asceseos epocha ab hisce exercitiis coepit. Ea latine fuere versa, saepe edita, inter quas editiones eminet illa, quam curavit Jo. Roothaan societatis Jesu praepositus generalis († 8. Maj. 1853), quam aureis annotationibus illustravit, Romae 1837 et deinceps. Innumeris vero commentariis, expositionibus, aliisque operibus exercitia s. Ignatii dilucidata fuere, quorum saltem aliquem conspectum reperies in copioso catalogo, quem horum operum composuit Rosenthal n. 82. Ejus *constitutiones* Soc. Jesu, Romae 1558 in 8. etc., recentissime latine et hispanice ed. Matriti 1892 in f., summam produnt prudentiam in animarum regimine, suntque opus in suo genere vere classicum: ab iis vero accuratius describendis supersedemus, quia minus ad nos spectant. Ex scriptis dictisque s. fundatoris collegit Gabriel Hevenesi (cf. Nomencl. II^2, 954) *scintillas ignatianas* sive apophtegmata s. Ignatii per singulos anni dies distributa, Brunsbergae 1712 etc. pius utilisque libellus saepe editus[1]). Prodiit quoque

[1]) Alius a Wolfgang T. OSB., de quo cf. Katholik 1898. II, 347—52.

[1]) Cf. Sommervogel Bibl. de la Comp. de Jésus V. 59—124; Backer II, 823-873, ubi copiosissimam reperies literaturam. Aliis omissis de ejus vita cf. Ludov. Gonzalves da Camara SJ. Lusitanus († 1575), qui literis consignavit Diario das Acçoens de s. Ignatio de L., quod opusculum la-

pretiosa collectio ejus epistolarum (862) aliorumque documentorum (217) ad eum spectantium inscripta *Cartas de s. Ignatio de Loyola* Madriti 1874—1889 t. 6 in 8., et alia *Monumenta Ignatiana* ex autographis vel ex antiquioribus exemplis collecta, Series IV. t. 1., ib. 1904.

721. Sancto sanctum addamus, Petrum scil. de Alcantara, quod oppidum est natale in Extramadura provincia situm, a. 1499. in lucem editum ex nobili parentum stirpe. Anno aetatis 16. ingressus est O. Min., in quo omnium virtutum exemplar se exhibuit. Munus concionatoris ex obedientia exercens innumeros a vitiis ad veram poenitentiam traduxit. Primaevum s. Francisci institutum exactissime reparare nisus est felici eventu: nam revera illud ad asperrimum vitae genus redactum per diversas Hispaniae provincias usque ad Indias mirifice propagavit. S. Theresiae, cujus probaverat spiritum in promovenda Carmelitarum reformatione, adjutor fuit. Decessit vir humillimus, quem et Carolus V. magni aestimabat, annum agens 63. in oppido Arenas 18. Oct. 1562, et a Clemente IX. a.[1]) 1669 sanctorum albo fuit adscriptus. Ejus est aureus ille libellus, qui medullam asceticae totius doctrinae continet, cujus s. Theresia vitae suae c. 20 recordatur auctorem sibi in Christo carissimum meritis laudibus prosequens, sicut et c. 27 et aliis suorum operum locis, scil. *De la Oracion y meditacion*, in quo praecepta ad recte orandum et meditandum brevitate magna, sed cum incredibili legentium fructu tradit vir orando exercitatissimus. Praelo saepe traditus fuit, Olisipone 1560; Salmanticae 1578; Pinciae 1620, et in omnes fere Europae linguas versus, latine Coloniae 1607 etc.

722. Didacus de Cabranes sacerdos ord. d. Jacobi, artium liberalium et theologiae magister, Carolo V. a ministerio sacrorum, composuit *Armadura espiridual* del hombre interior sive summam de vitiis et virtutibus satis copiosam, Emeritae 1545 in f.; *Llave espiritual* para abrir la alta materia de la Predestinacion, Toleti 1529 in 4. — Alphonsus de Isla (Ilha) O. Min. Lusitanus collegit *Tesoro de Virtudes*, Medinae 1543 in 4. — Gabriel de Toro (Taurensis) dioecesis zamorensis O. Min. reg. obs., provinciae praepositus, scripsit *Teulugia mystica*, union del Alma con Dios, Caesaraugustae 1548 in 4; *Tesoro de Misericordia* divina y humana sobre el cuidado que tuvieron los antiguos Hebreos, Gentiles y Christianos de los necessitados, Salmanticae 1548; 1597 in 4; Conchae 1599, in quo disserit docte et pie de eleemosyna. — Franciscus Leroy (Regis) O. Min. theologiae lector in conventu parisiensi[1]), Carolo V. a concionibus († 1544; secundum Sbaralea 1540), edidit *Le dialogue de consolation* entre l'ame et la raison, Parisiis (1499) in 8; 1527 vel 1537; *le liure de la femme forte et vertueuse*, declaratif du cantique de Salomon es proverbes, Parisiis 1501 et bis saltem adhuc; *le mirouer de penitence*, Parisiis 1507—1511 pp. 2; le dialogue *de confidence en dieu;* Parisiis s. a. — Franziscus Ortiz[2]) O. Min. reg. obs. Pincianus, insignis praeco († 1547), elaboravit inter alia l. *de ornatu animae*, Compluti 1540; 1548 in 4; *Quadragesimale* seu expositionem super psalmum 50. *Miserere*, ib. 1549 t. 2 in 4., opus egregium; *Soliloquium* inter animam et Deum, ib. 1551; opuscula varia spiritualia, Caesaraugustae 1552 in 4; *epistolae familiares* Compluti 1552; Caesaraugustae 1592; *Informacion de la vida christiana* tr. 5, in quorum l.

tine reddidit H. Codretto SJ. et receptum fuit in Act. SS. 31. Jul. VII, 634—654.

[1]) Cf. plura de eo in Act. SS. 19. Oct. IX, 657—809; Jeiler KL. IX, 122.

[1]) Cf. Bergmans Biogr. nat. de Belg. 11, 902.

[2]) Idem nomen gesserunt alii theologi, de quibus agemus t. sequenti.

agit de instructione vitae christianae; 2. de poenitentiae virtute; 3. de sacramento poenitentiae, s. l. et a. — Franciscus de Hevia (Evia, Eicia, Nevia, quem aliqui in duos dividunt) O. Min. reg. obs. Hispanus, scripsit de tribus statibus animae, inscriptum etiam *Speculum animae*, Compluti 1550 in 8. Ejus *praeparatio mortis* notata quondam legebatur in indice tridentino; *Thesaurus angelorum*, in quo plura habentur praedicatoribus et confessoribus utilia, Asturicae 1547 in 4.

723. Plura ad ascesim spectantia reliquit Antonius Guevara O. Min. Hispanus, vir admodum eruditus, qui post gubernatam diversis in coenobiis familiam Caroli V. gratiam iniit: hinc ab eo electus est in caesareum ecclesiasten et historiographum, deinde adscitus in privatum consiliariorum collegium, mox renunciatus episcopus mindoniensis († 10. Apr. 1544). Multa scripsit sermone patrio, stilo culto et nitido, sed et affectato, anthithetis mutuo sibi respondentibus nimium redundanti: ejusque scripta mira eruditionis copia referta sunt, sed gravissime eum carpit Ant. Augustinus[1]): „Scire se antiquas romanasque historias fingit eaque comminiscitur, quae nec visa nec audita mortalibus, nemo ut divinare queat in quos illos libros inciderit. Nova itaque nomina scriptorum excogitavit, somniaque venditat obtruditque, quae apud nullum reperias auctorem. Jure ergo ille ob hanc licentiam male audit.“ Praetermissis operibus ejus profanis, inter quae plurimum innotuit *Relox de Principes* o Marco Aurelio, Vallisoleti 1529, saepissime editum et in varias linguas versum, huc spectant: *Monte Calvario* sive de mysteriis dominicae passionis ac de verbis Domini in cruce pendentis pp. 2, Salmanticae 1542; 1545; 1582 t. 2 in 8, opus asceticum eruditum, in varias linguas versum; cum annotationibus Alph. de Aurazo, Compluti 1563; *Oratorio de Religiosos* y exercicio de virtuosos, Pinciae 1542; Salmanticae 1570; 1574, quod censuram incurrit theologorum hispanorum; *Aviso de Privados* y Doctrina de Cortesanos, Compluti 1592; *epistolae familiares* ll. 3, Pinciae 1539; Compluti 1600 in 4 etc., saepe recusae et in alias linguas versae ob argumentorum varietatem et calami nitorem, facetias et sales. — Franciscus Amelry O. Carm. Belga (fl. 1551) praeter alia composuit *dialogum* sacrum, in quo anima christiana ad perfectam s. Scripturae cognitionem perducitur, Coloniae; dialogum *de amante anima* ad cognitionem perducta. Coloniae 1605 in 12. (forte idem cum priori libro). — *Della corona de' figliuoli di Dio* o della perseveranza de' giusti, Venetiis 1544 in 4. scripsit Daniel de Prato O. Praed. pro provincia terrae sanctae diffinitor (fl. 1552). — Petrus Alphonsus, Burgensis forte a patria dictus, vir in seculo nobilis, Carolo V. carus, monachus dein monserratensis, in quo coenobio, atque inde in cellulis montis ejusdem solitariis ingenti fama excelluit sanctitatis contemplationi addictissimus, scripsit *de immensis Dei beneficiis* et tribus virtutibus theologalibus, Barcinone 1552 in 8; *de eucharistia*, de vita solitaria, de religione tribusque votis religiosorum, de immortalitate animae, de vita et laudibus Mariae V., omnia simul Barcinone 1562 in 8; *de praeparatione ad mortem*, ib. 1568 in 8; *Dialogos* entre Christo y el Alma, ib. 1569 in 8. — Quibus addi possunt Hadrianus

[1]) Dial. Antiq. X. ex versione Scoti apud Nic. Antonium Bibl. hisp. n. I, 126., apud quem satis acerbam de eo reperies censuram, ubi refert et hoc Gasp. Barthii judicium ad l. Theb. IV. v. 394: „Insignis scriptor, audax fictor, confidens narrator, magnus exhortator, praeclarus doctor, utilis consolator, disertus concionator, Ant. Guevara.“ Cf. Joan. a s. Antonio I, 106; Sbaralea p. 77. Alius ab eo est Ant. Guevara, de quo cf. Nomencl. I², 87.

de Witte S. J. Antverpianus, non minus re quam nomine candidus († 1558) — Seraphinus Aceti Porti Firmanus can. reg. lateran. zelosus concionator († 1540), cujus opuscula spiritualia collecta saepe prodierunt[1]), italice Venetiis 1541; 1562; Placentiae 1570; hispanice Salmanticae 1552; 1554; latine Placentiae 1570; Antverpiae 1581. — Antonius van Hemert (Hemertius) a pago ut videtur Hemertano territorii silvaeducensis ita dictus, can. reg. († c. 1560), qui scripsit paraenesin afflictae mentis sive *de patientia servanda ll. IV,* Antverpiae 1549; insuper *Speculum perfectionis,* Antverpiae 1547; Monasticam philosophiam (ineditam), qua docuit, quovis seculo monachos ceteris fere doctiores in sacris literis, concionibus ac disputationibus, atque adeo in conciliis exstitisse, ac solos pene sui temporis historiam conscripsisse, etsi, ut illa tum ferebant tempora, rustice nonnihil, nec satis latine, ex fide tamen bona. Non recte itaque ab adversariis jactari efficiebat, indoctum esse monachum[2]). — Petrus Godefridi minister generalis tertii ord. s. Franc., quos Bogardos vocant, vir pietate vitaeque integritate omnibus suspiciendus infulas magna animi demissione recusavit († 1558). Scripsit opuscula lingua vernacula pietatem ubique spirantia[3]), ut desertum sive *eremum Domini* de 40 mansionibus in solitudine, Antverpiae 1551 in 8; *Chlamidem Sponsi* sive de interna imitatione vitae et crucis Christi, ib. 1563; *Panem angelorum* sive de ss. sacramento altaris, Lovanii 1552 in 8 etc. — Plura ascetica[4]) reliquit Richard Whitford, Erasmo et b. Thomae Moro familiaris, quae recenset Gillow V, 581 (fl. 1535).

724. Inter *concionatores,* quorum jam plures laudavimus inter theologos polemicos et s. Scripturae interpretes, primo loco nominabimus s. Thomam a Villanova, quae est locus natalis dioeceseos toletanae. Natus est ut ferunt a. 1488. Emenso Compluti theologiae curriculo, professoris ibidem functus est munere, ibique inter discipulos habuit Dom. Soto virum postea adeo celebrem. Anno 28. vitae suae ingressus est O. S. Aug. et paulo post electus in aulicum verbi divini praeconem, a sodalibus vero in provinciae praepositum. Delectus quoque fuit a praeposito generali Seripando, qui eum ob virtutes et prudentiam maximi aestimabat, ut cum quatuor aliarum nationum patribus gravissimis et prudentissimis librum constitutionum ordinis examinaret, et removenda vel addenda pro temporum opportunitate ad majorem ordinis utilitatem in eo designaret. Eloquentia sua simplici, inaffectata et cordiali ingentem excitavit animorum commotionem et fructuosissimam morum conversionem, quapropter salutatus est Hispaniae apostolus. A Carolo V. maximi factus vocatus est ad sedem valentinam, postquam archiepiscopatum granatensem sibi oblatum constanter recusasset. Frustra obstitit, urgentibus

[1]) Cf. Morus Biblioth. picena I, 33.
[2]) Foppens I, 79.
[3]) Cf. Foppens II, 978.
[4]) Ex priori periodo (1521—1540) praetermittendus non est Jacobus Koebel patria Heidelbergensis, solers et operosus bibliopola, qui initio quidem genuinae reformationis disciplinae ecclesiasticae amore propendit in Lutheri opiniones, sed non diu postea rediit ad saniora consilia. Praefuit Oppenheimii typographiae pluriumque operum curavit editionem, fuit enim vir probe doctus. Praetermissis operibus mathematicis, quae maxime celebrem eum reddiderunt, *Ruperti* ducis bingensis *legendam* germanice edidit 1524, opusculum sane bellum. In controversia literaria de conceptione Mariae V. ipse typis dedit libellos Wigandi Wirth adversus Trithemium aliosque qui pro ejusdem puritate steterunt. *Tütsche Cronica* von Anfang der Welt uncz uff keiser Friderich auctore Steinhöwel medico ulmensi 1474 iterum edidit eamque continuavit usque ad Carolum V. Quando obierit nescimus. Accurate de ipso disserit F. F(alk) in hist.-pol. Bl. LXXXII (1878), 463—476.

superioribus voluntati divinae acquievit. In episcopali statu vitam duxit sanctissimam, forma gregis factus virtutibus suis; in primis vero effusissimae erat beneficentiae in egenos: hinc etiam priusquam moreretur omnia sua bona in eos distribuit: ideoque dictus est „Eleemosynarius". Sancto fine quievit 8. Sept. 1555, ejusque funeri intervenisse ferunt plus quam 8500 pauperes [1]). Ab Alexandro VII. sanctorum catalogo insertus est 1. Nov. 1658. Reliquit *sermones* gravissimis sententiis refertos et *commentaria* in cantica canticorum, l. Job et Apocalypsin, quae incepit, non autem perfecit: ea una cum concionibus elegantiori latinitate donata et vita praemissa opera Petri de Uzeda prodierunt Compluti 1581 in f.; Brixiae 1603 in 4; Coloniae 1614; 1616; 1661; Romae 1659; Augustae V. 1757 in f.; optime Mediolani 1760 t. 2 in f. cura Laur. a s. Barbara O. S. Aug., qui praemisit sancti biographiam. Kaulen ed. Ein Büchlein von der göttlichen Liebe nach dem h. Th. v. V. übersetzt, Freiburg 1896 ed. 2. — Casparis Legionensis (de Leon) O. Min. reg. obs. *homiliae* ac *sermones* pro singulis dominicis et festivis diebus totius anni t. 4 in 4. prodierunt Salmanticae 1554 in 4. — Jacobus Scoepper (Schopper) Tremoniae (Dortmund) natus, quem Sixtus senensis l. 4. suae biblioth. theologiae professorem egregium et declamatorem facundum salutat et cujus scripta ab eleganti methodo stiloque succinctissimo laudat, pastor erat Tremoniae, suumque gregem zelo, exemplo, verbo, ope catholici magistratus in fide antiqua continuit († 4. Dez. 1556). Praeter catechismum brevem et catholicum in gratiam juventutis tremonianae concinnatum reliquit *Institutionis christianae* praecipuaeque doctrinae *summam* concionibus comprehensam, quae laudatur ab accurata docendi methodo et a luculenta verborum et sententiarum perspicuitate, Coloniae 1561 in 8. et *Concionum* t. 2, Tremoniae 1557 in 8; etiam germanice, Coloniae 1572. — Joannes Royardus O. Min. Flander ordinis in regno Scotiae commissarius generalis, insignis verbi Dei praeco († 1547), reliquit *homilias* in epistolas dominicales et festivitates sanctorum et in evangelia dominicalia (pp. aestivalis et hiemalis), Coloniae 1573 t. 4 in 8; homilias *in evangelia et epistolas* feriales quadragesimae una cum fusissima passionis J. Christi secundum utriusque T. Scripturas enarratione aliisque opusculis, Parisiis 1553. 1554. t. 3 in 8; Lugduni 1573 t. 5 in 8. — Parisiensis erat Franciscus de Picart (1504—1556), concionator ardens adversus novatores et pater pauperum. Quantum illum suspexerint Parisienses, inde liquet, quod eorum 20,000 defuncti funus sint comitati. Ejus conciones et instructiones post ejus prodierunt mortem Parisiis 1556. — Thomas Baworowsky archidiaconus plesnensis, postea canonicus metropolitanae ecclesiae pragensis et decanus, edidit bohemice *speculum beatae vitae* et praeclaras conciones *de poenitentia,* Początek 1552, vertitque bohemice Feri postillam, Olomucii 1557.

725. Habes jam, benevole lector, amplissimam theologorum seriem a s. Anselmo theologiae scholasticae veluti parente ad finem usque concilii tridentini perductam. Laetissima occurrit periodus medio sec. XIII., in qua refulsit quadriga plane illustris Alexander Hal., Albertus M., s. Thomas Aquinas et s. Bonaventura, qui theologiam scholasticam ad supremum fere fastigium perduxerunt: quibus praeiverant duo sidera lucidissima Hugo et Richardus a s. Victore. Exinde vero ejus splendor decrevit pe-

[1]) Ejus vitam descripsit Joannes de Muñatones O. S. Aug., Carolo V. a concionibus, episcopus segobricensis, ejus amicus († 15. Apr. 1571). Prodiit in Act. SS. 18. Sept. V, 825—828.

detemptim, cum theologi scholastici vere insignes postea rarius inveniantur iique sat longis intervallis ab invicem dissiti. Potiores forte sunt: Petrus de Tarantasia (Innocentius V. † 1276), Henricus gandavensis († 1293), Richardus de Mediavilla († 1307), Joannes Duns Scotus († 1308), Aegidius de Columna († 1316), Petrus Aureoli († 1322), Franciscus Mayron (1327), Guilelmus de Rubione (fl. 1333), Petrus Paludanus († 1342), Joannes de Bacon († 1346), Gregorius Ariminensis († 1358), Thomas Waldensis († 1430), Joannes Capreolus († 1444), Nicolaus de Orbellis (fl. 1465), Joannes de Turrecremata († 1468), Dionysius Cartusianus († 1471), Bessarion († 1472), Gabriel Biel († 1495). In aliis disciplinis, si jus canonicum excipias, quod per duo secula admodum floruit, incrementum vix cernitur. Demum sec. XVI. ineunte refloruit theologiae scholasticae studium auctoribus in primis O. Praed. sodalibus hispanis: occasione vero tristissimae defectionis ab avita fide, quae eo seculo invaluit, et accedente efficaci impulsu concilii tridentini theologia, qua late patet, tam rapidos, laetos latosque fecit progressus, ut vix iniri possit comparatio inter profectum scientiae theologicae medio aevo et eum, quem veluti manibus palpamus seculis synodum tridentinam immediate consequentibus. Ne haec exaggerata videantur et quasi ad invidiam dicta medii aevi, consideres velim 1. theologorum numerum: singulis enim annis tot posteriori aetate numerantur scriptores, quot tempore anteriori vix decenniis singulis; inter illos vero 2. quot clari et illustres in universis fere Europae regionibus, in tot ordinibus vetustis sed et recenter institutis, quorum nomina modo resonant omnibus fere in scholis. Consideres 3. probationum apud posteriores theologos pondus et vim haustam ex tot locis theologicis antea fere occlusis, cujusmodi sunt archaeologia, liturgia, acta martyrum, opera genuina et sincera patrum etc. Rationem habeas 4. tot disciplinarum, quae novo studio a sec. XVI., speciali diligentia, sagacitate singulari fuere excultae, et ex quibus ingens in universam theologiam dogmaticam ad probandas, illustrandas, tuendas fidei veritates redundat utilitas novaque luce perfunduntur dogmata. Ejusmodi disciplinae sunt introductio tam generalis quam specialis in s. Scripturam, hermeneutica, archaeologia, patrologia, historia ecclesiastica ad omnem exacta artem criticam etc. Memineris etiam 5. campi theologici amplitudinem ob adversariorum numerum in immensum fere dilatati [1]), argumentorum, de quibus disputandum cum acerrimis hostibus, copiam ingentem, miram disputationis ipsius varietatem atque elasticitatem ob multiformem impugnationis artem. Laetissimum hunc profectum adjuvit sane recens reperta typographia, promovit prae primis tamquam princeps causa providentia s. Spiritus juxta Christi promissa Ecclesiae semper assistentis et docentis eam omnem veritatem; occasionem autem et impulsum efficasissimum dederunt emergentes undique haereses et errores juxta illud s. Augustini: „Ab adversario mota quaestio discendi exstitit occasio [2]).“ Neque parum profuit, ut candide id fateamur, major concessa vel permissa libertas, ob quam theologi non amplius cogebantur adeo serviliter fere unum legere et interpretari opus Magistri, opus sane non classicum: hinc demum, dolendum, tam sero coe-

[1]) Sufficit conferre rerum indices et disciplinarum tabulas subsequentium tomorum cum indice hujus t., ut appareat hoc augmentum.

[2]) De civ. Dei XVI c. 2 n. 1. Deum haereses permittere ut Ecclesiae occasionem praebeat accuratius et diligentius veritatem revelatam investigandi atque ita conferre ad profectum scientiae theologicae et patres passim testantur (cf. opusc. a nobis edita IX², 220 ss) et historia ecclesiastica palam docet.

pisse s. Thomam magis dominari in scholis cathedrasque nobilitare atque sagacia inspirare ingenia, ut et ipsa proprio marte aliquid conderent, non tantum interpretum agerent partes. Subsequentes operis nostri tomi copiosam tibi suppeditant materiam ad has nostras assertiones, quae comparatione medium aevum inter et secula post celebratum concilium tridentinum instituta sponte veluti sua menti se offerunt, illuminandas confirmandasque.

Addenda et corrigenda.

Dum tomus hic imprimeretur, quaedam vel sero nimis vel recentissime edita in auctoris manus venerunt, quae ad perficiendas corrigendasve notitias de aliquibus saltem theologis lectori haud inutilia erunt. Ea servata paginarum serie hic subjiciemus.

Pag. 10. De Guiberto de Novigento cf. Bern. Monod († 1905) *Le moine Guibert* et son temps, Paris 1905, quo in op. Guiberti autobiographiam pg. 3—137 exhibet.

Pag. 21. Anselmi Laudunensis frater vocabatur Radulfus († 1131), cujus exstat commentarius in ep. ad Romanos, sed ineditus.

Pag. 45. Opusculum bellum *de conceptione s. Mariae* olim s. Anselmo tributum est Eadmeri. Ediderunt illud post ed. minus criticas primum ad codd. fidem integrum adjectis quibusdam documentis coaetaneis H. Thurston et Th. Slater SJ. Friburgi 1904.

Pag. 59. *Vitam s. Hugonis* auctore Guigone edidit Car. Bellet canonicus gratianopolitanus Monstrolii 1889 in 4., quae ed. est splendida.

Pag. 79. Diximus ibidem, Denifle *Quaestiones super epistolas s. Pauli* abjudicare Hugoni a s. Victore. In recentissimo op. Luther und Luthertum in der ersten Entwickelung ed. 2. 1. Bd. 2. Abth. Quellenbelege S. 65 s. quaestionem iterum tractat, iterumque negat eas esse Hugonis, sed vel Walteri prioris s. Victoris (de quo cf. infra p. 95), vel Richardi a s. Victore, (qui obiit secundum ipsum 1171, et de quo cf. infra p. 159), vel probabilius incerti cujusdam auctoris, qui inter Petrum Lombardum et Petrum Cantorem floruerit. Idem Denifle op. cit. p. 51; 94 ss. etc. testatur, commentaria Lombardi in ep. s. Pauli tanti esse facta a theologis subsequentis temporis, ut citarentur pro glossa, ipse allegaretur sub nomine „glossator“, „expositor“, ejusque commentationes exponerentur, adeo ut non solum per sententiarum libros, sed et per sua commentaria in scholis dominaretur.

Pag. 105. Cf. doctam disputationem cl. Denifle op. cit. p. 334—346 coll. pag. 30 et 40, in qua commentarium (ineditum) in ep. s. Pauli, qui a nonnullis solebat asseri Gilberto de s. Amando († 1095), Gilberto Porretano vindicat, expositionem vero (pariter ineditam) ad hunc commentarium seu glossam, quae sub Gilberti Porretani nomine subinde in codd. occurrit, esse probabiliter Nicolai Ambianensis ejus discipuli et expositoris opinatur.

Pag. 126. Cf. J. Schmidlin Die Philosophie Ottos von Freising in Philos. Jahrb. 1905 II, 156—175.

Pag. 148. F. W. E. Roth edidit ex cod. msc. in Zeitschrift des Aachener Geschichtsvereines, Aachen 1896 XVIII, 242—311 epistolas 73 non inutiles pro historia sec. XII. Udalrici (Othelrici) abbatis secundi steinfeldensis O. Praem. Natione erat gallus n. c. 1115, atque praefuit suae canoniae ad a. 5. Jan. 1170. Vir erat sua aetate magnae auctoritatis, hinc ex literis suis quaedam inscribuntur Eugenio III. et Hadriano IV. De iis disserit etiam Alphonsus Zák O. Praem. in Studien und Mitth. aus dem Ben. u. dem Cist. Orden XXIII (1902), 439—451.

Pag. 254. Jo. D. Fitz-Gerald ed. criticam curavit l. *La vita de Santo Domingo* de Silos par Gonzalo de Berceo, Paris 1904.

Pag. 267a. De Conrado Uracensi fusius disserit Ambr. Clementin in Revue Bénéd. XXII (1905), 232—243.

Pag. 342. Felix Cambon edidit nostra aetate tr. *de conscientia et de tribus dictis* Rob. de Sorbonna.

Pag. 353. Joannes Cordey exhibet *regesta* Guilelmi de Massouris abbatis s. Dionysii (1245—1254) in Mélanges d'hist. du M. A. XVIII (1904), 187—266.

Pag. 372. De Bernardi cas. *speculo* fusius disserit Hil. Walter in Studien u. Mitth. aus dem Ben. und Cist. Orden XXI (1900) 32—48.

Pag. 376. a. 1. Cf. de hac controversia etiam Walter Goetz Die Quellen zur Geschichte des h. Franziskus v. A. Gotha 1904, qui contra P. Sabatier ejusque asseclas negat. *Speculum perfectionis* et *La Leggenda di s. Francesco* scritta da tre suoi Compagni esse fontes originales et maxime authenticos vitae hujus sancti.

Pag. 386. De Ulr. Engelberti de Argentina cf. M. Grabmann in sua docta diss. Studien über Ulr. von Straßburg in Zeitschr. f. k. Theol. XXIX (1905), 82-107; 315—331; 482—500. Negat eum esse auctorem celebris *compendii theologiae* (de quo cf. supra pag. 383), quod maxima cum probabilitate, imo certo Hugonis argentoratensis esse censet. Pag. 485—492 conspectum exhibet *Summae theologiae* hactenus ineditae, mox tamen edendae.

Pag. 416. annot. 1. mentio occurrit Odonis Galli, quem quidam inter scriptores O. Praed. referunt. Verum Denifle op. supra cit. p. 118 eum ex scriptorum hujus ordinis albo delendum censet.

Pag. 492. Matthaei ab Aquasparta, qui fuit unus ex praecipuis s. Bonaventurae discipulis quique prae ceteris ejus assequitur sententiam et spiritum, *Quaestiones et disputationes selectae* hactenus ineditae demum prodierunt diligenti sodalium cura Quaracchi 1904. Agit autem solers theologus in iis de excellentia et sensu s. Scripturae, necnon et de fide et cognitione humana.

Pag. 557a. *Margaritam* Guidonis ferrariensis accuratius describit F. Falk Bibelstudien in Mainz, Mainz 1901 pag. 315 ss. Juxta ipsum ea revera typis nunquam fuit excusa.

Pag. 565. Denifle op. cit. p. 195 *Milleloquium* Barth. de Carusius laudat deque auctore dicit: Wohl selten hat jemand eine solche Kenntniß der Schriften Augustins besessen wie er. Augustini dicta ex plurimis ejusdem collecta operibus (quae diligenter recensentur in utili *Distinctione omnium librorum*, qui allegantur in op. Milleloquii, codicibus et etiam editionibus adjecta, ut ex. gr. Lugduni 1555 p. 2395—2480) mille circiter titulis alphabetice dispositis adducuntur. *Commentarii* autem tam in V. quam in N. T. etc. judice Denifle non videntur esse Bartholomaei nostri, sed posterioris temporis.

Pag. 641. 654. Cf. W. Schmidt: Untersuchung der Reime in den Dichtungen des Abtes G. le Muisis, Leipzig 1903.

Pag. 657. Cf. J. Gay Le pape Clement VI. et les affaires d'Orient Paris 1904.

Pag. 659. Cf. Georg. Schmid. der hist. Wert der 14 alten Biographien des Papstes Urban V., in kirchengesch. Abhandlungen herausg. von . . . Sdralek III fasc. 2, Breslau 1905.

Pag. 677. Theologis ex ord. s. Dominici adde Henricum de Bitterfeld, qui floruit exeunte sec. XIV. De ejus scriptis (ineditis) cf. G. Sommerfeld Zeitschr. für k. Th. XXIX (1905), 165—168.

Pag. 690. Joannes de Hesdinio non reliquit commentaria in omnes Pauli ap. epistolas, sed tantum commentarium in ep. ad Titum, prolixum admodum, in quem universam fere theologiam, moralem praesertim, recepit: theologus enim erat vere eruditus. Cf. Denifle op. cit. p. 204—220, qui ex eo plura adducit segmenta.

Pag. 690. Gustav Sommerfeldt edidit in Ztschr. f. k. Theol. XXIV (1905), 404-412 epistolam hactenus ineditam Henrici de Langenstein *de contemptu mundi*.

Pag. 722. De celebri amico Dei anonymo, quem cum Denifle personam fictam esse diximus, cf. opus recenter editum a Car. Rieder Der Gottesfreund vom Oberland. Eine Erfindung des Straßburger Johannniterbruders Nikolaus von Löwen, Innsbruck 1905. Hic Nicolaus adhaesit, Rulmann Merswino factusque est sodalis ord. s. Joannis (1371; † 3. Apr. 1402). Sed haec hypothesis, eum esse auctorem hujus fabulae, non est satis probata et fundata ipsumque opus Riederi nonnihil festinatum est judice A. E. Schoenbach in Lit. Rundsch. 1905 p. 167—72.

Pag. 747. Scripsimus in annot. Matthiam de Liegnitz reliquisse commentaria in ep. ad Romanos et Corinthios (inedita): sed juxta Denifle op. cit. pg. 145 falso ei tribuitur *commentatio* super ep. ad Romanos et ad Corinthios: reliquit tantum *postillas* super epistolas dominicales per totum annum.

Pag. 756 Eidem Matthaeo de Cracovia asserit (sed probabiliter tantum) Fr. Bliemetzrieder (Studien u. Mitth. aus dem Ben. und dem Cist. Orden 1904, XXV, 544—556) *postillas* ad literas, quibus cardinales (schismatici) concilium pisanum

convocaverant (1408) ed. in deutsche Reichstagsakten VI Gotha 1888 Nr. 268 p. 387—429. Neque enim dissonae sunt a tr. *de squaloribus romanae curiae*, qui ipsi videtur esse nostri Matthaei. Notat tamen hujus tr. merito desiderari accuratam ed., cum textus editus a Walch vix possit esse genuinus.

Pag. 760. Bliemetzrieder in Studien u. Mitth. aus dem Ben. u. Cist. Ord. XXVI (1905), 33—47 et fasc. seq. edidit *Soliloquium schismatis*, quod putat esse Ludolfi abbatis saganensis, in quo inquirit, num Gregorius XII. teneatur papatui renunciare, numque in hypothesi, quod nolit se eo abdicare, sit schismatis fautor et haereticus, ideoque ipso jure papatu privatus: quis hoc in casu judex, num cardinales convocare possint concilium generale etc. Ad priorem quaestionem in utramque partem affert argumenta atque in sententiam propendet affirmantem: statuitque deinde Gregorium jam ante cessionem obligari, se primatus administratione abstinere.

Pag. 809. De Aug. de Favaroni cf. Denifle, qui op. cit. p. 220—235 prolixa ex ejusdem *expositione super ep Pauli ad Romanos* (inedita) adducit testimonia. Eam dicit stilo latino rudi concinnatam, sed non sine momento, cum post Sedulium Scottum vix alius interpres latinus tam saepe usus sit Origenis commentariis in ep. ad Romanos.

Pag. 862a. Cf. Eubel Zur Kardinalsernennung des Dom. Capranica in Röm. Qtlschr. XVII, 273—292.

Pag. 923. Quae hic de Fort. Vaselli leguntur, delenda sunt, obiit enim 1361, deque eo egimus jam pag. 638.

954. Alius a Petro de Monte, cujus hic mentionem facimus, est Petrus Montius, cujus ll. XII *de unius legis veritate et sectarum falsitate* excusi fuere Mediolani 1522; *de singulari certamine* sive defensione deque veterum recentiorumque ritu ll. 3, ib. 1509. Patria erat Mediolanensis, professione miles et cohortis peditum dux, juxta Mazzuchelli „admirabilis ingenii et monstruosae doctrinae vir". Cf. Argelati bibl. med. script. II, 956.

Pag. 957a. Num Henricus de Heimburg auctor *Annalium* idem sit cum Henrico auctore *chronicae domus Sarensis* O. Cist. dubitant viri eruditi. Affirmant praeter alios Fr. de Krones et Otto Grillnberger in Studien u. Mitth. aus dem Ben. u. dem Cist. Orden XXIII (1902), 98—110. Henrici *Chronica domus Sarensis* saepius prodiit, cur. scil. R. Roepell Breslau 1854; Emler inter Fontes rer. boh. II, 2 (1874), 521 ss. et J. Dieterich in Mon. Germ SS. XXX (1897), 67 ss.

Pag. 971. Inter scriptores de theologia pastorali referre licet Joannem de Aurbach (Aurpach) decretorum doctorem et vicarium bambergensem, qui concinnavit *Summam* pro indoctis, cujus pars prior complectitur instructionem pro confessariis, altera agit de sacramentis. Ea commendata fuit a pluribus synodis, in primis a Nicolao Cusano in synodo brixinensi a. 1403. Prodiit ea inscripta *Summa de sacramentis* s. l. a. et n typogr.: summa *de confessariis et Ecclesiae sacramentis* Augustae 1469 in f. *Directorium curatorum* s. l. a. et t.: *Processus juris* una cum lectura expositionibusque peritissimi viri Jo. de Eberhausen seu opera diligentiaque ac studio, Lipsiae 1489.

Pag. 1015. De Marsilio Ficino cf. Denifle op. cit. p. 279—286, qui notat nullam exstare operum omnium editionem, quae prodierit Venetiis 1516; commentarium *in ep. ad Romanos* pertingere ad V, 12 (in ed. basileensi a. 1561 t. 1 p. 425—472). Cf. de Marsilio J. Corsi Mars. Ficini vita in Phil. Villani l. de civitatis Florentiae famosis civibus, Florentiae 1847 pag. 183 ss.

Pag. 1009. A Feliciano O. Prad. alius est Jo Bernardus Felicianus, qui Oecumenii *Catenam explanationum* in Acta apost et in ep. catholicas latine reddidit et Venetiis 1545 edidit.

Pag. 1070. Hieronymus Paulus, Catalanus, canonicus barcinonensis et Alexandri VI. cubicularius sub sec. XV. exitum praeter sententiam *de dona-ione Constantini* aliaque (apud Schott Hisp. illustr. t. 2.) reliquit *practicam cancellariae apostolicae*, quae est addita libello rarissimo *Provinciale omnium ecclesiarum* exemplatum e libro cancellariae apostolicae, Romae 1493, notis et auctario ornatum ed. ab Aub. Miraeo Parisiis 1610, et Car. Labbeo ad calcem coll. Decretalium, ib. 1610 et in notitia episcopatuum orbis catholici l. IV, Antverpiae 1613.

Pag. 1140. Omisimus doctum exegetam, qui hac floruit aetate, scil. Joannem Coletum decanum ecclesiae londinensis s. Pauli († 1519), de quo accurate agit Lupton in op. A Life of John Colet with an Appendix of some of his English writings, Londini 1887; et Colets *Lectures on Romans* with translation, introduction and notes, London 1873; J. Coleti *opuscula quaedam theologica*, London 1876. Cf. de eo Denifle op. cit. p. 297—300.

Pag. 1271. Inter theologos polemicos Angliae referri debent Eduardus Powel Wallensis, theologiae professor et canoni-

cus saris beriensis, qui intrepide stetit pro valore matrimonii Henrici VIII. cum Catharina et contra regis usurpationes in rebus sacris. Hinc laqueo fuit suspensus et semivivus in quatuor discissus partes (1540). Edidit contra Lutherum *Propugnaculum summi sacerdotii evangelici* ac septenarii sacramentorum, Londini 1524 in 4. — Joannes Traversius, qui in Hibernia extremo supplicio affectus fuit „ob l. scriptum pro primatu s. Petri et successorum ejus. De quo rogatus, illumne scripsisset, strenue annuit, ostensis tribus digitis, quibus illum exararat. Ita igni addicitur eoque amburitur, tribus tamen illis digitis divinibus exceptis“ etc. Ita Aubertus Miraeus de script. eccl. — Stephanus Gardiner Henrico VIII. a secretis, archidiaconus leicestrensis et ob doctrinam episcopus wintoniensis (1531). Stetit quidem pro divortio regis a Catharina legitima uxore sua proque eo scripsit *de vera obedientia*, Lovdini 1533, in defectionem tamen ab Ecclesia romana non consensit, imo libri illius exstat *palinodia* (in ed. Parisiis 1552). Sub Eduardo VI conjectusque est in Turrem (Tower), ibique ad mortem usque regis haesit. Cum vero Maria thronum conscendit (1553), carcere fuit liberatus, sedi suae restitutus, imo auctus dignitate cancellarii Angliae: brevi tamen postea magno reginae dolore decessit 12. Nov. 1555. Plura reliquit opera praesertim pro eucharistia contra protestantes, quae recenset Gillow A Literary and biogr. Hist. . . . of the English Cath. II, 368-387.

Pag. 1359. Mercurius Vipera Beneventanus annos multos s. poenitentiariae regens, Rotae auditor et episcopus balneoregiensis, in Urbis excidio a. 1527 captus est et exstinctus, praeter alia ll. X *contra aberrantes a recto divini cultus itinere*, Romae 1522 reliquit.

Pag. 1396 Claudius Coussord Gallus recenset *Waldensium ac quorundum aliorum errores*, quae nunc vigent haereses continentes, Parisiis 1548, gallice Sedan 1618.

Pag. 1465. Egallis adhuc nominare licet Petrum Lizet, Arvernum, supremi Francorum consilii praesidem, postea abbatem commendatarium ads. Victorem Lutetiae et sacerdotem († 7. Jun. 1554), qui majori zelo quam doctrina plura reliquit de controversiis opuscula, quae prodierunt t. 2 partim Lutetiae 1551, partim Lugduni 1552. Ea recenset Joecher II. 2476, scil. de s. Bibliis in vulgare idioma minime vertendis, de auriculari confessione, de praeceptionibus Ecclesiae ll. VI; in pseudo evangelicos et de eorum animadversione etc.

Pag. 1479. Orontius Finaeus (Finé) Delphinas, mathematicus, in carcerem ab a. 1518—24 conjectus, quia renuit approbare concordatum a Francisco I. cum pontifice initum, dein regius matheseos Parisiis professor († 6. Oct. 1555) concinnavit *Descriptionem terrarum* ad intelligentiam utriusque Testamenti maxime pertinentem, Parisiis 1536; et *s. Pauli ap. peregrinationem* geographica tabula delineavit in thesauro geographico Ortelii.

Pag. 1479a. Hisce adde Basilium Zanchium can. reg. lateranensem, bibliothecae vaticanae custodem († 1560), qui collegit ex ss. patrum libris *Notationes* in omnes s. Scripturae libros, Romae 1553; Spirae 1558 in 8; Coloniae 1602.

Pag. 1515. Antonius a Connerstain (Coninesteinius) oppido natali dioecesis moguntinae reliquit elucidationem *in ep. b. Pauli ad Romanos*, Coloniae 1556. Juxta Aubertum Miraeum fuit O. Min. guardianus noviomagiensis († 1541), qui scripserit etiam *conciones* in Evangelia et epistolas totius anni, *concordantias* omnium fere materiarum ex ss. bibliis partim Parisiis, partim Coloniae et Lovanii editas.

